Jn Starbridge

Percival Ap[illegible] 1925 / J. W. Stanbridge

(Quand on lit cet homme là on est
à confessional.

A ii.1. firmanda amicitia (cons.)
ii 29. Conciliando misericordi[illegible].
ii. 44 praetendebantur.
46. [illegible] [illegible].

A. iii, 19. Adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritati

Apuia et Iriceo Plin. 3, 11, 16

Accusations at Rome Tac. de Orat. 34 – 7, "one of the most interesting passages in ancient literature"

Treatment of slaves in antiquity. Tac. Ann. 14. 42 Pedanius
Dion 54, 23 Vedius Pollio. Cf Pliny Ep. 3, 14. Large, & the law of universal tyranny in Statius Sylv. iii. 3, [illegible]
Plutarch Q R 6

Cic. ad Att. 4, 18 the merely formal state of the Comitia Curiata.

CORNELII TACITI

OPERA.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTA ET EMENDATA
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATA

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER

WESTFALVS

PROFESSOR BONNENSIS.

VOLVMEN PRIMVM.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.

LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:

T. O. WEIGEL LIPSIAE, J. G. SCHMITZ COLONIAE.

CORNELII TACITI

ANNALES.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTI ET EMENDATI
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATI

OPERA

FRANCISCI RITTERI.

VOLVMEN PRIMVM. Δ 2

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:
T. O. WEIGEL LIPSIAE, J. G. SCHMITZ COLONIAE.

BONNAE, FORMIS CAROLI GEORGII.

PROOEMIVM EDITORIS.

BREVIARIVM PROOEMII.

Vita Cornelii Taciti cap. 1—17. Vitae Taciti conscribendae fontes et qui ante scripserint (1). Taciti nomina et annus natalis. Error Iusti Lipsii (2). Municipium Interamna Tacito patria (3). Ad artem dicendi quomodo informatus. Dialogus de Oratoribus quo consilio et quando editus; iniustae de auctore dubitationes (4—5). Taciti cautio et moderatio sub principe Domitiano (6). Post mortem Agricolae vitam soceri absens ab urbe scribere secum agitat, mox inceptum interim omittit (7). Idem Historias imperante Domitiano coeptas apud se retinet. Honorificum Quintiliani de eo iudicium. Alia de Historiis (8). Agricolae vita anno 97 exeunte scripta et edita, proximo Historiae evulgatae et Germania. Germania appendix et comes Historiarum (9). Eloquentiae studium, quo Domitiano principe et post finem eius floruit (10). Annalium conscribendorum causa (11). Annalium libri duodeviginti, non sedecim, Historiarum duodecim, non quattuordecim (12—13). Argumenti utroque opere tractati descriptio (14). Annales quando editi (15). Verum operis nomen et quomodo differat ab Historiis (16). Tacitus Traiano non diu superstes. Opera promissa et non perfecta. Facetiarum liber (17).

Librorum Taciti post mortem fata cap. 18—31. Taciti scriptorum pauca exemplaria; negligi incipit, et quibus causis (18). Taciti exemplum sequitur Ammianus Marcellinus (19). Tacitus non ignotus Aurelio Victori, S. Hieronymo (20—21). Orosius Historias cognovit, non Annales, Sulpicius Annales, non Historias (22—23). Quinto seculo Tacitum magni facit Sidonius Apollinaris (24). Iam delitescere incipit; ignotus Cassiodoro (25). De Tacito silentium usque ad nonum a Christo seculum; Ruodolfus Fuldensis; codex iam Mediceus prior olim Fuldensis fuit (26). Idem seculi quinti decimi principio Fuldae visus vel Hersfeldiae (27). Reliqua libri fata; codex Taciti Corbeiensis nullus (28). Codex Mediceus alter (29). Habitus et indoles utriusque codicis (30). Libri manuscripti hinc deducti (31).

Tacitus arte critica restituendus et restitutus c. 32—35. Qui sint locupletes in maioribus Taciti operibus testes et quomodo adhibendi (32). De coniectura critica (33). Editiones omnium Taciti operum antiquae et recentiores (34). Delectus Opusculorum a viris doctis de Tacito conscriptorum (35). Siglae in annotationibus meis usurpatae (36). Corrigenda.

Vita Cornelii Taciti composita a vetere auctore neque 1
relicta nobis est, neque memoratur in monumentis antiquis qui facta eius et mores tradere posteris aggressus sit. Suetonius Tranquillus in suo de viris illustribus libro non ultra Plinium maiorem videtur progressus esse: Tacitum aequalem suum, quem in vitis Caesarum studiose respexit sed nunquam nominavit, certe in illo opere minore non complexus est. Ipse haud dubie in Historiarum et Annalium integris libris plura de se rettulit, quae iam, cum maior pars interciderit, ignota nobis sunt fere omnia, sed apud priores magni scriptoris vitam quodammodo compensare videbantur. Quapropter nunc eius vitam scripturis non nisi loci quidam passim dispersi suppetunt, in quibus aut ipse de se data occasione in operum reliquiis nonnulla narravit, aut alii aliud agentes mentionem eius iniecerunt. Hi loci magnam partem iam pridem collecti sunt a viris eruditis et ad vitam Taciti quoquo modo adumbrandam adhibiti, veluti a Iusto Lipsio qui in limine operum Taciti saepius a se editorum vitam auctoris breviter narravit, a Ger. Ioanne Vossio in primo (c. 30) librorum de Historicis Latinis editorum, a Baelio in Dictionario critico et historico, a Gabriele Broterio (Brotier) qui suae editioni (t. I p. I—XV) commentationem *de vita et scriptis Cornelii Taciti* praemisit. Quos nostra memoria secuti sunt et Wilh. Boetticher, *lexici Tacitei* conditor, et nonnulli Taciti editores, ut G. Alex. Ruperti, G. Henr. Walther, alii.

Gaius[1] Cornelius Tacitus, cui in nonnullis antiquis 2

1. Sidonius Apollinaris Epist. IV 14 Polemio suo scribens: *C. Tacitus, unus e maioribus tuis, Ulpianorum temporum consularis, sub verbis cuiuspiam Germanici ducis in historia sua* (H. V 26) *retulit dicens: 'cum Vespasiano mihi vetus amicitia, et dum privatus esset, amici vocabamur'* (apud Tacitum: *erga Vespasianum vetus mihi observantia; et cum privatus esset, amici vocabamur*). Idem IV

editionibus auctore Beroaldo *Publii* praenomen, ab illustribus Corneliorum gentilibus prave repetitum, tribuitur, quo loco et quo anno natus sit, quamquam nullo testimonio constat, tamen aliquot indiciis commonstrari potest eum anno post Christum natum quinquagesimo quarto (a. u. 807), h. e. sub finem principis Claudii qui tertium idus Octobris expiravit, Interamnae in lucem editum esse. Nam Plinius Secundus, ex intima Taciti familiaritate, in Epistolis hoc scribit VII 20: *érit rarum et insigne duos homines, aetate et dignitate propemodum aequales, nonnullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico), alterum alterius studia fovisse. Equidem adolescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam.* Plinius ipse natus est anno post Christum sexagesimo primo, duodeviginti annis ante quam avunculus periit Vesuvii montis incendio (IX. kalend. Septembr. a. 79), ut ipse testatur in Epistolis (VI 20), Tacitum autem aliquot annis ante iam vixisse Plinii verba modo transcripta evincunt. Sed distantiam temporis inter utriusque diem natalem interiecti septem annis ut definiam, alia faciunt, in his Taciti verba in dialogo de Oratoribus (1), sese sermonem hominum suis temporibus disertissimorum, cum quaestionem pertractarent cur sua potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata esset, *iuvenem admodum* audisse. Atqui ille sermo habitus fingitur ab auctore sexto consulatu Vespasiani (c. 17), hoc est anno post Chr. septuagesimo quinto. Hinc consequitur Tacitum, cum Vespasianus

22 Leoni suo: *namque et antiquitus cum C. Cornelius C. Secundo paria suasisset* (ut epistolarum curam converteret ad stilum historiae), *ipse postmodum quod iniunxit arripuit.* Idem simplici nomine vocavit in Carmine II v. 192: *qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus.* Conf. cap. 24 huius Prooemii. *Gai* praenomen offert codex Farnesianus, qui referente Lipsio: *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis ex his qui reperiuntur liber primus incipit.* Consentit liber Parisiensis a Broterio ad XI 1 inspectus, item Vaticani 1518 1862 4498. Codex Mediceus prior in summo margine (unde suspicio hoc esse a manu recentiore): P. CORNELII TACITI. Id secutus est Beroaldus. In titulo operum duo nomina exhibui, secutus morem Taciti temporibus vulgatum. Cf. annot. ad XIII 30.

sexto consulatu functus est, septimumdecimum vitae annum, quo absoluto incipit aetas iuvenilis, egressum iam esse; sed ad quem vitae annum progressus tunc fuerit, accurate hinc definiri non potest, quoniam et qui 18 annos vixit, et qui 19 vel 20 emensus est, *iuvenis admodum* vocari potest. Amplius tamen ut excedamus et Tacito illius sermonis tempore plures quam viginti largiamur, nomen *iuvenis admodum* non concedere videatur. Sed eodem principe Vespasiano cum quaestoris munere Tacitus perfunctus et in senatum allectus sit (hoc patet ex initio Historiarum ubi *dignitatem suam a Vespasiano inchoatam*[1] esse dicit), et ad quaesturam pro aetatis illius more anno vicesimo quarto, ad dignitatem senatoriam vicesimo quinto pervenerit[2], Vespasianus autem VIIII. kalendas Iulias a. 79 a Chr. decesserit, ac Tacitus quattuor annis ante (a. 75) *iuvenis admodum* fuerit, is postremo demum anno principatus Vespasiani in senatum receptus est et proxime priore (78) quaesturam administravit. Cui temporum rationi perbene convenit quod dignitatem suam a Vespasiano *inchoatam* scribit: *inchoari* enim ea dicuntur quorum principia tantum peraguntur. Hinc consectarium erit ut Tacitum anno 54 a Chr. lucem vitae conspexisse dicamus.

Quam computationem bene se habere alio iam indicio confirmabo atque declarabo Tacitum ante annum a Chr. 78 ad quaesturam gerendam non accessisse. Nam qui inoffenso honorum cursu uterentur, quod Tacito contigit, post quaesturam sine magistratu esse et annuo spatio peracto ad tribunatum plebis progredi solebant: cf. Agr. 6. Quodsi Tacitus

1. Hist. I 1: *mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim.*

2. Apud Dionem Maecenas pronuntiat LII 20: *καταλέγεσθαι δὲ χρὴ ἐς μὲν τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκέτεις, ἐς δὲ τὸ συνέδριον πεντεκαιεικοσιέτεις*, atque his verbis Dio morem ab Augusto institutum, a successoribus servatum notavit. Cum quaestura functi inter patres legerentur, huius annum legitimum vicesimum quartum fuisse inde liquet. Convenit quod Tiberius Caesar anno *undevicesimo* quaesturam gessit (Vell. II 94) et *quinquennio maturius* quam lex postulabat admissus est: Tacit. III 29. Dio LIII 28. Quarto vicesimo aetatis anno Iulius Agricola quaesturam obtinuit (A. 6), item Marcus Otho qui principatum adeptus est, ut monui ad XIII 46.

quaesturam a. 77 iam accepisset, Vespasianus a. 79 tribunatum plebis ei concessurus erat; sed Titus demum hoc incrementum honoris, anno opinor a Chr. octogesimo, ei praebuit, ut verba docent quibus *dignitatem suam* ab hoc principe *auctam* esse testatus est: aedilitatem enim et praeturam Domitianus dedit, ut mox videbimus.

Mirum vero errorem concepit Lipsius ex Plinii verbis [1], quibus ille meminit Cornelii Taciti equitis Romani, Belgicae Galliae rationes sub Vespasiano procurantis, statuitque illum fuisse rerum scriptorem. Scilicet Plinius memoriae tradidit ei procuratori fuisse filium qui tres annos natus in tria cubita adoleverit, mox extinctus sit. Atqui Plinii Naturalis historia confecta est et edita anno post Chr. septuagesimo quinto, Tacitus autem biennio post uxorem sibi iunxit; v. Agr. 9.

3 Patria Tacito fuit municipium Interamnatum, non ita procul ab urbe ad Narem flumen in Umbria situm. Id hinc colligitur quod Tacitus imperator Romanus, ex posteris Cornelii Taciti [2], ex ea civitate ortus erat [3]. Qua fama confisi recentiores Interamnates, quorum sedi iam nomen est *Terni*, civem suum et aliis honoribus post multa secula decoraverunt et statuam ei posuerunt a. post Christum 1514, hoc titulo imperite inscriptam: *C. Cornelio Tacito, eq. R., proc. Gall. Belgicae, pr. urbano, XV. viro sacr. fac., cos. augustissimoque rerum Augustarum scriptori, M. Cl. Taciti et M. Annii*

1. Nat. Hist. VII 16: *invenimus in monimentis, Salamine Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem et iam puberem factum, voce robusta, absumptum contractione membrorum subita triennio circumacto. Ipsi non pridem vidimus eadem ferme omnia, praeter pubertatem, in filio Cornelii Taciti equitis Romani Belgicae Galliae rationes procurantis.* Dubiae fidei est titulus a Reinesio (p. 103) communicatus ap. Orellium Inscript. Lat. n. 1069: APOLLINI . . . RATIONATORIS HONORE VSVRVS SECVNDVM CORNELIVS VERVS TACITVS EREXIT MONVMENTI LOCO.

2. Vopiscus Tacito c. 10: *Cornelium Tacitum, scriptorem historiae Augustae, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit, et ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus iussit et in bibliothecis poni.*

3. Vopiscus Floriano: *horum* (Taciti et Floriani fratrum) *statuae fuerunt Interamnae duae, pedum tricenum ex marmore, quod illic eorum cenotaphia constituta sunt in solo proprio; sed deiectae fulmine ita contritae sunt ut membratim iaceant dissipatae.*

Floriani fratrum Caesarum affini, Interamnates Nahartes ad renovandam clarissimi civis memoriam et ad excitandos inflammandosque posterorum animos posuerunt. Conf. Franc. Ageloni Historia di Terni p. 42 et Martini Hankii de Romanarum rerum scriptoribus liber t. II p. 270.

Ad artem dicendi quomodo informatus sit, in dialogi de 4
Oratoribus principio ab ipso expositum est. Etenim a prima aetate ad eloquentiae studium acerrime incubuit atque celeberrima principe Vespasiano ingenia fori, Marcum Aprum et Iulium Secundum, in iudiciis non modo studiose audivit, sed domi quoque et in publico assectatus est mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut sermones quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis exciperet. Utebatur quoque, ut videtur, docta consuetudine Vipstani Messalae, claris maioribus orti, qui avitam eloquentiam recoluit et prioris aevi oratores aemulatus est; praeterea Curiatium Maternum tragoediae scriptorem et audiit recitantem in auditoriis et cum amicis oratoribus conversantem cognovit. Ipse exemplo Vipstani antiquos oratores novis praetulit, horum scripta acri diligentia versavit seque ad eorum imitationem composuit. Cuius sententiae documentum, simul gratam memoriam docti cum viris disertis et ingenio praestantibus commercii Tito principe edidit insignem illam disputationem *de Oratoribus*, in qua neque causas corruptae eloquentiae persecutus est neque veterum oratorum prae novis praestantiam dedita opera celebravit, sed ipsam prioris aevi et praesentis eloquentiam composuit, alteram sub persona Apri novi oratoris celebrando, alteram per vocem Messalae veteres aemulantis pingendo. Quae sententia ne nimium offenderet aequales oratores, Maternus poeta sub finem disputationis exponere operam dedit, magnam et acrem priorum temporum eloquentiam nunc contingere non posse, postquam longa rei publicae quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et principis cuncta regentis disciplina animorum motus et ardores sedaverit eoque etiam eloquentiam, sicut alia omnia, pacaverit.

5 Quam disputationem ut Tito imperante evulgatam esse ab auctore statuam, his argumentis vel signis inducor. Ipse enim cum scribit (c. 1) *si mihi non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi*, sermonis habiti (a. 75 a Chr.) et editi satis amplum intervallum esse temporis indicavit, Vespasianus autem ab sexto suo consulatu non nisi quattuor annos in vivis permansit. Idem in illis, quae de Vespasiani in Eprium Marcellum et Vibium Crispum, delationibus Nerone principe factitatis famosos, non modo patientia sed insigni favore c. 8 dixit[1], hunc modeste quidem et addita excusatione, sed tamen non obscure vituperavit: haec adulescentulum honores capessiturum et primam principis benivolentiam aut expertum aut iam ambiturum adversus imperatorem suum aut potentissimos eius amicos ausum esse, a veri specie alienum videtur, sed sub filio successore offendere eadem non poterant, quia et moderate et caute prolata erant, et alter hominum nocentium (Marcellus) sub finem principatus Vespasiani coniurationis crimine conciderat (Dio ap. Xiphilinum LXVI 16), alter (Vibius) et ipse, ut credere licet, vita functus aut post socium et amicum prostratum novi principis favore deiectus erat. Rursus cur non demum Domitiano rerum potiente hunc sermonem editum esse existimem, ea causa permoveor quod argumentum et stilus Tacito, antiqua probanti et admiranti, praesentia toleranti et aliqua necessitate requiri et excusari credenti, quamvis satis conveniant, tamen in dispositione quaestionis suae ita pendet ab Hortensio Ciceronis atque in elocutione eam ostendit ubertatem et quandam iuvenilis aetatis abun-

1. Verba sunt: *sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis, — nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intellegit ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint, — Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint neque accipi possit.*

dantiam et immaturitatem, ut hoc opusculum ab auctore qui magis profecerat usuque et experimentis didicerat quod maxime probandum esset genus dicendi, non compositum esse videatur. Accedit quod cum post occisum Domitianum Agricolae vitam edidit, ipse haud obscure professus est (c. 2 et 3) sese per quindecim annos tacuisse; adde quod insunt in eo sermone quae tamquam liberius dicta suspiciosum et superbum Domitiani animum irritare possent. Ex omnibus Taciti operibus hoc unum ut editum respexit Plinius minor Epist. IX 10: *poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas*, quae referenda sunt ad O. 9 et 12: *poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, — in nemora et lucos — recedendum est. Nemora vero et luci — tantam mihi adferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem*, cet. Quo magis reprimendi sunt fluctus dubitationum de vero eius auctore moti primum a Beato Rhenano, multum aucti a Iusto Lipsio, ac ne nostris quidem temporibus plane sedati, quamquam diversas partes Gottl. Langius in commentatione *Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus* [1] fortiter sustinuit, dum aliorum cogitationes ad Plinium minorem, qui sexto consulatu Vespasiani puer erat, non iuvenis, aliorum ad Quintilianum, qui eodem anno iam magister eloquentiae florebat neque *iuvenis admodum* erat, infeliciter aberrant. Qua in causa si unum recogitassent critici, ad pravum iudicium non prolapsi essent. Etenim quae virtus et potentia perpaucis omni aevo hominibus concessa reperitur, dico vim imitandi, hac inter Romanos adeo Tacitus excelluit, ut ipsum Thucydidem superet, vix Platoni summo eius artis exemplo concedat, Latinos rerum scriptores, etiam Sallustium et Livium, longo intervallo post se relinquat. Atqui haec ars per illum de oratoribus sermonem ita splendet et eminet, ut si casu quodam ignotus esset auctor eius, ad

1. Conf. Acta seminarii regii et societatis philolog. Lips. t. I p. 77. Scripta miscellanea Langii p. 3—14. Prolegomena in Taciti, qui vulgo fertur, dialogum de Oratoribus. Scripsit Frid. Aug. Eckstein. Halis Saxon. 1835. 4.

nullum iustius quam ad ipsum coniectura nostra deferretur. Nam Apri tumorem et superbam confidentiam, impetum et sollertiam veteratoriam, Materni spiritum et declamantis poetae ubertatem dicendi, Messalae maturitatem et peritiam tam luculente imitando expressit, ut non ostendi posse ex ceteris Romanorum scriptoribus quemquam existimem, qui ad eandem artis praestantiam aspirare potuerit.

6 Ad capessendos magistratus accessit Vespasiani principatu vergente ad finem, quaesturam ab hoc delatam accipiens et dignitatem senatoriam, ut ante retuli. Quam provinciam sors quaesturae dederit incertum est. Titus tribunatum plebis concessit: aedilitatem Domitianus primis imperii annis videtur contulisse. Quod nisi statuerimus ita evenisse, nimium tempus inter tribunatum eius a Tito datum et praeturam septimo anno principis Domitiani (a. 88 = 841) gestam interiectum esse deprehendemus. Praetor idem et sacerdotio quindecimvirali praeditus ludis secularibus, quos Domitianus faciendos curavit, praefuit: XI 1. H. I 1. Mox ab anno 90 usque ad 93 (843—846), item proximum tempus in urbe non adfuit, sive praetoriae provinciae administratione occupatus, sive alia legatione demandata: Agr. 45 [1].

Postremos illos annos, quibus Domitianus non iam per intervalla temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit, per silentium in legatione, mox in urbe transegit, gnarus sub Domitiano temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Non vidit obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas, quae paulo post Agricolam morte abreptum acciderunt (A. 45), neque Romam reversus iam erat, cum Helvidium iuniorem in carcerem duxerunt manus senatorum, cum Arulenus Rusticus et Senecio ad supplicium tracti sunt [2]. Nefaria principis libidine atque

1. Ibi dicit: *noster hic dolor, nostrum vulnus; nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est.* Agricola Romae decessit a. 93=846: Tacitus igitur quadriennio ante, h. e. anno 90 = 843, inde erat profectus.

2. Agr. 45: *mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique visus, nos inno-*

immani animo quamvis vehementer commoveretur, ob atrocitatem temporum licet graviter indolesceret, tamen vir prudens et modestiae retinens nulla sua superbia et intempestiva libertate famam et fatum provocavit, sed posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, licere 'inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione et periculis vacuum' [1] existimavit. Quae temperantia a periculis ab importuno principe alioqui metuendis ipsum conservavit incolumem. Nec vero quod ad honores provectus est ab saevo domino, colligere inde licet, facta eius moresque diversa fuisse a verbis libertatem asseverantibus, id quod usu venisse in Sallustio Crispo accepimus. Etenim Plinius Secundus, vir bonus et iustus, idemque eorum qui Domitiano principe saevitiae aut adulationis infamiam subierant acerbus exagitator, Tacitum amicum suum in epistolis laudibus extulit et tamquam sincerae virtutis et praestantis ingenii exemplar suspexit [2], et Tacitus ipse in libris suis virtutem ardentius amplectitur, scelus fortius aversatur, quam ut statuere liceat haec potuisse proficisci ab ingenio servili et in adulationem prolapso. Immo quamdiu Domitianus vixit et rebus Romanis incubuit, Tacitus quae composuerat in scriniis continere maluit abscondita, quam adulando principis saevitiam per-

centi sanguine Senecio perfudit. Haec Tacitus non de se ipso sed ex ore rettulit senatorum qui superstites Agricolae flagitia Caesaris videre coacti sunt (cf. annot. ad ea Agricolae verba). Hinc clarum cur Tacitus eodem loco de *tam longae absentiae* suae *conditione* locutus sit, in quibus verbis nihil mutandum esse in annotatione docebitur.

1. Agr. 42: *sciant quibus moris est inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.* Cf. IV 20: *unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione et periculis vacuum.*

2. Praeter locos Epistolarum mox in contextu commentationis afferendos nunc cf. IV 15: *idem Cornelium Tacitum, scis quem virum, arta familiaritate complexus est.* IX 14 ad Tacitum: *nec ipse tibi plaudis, et ego nihil magis ex fide quam de te scribo. Posteris an aliqua cura nostri nescio: nos certe meremur ut sit aliqua; non dico ingenio (id enim superbum), sed studio et labore et reverentia posterorum.*

mulcere, ut fecit Quintilianus, aut libere loquendo ambitiosae mortis gloriam promerere.

7 Cum legationem suam obeunti allatum est de morte soceri Iulii Agricolae et de rumore populi, veneno principis illum interceptum esse, optavit quidem edito de rebus eius et moribus libro sufficere pietatis officio, sed recogitanti hoc sine vitae periculo fieri non posse, nisi ante impetrata venia imperatoris, et ipsam veniae petitionem habituram esse quo offenderet Domitianum, mox autem sive epistolis amicorum sive in actis diurnis nuntiatum legenti [1], cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, visum est exigere sanae mentis prudentiam, ut id propositum interim omitteret mortemque principis et laetiora tempora expectaret. Quod ab aliis non proditum ego accepi ex verbis Agricolae Tacitini a me emendatis et explicatis (c. 1 et 2): *at nunc narraturo mihi* (temporibus Domitiani) *vitam defuncti hominis venia opus fuit* (= fuisset), *quam non petissem, incursaturus* (= quippe qui incursaturus fuerim) *tam saeva et infesta virtutibus tempora* (= principem saevum et infestum virtutibus). *Legimus* (ego cum aliis in provincia) — *capitale fuisse.*

8 Eadem causa virum sapientem permovit, ut Historias suas a secundo Galbae consulatu coeptas et fere ad suam aetatem perductas interim non evulgandas censeret, quamquam ea de re vulgo aliter iudicari video, quasi Tacitus interfecto demum Domitiano ad conscribendos historiae libros sese contulerit. Sed is paulo post Domitiani caedem in Agricola (c. 3) aperte profitetur Historias compositas iam esse, et quo minus statim ederet alia cura se detineri, his verbis usus: *non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit*

1. Agr. 2: *legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum.*

aut excusatus. Quod testimonium ut minus valeat, interpretes illi in verbo *composuisse* temporis aoristi pervulgato ludibrio abutuntur. Eiusdem operis partes secum communicatas aut saltem conscribendi consilium sive ab ipso auctore sive a Plinio, Taciti et Quintiliani amico, sibi expositum intellexit Quintilianus, cum finita disputatione de Latinis rerum scriptoribus addidit verba de Tacito dicta X 1 104: *superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immerito [remitti]. At libertas, quamquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in iis quae manent* [1].

Ad eosdem libros pertinet Taciti Campaniae clades in rebus Titi narraturi percontatio de obitu Plinii, montis Vesuvii incendio extincti, de qua Plinius minor Epist. VI 16: *petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago: nam video morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi ut urbes memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. Equi-*

1. Non sum nescius a Sarpio in Quaestionibus philolog. (Rostochii a. 1819) haec de *Fabio Rustico* pronuntiata esse affirmari. Sed Fabius eloquentiae deliciis, ut ante Livius, historiam exornare conatus est (Agr. 10: *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores*): ei igitur minus convenient verba *quamquam circumcisis quae dixisset.* Accedit quod idem *Senecae amicitia floruisse* a Tacito XIII 20 dicitur; inde perspicuum est huius scripta non demum post occisum Domitianum edita esse, ut Quintilianus de illis *tamquam non editis* loqui posset sub finem principatus Domitiani: tunc enim Institutionem suam edidit. Contra de Tacito perapte dicta sunt primum haec *exornat aetatis nostrae gloriam*, nam Dialogum de oratoribus iam ediderat et patronus causarum insignis erat, dein *vir seculorum memoria dignus*, qualem cognoverat Quintilianus ex familiari consuetudine et per Plinium minorem, postremo *at libertas, quamquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit*, quibus liberum et ex poetarum arcanis petitum dicendi genus ac simul concisa brevitas Taciti significantur. In scriptura loci *remitti* mihi videtur esse *διττογραφία* vocis *imerito;* praeterea *at* scripsi pro vulgato *ut.*

dem beatos puto quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos vero quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam quod iniungis. Erat Miseni cet. Sed Tacitus indefessus in explorando iterum petivit a Plinio ut, postquam exitum avunculi diligenter perscripsit, amplius referret quos ipse tunc metus et vitae discrimina pertulerit. Plinius respondit VI 20: *ais te adductum litteris, quas exigenti tibi de morte avunculi mei scripsi, cupere cognoscere quos ego Miseni relictus — non solum metus verum etiam casus pertulerim* [1]. Hoc litterarum commercium Domitiano principe, cum vitae et scelerum fini proximus is esset, evenisse equidem existimo. Sed post occisum eum imperatorem et ante editas Historias idem Plinius ad Tacitum haec scripsit Epist. VII 33: *auguror nec me fallit augurium, Historias* [2] *tuas immortales futuras; quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio Nam si esse nobis curae solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur, nonne debemus optare ut operibus similis tui scriptor praedicatorque contingat? Demonstro ergo, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in publicis actis, quo magis credas iucundum mihi, si factum meum, cuius gratia periculo crevit, tuo ingenio, tuo testimonio ornaveris.* Continuo narrat factum suum, quo sub principe Domitiano gloriam periculumque subierat, et Tacito in Historiis memorandum commendat.

9 Caeso Domitiano quartumdecimum kalendas Octobris a. 96, etiam Tacito temporum miseriis graviter commoto rediit animus, et beatissimi seculi ortu laetus confirmatusque iam indefesso studio ad immortalia ingenii opera non modo

1. Haec a Plinio narrata respexit Sidonius Apollinaris Epist. IV 22, et perperam inde sumpsit Tacitum Plinio suasisse ut pro epistolis historiam scriberet, mox ipsum quod amico iniunxerit arripuisse. Verba Sidonii transcripta sunt in annotatione ad Prooemii c. 2.

2. Nomen *Historias* maiore littera scriptum dedi: nam ipsum libri titulum a Tacito amico suo perinde atque argumentum indicatum fuisse, antequam ederetur, liquet et intelligitur ex epistola supra memorata.

componenda sed etiam communicanda cum aequalibus accessit. Memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum exhibiturus Historias ante conscriptas perpolire atque absolvere aggressus est, sed ante, ne pietatis officio deesset, vitam Agricolae, librum honori soceri destinatum, anno 97=850 exeunte, cum Traianus ad imperii societatem sub finem anni 97 iam adoptatus esset, aliquamdiu ante mortem Nervae (VI. kalendas Febr. anni 98 = 851), evulgavit [1]. Proximo anno (98 = 851) et *Germaniam* edidit et *Historiarum* libros duodecim: nam duodecim fuisse, non quattuordecim, ut vulgo opinantur, mox docebitur. Germaniae tunc editae certum argumentum praebent verba auctoris c. 37: *sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum* (a. 98) *computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur.* Sed quod eundem Historiarum posui annum natalem, erunt fortasse qui mirentur, ego tamen certissime mihi videor intellexisse Germaniam nihil esse nisi Historiarum appendicem *(ein Beiwerk zu den Historien)*, quem excursum nos dicimus, eoque ipsam simul cum opere primario in lucem emissam esse. Nimirum in Historiis cum Germanorum mentio saepissime iniecta et multae invicem clades perscriptae sint, praecipue primo libro et quarto quintoque, etiam in iis quibus bella Domitiani adversus Sarmatas Suevosque et Dacos conterminos Germanis narrabat, inceptum scriptoris postulare videbatur, ut de Germaniae terra caeloque, de populis Germanorum, de horum sedibus et moribus nonnulla traderentur, ut in Iudaeis factum videmus in eodem opere (V 2 — 13), in Britannis Agr. 10 — 17, in Hibernis ibidem 24. Sed quoniam quae de Germanis dicenda Tacito viderentur, nimis moratura erant rerum a se narratarum

1. Conf. Agr. 3: *quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Traianus* cet. Si Nerva tunc in vivis non fuisset, principi egregio et recens mortuo nomen *divi* tribuendum erat, ut recte monet Walchius.

ordinem et cursum, haec in librum peculiarem coniecit ac paulo copiosius tractavit quam alioqui facturus erat. Iam in aperto est causa cur, cum ceteri Taciti libri omnes a praefatione incipiant et propositum scriptoris occasionemque scribendi luculente exponant, una Germania prooemio careat, iam mirum illud evanescit cur, cum Historias continuo post Agricolam (c. 3) secuturas Tacitus annuntiaverit, hae consecutae non videantur, sed aliud opusculum et sine excusatione et sine ulla propositi expositione legentibus traditum sit. Hanc meam sententiam etiam illud commendat et approbat, quod talis edendae Germaniae causa una satis iusta videtur: aliae eius libri conscribendi rationes a viris doctis subtilius quam verius excogitatae vix habent quo placere possint [1].

Partem Historiarum ipse designavit in Annalibus aliquanto post coeptis XI 11: *utriusque principis rationes omitto, satis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani exposui.* Totius operis ambitum significavit in prooemio Historiarum c. 1, verum eius nomen Plinius (Epist. VII 33) indicavit, cuius verba ante legimus, item Tertullianus in Apologetico c. 16: *somniastis caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit: is enim in quinta Historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis* cet.

10 Per idem tempus orandis causis et eloquentiae studiis operam dicavit, et hac via gloriam adeptus iam erat antequam rerum gestarum narrator vulgo cognitus est. Cuius rei testem habemus Plinium pluribus epistolarum locis. Qui cum praeceptorem dicendi patriae suae Novo Como parandum cir-

1. Nonnulli Germaniam scriptam ab auctore putant, ut Romanis incorruptos et sinceros Germanorum mores intuentibus pudorem incuteret (*propositum morale*), alii, ut validissimarum gentium arma viresque suis civibus ob oculos poneret, monendo ut sibi ab illis caverent (*propositum politicum*), alii, ut res a Traiano adversus Germanos gestas, quibus ille imperium ab impetu et incursibus barbarorum defendit firmavitque, pro virili parte celebraret (*propositum privatum*). Alio intellectu atque ego Historiarum episodium Germaniam vocavit I. H. Becker; v. Seebodii Bibl. crit. a. 1825 II p. 195, eiusdem Beckeri annotationes et excursus ad Taciti Germaniam, Hannoverae a. 1830.

cumspiceret, ad Tacitum amicum haec scripsit (IV 13): *iniungo et pro rei magnitudine rogo, ut ex copia studiosorum, quae ad te admiratione ingenii tui convenit, circumspicias praeceptores quos sollicitare possimus.* Neque dubitari potest quin Tacitus orationes aliquot ante habitas aequalium notitiae permiserit. Eo respiciunt Plinii verba ad Tacitum Epist. VII 20: *librum tuum* (orationem aliquam mox edendam) *legi et quam diligentissime potui adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. — — Nunc a te librum meum* (orationem, fortasse in eadem causa habitam et cum Tacitina edendam) *cum adnotationibus tuis expecto. O iucundas, o pulcras vices!* Idem VIII 7: *neque ut magistro magister neque ut discipulo discipulus (sic enim scribis), sed ut discipulo magister* — *librum* (orationem) *misisti. — — Sumam tamen personam magistri exeramque in librum tuum ius quod dedisti, eo liberius, quo nihil ex meis interim missurus sum tibi in quo te ulciscaris.* Fortasse haec exempla et dialogum de Oratoribus mente cogitavit Quintilianus in verbis ante relatis (c. 8), cum protulit sententiam de stilo librorum a Tacito quondam edendorum. Idem prae ceteris Tacitum oratorem versantem ob oculos respexit, cum scripsit X 1 122: *habebunt qui post nos de oratoribus scribent magnam eos qui nunc vigent materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie quibus illustratur forum ingenia. Namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur* (haec Tacito conveniunt), *et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria.* Postremis his conferantur Plinii de Tacito verba, ex Epist. IV 13 paulo ante transcripta.

Mors Domitiani fecit, ut magis insignes eloquentiae fructus Tacitus ostenderet hominibus qui tunc vivebant. Nam Verginio Rufo in tertio consulatu a. 97 mortuo ipse consul suffectus in funere sollemni laudationem habuit tanto viro dignam, de qua Plinius Epist. II 1 celebrans felicitatem Verginii: *laudatus est a consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.* Mox (anni 100 initio) ipse et Plinius a senatu iussi sunt

adesse Afris Marium Priscum accusantibus, idque officium magna cum fide nec minore facundia executi sunt [1]. Oratorem Tacitum Plinius non solum prae ceteris praedicavit, sed etiam eius sententiam et iudicium in eloquentiae arte plurimum valere putavit. Testis est epistola 20 libri II: *frequens mihi disputatio cum quodam docto homine et perito, cui nihil aeque in causis agendis ut brevitas placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat: alioqui praevaricatio est transire dicenda, praevaricatio etiam cursim et breviter attingere quae sint inculcanda, infigenda, repetenda.* — — *Haec est adhuc sententia mea, quam mutabo, si dissenseris tu: sed plane cur dissentias, explices rogo. Quamvis enim cedere auctoritati tuae debeam, rectius tamen arbitror in tanta re ratione quam auctoritate superari.* Sed praeter orationes libris historicis et dialogo intextas pulcherrimeque compositas cetera forensis studii exempla interciderunt omnia, et ipse rebus tradendis ita excelluit oculosque aequalium praestrinxit, ut alteri laudis generi, quod evenire solet, offecerit.

11 In prooemio Historiarum res divi Nervae et Traiani sese aliquando narraturum esse pollicitus est [2], idque promissum exequi tunc haud dubie animo intendit. Sed re diligentius pensitata sensit superesse telae in Historiis inchoatae magnam partem, quam pertexi par esset, ut quibus initiis et causis ab excessu Augusti principatus ad unum delatus in libidinem et saevitiam pluribus gradibus degeneraverit, penitus intelligeretur, postquam editis Historiis monstrasset, quomodo his

1. Plin. Epist. II 11: *Marius Priscus accusantibus Afris quibus pro consule praefuit, omissa defensione iudices* (h. e. arbitros sive recuperatores restituendae pecuniae) *petiit. Ego et Cornelius Tacitus adesse provincialibus iussi existimavimus fidei nostrae convenire notum senatui facere, excessisse Priscum immanitate et saevitia crimina quibus dari iudices possent.* — — *Postero die dixit pro Mario Salvius Liberalis.* — *Respondit Cornelius Tacitus, eloquentissime et quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς.* — — *Cornutus Tertullus, consul designatus — in fine sententiae adiecit, quod ego et Tacitus iniuncta advocatione diligenter fortiterque functi essemus, arbitrari senatum ita nos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit. Adsenserunt consules designati, omnes etiam consulares.*

2. *Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiem, senectuti seposui.*

malis vitiisque Vespasiani virtute Titique comitate obviam itum, mox Domitiani flagitiis ad eadem recursum esset. Itaque Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res, h. e. principum ex gente Claudia historiam, conscribere aggressus inceptum editis duodeviginti *Annalium* libris executus est.

Quod vulgo credunt, Annales sedecim libris, quattuor- 12
decim Historias descriptas fuisse, cur falso statui existimem, dicam quam potero brevissime. Iam primum ego quoque cum plerisque omnibus [1] persuasum habeo, verbis Hieronymi in Commentariis ad Zachariam III 14 scriptis (*haec omnia plenissime Iosephus qui Iudaicam scripsit historiam, et multo maiora quam legimus in prophetis eos sustinuisse commemorat; Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit*) utriusque operis libros [2] triginta numeratos esse. Etenim cum series rerum in Annalibus et Historiis traditarum ita se haberet, ut ubi Annales desinerent, Historiae continuo inciperent, pravam consuetudinem librariorum, quam deprehendimus in codicibus et antiquis editionibus, ut iungerentur libri superstites et tamquam unius operis numerarentur, iam pridem invaluisse verba Hieronymi testantur. Sed quoniam ultimus Annalium liber nobis cognitus sextus decimus in codicibus numeratur, isque mediis in rebus anni a Chr. 66=819 mutilus (c. 35) abrumpitur, in deperdita parte eiusdem libri reliquas anni 66 res, item acta annorum 67 et 68 usque ad finem Neronis (a. d. V. idus Iun.) perscripta fuisse vulgo opinantur. At vero in ea re duo non satis considerata sunt. Nam, ut hoc primum exequar, eo principatus Neroniani biennio quod restabat dicendum, res tam multae et graves ac variae

1. In alia omnia discedit et admodum incerta, immo falsa de hac quaestione profert Niebuhrius, ubi suam de discrimine Annalium et Historiarum sententiam exponit in Museo Rhenano a se sociisque edito vol. II p. 293.

2. Librorum descriptionem ab ipso Tacito profectam esse ex his Annalium locis intelligitur, VI 27: *obiit eodem anno et Marcus Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi;* XI 11: *utriusque principis* (Claudii et Domitiani) *rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani composui.*

evenerunt, ut dimidia pars libri (ea enim fere deest libro sextodecimo) minime sufficeret ad tantam multitudinem et varietatem complectendam et rite absolvendam. Nam recognosce mecum, lector, res ad narrandum reliquas, supremas necessitates Sorani filiaeque Serviliae cum Thrasea ad mortem damnatorum (XVI 33), Neronis matrimonium cum Sporo liberto iunctum (Dio apud Xiphil. LXII 28), Cornuto ob liberam vocem exilium indictum (idem LXII 29), Tiridaten venientem in Italiam et Neronem Neapoli Romaeque adeuntem, munera ea occasione edita a Patrobio Puteolis (idem LXIII 1—7, Sueton. Ner. 13 et 30, Plinius XXX 6, XXXV 47), Vatinium favore principis exutum auctore Materno poeta (O. 11; conf. mea in praefatione *Octaviae* p. XIX—XXIV), paratam a Nerone ad claustra Caspiarum Albanosque expeditionem (Dio LXIII 8, Suetonius 19, Plinius VI 15, Tacitus H. I 6), eiusdem iter susceptum in Achaiam, ibique certamina et ludicras victorias (Dio LXIII 8—10, Sueton. 22—24, Philostratus Apollon. IV 8, V 2, Lucianus Ner. c. 9). Interim Helii liberti et Polycliti libido in urbe licenter ac foede exercita, dum Caesar cum Tigellino suo et Galvia Crispinilla Graeciae civitates exhaurit (Dio LXIII 11—12 et 18, Sueton. 23, Tacit. H. I 73); Isthmi perfodiendi conatus (Dio LXIII 16, Sueton. 19, Plin. IV 5), caedes Corbulonis, Sulpicii Camerini et filii, Scriboniorum fratrum Rufi et Proculi, Paridis exitium et Caecinae Tusci (Dio c. 17 et 18, Tacit. H. II 72, III 41), accusatio et damnatio Crassi et Orfiti (H. IV 42); mox Neronis ad urbem reditus, circenses ibi celebrati (Dio c. 19 et 20, Sueton. 25). Interea secundae res a Vespasiano adversus rebellantes Iudaeos gestae (Iosephus B. Iud. III 1—10, Tacitus H. II 4, V 10, Sueton. Vesp. 4); mox Iulii Vindicis Galliam pro praetore regentis adversus Neronem coepta Galbamque Hispaniae praepositum sollicitantis et imperium ad eum deferentis studia; qua occasione legiones Germanicae contractae a legato Verginio Rufo et ductae Vesontionem, ad cuius oppidi praesidium Vindex advolavit cum suis militibus. Invitis ducibus iamque amicitiam et foedus memorantibus

uterque exercitus fatali motu congressus cruento proelio conflixit, quo casu turbatus Vindex aegritudinem animi voluntaria morte finivit: Dio LXIII 22—24. Suetonius Ner. 40 sqq. Plutarchus Galba cap. 4—6. Verginius Caesar et Augustus appellatus a militibus, sed ab ipso spretum imperium. Interea Nero a milite urbano arte et impulsu Tigellini ac Nymphidii relictus, a patribus hostis iudicatus sua manu cecidit: Dio LXIII 26—29. Suetonius 40—49. Nonne vides, lector, fuisse tantam in hac Annalium parte rerum narrandarum copiam tantamque varietatem, cum modo in Italia et urbe, modo in Graecia aut Oriente, rursus in Germania aut Gallia aut Hispania narratori commorandum esset, ut dimidia pars unius libri minime sufficeret, sed vix duobus comprehendi possent omnia. Nam si quis hoc obiecerit, sex postremos Tiberii annos sexto libro Annalium absolvi, ego reponam maiorem libri primi partem (c. 5—54) insumi rebus paucorum mensium exponendis, in Historiis autem librum primum et secundum tertiumque et partem quarti (c. 1—37) annuo spatio casibus et eventis abundanti concessum esse. Quippe Tacito non annorum spatia sed rerum gestarum copia materiam et normam scribendi suggessit.

Alterum quod ab editoribus sedecim Annalium libros 13
numerantibus peccatur, hoc est, quod Tacitum ne in exitu quidem Neronis (V. idus Iun. a. 68) subsistere potuisse et finire relationem, sed reliquos eiusdem anni menses complecti debuisse obliviscuntur. Nam idem cum olim Historias iam diu editas ab altero Galbae consulatu inchoasset, hoc est a principio anni 69 = 822, reliquos anni proxime superioris menses, tamquam vacuum temporis spatium inter utrumque opus immissum, relinquere haud dubie non sustinuit. Itaque praeter ea quae supra memoravi, etiam Galbae ex Hispania Romam tendentis iter, in eo itinere Verginius Rufus specie amicitiae suspectis Germaniae legionibus abstractus, Nymphidii imperium sibi molientis poena, Galbae introitus in urbem, trucidati classiarii a Nerone in numeros legionis compositi, interempti viri illustres, quaeque eius generis alia,

referenda restabant. Quae causae, graves sane et luculentae, me moverunt ut non solum libri sextidecimi partem alteram, sed etiam septimumdecimum et duodevicesimum intercidisse et insignem illius curae florem iniuria temporum extinctum esse statuam.

14 Verum si quis unum librum post sextumdecimum in Annalibus deesse consentiat, sed decimumoctavum extitisse neget, inde consequetur quod veri similitudini quam maxime repugnat: tum enim Annalium libri 17, Historiarum 13 numerabuntur. Sed credi nequit Tacitum adeo adversatum esse concinnitati numerorum, ut tam insolitos utrique operi deligeret. Immo etiam in hac re illum ordinis concinni amatorem et egregium in disponendis partibus artificem agnoscimus. In Annalibus enim res Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis cum scriberet, principatum Tiberii annis viginti tribus absolutum sex libris, id est tertia parte operis, ita complexus est, ut florentis Caesaris imperium tribus libris laetus ipse et alacer, in peius conversi totidem tristis et submissus exponeret; mox Neronis facinora, casus eventusque rerum eo principe et varios et memorabiles, per quattuordecim annos perinde sex libris (13—18) executus est; qui medii interiecti erant sex libri (7—12), eos mediis Caesaribus Gaio et Claudio destinavit. Idem quattuor primis Historiarum libris et particula quinti, qui ad nos pervenerunt, ob summam rerum in iis traditarum copiam et varietatem, ne duos quidem annos integros amplexus est. Sed reciperato a Vespasiano orbe terrarum et bello Iudaico per Titum confecto (finem eius belli in medio libro quinto deperdito rettulit), insignis rerum abundantia adeo coepit deficere, ut sexto libro vel saltem septimo ad finem Vespasiani Tacitus pervenire posset. Titi principatum (VIIII. kal. Iul. a. 79 — idus Septembr. a. 81), brevem quidem, sed naturae miraculis terroribusque et casibus urbis non minus quam clementissimi Caesaris moribus et magnis monumentis memorabilem, libro octavo, fortasse etiam septimo, proposuit. Ad Domitianum imperatorem si nono Tacitum accessisse coniicimus, quattuor libri huius

rebus tradendis et suffecisse neque nimium fuisse videbuntur: duodenario autem numero Historiarum volumina descripta fuisse ex iis quae de Annalium libris disputavimus sponte consequitur.

Ad Annalium libros, ultimam vitae operam, accessit 15
Traiano moderante rem publicam atque postremis annis eius imperatoris eosdem absolvit et evulgavit. Nam quae legimus II 61, *exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit*, ea respiciunt imperii fines a Traiano a. 115 = 868 ad sinum Persicum sive rubrum mare prolatos. Lege Dionis reliquias apud Xiphilinum LXVIII 26—30, in primis cap. 28 haec: ἑλὼν δὲ (Traianus) τὴν Κτησιφῶντα ἐπεθύμησε ἐς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν καταπλεῦσαι κτλ., Eutropii VIII 3: *Seleuciam et Ctesiphontem, Babylonem et Messenios vicit ac tenuit; usque ad Indiae fines et mare rubrum accessit. — Arabiam postea in provinciae formam redegit. In mari rubro classem instituit ut per eam Indiae fines vastaret.* Eadem imperii augmenta a Tacito significantur IV 4: *mihi quoque exequendum reor, quae tunc* (Tiberio principe) *Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius* (quam nunc imperante Traiano) *imperitatum.* Has admonitiones, ut veritati iam repugnantes, sublaturus erat, si Annales principe Traiano coeptos sub Hadriano demum edidisset: is enim adeptus principatum a. 117 statim omisit parta a Traiano ac terminos veteres restituit: Spartianus Hadr. 5: *adeptus imperium — omnia trans Euphraten ac Tigrim reliquit, exemplo ut dicebat Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.* Eutropius VIII 6: *qui Traiani gloriae invidens statim provincias tres reliquit quas addiderat Traianus, et de Assyria, Mesopotamia et Armenia revocavit exercitus ac finem imperii esse voluit Euphraten.* Conf. Augustinus de Civ. D. IV 29. Quo argumento luculente evincitur, ut mihi videtur, Annales vivo etiamtum Traiano editos esse, h. e. ante finem anni 117 = 870.

Veram eius operis inscriptionem a codicibus non con- 16

servatam ipse significavit III 65: *exequi sententias haud instilui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore; quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur* cet. IV 32: *nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit qui veteres populi Romani res composuere.* XIII 31: *ex dignitate populi Romani repertum — res inlustres annalibus, talia diurnis — actis mandare.* Quae secutus Beatus Rhenanus recte omisit titulum a libris interpolatis suppeditatum, a Puteolano receptum, *Actionum* sive *Actorum diurnalium historiae Augustae*, sed idem erravit, cum Annalium nomen utrique Taciti operi praeposuit, Historiarum libris I—V tamquam XVII—XXI Annalium connumeratis. Verum de Historiarum nomine ante vidimus: Annales autem ut inscriberet alteram et senectutis curam, ea videtur permotus esse ratione, quam Verrius Flaccus quamquam cum aliqua dubitatione probaverat, ut refert Gellius V 18: *historiam ab annalibus quidam differre eo putant quod, cum utrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is qui narret. Eamque esse opinionem quorundam Verrius Flaccus refert in libro de significatu verborum quarto; ac se quidem dubitare super ea re dicit, posse autem videri putat nonnihil esse rationis in ea opinione, quod historia Graece significet rerum cognitionem praesentium.* Conf. Servius ad Virg. Aen. I 373: *inter historiam et annales hoc interest: historia est eorum temporum quae vel vidimus vel videre potuimus: annales vero sunt eorum temporum quae aetas nostra non novit, unde Livius ex annalibus et historia constat.* Hinc Iuvenalis II 102: *res memoranda novis annalibus atque recenti* (h. e. nostri temporis) *historia.* Hoc discriminis unum est quo Taciti Annales ab Historiis differunt: alioqui idem narrandi ordo et dispositio singulis annis accommodata utrobique agnoscitur, neque vera sunt quae Niebuhrius in commentatione ante nominata de utriusque operis differentia disputavit. Stilo autem differunt Annales ab Historiis fere ita, ut Historiae a dialogo de oratoribus, scriptione iuvenili. Nam in Historiis insignis ardor est et ubertas,

qualem expectamus a iuvene exercitato et viro vegetae aetatis, contra in Annalibus agnoscitur praeclara senis moderatio ac maturitas et periti viri multarum rerum scientia.

Traiano mortuo non diu superstitem Tacitum fuisse reor: 17
nam si vita suppeditasset, libris a se promissis principatum Nervae imperiumque Traiani [1] et res Augusti Caesaris traditurus fuit. Sed quae causa illum movit ut, cum de Nerva et Traiano se scripturum esse in prooemio Historiarum pollicitus esset, nihilo minus antequam huic promisso stetisset, aliud opus a se componendum in Annalibus postea annuntiaret? Nimirum tunc diu multumque in rebus Caesarum versatus sentire coepit operibus suis aliquid videri deesse, nisi eum principem complexus esset, qui novam rei publicae moderandae formam invenerat, inventam constituerat. Certe quod Walchius ad Agricolam p. 132 coniecit, Tacitum alteri suo promisso satisfacere ipsum noluisse, sed non nisi spem olim motam eo reprimere voluisse, id potius aulico scriptori nostrorum temporum quam integris et sinceris Taciti moribus videtur respondere. Ceterum ex his operibus neutrum a Tacito perfectum esse, id non solum ex silentio antiquitatis, sed etiam Hieronymi verbis supra relatis manifestum est, idemque, quantum ad historiam Nervae et Traiani attinet, hinc intelligitur, quod Ammianus Marcellinus telam a Tacito inchoatam exeunte seculo quarto pertexturus libros suos Historiarum a Nervae principatu exorsus est. Conf. Prooemii c. 19.

Neque vero *Facetiarum* librum Tacitus unquam edidit, quem a Fulgentio, dubiae fidei scriptore, vulgo existimant liberalius quam verius ei assignatum esse in Exposit. sermonum antiq. s. v. *Elogium* p. 566 ed. Merc.: *Elogium est he-*

1. H. I 1: *quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere liceat.* Ann. III 24: *sed aliorum exitus, simul cetera illius aetatis* (Augusti) *memorabo, si effectis in quae tetendi plures ad curas vitam produxero.*

reditas in malo. Cornelius Tacitus libro Facetiarum: 'caesi itaque morum elogio in filiis derelicto.' Num ipsum exemplum a Fulgentio confictum esse dicemus? Non est ita. Nam verba ea tam redolent Tacitum feliciter audentem et rara sectantem, eadem insigni brevitate gravissimam sententiam ita eloquuntur, ut talis suspicio procul amoveri debeat. Scilicet filii pravis moribus gloriam maiorum obscurantes et commaculantes etiam post mortem patribus dedecori sunt et opprobrio quo genitores tamquam vivo elogio sive titulo sepulcrali plectuntur. Quapropter credere animus inclinat illa verba a Fulgentio ex collectione quadam facete dictorum transcripta, in hanc autem ascita esse sive ex particula dialogi de oratoribus quae intercidit sive ex aliqua oratione
18 Historiis vel Annalibus in libris amissis intexta.

Editos Cornelii libros continuo mirari homines et diripere coeperunt, quantum suspicari licet ex Plinii verbis et Quintiliani iudicio, sinceram magni scriptoris admirationem post specimina nonnulla a se visa et lecta profitentium, item ex diligenti Suetonii lectione, quamvis nomen Taciti prava aemulatione dissimulantis. Sed nemo Taciti nomini magis offecit quam idem Suetonius Tranquillus, non quo ipse tale quid intenderit aut aemulum narrandi virtute superaverit: immo ipse ne ingenti quidem intervallo proximus Cornelio, cum editis Caesarum vitis, nominatim in Tiberio Gaioque, Claudio ac Nerone quique sequuntur usque ad Domitianum, idem temporis spatium, quod Tacitus magnis voluminibus et longo narrationis tractu tradiderat, libellis exiguis et rerum non inopibus complexus esset, cuiusque principis velut summam vitae exequendo, partes singillatim, neque per tempora sed per species, exilis haec et parum fructuosa instituti ratio adeo placuit aequalibus inertiae culpa brevia sectantibus et laboris compendium facere cupientibus, ut Taciti scripta paulatim negligerentur. Mox Frontonis praepostero iudicio et auctoritate improspera, sectatorum stulta praeceptoris reverentia factum est, ut ex Romanis rerum scriptoribus antiqui, prae ceteris Cato et Sallustius, lectitarentur imitandoque expri-

merentur, novi quamvis egregii contemnerentur [1]. Accedebat scribendi labor et desidia: nimirum modica Suetonii volumina cito ac facile describebantur, in triginta Taciti libris scribendi operam tolerare pauci sustinuerunt. Quod cum aegre ferret Marcus Claudius Tacitus, ex Gai Taciti posteris, anno 275 VII. kalendas Octobres declaratus imperator, impetum cepit conservandis viri cognati operibus saluberrimum, iussitque huius libros per annos singulos decies scribi publicitus et in bibliothecis poni: cf. Prooemii c. 3. Cui mandato si satisfactum esset, nunc integri libri illi superstites forent: verum Tacitus imperator sexto mense postquam imperium adeptus est animam expiravit, neque successor frater Florianus mox interemptus eam curam suscipere potuit. Ab hoc tempore exorti sunt scriptores illi historiae Augustae. Qui cum desperarent aspirare se posse ad gravitatem et diligentiam, ad eloquentiam et copiam in Tacito conspicuam, Suetonii stilum et morem narrandi multo faciliorem secuti sunt, id quod de se profitetur Flavius Vopiscus in Probo c. 2: *et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, — ceterosque qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt.* Idem Aureliano c. 2: *me contra dicente, neminem scriptorem quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, prodente quinetiam in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur.* Aliqua verborum Taciti (Agr. c. 12) recordatio deprehenditur apud Eumenium in Panegyrico Constantino dicto c. 9: *longissimae dies* (in Britannia) *et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam caeli et siderum transit adspectus, ut sol ipse, qui nobis videtur*

1. Hanc ob causam neque in Frontonis reliquiis neque in Gellii, alioqui minime, incuriosi eorum qui litterarum laude floruere, Noctibus Atticis Tacitus unquam memoratur. Eadem incuria fuit grammaticorum Latinorum, plerumque auctores veteres, a quibus Tacitus laudari nondum potuit, secure excribentium.

occidere, ibi appareat praeterire. Idem tamen etiam Plinium vel Fabium Rusticum auctorem potest respexisse, ac Tacitus haec sua ipse ex aliis auctoribus narravit.

19 Interiecto deinde tempore sub finem seculi a Christo n. quarti extitit etiam qui diversam viam ingrederetur, Ammianus Marcellinus. Is enim rerum gestarum libros triginta unum scribere ita aggressus est, ut ubi Tacitus narrationis telam omisisset, ipse eam ad pertexendum exciperet initio facto a Nervae principatu. Ipse in fine operis de suo proposito: *haec ut miles quondam et Graecus, a principatu Caesaris Nervae exorsus, adusque Valentis interitum pro virium explicavi mensura, opus veritatem professum*[1] *nunquam, ut arbitror, sciens silentio ausus corrumpere vel mendacio.* Ammianus duce Tacito usus tempora sequitur et seriem rerum gestarum, non species, in hoc sane laudandus; idem secula quibus ipse non interfuit (annos a Chr. n. 96—352) brevi scriptura absolvit in tredecim primis libris qui nobis perierunt, proximos annos et suos (353—378) copiose tradidit, etiam in hac re Taciti exemplum et auctoritatem quodammodo aemulatus. Idem vero dum Tacitum grandem verbis, sententiis crebrum, compressione rerum brevem, eloquentia magnificum studet imitari, longe ab exemplari suo defecit: ampullas enim aucupatur, ubi gravis esse et sententiosus laborat, de humilibus et communibus aeque ac de insolitis et atrocibus eadem magnificentia inflate et obscure, diligenter tamen et cum veritatis amore, exposuit.

20 Eadem aetate vixit et cum alia scripsit, tum brevem de Caesaribus libellum composuit Sextus Aurelius Victor. Qui quamquam, ut in libro de viris illustribus ducem et auctorem sequitur Cornelium Nepotem, sic in *Caesaribus*, quamdiu potuit, a Suetonio paene totus pendet, Tacitum tamen non omnino neglexit, ut observatum a nobis ad I 2, II 52, XI 29, XV 37[2].

1. Tacitus H. I 1: *sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est.*

2. Locutiones ad imitationem Taciti expressas apud Aurelium Victorem praeterea deprehendas cap. 2 §. 2: *Capreas insulam*

Mox Hieronymus, doctrinae studiis pro illa aetate multum 21
subactus, Taciti libros semel quidem commemoravit et argumentum Annalium atque Historiarum consignavit verbis, quae capite 12 a nobis transcripta sunt, sed idem laboris temporisque compendium faciendi cupidus in rebus Caesarum Romanorum Suetonii brevibus libellis acquievit, Tacitum adeo non curavit ut in suis Chronici Eusebiani additamentis hunc silentio praeterierit et quantum in se fuit, oblivione presserit, dum rerum scriptores oratoresque longe inferiores producit. Nimirum Suetonio eiusque de viris illustribus operi nimis et unice addictus viros in litteris insignes, exceptis admodum paucis, non alios in ea cura memoravit, nisi quos apud unicum auctorem suum repperisset, id quod ostendit Ritschelius noster Parergon Plautin. vol. I p. 617 sqq.

Neque Paulus Orosius, sancto Augustino aetate suppar 22
et amicus, qui sub initium seculi a Christo quinti septem Historiarum libros conscripsit, multum operae consumpsit in Tacito legendo, sed tamen quattuor locis (I 5 et 10, VII 9) Taciti verba de Iudaeis ex quinto Historiarum libro excerpsit, ut monitum in annotatione ad H. V 3 et 7 et 13, ac praeterea tribus aliis (VII 10 et 19) extremos Historiarum Taciti libros nobis deperditos respexit, quorum exemplum infra scriptum est. Primus haec habet: *bellum adversum Germanos et Dacos per legatos gessit pari rei publicae pernicie, cum et in urbe ipse senatum populumque laniaret et foris male cir-*

quaesierat flagitiis obtentui: conf. Taciti I 10. H. I 49, II 14. Ibidem §. 3: *compressaque Gaetulorum latrocinia, quae Tacfarinate duce passim proruperant;* cf. Tac. V 3: *tunc velut frenis exoluti — proruperunt;* XIII 6: *prorupisse rursum Parthos adlatum est;* perinde passim; II 52: (Tacfarinas) *latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare;* XII 27: *trepidatum adventu Chattorum latrocinia agitantium.* Ille cap. 4 §. 2: *ultima occasus, Britanniae partes contusae.* Tac. IV 46: *contusis Thracum gentibus*, ubi cf. annot. Ibidem §. 5: *Messalinae simulque libertorum delenimentis.* Tac. II 33, XV 63. A. 21. H. I 77. Ibidem §. 9: *quo commento liberti etiam quos vellent perditum ibant.* Tacit. IV 66: *suam ipse nobilitatem — perditum ibat.* Cf. annot. ad H. I 37. Cap. 6 §. 2: *quis rebus intestabilior.* Tac. VI 51: *intestabilis saevitia.* 40: *quamquam intestabilis.* Adde XV 55. H. IV 42. Cap. 7 §. 1: *potentiam invadit.* Tac. H. V 9: *nomen regium invadit.* Adde XV 52. H. III 66.

cumactum exercitum adsidua hostes caede conficerent. Nam quanta fuerint Diurpanaei, Dacorum regis, cum Fusco duce proelia, quantaeque Romanorum clades, longo textu evolverem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo interfectorum numero et Sallustium Crispum et alios auctores quam plurimos sanxisse et se ipsum idem potissimum elegisse dixisset. Domitianus tamen pravissima elatus iactantia sub nomine superatorum hostium de extinctis legionibus triumphavit. In altero idem: *Gordianus admodum puer in Orientem ad bellum Parthicum profecturus, sicut Eutropius scribit, Iani portas aperuit, quas utrum post Vespasianum et Titum aliquis clauserit, neminem scripsisse memini, cum tamen eas ab ipso Vespasiano post annum apertas Cornelius Tacitus prodat.* Rursus idem: *deinde* (post quadragesimum octavum imperii Augusti Caesaris annum), *ut verbis Cornelii Taciti loquar, 'sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.' Hucusque Cornelius.*

Haec Taciti verba ex sexto Historiarum libro Orosius excerpsit. Paratam enim et coeptam Hierosolymorum Tito duce obsidionem Tacitus in quinti libri principio cum tradiderit, in altera eiusdem parte patratam finitamque et urbem cum templo incensam executus est. Iam quae consecuta sunt, triumphum Vespasiani et Titi filii, pacem totius orbis pronuntiatam, Ianum clausum in sexto libro narrare Tacitus perrexit. Orosius tamen dum Historias Taciti septem locis aut excerpsit aut respexit et pro sui instituti ratione diligenter consuluit, idem in rebus Tiberii Gaique, Claudii ac Neronis (VII 4—7), quos Annalibus Tacitus amplexus est, hunc ducem et auctorem omnino neglexit et Suetonio suo unice acquievit. Ne eo quidem loco quo persecutionem religionis Christianae memorat a Nerone coeptam (VII 7), ulla Taciti mentio, neque verbum ex diligenti poenarum Christianis irrogatarum narratione Tacitina (XV 44) ab Orosio delectum. Qua in re non tam negligentia Orosii et socordia arguenda mihi videtur,

quam causa quaerenda in paucis exemplaribus, quae omnium Taciti operum tunc restabant, ut Orosius Historias quidem inspicere, sed Annales consulere non posset.

Neque tamen Annales adeo iam delituerant ineunte se- 23
culo quinto, ut aut nemini aut paucissimis praesto essent. Id ostendit Sulpicius Severus, qui anno [1] 401 Historiam sacram contexuit. Ille semel atque iterum (II 28 et 29) res a Nerone patratas ita tradidit, ut verba sua ad Tacitina Annalium XV 37 et 44 direxisse eum manifestum sit, quod monitum in annotatione ad locos modo designatos. Sulpicii amicus Paulinus Nolanus (353 — 431) Taciti Dialogum de oratoribus videtur cognitum habuisse: nam vocem perraram et ab uno Tacito (O. 8) positam, *substantiam facultatum* pro *opibus* sive *pecunia*, ille adhibuit in epistola I ad Sulpicium Severum: *tu, frater dilectissime, ad dominum miraculo maiore conversus es, quia aetate florentior, oneribus patrimonii levior, substantia facultatum non egentior — repentino impetu discussisti servile peccati iugum.* Idem Sulpicius Historiis Taciti non est usus, quamquam multa inerant eis quae ipse narravit admodum utilia.

Altero dimidio seculi quinti (a. 428—484) Sidonius Apol- 24
linaris Taciti eloquentiam et ornatum verborum admiratus in hoc copiam dicendi, in Sallustio brevitatem celebravit. Lege Carminis XXIII v. 152—154:

Et te (quid canam) *qui brevitate, Crispe, polles,*
Et qui pro ingenio fluente nulli,
Corneli Tacite, es tacendus ori?

Idem Carm. II v. 192 postquam Sallustii brevitatem, Varronis gravitatem *(pondus)*, ingenium Plauti, Quintiliani splendidum sermonem *(fulmen)* laudibus extulit, addit: *qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus.* Conf. Prooemii nostri cap. 2 annot. Huic integra Taciti opera historica etiam tum ad manum fuisse credibile est.

1. Hoc cognoscitur ex II 1 §. 8, ubi scribit Severus: *ita dei nutu accensis omnium animis templum* (Hierosolymitanum anno post Chr. 70) *dirutum abhinc annos trecentos triginta et unum.* Conf. II 9 §. 7: *omne enim tempus in Stiliconem consulem* (a. 400) *direxi.*

25 Ab hoc inde tempore barbari in Italiam et provincias Romanas in dies atrocius invadere, templa bibliothecas, monumenta veterum ingeniorum urere vastare. Quo factum est ut ingens optimorum librorum multitudo interiret et Taciti opera partim delerentur, partim perpauca eorum exemplaria in bibliothecarum angulis ita laterent abdita, ut etiam doctorum hominum notitiam subterfugerent. Etenim Aurelio Cassiodoro, sua aetate in paucis erudito (a. 465—560), Taciti libros incompertos fuisse, hoc ex iis colligitur quae nomine regis sui Theodorici ad Haestos Germaniae gentem scripsit de succino Var. V 2: *hoc quodam Cornelio scribente legitur, in interioribus insulis Oceani ex arboris succo defluens, unde et succinum dicitur, paulatim solis ardore calescere.* Cassiodorus Taciti G. 45 verba significavit, sed ita ut haec aliunde accepisse, non apud ipsum auctorem legisse neque cetera eius opera cognovisse videatur. Nam qui apud Britannos de *quodam* Shakespeario, apud Germanos de *quodam* Lessingio locutus erit, ab hoc neque Shakespearii fabulas neque Lessingii volumina versata et lecta esse dicemus [1].

Hoc de Cassiodoro dictum alio argumento firmari potest. Iordanes enim sive Iornandes, qui suum de *rebus Geticis* librum ex Cassiodori opere deperdito transcripsit, capite secundo de Britannia haec refert: *noctem quoque clariorem in extrema eius parte memorant* [2]*; quam Cornelius etiam, annalium scriptor, narrat metallis plurimis copiosam, herbis frequentem et his feraciorem omnibus, quia pecora magis quam homines alat. Labi vero per eam, et multa quam maxima, relabique flumina, gemmas margaritasque volventia. Sylorum* (lege *Silurum*) *colorati vultus; torto plerique crine et nigro*

1. Dicat aliquis Cassiodorum voce regis locutum esse ad barbaros, qui nihil de Tacito inaudiverint. Sed vel sic in homine sibi cognito et illustri rerum scriptore aliis verbis usus esset. Accedit quod ipsa sententia auctoris laudati male redditur.

2. Sic corrigenda illa foede depravata: *noctem quoque clariorem. In extrema eius parte Memma, quam Cornelius* cet. Erravit Lipsius ad Tacit. XIV 29, ubi in vocabulo *Memma* latere *Monae* insulae nomen opinatur.

nascuntur. Calidoniam vero incolentibus rutilae comae, corpora magna sed fluida. Qui Gallis sive Hispanis quibusque attenduntur assimiles (emendandum *quibusque obtenduntur, et similes*). Quae si conferantur cum ipsis Taciti Agricolae 12 et 11 verbis [1], aliqua ex parte in his latitantibus, immutatis mirifice et ita auctis, ut verus auctor vix agnoscatur, dubitari nequit, quin Cassiodorus Taciti Agricolam ipsum non adhibuerit, sed alium scriptorem secutus sit, qui relata a Tacito cum aliis narrationibus varie permixta exhibuerat.

Posthac longum altumque de Taciti libris silentium. Ex 26
annalium scriptoribus, qui media aetate apud Italos et Germanos fuere, excepto uno, nemo [2] eius operum reliquias vidit

1. Haec sic se habent: *nox clara et extrema Britanniae parte brevis. — Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita. — — Solum — patiens frugum, fecundum. Tarde mitescunt, cito proveniunt. — Rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines, et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse — fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt.* Adde c. 10: *unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre* cet.

2. Erunt fortasse qui mihi opponant Freculphum, nono seculo medio episcopum Lexoviensem (*Lissieux*), in Chronico suo bis ex deperditis Historiarum libris Taciti verba attulisse (tom. II lib. 2 c. 6 et II 3 3), unde pateat nono seculo integra extitisse Taciti scripta. Verum ab ea opinione depellemur, simulatque reputaverimus Freculphum priore loco non solum Taciti verba ex rebus Domitiani deprompta et c. 22 huius Prooemii ex Orosio relata, sed totum illud caput sextum et principium septimi, exceptis versibus paucis quos in principio sexti capitis atque in fine addidit aliunde sumptos, excripsisse ex Orosii libri VII c. 10. Idem Freculphus alteram Cornelii Taciti mentionem ad verbum ex Orosii libro VII c. 19 in Chronicon suum ita recepit, ut totum Orosii caput 19, admixtis nonnullis ex Eutropio petitis adoptarit. Si verum esset quod Lipsius ad Taciti H. V 3 tradit, ea verba citari ab Ottone Frisingensi, qui historiam suam duobus libris seculo duodecimo scripsit, non ipsum Tacitum sed Orosium (I 10) huic auctorem fuisse existimandum esset; sed verum non est quod narravit Lipsius multique pedisequi temere repetiverunt, et Otto Frisingensis neque I 18, quem locum Lipsius significavit, neque alibi ullam Taciti mentionem aut verbum eius exhibuit. Non magis Taciti libros seculo undecimo exeunte lectitavit Adamus Bremensis, quamquam in Gesta Hamburgensis ecclesiae pontificum I c. 6—8 (5—6) recepit quae sumpta sunt ex Taciti *Germania*: nam ipse sua ex *Translatione S. Alexandri* scripta a Ruodolfo quem perperam Einhardum appellat, hausit omnia. Conf. Pertzii Monumenta Germaniae historica t. IX pag. 285. Neque ullum versum ex scriptis eius habuit Ioannes

aut cognovit. Unus ille fuit Ruodolfus, coenobii Fuldensis presbyter et monachus seculo nono, vir illa aetate egregie doctus, qui Annalium Fuldensium a pluribus auctoribus conscriptorum partem annis 838—863 destinatam confecit et ad annum 852 haec scripsit (v. Pertzii Monumenta Germaniae historica vol. I p. 368): *igitur in loco qui appellatur Mimida* (Minden), *super amnem, quem Cornelius Tacitus, scriptor rerum a Romanis in ea gente gestarum, Visurgim, moderni vero Wisaraha vocant, habito generali conventu* cet. Haec Ruodolfus non nisi ex libro primo secundoque Annalium Taciti resciscere potuit. Ibi enim Romanorum ad Visurgim expeditiones narravit, in ceteris libris nihil de his rebus rettulit, ac ne Visurgis quidem nomen posuit. Sed Ruodolfus ille cum sui temporis res conscripserit et VIII. idus Martias anni 865 mortuus sit, altera seculi post Christum noni parte in monasterio Fuldensi codicem *prioris Annalium partis* adfuisse inde edocemur. Is autem toto terrarum orbe unus adhuc cognitus est, ex monasterio *Corbeiensi*, ut vulgo fertur, Romam translatus, mox Florentiam profectus. Qui quamquam a Bandinio seculo undecimo, a nostro Maassmanno (Annal. artis crit. a. 1841 t. II n. 89) decimo delegatur, testis tamen ante productus eundem nono potius vindicabit, eo magis quod inter noni et decimi undecimique seculi codices Latinos nullo certo indicio distinguitur, ut testatur Bandinius. Hoc enim rectius et simplicius existimari videtur, codicem Mediceum priorem ipsum fuisse Fuldensem illum, quam ex Fuldensi descriptum

Sarisberiensis, quamquam nomen eius non ignorabat, ut ostendunt verba in Policratico scripta VIII 18: *quae si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea quae Trogus Pompeius, Iosephus, Egesippus, Suetonius, Q. Curtius, Cornelius Tacitus, T. Livius, Serenus et Tranquillus, et alii historici quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historiis.* Taciti nomen ex Orosio accepit: scripta ei non comperta fuisse hinc agnoscitur, quod in iis quae de Romanis imperatoribus tradidit, nonnisi Orosii et Suetonii vestigia deprehenduntur. Lege VIII 18: (*de moribus C. Caligulae et Neronis nepotis eius et exitu utriusque*) et 19 (*de morte Iulii Caesaris et aliorum gentilium tyrannorum*), II 10 (*de Vespasiano qui claudum et caecum curasse legitur*). De his omnibus magis memorabilia Tacitus narravit, sed nihil ex his quae Tacito propria sunt, ad notitiam Ioannis pervenit.

Corbeiensem quem vocant, illum autem mox deletum esse et amissum, aut duos codices qui priores Annalium libros continuerint, quondam in Germania fuisse, quorum alter in coenobio Fuldensi perierit, alter superstes fuerit in Corbeiensi. Eo certe tempore quo monachus Fuldensis Tacitum cognitum habuit, neque proximo seculo X in Corbeiensi monasterio Taciti libri adfuerunt. Scilicet Widukindus, huius coenobii monachus medio seculo decimo, et illis temporibus satis litteratus neque malus Latinitatis auctor, in suis de rebus gestis Francorum tribus libris neque mentionem Taciti iniecit neque locutionem ullam inde imitatus est. Non minus Taciti nomen desideratur in catalogo manuscripto librorum Corbeiensium, qui nunc apud Britannos in bibliotheca Phillippica (Middlehill) asservatur (ei nomen: *Catalogus librorum in bibliotheca Corbeiensi insitus. Hic habetur titulatus. Inprimis codices beati Augustini. Deinde aliorum doctorum)*, quem *nono* seculo confectum esse Pertzius dicit *(Archiv der Gesellschaft für ältere Deutsche Geschichtskunde* tom. IX p. 499), possessor eius, Thomas Phillips, in exemplis impressis *undecimo* ascripsit. Eundem propediem Urlichs professor Gryphiswaldensis in Museo Rhenano evulgabit.

Verum in Fuldensi monasterio non solum prior Annalium pars nono seculo asservabatur, sed ibidem etiam *Germaniae* codicem eodem tempore extitisse, quode copiosius dicam in praefatione quarti voluminis, perspicitur legenti *Translationem S. Alexandri*, a Ruodolfo a. 863 scribi coeptam, ab eius discipulo Meginharto post mortem Ruodolfi absolutam. Vid. Pertzii Monum. t. II pag. 675. Itaque Fuldense monasterium iure meritoque pro incunabulis habetur eorum Taciti scriptorum quae in Italia delituerunt ac demum ex Germania in patriam redierunt, dico sex primos Annalium libros, Germaniam, Dialogum de oratoribus. De Corbeia mox videbimus.

Iam tenebrae densae ac diuturnae, quantum quidem ad **27**
priorem partem Annalium attinet. Itaque ingenti saltu accedimus ad initium seculi quinti decimi. Tunc enim codex ille *Fuldensis* seculi noni rursus ex tenebris quodammodo emergere

coepit ac visus est a monacho quodam *Hersfeldensi* aut in libris monasterii Fuldensis, ut ego credo, aut in ipso coenobio Hersfeldensi non procul ad Fuldam fluvium sito; cuius rei testis est Poggius in Epistolis a Thoma de Tonellis plenius quam ante collectis et editis [1]. Is mense Novembri anni 1425 scribit in epistola, Roma ad amicum Florentinum Nicolaum Nicholium (de Nicolis) missa, (vol. I pag. 168): *mel tibi reservatur in postremis. Quidam monachus amicus meus, ex quodam monasterio Germaniae* (Hersfeldensi), *qui olim a nobis recessit, ad me misit litteras, quas nudius quartus accepi, per quas scribit se reperisse aliqua volumina de nostris, quae permutare vellet cum Novella Ioannis Andreae, vel tum Speculo tum additionibus, et nomina librorum mittit interclusa. — Inter ea volumina est Iulius Frontinus et aliqua opera Cornelii Taciti nobis ignota: videbis inventarium.* Idem ad eundem m. Februario a. 1426 (p. 175): *ex Germania responsum est mihi, litteras illas esse redditas. Spero igitur me habiturum propediem litteras a monacho, et tum tecum omnia communicabo.* Idem XVIII. kalendas Octobres a. 1426 ad eundem (p. 187): *de libris Germanis nil dicam amplius nisi me non dormire more tuo, sed vigilare. Quod si quidam, prout spero, fidem servarit, liber ad nos veniet vel vi vel gratis. Quin etiam dedi operam, ut habeam inventarium cuiusdam vetustissimi monasterii* [2] *in Germania, ubi est ingens librorum copia; sed ne tu me molestes ista tua dicacitate, nil amplius scies.* Idem mense Iunio a. 1427 (p. 207): *dixeram Cosmo nostro, quemadmodum scribis, monachum illum Hersfeldensem dixisse cuidam se attulisse inventarium, sicuti*

1. *Poggii Epistolae. Editas collegit et emendavit, plerasque ex codd. mss. eruit, ordine chronologico disposuit notisque illustravit equ. Thomas de Tonellis IC.* Florentiae MDCCCXXXII. 8.

2. Fuldense monasterium, opinor, significat: de Corbeiensi quo minus cogitemus, impediunt Poggii verba ad Nicolaum a. 1420 scripta p. 43: *de monasterio Corbejo, quod est in Germania, non est quod speres: dicitur multos esse in eo libros; non credo rumoribus stultorum; at si vera etiam essent quae dicuntur, patria omnis latrocinium est: etiam ipsi tribules, qui in Curia morantur, non redeunt tuti ad patriam suam.*

ei scripseram, plurium voluminum, secundum notam meam. Postmodum cum summa cura quaererem hunc hominem, venit ad me afferens inventarium plenum verbis, re vacuum. Vir ille bonus, expers studiorum nostrorum, quicquid reperit ignotum sibi, id et apud nos incognitum putavit. Itaque refersit illud libris, quos habemus, qui sunt iidem, de quibus alias cognovisti. Mitto autem ad te nunc partem inventarii sui, in quo describitur volumen illud Cornelii Taciti, et aliorum quibus caremus, qui cum sint res quaedam parvulae, non satis magno sunt aestimandae. Poggius non volumen illud Cornelii Taciti, sed *aliorum* tantummodo *quibus caremus* 'res quasdam parvulas, non satis magno aestimandas' vocavit. Neque Tacitum iam respicit, sed alios auctores ex eo monasterio recuperandos, cum eodem loco scribere pergit: *decidi ex maxima spe, quam conceperam ex verbis suis; ea extitit causa propter quam non magnopere curavi hoc ad te scribere; nam si quid egregium fuisset, aut dignum Minerva nostra, non solum scripsissem, sed ipse advolassem, ut significarem. Hic monachus eget pecunia.* Pecuniae a Poggio accipiendae spe allectus monachus Hersfeldensis Fuldensem illum Taciti codicem, opinor, inventario suo librorum ascripserat: nam eum codicem non Hersfeldiae sed in monasterio Fuldensi fuisse, nisi forte Hersfeldiam translatus tunc erat, ex Annalibus Fuldensibus accepimus. Nimirum eo volumine tamquam eximiis illecebris Poggium movere se posse cognoverat: ipsum tamen librum afferre non potuit, quamquam facta praemii expectatione. De eo Poggius pridie kalendas Iunias a. 1427 ad Nicolaum suum scribit (p. 210): *Id autem male accipis, quia cum procurem ut habeamus Decadem Livii et reliqua volumina, de quibus ad te scripsi, putes me omittere hoc volumen* (Cornelii Taciti intelligit), *quo maxime indigemus; id quidem imprimis est quod volo. Quin mandavi isti monacho, ut vel ipse secum deferret, nam credit se rediturum brevi, vel per alium monachum curaret deferendum: alios* (scriptores veteres cogitat) *iussi portari Nurimbergam, hunc* (Tacitum) *vero Romam proficisci recta via, et ita se facturum recepit.* Eadem spe V. kalendas

Octobres a. 1427 iocando Poggius scripsit ad amicum suum Florentinum (p. 212): *Cornelium Tacitum, cum venerit, observabo penes me occulte. Scio enim omnem illam cantilenam, et unde exierit, et per quem, et quis eum sibi vendicet, sed nil dubites, non exibit a me ne verbo quidem.* Mox in eadem epistola: *de Cornelio Tacito, qui est in Germania, nihil sentio: expecto responsum ab illo monacho.* Sed frustra expectavit: nam monachus ille quamvis indigus pecuniae codicem indicatum, quem non sui coenobii sed Fuldensis κειμήλιον fuisse existimo, recuperare et suum facere non videtur potuisse ideoque tam de libro scripto quam de pecunia nihil amplius transegisse. Itaque Poggius frustra habitus postremum die XI Septembris a. 1428 (p. 218) ea de re scribit ad Nicolaum: *Cornelius Tacitus silet inter Germanos, neque quicquam exinde novi percepi de eius operibus.* Verum illud Taciti volumen, in quo erant hominibus Italis tunc incognita, aut priores Annalium libros (posteriores et Historiarum quot supersunt cogniti erant), aut Taciti Germaniam et Dialogum de oratoribus et duos Suetonii libellos complexum est: nam hi codices ex Germania in Italiam translati sunt, posterior paulo ante a. 1460, prior ante annum 1515, et utrumque a Ruodolfo monacho Fuldensi nono seculo inspectum esse supra vidimus. Ego ut non de posteriore sed priore verba Poggii facta esse existimem, hinc permoveor quod in tota causa Corneliana *Suetonii* ne per litterulam quidem facta est mentio, quodque *volumen* Taciti, non opuscula eius aut 'res parvulae' commemorantur. Nam hoc nomen non ad Tacitum pertinet, sed de aliis libellis dictum est. Hinc Maassmanno, qui in Annalibus artis criticae Berolinensibus (a. 1841 m. Novembri n. 88) diversam sententiam approbare conatus est, assentiri non possum, immo spero virum doctissimum Poggii verbis iterum lectis et consideratis in meas partes transiturum esse.

28 Iam eiusdem libri fata et itinera amplius persequamur. Is enim post seculi non integri decursum ex Germania ad Leonem X pontificem maximum defertur anno 1514 aut potius 1513, de qua re qui hanc Annalium partem primus

a. 1515 cum ceteris Taciti libris Romae edidit, Philippus Beroaldus iunior, in epistola sua ad Leonem X, in limine editi exemplaris, haec professus est: *age vero quanta hoc ipsum laude dignum est? quod propemodum praeconis voce ingentia praemia indagatoribus librorum proposuisti, si, quos libros vetustas nobis inuidit, alicunde e latibulis eduxissent. Quae venatio Cornelii Taciti hos primos quinque libros* (tot in codice numerantur) *qui per longum seculorum ambitum latuerant, in saltibus Germaniae inuenit. Quam tu praedam ad te allatam ac magna mercede comparatam, non velut aliqua librorum sepultura rursus occultasti, sed tanquam verus omnium pater utilitati omnium consultum esse voluisti. Si quidem ubi tu totos summa cum voluptate cognouisti, — — eos mihi ut ad communem studiosorum utilitatem publicarem tradidisti.*

Vides, lector, a Beroaldo neque locum Germaniae unde deportatus sit codex, neque eum qui attulerit nominatum esse, idque non imprudenter ideo factum esse putaverim, ne qui eo thesauro privati erant, expostularent et reddendum instarent, neve commissae fraudis auctor proderetur. Neque certius quidquam duobus annis post Alciatus referre potuit, qui in epistola ad Galeacium scribit: *quanquam — magna quoque pars etiamnum desideretur, essetque adhuc ἀκέφαλος Tacitus, nisi Christiani orbis Max. Pontifex Leo X. priores quinque libros de barbaris redemptos, postliminio ut tandem reuerterentur effecisset.* Duodeviginti post Beroaldum annis (1533) cum Beatus Rhenanus Tacitum edidit, ad verba Annalium IV 43 pag. 125 *suoque recident Heliatem agrum*, ut tunc legebantur corrupta, annotavit: *utinam licuisset hic exemplar illud Saxonicum inspicere, quod Quaestor quidam Pontificius cum e Dania rediret, in Corbeiensi bibliotheca repertum, Romam secum detulit ad Leonem X Pont. Max. bonarum litterarum haud illiberalem patronum, qui illi quingentos ducatos numerari iussit* [1]. No-

1. Minus definite Rhenanus loquitur in epistola ad Bernardum episcopum Tridentinum editioni praemissa: *in quinque prioribus uoluminibus quae reperta apud Corbeiam in Saxonibus, paulo post Romae euulgata sunt, — defuere quidem scripti codices cum quibus conferrem.*

mine *Quaestoris Pontificii*, qualis in magistratibus Romanae hierarchiae nullus est, Rhenanus paulo liberius designavit eum qui stipes indulgentiarum a Leone aedificandae et perficiendae ecclesiae S. Petri publice promissarum collegit, cui verum nomen sed minus Latinum erat *Commissarius*. Ad id negotium a Leone sibi demandatum per Daniam et Sueciam acriter incubuit *Ioannes Angelus Arcemboldus* Mediolanensis, iuris utriusque doctor, dum *Tezelius*, Arcemboldi adiutor sive *Subcommissarius*, per Saxoniam easdem pecunias corradit. Verum Arcemboldus hoc munus primum obiit per provincias Batavorum, Burgundiae, Rhenanas a. 1515, ad id destinatus 2. die Decembris a. 1514, dein a. 1516 Westfaliam adiit et Germaniam septentrionalem, mox praecipue apud Danos et Suecos diu moratus est. Ibi multis difficultatibus implicitus et variis rebus tum inter Suecos tum inter Danos gestis tentatisque, circa annum 1518 vel 1519 Romam rediit, causam apud iudices dixit et absolutus est. Cf. Vollständige Reformations-Acta und Documenta, ausgefertigt von *Valentin Ernst Löscher*. Dresdae 1720. 4. Tom. I p. 375 — 379. *Danielis Gerdesii* Historia Reformationis tom. III p. 277—284. Atqui Beroaldi editio kalendis Martii anni 1515 Romae impressa prodiit, ideoque codex ille aut anno 1514 aut aliquamdiu ante Romam perlatus iam erat, diu ante quam Arcemboldus ex *Dania rediens* Corbeiam et in Italiam pervenire potuit, etiam ante quam quaestor Pontificius declaratus terras longinquas peragravit. Scilicet spissum volumen dum typis exprimitur, dum Beroaldus in primis sex (quinque) libris plurima vitia corrigit et de tentamentis suis virorum eruditorum sententiam ante explorat, saltem viginti menses effluxerunt. Itaque codex ille ex Germania primis statim Leonis Pontificatum administrantis mensibus advenit, h. e. non diu post mensem Martium anni 1513. Itaque neque Arcemboldus neque ullus alius Leonis quaestor in Germaniam missus illum codicem ex Corbeiensi monasterio secum abstulit aut Leoni tradidit insignemve eius munificentiam expertus est. Quae quo tendant, lector, iam intelliges. Rhenanus quae narravit, ex

vago aliquo et incerto falsoque rumore relata sunt. Nimirum Arcemboldi pecuniae quovis modo corripiendae libido cum fama divulgata esset, et praecipue inter reformatae religionis sectatores aucta multis sermonibus materiam praebuisset, hunc illum fuisse, qui thesaurum plane egregium et magni pretii ad se ditandum ex monasterio Corbeiensi, loco bonorum librorum abundante, secum tulisset, rumoribus dispersum est. Rhenanum autem ut in quaestore pontificio fefellit opinio sua aut falsa hominum fama, ita quae tradidit idem de coenobio Corbeiensi et codice Taciti ibi reperto, fidem iam non merentur, eo magis quod in monasterio Fuldensi tam nono quam quintodecimo seculo ineunte certa huius codicis vestigia deprehendimus, quem hinc Corbeiam transisse aliquanto ante quam Romam deferretur, coniectura est quae nullo argumento confirmari potest. Nam qui unus praeter Rhenanum de codice Corbeiensi rettulit, Iustus Lipsius, is manifesto Rhenani fidem secutus est et eundem errorem de *quaestore pontificio* repetivit in annotatione ad Taciti Ann. II 9 *flumen Visurgis* scripta: *mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis. Cuï famam praecipue Tacitus dedit: et ipse Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbeiae*, *quod monasterium ad Visurgim est. Atque illinc depromptum vere hunc thesaurum 'quaestor quidam Pontificius'* (agnosce Rhenanum) *ad magnum Leonem detulit*, *donatus ab eo aureis quingentis.* Idem Lipsius paulum mutatis verbis repetivit in *Dispunctione notarum Mirandulani codicis;* atque Lipsio utuntur auctore, et fonte eius ignorato et dubia rei fide non perspecta, quicumque (Norisius, Davanzati, Ernestius, alii) de codice ex monasterio Corbeiensi Romam transportato tamquam de re certa et in facto posita loquuntur[1]. Mihi

1. Rhenanus et Lipsius quaestorem suum significasse contenti nomen eius non posuerunt. *Arcemboldum* primus nominavit Ernestius, in ceteris Lipsium secure secutus. Lipsium auctorem etiam Fürstenbergius respexit, cum cecinit de Visurgi in Monumentis Paderb. p. 69:

> *Sed quota pars rerum superaret, Roma, tuarum, Aut quisnam Arminii nosceret arma mei,*
>
> *Ni mihi quam Tacitus scriptor dedit inclytus, illi Reddita Corbeiae munere vita fuit.*

autem ea res admodum incerta, immo ficta et fide indigna videtur, ac multo magis inclino ut eum codicem ex Fuldensi bibliotheca anno 1513 surreptum et Romam delatum esse statuam [1]: nam ibi fuisse certa historiae vestigia docent.

29 Alter Taciti codex antiquus et Poggii temporibus et ante doctis per Italiam hominibus cognitus erat, sed seculo undecimo, quo scriptum esse Bandinius dicit, simul atque exemplar unde ipse deductus periit, unus per orbem terrarum fons restitit quo Annalium Taciti libri posteriores et Historiae ab interitu vindicatae sunt. Ipsius origo repetenda videtur ex monasterio Casinensi, ubi postquam Desiderius a. 1058 abbatis munus suscepit et per annos viginti novem amplius coenobio praefuit, multi antiqui libri descripti sunt. Testis est Petrus diaconus ac bibliothecarius Casinensis, qui Chronicon Casinense quod imperfectum Leo reliquerat usque ad annum 1138 continuavit, natus circa annum 1107. Is Chron. Casin. lib. III c. 63 in Pertzii Monumentis Germaniae historicis t. IX p. 746: *non solum autem in aedificiis, verum etiam in libris describendis operam Desiderius dare permaximam studuit. Codices namque nonnullos in hoc loco describi praecepit, quorum nomina haec sunt: Augustinum contra Faustum; — — Iosephum de bello Iudaico; historiam Cornelii cum Omero* [2]. Codex Cornelii tunc confectus non alius videtur fuisse, quam quem nunc novimus Florentinum alterum. Ipse pridem describi coeptus est, cuius rei initium iudice Keilio (Museum Rhenan. a. 1847 p. 145) factum seculo duodecimo, atque inde deducti sunt libri manuscripti, qui in hac parte Taciti operum per Italiam et Francogalliam, Britanniam et Germaniam, etiam Hispaniam asservantur, ita tamen ut inter

1. Casu quodam, non quia in rem accuratius inquisiverat aut veriora ab aliis edoctus erat, Mabillon in Itinerario Italico p. 167 codicem Mediceum priorem *Fuldensem* nominat, quod ipsum, quamvis calami errore admissum, iuxta veritatem dictum est.

2. Non referendum huc est quod Ang. Mai in Spicileg. Rom. t. V p. XIII ex antiquo catalogo librorum Corbeiensium protulit, *Cornelii liber de bello Troiano*, sed hoc *bellum Troianum* Latinum fuit, h. e. *Daretis Phrygii de excidio Troiano historia Cornelio Nepote interprete.* Non intellexit Maius neque Petri editor in Pertzii Monumentis.

describendum nova vitia permulta admitterentur, vetera saepe perperam, aliquando feliciter corrigerentur. Inter quem laborem antiqua veteris libri scriptura pluribus locis detrita, sed alia ab antiqua manu non sine erroribus superinducta et expleta est; item interiere duobus locis (H. I 69—75, 86—II 2) duo folia, quae in aliis ex antiquis huius libri nondum decurtati apographis suppleta leguntur. Hunc codicem, Langobardicis litteris scriptum et lectu difficilem, significavit Poggius in Epistola die 21. Octobris a. 1427 scripta ad Nicolaum Florentinum (p. 213): *misisti mihi librum Senecae, et Cornelium Tacitum, quod est mihi gratum: at is est litteris longobardis et maiori ex parte caducis*[1], *quod si scissem, liberassem te eo labore. Legi olim quemdam apud vos manens litteris antiquis; nescio Coluciine esset an alterius. Illum cupio habere vel alium qui legi possit: nam difficile erit reperire scriptorem, qui hunc codicem recte legat; ideo cura, ut alium habeam, si fieri potest.* De eodem verba facit die 5 Iunii a. 1428: *dedi Bartholomaeo de Bardis decadem Livii et Cornelium Tacitum, ut illos ad te mittat: in tuo Cornelio deficiunt plures chartae variis in locis*[2]. Ex his clarum est, alterum codicem Mediceum in Florentiae oppidum iam pridem devenisse, patet quoque quid sibi velit inscripta ei notitia: 'Conventus S. Marci de Florentia Ordinis praedicatorum *de hereditate Nicolai Nicoli Florentini viri doctissimi.*'

Reliquum est ut de codicum illorum statu qui nunc ob- 30
tinet pauca notentur[3]. Prior Mediceus in bibliotheca Laurentiana Florentiae plutei 68 primus codex numeratur, in bibliothecam gentis Mediceae iam tum inclitam delatus post mortem (1. Decembr. 1521) possessoris Leonis, qui ipse Me-

1. Rem exaggerat Poggius. Ceterum illis temporibus scriptura ab alia manu nondum suppleta videtur fuisse.

2. Intelligit defectus Historiarum duos modo indicatos, fortasse etiam magnum Annalium in fine hiatum, quem inesse etiam ceteris tunc non recordabatur. Poggius cognitos Taciti libros sibi Romam Florentia mitti tunc volebat, cum spem foveret sese propediem accepturum esse alios ex Germania per monachum Hersfeldensem, ut nota et ignota conferre atque integrum codicem conficere posset.

3. Cf. Bandinii Catalogus codicum Latin. bibliothecae Laurentianae t. II p. 831 sqq.

diceus *(de' Medici)* fuit. Est membraneus, forma fere quadrata, bene ac luculente scriptus; in margine additae sunt correctiones Beroaldi et aequalium virorum. Olim duplo maior fuit; primus enim quaternionum XVIII notatur, postremus XXXIV. Foliis constat scriptis CXXXVII. 'Sunt enim' (verba Baiteri) 'plagulae XVII, quarum XVI primae constant foliis VIII, septima decima autem tantummodo foliis VII; tum sequuntur insuper duo folia separata; ultimi folii, cuius una dumtaxat pagina exarata est, quarta circiter pars abscisa est. In primis XI plagulis quaeque pagina exhibet versus XXIV, insequentium plagularum paginae versus XXV, duorum foliorum separatorum pagina I et II vv. XXIV, pagina III tantum vv. XVIII. Duplicem signaturam monstrat codex, alteram I—XVII, alteram XVIII—XXXIV, quocirca primitus aliae plagulae XVII praecessisse videntur.' Post Beroaldum denuo inspectus et collatus est a Curtio Pichena, Iacobo Gronovio, Francisco del Furia, diligenter et magna cum cura a Georgio Baitero in usum Casparis Orellii.

Alter Mediceus item membraneus, eiusdem plutei codex secundus numeratur et a Bandinio undecimo seculo assignatur, difficili scriptura et litteris Langobardicis, anepigraphus. Locos evanidos altera manus in spatiis interlinearibus rescripsit, sed non ubique vestigia prioris manus accurate repraesentavit. Primum continet Taciti Annalium libros posteriores et Historiarum quinque, qui tamquam operis perpetui undecimus usque ad vicesimum primum leguntur. 'Ad Tacitum' (Baiteri verba sunt) 'primitus pertinebant folia CV in fol. maiore, nunc tantummodo CIII; sunt autem plagulae XIII, et quartae decimae duo nunc folia; plagula secunda pro octo foliis non habet nisi septem; deest vero septimum, probabiliter quia scriptor librarius ea membrana uti non poterat: defectus enim ibi nullus est; contra in octava plagula nunc desunt folia tertium et sextum, quae continua fuerant. Primi folii prima pagina vacua est; ultima autem pagina plagulae sextae haud prorsus quartam sui partem implet, quoniam quidem quantum nunc extat Annalium ibi desinit. Itidem ultima

plagulae quartae decimae pagina, quae ad Tacitum pertinet, haud prorsus tres partes implet. Omnes autem paginae per binas columnas modo XXXV, modo XXXVIII versuum conscriptae sunt.' In margine ascripta sunt summaria rerum et annotationes nonnullae ab alia manu sed antiqua.

In cetero codice (totus enim CXCI foliis scriptis constat) p. 104 b subsequuntur Apuleii Platonici Madaurensis de Magia libri duo. 'In calce' (Bandinii verba sunt) 'libri primi characteribus quadratis Romanis scriptum est: EGO G. CRISPVS SALVSTIVS EMENDAVI ROMAE FELIX. APVLEI PLATONICI MADAVRENSIS PRO SE APVT CL. MAXIMVM PROCOS. DE MAGIA LIB. I. EXPLICIT. INCIPIT LIB. II. LEGE FELICITER. Itemque in calce libri II legitur: APVLEI PLATONICI MADAVRENSIS PROSAE DE MAGIA LIB. II EXPLICIT. EGO SALVSTIVS EMENDAVI ROMAE FELIX. Loca Graeca, quae in hisce libris occurrunt, sunt ea quidem Graecis characteribus, sed valde corruptis et mendosis expressa; recentior tamen ac docta manus eadem in margine emendate diligenterque conscripsit.' Idem: 'p. 126: Eiusdem Metamorphoseon, seu de Asino aureo libri XI praevio prologo, ut in dicto codice §. II. In calce omnium librorum, primo et ultimo exceptis, legitur censoris subscriptio: EGO SALLVSTIVS LEGI ET EMENDAVI ROMAE FELIX; in calce vero libri IX aliquanto longior ita habet: EGO SALLVSTIVS LEGI ET EMENDAVI ROMAE FELIX OLIBRIO ET PROBINO V. C. CONS. IN FORO MARTIS CONTROVERSIAS DECLAMANS ORATORI ENDELECHIO. RVRSVS CONSTANTINOPOLI RECOGNOVI CAESARIO ET ATTICO CONSS.' Pergit Bandinius referre de hoc libro: 'p. 184 eiusdem Floridorum libri IV.'

Fratres Sextus Anicius Olybrius et Sextus Anicius Probinus a. 395 in Occidentis partibus, Caesarius a. 397 in Oriente et eodem anno Atticus in Occidente cum gesserint consulatum, hinc efficitur exemplar unde Apuleius seculo undecimo est descriptus, sub finem quarti confectum iam esse, neque alii tempori codicis Tacitini liber *ἀρχέτυπος* delegandus videtur.

Ad Tacitum emendandum alter Mediceus primum adhibitus est a Pichena (Beroaldo praesto eundem fuisse Waltherus falso credidit), tum a Iacobo Gronovio, nostra memoria a Francisco del Furia et Georgio Baitero. Eiusdem discrepantias scripturae Petrus Victorius ad exemplar Beroaldinum enotavit, cuius copias ex bibliotheca Monacensi depromptas evulgavit Waltherus.

31 De ceteris Taciti codicibus, seculo quintodecimo ex M^a aut potius, cum ipse ad legendum et describendum difficilis esset, ex eius prole demissis, iam breviter defungi licebit. In eadem bibliotheca Laurentiana tres insunt codices membranei, nonnullis in locis a Pichena et Baitero consulti.

Romae in bibliotheca Vaticana tres membranei (n. 1863, 1864, 1958), unus in charta scriptus (n. 2965) custodiuntur. Ex his Vaticanum 1864 Broterius, qui omnes pluribus in locis inspexit, non absimilem existimat ei, quem Lipsius *Farnesianum* appellat, quemque contulit Iacobus Corbinelli amicus Broterii, varietate scripturae ad marginem editionis Beroaldi enotata et cum Broterio communicata; Vaticanus 1958 Genuae scriptus est a. 1449. In fine notatum: *si quispiam hinc descripserit novum, sciat me, quantum reperi, fideliter ab exemplo transcripsisse, quod inter cetera, de quibus scitur, non est neque pessimum, neque mendosissimum. Τέλος Θεῷ χαίρειν. Die septimadecima Octobris ab ortu Salvatoris nostri domini Iesu Christi anno* M.CCCCXLVIIII. *Genuae, pridie festum divi Lucae Evangelistae.*

Ex Britannia Oxonienses tres innotuerunt, liber Harleianus, Bodleianus, collegii Iesu, unde varias lectiones ad Ernestii editionem enotatas Sam. Musgravius ad Broterium transmisit. Harleianus, inscriptus *Actorum diurnalium Augustae historiae liber* XI—XXI, *ad* H. III 34 hanc scriptoris librarii notam habet: *hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni* M.CCCCLII. In fine ascripta sunt: *in exemplari tantum erat. Si quispiam hinc descripserit, sciat me quantum reperi ab exemplari descripsisse.* Ex Vaticano 1958 profectus videtur. Idem Vaticanus fons Bodleiani fuit, ut apparet ex librarii

nota fini subiuncta: *in exemplari tantum erat. Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me quantum repperi fideliter ab exemplo transcripsisse: quod inter cetera non est neque pessimum, neque mendosissimum. Τέλος Θεῷ χαίρειν. Genuae pridie Idus Decembres anno* M.CCCCLX *tertio.* Codex collegii Iesu ad H. III 34 librarii manu annotatum habet: *hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni* M.CCCCLVIII. Hunc ex Harleiano ductum esse credibile est. Eum ante Musgravium inspexit Iacobus Gronovius, Bodleianum Abrahamus Gronovius. Iacobi excerpta in I. Fr. Gronovii editione a. 1672 vulgata, Iacobi et Abrahami in Taciti scriptis ab his a. 1721 editis.

Parisiis codices Taciti duo sunt, unus in charta scriptus sub finem seculi XV, quem a se donatum intulit *regiae bibliothecae Carolus du Fresne*, *Dominus du Cange* anno MDCLXXXII, ut notatum in principio, adhibitus a Broterio et Dottevillio. Alter membraneus, in bibliotheca *Congregationis* sive *Institutionis Oratorii Iesu*, ad Broterii notitiam sero allatus, consultus autem a I. H. Dotteville in editione III. Paris. 1792. 8. Ex hoc Iacobus Corbinelli, ut suspicatur Broterius, lectiones suas enotavit.

Commemorandi porro sunt *codices Agricolae et Budensis.* Prior recentis aevi multumque interpolatus nomen habet a possessore Rudolpho Agricola, in notitiam hominum litteratorum venit per Lipsii commentarium, cui lectiones inde notatas Modius miserat, mox amplius inspectus a Nicolao Heinsio, Theodoro Ryckio, Iacobo Gronovio. *Budensis* membraneus et *ἀνεπίγραφος*, quem Matthias Corvinus, rex Hungariae Bohemiaeque, Florentiae descriptum (non ex M^a^, sed ex alio ad legendum facili) Budam *(Ofen)* in bibliothecam regiam ferendam curavit, unde Budensis vel Corvinianus, etiam Regius nominatur. Dein rex Vladislaus II Iacobo Spiegelio, Maximiliano I imperatori a consiliis, isque Rhenano a. 1518 hunc codicem donavit. Hinc propioribus temporibus ad Doersnerum iure hereditario pervenit, rei tormentariae per Galliam praefectum, qui eius usum concessit Oberlino Argentoratensi.

Nimium huic libro Rhenanus qui primus eo usus est tribuit, nimium etiam Oberlinus.

Excellit in numero librorum interpolatorum codex *Guelferbytanus* sive *Gudianus* 118, membraneus, 142 foliis per quiniones iunctis, bene scriptus et conservatus. Huic in limine inscriptum legitur: EST P. CANDIDI. AB EODEM RECOGNITVS ET EMENDATVS. In calce est ab eadem manu: EMPTVS FERRARIE. MCCCCLXI. DIE LVNE XXVIII. SEPT. D. L. In primo folio: *Franciscus Media Barba Biragus Dono Dat Literatissimo D Marquardo Gudio Domino suo Colendissimo.* Ex prima inscriptione liquet correctiones ab altera manu illatas profectas esse a manu possessoris P. Candidi. Sed in eodem libro fere omnes loci correcti leguntur, qui in M^a corrupti sunt levi aberratione scribentis et tam manifesta, ut id vitiorum genus etiam mediocriter Latine doctus tollere possit. Hos enotare operae pretium videbatur, non quo ex eo libro locis emendatis auctoritas antiquitatis conciliaretur, sed ut planum fieret, quam temere Francisco Puteolano ingens numerus correctionum tribuatur, quae ab antiquioribus Italiae criticis inventae sunt. Quo in negotio cum neque Ernestii nec Waltheri cura huic libro dicata sufficeret, intercedente Schoenemanno, viro et doctissimo et humanissimo, hunc codicem inspiciendum accepi. Consului igitur, ubicumque aliquid vitii in M^a admissum deprehendi, exceptis tamen vulgaribus aberrantis calami peccatis, quae vel a pueris corrigantur. Proprias autem eius codicis aberrationes et vitia, quae sunt plurima, haud notavi, chartis parcendo et inutili opera vitata, cum curiosi et laboriosi pleraque (non omnia) ex Waltheri editione cognoscere possint, sapientes eo doctrinae apparatu libenter careant.

Neque silentio praetereundi sunt duo codices, *Farnesianus* membraneus, Musei Borbonici Neapolitani (ibidem duo chartacei Taciti codices Annalium posteriorum et Historiarum asservantur), et *Vindobonensis*, vel Sambuci olim possessoris, membraneus, qui praeter Annalium libros posteriores et Historias simul Germaniam et Dialogum continent, unde patet, eos demum post

annum 1460, quo illi libelli ex Germania in Italiam delati sunt, scribi coeptos et in maioribus operibus auctoritate destitutos esse. Praeterea in commentariis Criticorum nonnulli codices aut semel aut aliquoties commemorantur, veluti a Lipsio codex Hispanus vel Covarruviae, h. e. Didaci Antonii Covarruviae Leivae ICti. Lipsius sua excerpta acceperat ab Andrea Scotto. De libris manuscriptis et editis minorum Taciti operum in praefatione quarti tomi seorsum dicetur.

Iam vera Taciti restituendi et emendandi ratio, quantum 32
ad Annales et Historias attinet, ex his sponte consequitur. Scilicet uni locupletes integrae scripturae testes codices Medicei habendi sunt, ceteri in consilium ita vocandi, ut utimur coniecturis proprio iudicio repertis, quae quanto magis accedunt ad antiqua vestigia modice obscurata, aut quo facilius horum deformatio ex illis potest explicari, eo plus fidei assequuntur. In quo negotio non solum praesens facies et habitus Mediceorum spectandus est, sed etiam animo informandus est contextus verborum, qui fuit in illis unde ipsi descenderunt. Hi scripti erant litteris antiquis *(uncialibus)*, ut clarum est cum ex aliis indiciis, tum frequente commutatione litterarum *e* et *f*, *c* et *g*, *p* et *r*, *b* et *r*: quippe scribis recentioribus pronum erat E accipere pro F, et vice versa, C pro G, P pro R, B pro R. Singulae voces parvo intervallo et aliquoties nullo collocatae erant: quo factum ut in vocabulis seiungendis a describentibus saepe multumque peccaretur, litterarum ordo turbaretur, necessariae omitterentur, aliae super numerum adderentur. Iidem frequentibus scribendi compendiis exarati erant, quae cum in novis exemplaribus modo negligerentur modo adesse viderentur ubi nullus eis locus erat, nova vitiorum seges effloruit. In margine vel super versus ascriptae aliquando erant singulae voces (glossae) et breves admonitiones, quae a proximis scribis in contextum narrationis ac saepe loco non apto ascitae sunt. Hoc vitiorum genere prior Mediceus perraro, alter saepius inquinatus est. Qua de re qui dubitabunt (dubitare autem multos video), hi antequam iniquius de hoc

medendi genere iudicent, diligenter considerare velint exempla in Annalibus XI 33 *in urbem [refertur] vehitur*, XII 67 *delectabili cibo [boleto]*, XV 49 *Plautiusque Lateranus [consul designatus]*, XVI 2 ubi uno capite tres glossae comparent, in Historiis III 20 *vineis [machinamenti genus ad expugnandos muros, in modum turrium factum]*, ut iudicio in locis manifestis subacto accedant ad alios, quibus eandem medicinam a me adhibitam invenient. Eae tamen corruptiones per neglegentiam et imprudentiam eorum qui glossas cum ipso verborum contextu commiscuere, invectae sunt: qui dedita opera interpolare Taciti verba tentaverit, eius per libros Mediceos certa vestigia nulla comparent: quae norma si rite observatur, et Tacitus pluribus locis in pristinam integritatem restitui et vera castigandi ratio a temeraria dignosci poterit. In quo negotio eo magis animum attendi, quod ipse iustos terminos ea in re olim egressus sum.

Orthographiae inconstantia non parva per libros Mediceos dominatur; quae ubi ipsi auctori non absurde tribui posse videbatur, non vitandam esse putavi, veluti in vocibus *aspectus* et *adspectus*, *coniux* et *coniunx*, *urgere* et *urguere*, *prehendi* et *prendi*, *obedire* et *oboedire*, *promiscus* et *promiscuus*, *benivolentia* et *benevolentia*, *valitudine* et *valetudine*. In his ne nos quidem qui talia diligentius quam veteres attendimus, satis nobis constamus, nedum auctores antiqui, a quibus gravia diligenter, levia et exigua sine cura observabantur. Providi tamen ne in proxima vicinia huiusmodi discrepantiae tolerarentur, sed tunc formam discedentem ceteris accommodavi.

Praepositiones in vocabulis compositis alias *cum ratione* non mutatas servavi, alias assimilavi secutus *consuetudinem*, prout Mediceos, praecipue priorem et antiquiorem, ad alterutrum vergere vidi. Ad eam normam praepositionem *ad* plerumque tenui, exceptis tamen *appellare*, *accurrere, accusare, accipere* et similibus, consentientibus plerumque libris Mediceis, aliquando etiam in alia abeuntibus. Consuetudini obsecutus sum, cum *in* ante litteras *m* et *p* assimilavi, ut *impe-*

rare, *impellere*, *imputare*, *immittere*, *immensus*, dum testes mei modo hoc modo illud exhibent: servavi tamen *in* ante *pl* et *pr*, ut *inplicare*, *inprimere*, *inprospera*, excepto *implere*, sic constanter scripto in M, et nonnullis in locis *imprudens*, eodem teste confisus, dum in aliis *inprudens* cum Mª expressi. Dedi etiam *obtinere*, quamquam alter Mediceus, non prior, plerumque *optinere* commendat: nam a praepositione *ob* ante *t* immutanda uterque liber in aliis vocibus plerumque abstinet, velut in *obtegere*, *obtendere*, *obtentui*, *obterere*, *obtestari*, *obtrectare*, *obturbare*, *obtusior*, et in universum libri illi antiqui magis ad rationem quam ad consuetudinem inclinant. Eosdem in locis plurimis auctores sectatus *in* ante liquidas *l* et *r* non mutatum tenui, ut in *inritus*, *inridere*, *inlustris*, *inligare*. Eorundem consensu modo non ubique constante *s* in vocabulis compositis post praepositum *x* delevi, veluti *exul*, *exilium*, *existere*, *extare*, *exolvere expectare*, cetera, tum scripsi *temptare*, *temptatio*, *litus*, non *littus*, *contionem*, non *concionem*, *intellegere*, non *intelligere*, *conditionem* (hoc praecipue ex M), non *condicionem*, item *adicere*, non *adiicere*, *conicere* et quae sunt eiusdem generis alia, *mille*, non *mile*, contra *milia*, non *millia*, *sollemnis*, non *solennis*, *sollertiam*, non *solertiam*.

In quibus alter Mediceus dissentit a priore, huius auctoritas pro maiore habenda est. Itaque *epistulam* ad fidem M (ei aliquoties etiam Mª consentit) suppeditavi, non *epistolam*, item *vulgum*, non *volgum*, *vulnus*, non *volnus*, *aevum*, non *aevom*, *servum*, non *servom*, *divum* non *divom*. In his enim M semper *u* probat, Mª inter *u* et *o* fluctuat.

Praenomina quod plenis litteris scripsi, non siglis usus sum, ut codices illi plerumque fecerunt, non modo spectavi commodum legentium, sed etiam aliquid rationis secutus sum. Tacitus enim, ubi uno nomine contentus esse aut noluit aut recte non potuit, ex tribus Romanorum nominibus cum duo delegerit, modo praenomen et nomen, ut *Marcus Lollius*, modo nomen et cognomen, ut *Pomponius Secundus*, modo praenomen et cognomen, ut *Lucius Libo*, idque in variis hominibus simul nominatis promiscue fecerit, colligitur ei

praenomina non minus valuisse quam nomina et cognomenta, ideoque omnibus litteris non minus quam illa exprimenda esse, id quod aliquoties in ipsis illis libris factum reperitur. Atque hoc ita fuisse iidem auctores eo significant, quod persaepe *Gai* nomen et *Gnaei* non per compendia *C.* et *Cn.*, ut debuerunt, sed contra consuetudinem *G.* et *Gn.* rettulerunt [1]. Scilicet scribae laboris compendium quaerentes primam litteram praenominis plene scripti imperite retinebant.

In genitivis nominum in *ius* et *ium* desinentibus formam *ii*, quam Medicei longe saepius quam contractam praebent, praecedente consonante praetuli ubique, verbi causa *Servii, Lucii, obsidii, exitii, nuntii, egregii,* sed contractam *i* expressi, ubi vocalis praecessit, veluti *Gai*, non *Gaii*, *Pompei*, non *Pompeïi*, item *Antei, Vultei* alia: nam tres vocales tribus syllabis iuxta positae moleste efferuntur, et codices Medicei in his simplicem vocalem *i* tuentur. Haec de orthographia universim monita sufficient: de aliis et gravioribus in Commentario dictum est.

33 Libri Medicei cum gravius affecti sunt et vera scriptura male obscurata est, interpolati codices perraro sani quid offerunt. Itaque in his locis, qui sunt permulti, aut a coniecturis editorum et virorum doctorum auxilium petivi, aut si vera correctio nondum erat inventa, ipse novam medicinam afferre conatus sum. Quoties asciti remedii ratio et causa non sponte patebat, clare exposui cur in tradita per codices scriptura acquiescere non potuerim. Eo autem curae non processi, ut cum recepi alienas coniecturas, adderem utrum auctor eas in contextum verborum adoptaverit an nonnisi in annotatione posuerit. Etiam primum alicuius inventi repertorem

1. Conf. Quintilianus I 7 28: *Quid? quae scribuntur aliter atque enuntiantur? Nam et Gaius C littera notatur, quae inversa mulierem declarat* (Ɔ = Gaia). — — *Nec Gnaeus eam litteram in praenominis nota accipit qua sonat* (h. e. non *Gn.*, sed *Cn.*). Causa rei nondum exposita est. Equidem hanc fuisse puto, quod antiquo tempore, cum *G* nondum esset, sed unum *C* modo *G* modo tenuem sonum (*c*) exhiberet, praenomina pervulgata *Gaius* et *Gnaeus C* et *Cn.* in notis scripta erant, et mos receptus adeo invaluerat, ut mox mutari non posset.

nominare, subscriptores omittere satius duxi, eo magis quod ipse dotes illas non nisi diligente examine exploratas admisi.

Aliud propria eget excusatione. Scilicet nonnullis in locis describentium peccato toti versus vel aliquot voces interciderunt, quas iuste denotare pars est medelae, quatenus cetera illustrantur et facilius intelliguntur. In eiusmodi locis aliquoties interposita una vel altera voce, quamvis dubitationi non exempta, ita iuvari verborum intellectum alioqui obscurum et legentibus difficilem animadverti, ut voci quam elapsam esse coniiciebam, litteris inclinatis inter cetera locum concedere non dubitaverim. Id tamen raro et nunquam sine iusta admonitione factum est.

Restat ut editiones potiores, dein opuscula et disserta- **34**
tiones virorum doctorum, qui Taciti scripta emendare et explicare aggressi sunt, enumerentur[1].

1470. *Editio princeps sive Spirensis*, sine titulo, sine loci temporisque nota, forma maxima, quam anno 1470 Venetiis per *Vendelinum de Spira* evulgatam esse colligitur ex versibus in fine adiectis:

Finis Deo laus

Caesareos mores scribit Cornelius. esto
Iste tibi codex: historiae pater est.
Insigni quem laude feret gens postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suae.

Nimirum Joannes de Spira, frater Vendelini, arte sua primum Ciceronis epistolas ad diversos et Plinii Naturalem historiam excudendam curaverat, quae opera memorantur in privilegio Joanni concesso a Senatu Veneto die 18 Sept. a. 1469 (v. Panzeri *Annales typogr.* t. III p. 62), cui aut eodem anno aut sub principium proxime sequentis mortuo successit Vendelinus, qui Tacitum primum artis suae specimen praebuit. Deest prior pars Annalium et vita Agricolae.

1. Conf. *Allgemeines bibliographisches Lexicon.* Von Fr. Adolf Ebert. T. II p. 872 sqq. Brunet: *Manuel du Libraire.* T. IV p. 384 sqq. ed. quart. Parisiis 1843.

Editor in legendis veterum librorum notis parum versatus neque doctrina exercitus multa et foeda lectionis monstra admisit, nec facile ullus ex antiquis auctoribus tam tetra facie luci redditus est.

Post annum 1476. *Editio Francisci Puteolani Mediolanensis*, forma maxima, sine anni locique indicio, sed emissa post annum 1476, quo eiusdem cura perhibentur evulgati esse [1] *Plinii Secundi et aliorum Panegyrici. Acced. Agricolae vita per Cornelium Tacitum, et Petronii Arbitri satyrici fragmentum*: nam Agricolam a se in lucem protractum non additurus erat Panegyricis, si eundem iam per editionem Taciti operum cum aequalibus suis communicasset [2]. Annalium quantum tunc cognitum erat et Historiae inscribuntur ante singulos libros: *Cornelii Taciti Historiae Augustae li.* XI. *Actionum diurnalium.* Et sic [3] usque ad librum XXI, nisi quod libro XIV et XV hunc verborum ordinem praebet: *Cornelii Taciti Actionum diurnalium historiae Augustae liber* cet. Historiarum libri primus et secundus in unum confusi sunt, quibus absolutis monet Puteolanus: *Septimusdecimus et octavusdecimus confusi simul expliciunt.* Etiam Guelferbytanus eos libros in unum iunxit eoque non XXI Taciti libros sed XX numerat. Sequitur: *Cornelii Taciti illustrissimi Historici de situ moribus et populis Germaniae libellus aureus. — Cornelii Taciti aequitis Romani dialogus an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant. — Iulii Agricolae vita per Cornelium Tacitum eius generum castissime composita.*

Haec repetita est non sine vitiis a. 1497 Venetiis, forma maxima, in qua sub finem notatur: *Cornelii Taciti historiae augustae: nec non de situ moribus et populis germaniae libellus: ac de oratoribus dialogus foeliciter explciũt. Venetiis*

1. Id proditum est in notatione typis expressa exemplaris Panegyricorum quod possedit comes de Reviczky; v. Catal. biblioth. comit. de Reviczky p. 108. Sed ea notatio cum non compareat in exemplari Vindobonensi et Parisino, in illo Reviczkiano videtur serius appicta esse, iure necne incertum.

2. Accedunt alia quaedam argumenta a Wexio in Prolegomenis ad Agricolam exposita p. 2.

3. In Historiis pro *Actionum* ponit *Actorum*.

fideliter impressi ac diligenter emendati per Philippum pinci sumptibus nobilis viri domini Benedicti fontana. Anno domini MCCCCXCVII. die. XXII. Marcii. Ego non hanc sed antiquiorem Puteolani editionem inspexi.

Puteolanus in emendandis plurimis editionis Spirensis mendis adiutus est codice qui simillimus fuit Guelferbytano: ipsum Guelferbytanum adhibitum ab eo esse non credo vel propter inscriptionis diversitatem, quae in G semper habet *Actorum*, nunquam *Actionum.* In nonnullis proprio iudicio, assumpto laboris socio Berardino Lanterio, Puteolanus Tacitum emendare ausus est. Ipse de Spirensi, ubi salutem dicit Iacobo Antiquario ducali Secretario, in principio operis haec profert: *Veneti impressores adeo inculcauerant ac foedauerant hoc diuinum opus ut non modo Cornelianae facundiae maiestas inquinaretur; sed uix sensus ullus coniectari posset: Quid ego effecerim iudicent docti sed collatis exemplaribus* (dicit Spirense et suum).

1512. *Cornelii Taciti historici gravissimi disertissimique fragmenta accurate recognita ac nova censura castigata. Ioannes Rivius recensuit.* In fine: *Impressum Venetiis per Ioann. Rubeum Vercellensem* 1512. Forma maxima. In plerisque omnibus pendet a Puteolano.

1515. *P. Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi atque cum reliquis eius operibus editi* (a Beroaldo). Forma max. Post finem Dialogi et antequam sequitur Agricolae vita (ea novo foliorum ordine addita est) legitur: *P. Cornelii Taciti Equitis Ro. Historiarum libri quinque nuper in Germania inuenti ac cum reliquis omnibus eius operibus quae prius inueniebantur Romae impressi per Magistrum Stephanum Guillereti de Lothoringia Tulleñ. dioc.* (Tullenensis dioecesis) *Anno.* M.D.XV. Kl. (kalendis) *Martii, Leonis .X. Pont. Max. anno secundo* [1]. In eiusdem paginae parte aversa: *Nomine Leonis .X. Pont. Max. proposita sunt premia non mediocria his qui ad eum libros veteres neq; hactenus editos attulerint.*

1. Leo ad pontificatum accessit V. idus Martii a. 1513. Cum haec editio absoluta est, pauci dies biennio deerant.

In primo folio post titulum monitum est: *Ne quis intra decennium presens opus possit alicubi impune imprimere aut impressum vendere grauissimis edictis cautum est.* His edictis non obsecuti sunt eius aetatis homines.

Beroaldus in prioribus Annalium libris tunc primum ex codice expressis egregia cura versatus multa describentis vitia dextre sustulit, in ceteris Puteolanum fere secutus est. Edendi rationem suam brevi admonitione *ad lectorem*, postquam Leoni X salutem dixit, sic descripsit: *quoniam vetus codex, unde hunc ipsum describendum atque inuulgandum curaui, pluribus mendis scatet, aequum videtur lectorem in primo quasi operis limine consilii mei, quo in hoc toto negotio sum usus, admonere. Namque errores qui poterant nulla temeritatis nota emendari, consultis primo nonnullis eruditis et acris iudicii viris correxi. At quae loca in se maiorem in corrigendo difficultatem habere videbantur, sicut erant reliqui, appositis interiori margini stellulis quae vitiosum codicem testarentur.* Post librum quintum, qui sextus verius numeratur, de nonnullis locis altius attentatis sententiam suam et coniecturam proposuit, tum errores typographicos corrigere et per eam occasionem iterum aliquot locos emendare pergit, quae notationes a proximis editoribus, nominatim a Rhenano, neglectae et nonnulla rursus tentata sunt quae Beroaldus iam correxerat. Ubi Beroaldus manifestas scribentis aberrationes removit, eius nomen haud memoravi, in ceteris diligentius et plenius quam adhuc factum est merita eius recensui.

1517—1519. *P. Cornelii Taciti libri quinque nouiter inuenti atque cum reliquis eius operibus editi. Mediolani ex officina Minutiana* 1517. 4. Additae sunt Alciati annotationes.

Repetita est Basileae a. 1519, forma maxima hoc titulo: *P. Cornelii Taciti Eq. Ro. Historia Augusta actionum diurnalium: additis quinque libris nouiter inuentis. Andreae Alciati Mediolanensis in eundem annotationes. De situ, moribus et populis Germaniae libellus: eodem Cor. Tacito autore. Eiusdem dialogus: an sui seculi oratores antiquioribus et quare concedant. Cn. Iulii Agricolae uita, per eundem.*

Germaniae praepositum p. 331 legitur *P. Cornelii Taciti Eq. Ro. de situ, moribus et populis Germaniae libellus, a prodigiosis mendis repurgatus per Beatum Rhenanum, beneficio codicis uetustioris* (est antiqua editio Norimbergensis). In fine libri ascriptum: *Basileae apud Ioannem Frobenium mense Augusto, anno,* M.D.XIX. Hanc ego dixi ubi locutus sum de editione Alciatina.

1533. *P. Cornelii Taciti Equitis Romani Annalium ab excessu Augusti sicut ipse uocat, siue Historiae Augustae, qui uulgo receptus titulus est, libri sedecim qui supersunt, partim haud oscitanter perlecti, partim nempe posteriores ad exemplar manuscriptum recogniti magna fide nec minore iudicio per Beatum Rhenanum. Nihil hic fingi docebunt castigationes suis quaeque libris additae. Libellus de Germanorum populis, Dialogus de oratoribus, denique Vita Iulii Agricolae, non solum emaculatius prodeunt, sed et explicatius adiunctis in hanc rem scholiis. Super haec omnia accesserunt in initio operis Thesaurus constructionum locutionumque et uocum Tacito solennium citatis etiam ex Liuio plerunque testimoniis, ac in calce rerum memorabilium index copiosissimus. Nec desunt aliorum in hunc autorem ante aeditae annotationes praefationesque siue Beroaldi seu Alciati. Basileae in officina Frobeniana Anno* M D XXXIII. Forma maxima est.

Haec editio repetita est ibidem non sine aliquot vitiis a. 1544.

Rhenanus leviora menda haud pauca tacite emendavit, gravius deformata in Castigationibus suis aliquoties bono cum successu, saepius infeliciter aggressus est. Priora videtur correxisse, cum plagulas ex prelo allatas diligenter perlegeret et vitiosa removeret; cuius rei lectorem plerumque admonui. Codici Budensi nimium tribuit Rhenanus.

1574. Post Rhenanum (nam editionem Aldinam Venetiis emissam a. 1534 8 et Gryphianam Lugduni a. 1543 8 verbo memorasse satis erit) nemo felicius Tacitum etiam tum multis in locis corruptum tractavit quam Iustus Lipsius. Qui intima familiaritate cum auctore suo contracta plurimos locos purgavit

a sordibus et multa quae ante erant obscura reclusis doctrinae suae thesauris luce collustravit: hanc enim provinciam et Rhenanus et ceteri editores reliquerant fere integram. Sed insignis viri merita dum iure suspicimus, cavendum est, ne temere in errores plurimos ab ipso non vitatos incidamus, id quod successores saepe parum providerunt. Lipsius per vitae suae decursum plures Taciti editiones adornavit, in iis primam Antverpiae ex officina Christophori Plantini a. 1574 8 emissam et sic inscriptam: *P. Cornelii Taciti Historiarum et Annalium libri, qui exstant, Iusti Lipsii studio emendati et illustrati: Ad. Imp. Maximilianum II. Aug. P. F. Eiusdem Taciti liber de moribus Germanorum. Iulii Agricolae vita. Incerti scriptoris dialogus de oratoribus sui temporis. Ad C. V. Ioannem Sambucum.* Sequuntur: *Notae, quibus lectionum varietas et emendationum ratio explicatur.* Cum Taciti scripta tertium ibidem recensuit, a. 1585 in praefatione ad lectorem de subsidiis suis haec rettulit: 'En tibi, lector, tertiam editionem Taciti nostri, et nisi fallor, postremam. In qua ut fidei et industriae nostrae ratio tibi constet, pauca praemonebo. Scriptorem hunc correximus ab ingenio interdum, plerumque a libris. Libri quibus usi sumus, isti. Vaticana exemplaria duo, e quibus alterum sane vetus et bonum, ex bibliotheca magis arcana mihi depromptum. Farnesianus codex, quem suppeditavit nobis humanissimus Fulvius Ursinus. Ea olim Romae ipsi vidimus et cum iudicio, ut captus quidem noster fuit, legimus, contulimus; certe cum fide. Codex item Venetus editionis antiquae. Atque haec mihi adiumenta in prima editione. Accessere nunc alia ab amicis. Manuscriptum exemplar meo nomine et gratia in Hispaniis Toleti legit et cum vulgatis composuit Andreas Schottus, optimus doctissimusque vir, qui excerpta ad me misit et notas. Id exemplar est in bibliotheca viri illustris Antonii Covarruviae Leiva, cuius insigni doctrinae et disertae in scribendo elegantiae verum et sine fraude testimonium reddo. Id exemplar in citando alias Hispanum alias Covarruviae nomino, minus tamen saepe auxilio eius usus, quia et

tarde ad me venit plerisque istis iam perfectis, et, ut rem dicam, non optimae notae. Aliud item mihi auxilium a politissimo et doctissimo Francisco Modio, qui dum in Germania agit apud insignem litteratorum patronum, Erasmum Neustetterum, cognomento Sturmerum, virum genere et doctrina inter primos, nactus exemplar quoddam est manu Rodolphi Agricolae adnotatum, quod usui nobis fuit, ut videbis. Multa enim eruditus ille vir observarat et ad margines libri sui rettulerat, sed ita ut iure ambigas, prompta ea e vetustioribus libris sint an ab ipso. Multa enim agnosco audacius et licentius inventa et longius a verbis aberrantia, quae videantur mihi a subtilis ingenii fonte; quaedam etiam eiusmodi, quae, etsi non a libris, commendent se tamen lectori audacia quadam verecunda. Sed idem ille noster Modius etiam Romanam editionem veterem comparavit cum vulgata, eaque multis locis vera aut dux nobis ad veritatem. Denique idem etiam codicem manuscriptum Bamberga allatum, quem amplissimus Neustetterus emit, sed qui nihil praeter Germaniam Taciti haberet, e quo ipso non optimo tamen locos aliquot correxisse videmur non laeve.'

1607. Postremum Lipsius Tacito manum admovit a. 1604 inspectis Pichenae notis egregie adiutus, eaque editio post mortem eius (obiit Lovanii die 23 Martii a. 1606) prodiit Antverpiae a. 1607 et saepe deinde repetita est.

1607. *C. Cornelii Taciti opera quae extant. Iuxta veterrimos Manuscriptos emendata, Notisque auctioribus illustrata, per Curtium Pichenam sereniss. Magni ducis Etruriae a secretis. Adiectus Index nominum, verborum, ac sententiarum locupletissimus, et exactissimus. Francofurti apud Claudium Marnium, et heredes Ioannis Aubrii.* MDCVII. II voll. 4.

Notas Pichena ante seorsum editas Florentiae, tum Hannoverae a. 1604 8 et hinc Lipsio cognitas, auctiores editioni suae adiunxit. Eius opera prior Mediceus iterum, sed non satis diligenter, alter primum inspectus est et ad emendandum Tacitum adhibitus. Pichena sano iudicio eximius est, a doctrinae copiis et peritia minus instructus.

Subsequuntur duae Taciti editiones, in quibus iunctae sunt omnes quotquot conquiri poterant annotationes, quarum altera Iani Gruteri cura prodiit, et capitum divisionem iam vulgo receptam primum exhibuit, altera Parisiis ex typographia Petri Chevalier.

1607. *Corn. Taciti opera quae extant, ex recognitione Iani Gruteri. Accedunt seorsim ad eundem castigationes, observationes, notae virorum doctissimorum.* Francof. 1607. 8.

1608. *C. Cornelii Taciti et C. Velleii Paterculi scripta quae extant, recognita, emaculata, additique commentarii copiosissimi et notae non antea editae.* Parisiis M.DC.VIII. III tomi forma maxima.

Post verborum contextum cum Commentario Lipsii, tomo primo et parte priore secundi expressum, pagina 173 et sequentibus exhibentur: Lipsii ad Tacitum excursus; Iusti Lipsii in C. Corn. Tacitum notae cum manuscripto cod. Mirandulano collatae a Pompeio Lampugnano; Lipsii dispunctio notarum Mirandulani codicis [1] ad Cornelium Tacitum; Andreae Alciati annotationes in Tacitum; Ph. Beroaldi annotatiunculae; Beati Rhenani castigationes in Corn. Tacitum; Aemilii Ferretti I. C. in Corn. Tacitum annotatiunculae; in Corn. Tacitum Vincentii Lupani annotationes; M. Vertranii Mauri I. C. notae ad Taciti opera; Fulvii Ursini notae ad Tacitum; Marcelli Donati in Corn. Tacitum dilucidationes; M. Antonii Mureti in libros Annalium commentarius; Francisci Modii Novantiquae lectiones ad Tacitum (epistola quintadecima ad Ianum Lernutium, nonagesima nona ad Iustum Lipsium; conf. cap. 35 sub nomine *Modii*); Iosiae Merceri ad Corn. Tacitum aliquot notae; Curtii Pichenae ad Corn. Taciti opera notae; Christophori Coleri ad C. Corn. Taciti scripta spicilegium; Iosiae Merceri ad Corn. Tacitum auctiores notae; Iani Gruteri schediasmata ad Tacitum; Notae Valentis Acidalii in C. Corn. Tacitum; gnomae seu axiomata politica e Taciti Annalibus excerpta, auctore Car. Paschalio Cuneate.

1. Eum codicem impudenter confictum esse ostendit Lipsius.

1638. 1664. *Corn. Tacitus, accurante Berneggero.* Argentorati 1638. Recusa ibidem 1664. 8. Additae sunt annotationes Ioannis Freinshemii, cui socer Bernegger; index confectus a Melchiore Freinshemio.

1640. *Corn. Taciti opera, ex Iusti Lipsii editione cum notis et emendationibus Hugonis Grotii.* L. B., ex officina Elzevir. 1640. II voll. 12.

1643. *C. Cornelius Tacitus et in eum M. Z. Boxhornii observationes.* Amstelodami 1643. 12. Edit. nov. aucta ibid. 1653.

1672. *C. Cornelii Taciti opera quae exstant, integris I. Lipsii, Rhenani, Ursini, Mureti, Pichenae, Merceri, Gruteri, Acidalii, Grotii, Freinshemii, et selectis aliorum commentariis illustrata. I. Fr. Gronovius recensuit et suas notas passim adiecit. Accedunt Iacobi Gronovii excerpta ex variis lectionibus MS. Oxoniensis.* Amstelodami apud Danielem Elsevirium 1672. II voll. 8. Editionem Ioannis Friderici morte interruptam absolverunt filii Iacobus et Laurentius Theodoricus. Repetita est Amstelod. 1685. Gronovius aliquot Taciti locos egregie aut emendavit aut explicando illustravit, sed eius cura in paucis et delectis substitit.

1687. *C. Cornelii Taciti opera quae exstant ex recensione et cum animadversionibus Theodori Ryckii.* Lugd. Bat. 1687 et 1688. II vol. 12. Ryckius excerpta ex duobus libris Mediceis a Iac. Gronovio accepta, codicem Agricolae quem ipse possidebat, et scripturae discrepantias e libro Parisino adhibuit. Gronovii excerpta neque plene neque accurate consuluit, aegre id ferente Iacobo Gronovio. Doctrina magis quam iudicio valebat.

1721. *C. Cornelii Taciti opera quae exstant, integris Beati Rhenani, Fulvii Ursini, M. Antonii Mureti, Iosiae Merceri, Iusti Lipsii, Valentis Acidalii, Curtii Pichenae, Iani Gruteri, Hugonis Grotii, Ioannis Freinshemii, Io. Fred. Gronovii, et selectis aliorum commentariis illustrata. Ex recensione et cum notis Iacobi Gronovii. Traiecti Batavorum* CIƆ. IƆ. CCXXI. II voll. 4. Excerpta sua ex libris M et M[a]

a Ryckio saepe incuriose habita diligentius exhibuit, nonnulla ingeniose correxit, plura perperam tentavit.

1752. *C. Cornelii Taciti Opera, notas integras Iust. Lipsii, I. Fr. Gronovii, Nic. Heinsii et suas addidit I. A. Ernestius.* Lipsiae 1752, iterum 1772. II voll. 8. Ernestii editionem novis curis auctam adornavit *Ier. Iacobus Oberlinus* Argentoratensis[1] Lipsiae 1801, *Immanuel Bekkerus* ibidem 1831, instructus collatione librorum M et Ma a Furia facta.

1771. *C. Cornelii Taciti opera recognovit, emendavit, supplementis explevit, notis, dissertationibus, tabulis geographicis illustravit Gabriel Brotier.* Parisiis 1771. IV voll. 4. Broterius variantes scripturas ex codicibus Vaticanis, Oxoniensibus, Parisinis attulit, sed nullius codicis copias plene accurateque suppeditavit. Repetita est et aucta Parisiis a. 1776. VII. 12.

Neque defuerunt qui post Broterium et Ernestium Tacitum edere susciperent, veluti editores Bipontini (a. 1779—80 et 1792), *Kiesslingius* qui Annales a. 1829, Historias a. 1840 notis instructas Lipsiae evulgavit. Multum operae Tacito impenderunt praeterea Waltherus et Rupertius.

1831—1833. Waltheri cura sic inscripta prodiit: *C. Cornelii Taciti Opera. Recensuit et commentarios suos adiecit Georg. Henricus Walther. Halis Saxonum.* IV. 8. Quartum volumen post mortem editoris ex eius chartis adornavit Eckstein. Diligentiae laudem Waltherus meruit, praecipue in excutiendis impressis exemplaribus; iudicium et veram doctrinam periti saepe desiderant; provocantem continuo ad silentium Victorii elegantes aegre tolerant.

1832—1839. *C. Cornelii Taciti opera. Ad optimorum librorum fidem recognovit et perpetua annotatione triplicique indice instruxit Georgius Alexander Ruperti.* Hannoverae. IV 8. Sedulo quidquid scripta Taciti legentibus conducere posse opinabatur, Rupertius congessit et speciosam farraginem ex variis libris collectam et parum concinne adornatam in quat-

1. Ante Oberlinum ad hanc curam se accinxerat Fr. A. Wolfius et toleraverat usque ad II 24.

tuor tomos, ex quibus quartus primum emissus, tertius a filio post patris mortem editus est, mire disposuit. Ipse Taciti opera brevi annotatione instructa Bonnae edidi a. 1834 et 1836, sub idem tempus Nic. Bachius Lipsiae duobus tomis scholarum in usum evulgavit, Waltherum auctorem in plerisque secutus.

Annales Taciti Ludovicus Doederlein edidit Halis a. 1841, cetera a. 1846. Titulum fecit *C. Cornelii Taciti opera. Emendavit et commentariis instruxit L. Doederlein.* Est quinta pars bibliothecae scriptorum Latinorum consilio God. Bernhardy institutae. Nuper Duebner Parisiis uno volumine Taciti libros complexus est a. 1845, Orellius duobus. Orellii editio hanc inscriptionem praefert: *C. Cornelii Taciti opera quae supersunt. Ad fidem codicum Mediceorum ab Georgio Baitero denuo excussorum ceterorumque optimorum librorum recensuit atque interpretatus est Io. Caspar Orellius.* Volumen I. Turici, M.DCCC.XLVI. 8. Alterum volumen propediem prodibit. De hac sententiam dixi in Diurnis Ienensibus a. 1847 in schedis mense Maio publicatis.

Opuscula et commentationes doctorum virorum de Tacito 35
conscripta haec recensere operae pretium mihi visum est. Omissis iis quae in hoc prooemio iam memorata sunt, sequar ordinem litterarum.

Valentis Acidalii et M. Antonii Mureti notae in Corn. Taciti opera quae extant. Hanoviae 1607. 8. Post mortem Valentis eius notae editae sunt opera fratris Christiani.

U. Just. H. Becker, Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania. C. I—XVIII. 8. Hannover 1830.

G. Bezzenberger, Observationes Tacitinae. Progr. Dresdae 1840. 8.

—— Emendationum delectus. Dresdae 1844. 4.

Guil. Boetticher, Lexicon Taciteum, sive de stilo C. C. Taciti, praemissis de Taciti vita, scriptis ac scribendi genere prolegomenis. Berolini 1830. 8.

Christophori Coleri ad Corn. Taciti scripta Spicilegium. Hanoviae 1603. 8.

J. Chr. G. Dahl, Animadv. crit. in Taciti Agricolam. Rostoch. 1802. 4.

Marcelli Donati scholia sive dilucidationes in Latinos plerosque historiae Romanae scriptores. Venetiis 1604. 4.

E. F. Dronke, Annotatio critica in C. Corn. Taciti Agricolam et Glossae Fuldenses. Progr. Fuldae 1842. 4.

G. W. v. Düring, Wo schlug Hermann den Varus? Ein strateg. Versuch über die Feldzüge der Römer im nordwestl. Deutschland. Quedlinburg 1825. 8.

H. C. A. Eichstädt, De locis quibusdam Taciti Agric. progr. indic. scholar. Jenens. a. 1830. Jenae. 4.

—— Ueber das Exordium des Agricola von Tacitus, im Proömium der Sommervorles. 1830 auf der Univ. Jena. fol.

—— Quaest. philol. spec. VI. Inest disput. de dialogo, qui inscribitur de oratoribus. Jenae 1839. 4.

Aemilii Ferretti I. C. in Corn. Tacitum annotatiunculae. Lugd. 1541. 8. Conf. editio Parisina a. 1608 t. II p. 291 sqq.

C. B. A. Fickler, die Donauquellen u. das Abnobagebirge der Alten. Eine geogr. Untersuchung als Excurs zu Taciti German. cap. 1. Karlsruhe 1840. 8.

H. E. Foss, Quaestiones criticae de Taciti Agric. c. 6. Hist. I c. 30. Sophoclis Oed. Col. v. 553 sq., quibus interposita est disputatio historica de praetoribus Romanis, qui sub imperatoribus fuerunt. Einladungsschr. zur Feier des Jahrestages des Gymn. Altenburgae 1837. 8.

Joannis Freinshemii specimen paraphrasis in Cornelium Tacitum. Argentor. 1641. 8.

A. G. Gernhard, Epistola ad Virum Clar. Chrst. Gottl. Herzogium de Taciti Agric. cap. II. Progr. Gerae 1838. 4.

K. Halm, Beiträge zur Kritik und Erklärung der Annalen des Tacitus. Als Jahresprogr. mitgetheilt von K. H. Speyer 1846. 4.

Heinisch, Annotationes ad locos quosdam Taciti. Progr. Glatz 1840. 4.

—— Annotationes ad locos quosdam Taciti difficiliores. Progr. Ibid. 1843. 4.

Heinisch, Annotationes ad locos quosdam Taciti difficiliores. Progr. Ibid. 1846. 4.

J. Held, Observationes in difficiliores quosdam Corn. Taciti Annalium locos. Progr. Suidnicii 1837. 4.

—— Commentatio de Cn. Julii Agricolae vita quae vulgo Cornelio Tacito adsignatur. Ibid. 1845. 4.

C. Heraeus, Studia critica in Mediceos Taciti Codices. Ps. I. Cassel. 1846. 8.

Herzog, Observationum partic. XII in qua nova tentatur interpretatio loci qui est in Taciti vita Agric. c. 6. Ludos et inania honoris etc. Progr. Gerae 1840. 4.

—— Observation. partic. XIII qua continetur brevis contra Wexium disputatio de loco Taciti qui est Agric. c. 2. Progr. Ibid. 1841. 4.

Ph. C. Hess, Variae lectiones et observationes in Taciti Germaniam. Comment. I. II. III. Helmstad. 1827, 28, 34. 4.

K. Hoffmeister, Beiträge zur wissenschaftl. Kenntniss des Geistes der Alten. 1. Bdchn. — Etiam sub titulo: die Weltanschauung des Tacitus. Essen 1831. 4.

Hoegg, Ex T. Agricola Praefatio illustrata. Progr. Arnsberg. 1846. 4.

Fr. Jacob, Observationes ad Taciti annales criticae part. I. II. Progr. Lubecae 1837, 38. 4.

—— Observationes ad Taciti historias criticae part. I. Progr. Ibid. 1839. 4.

G. Kämmerer, De indole ac pretio codicum mss. Taciti Agricolae et editionum vett. ad Lipsium usque dissert. Vratislaviae 1842. 8.

Iusti Lipsi in C. Cornelium Tacitum notae cum manuscripto cod. Mirandulano collatae a Pompeio Lampugnano. Bergomi 1602. 8. Sub larva Lampugnani latere Marquardus Freher visus est aut Hippolytus a Collibus (a Colle).

Iusti Lipsii dispunctio notarum Mirandulani codicis ad Corn. Tacitum. Lovanii 1602. 8.

J. H. L. Meierotto, De fontibus, quos Tacitus in tradendis rebus ante se gestis videatur sequutus. Berolini 1795. Fol.

Iosiae Merceri ad Corn. Tacitum auctiores notae. Parisiis 1598. 8. Idem in Tacitum notas ante ediderat a. 1559.

Francisci Modii Novantiquae lectiones, opus criticum, in epistolas centum distributum. Francof. 1584. 8.

M. Antonii Mureti in Taciti Annales Commentarius. Eiusdem Notae in Tacitum. Muretus Tacito emendando et explicando ingenium et doctrinae copiam adhibere coepit a. 1580, quo notae eius in librum primum Annalium Romae editae sunt. Eius Commentarius tractat priores sex Annalium libros; ceterae notae partim in Variis Lectionibus propositae sunt, partim ab Acidalio ex Mureti exemplo descriptae et suis insertae. Vid. M. Antonii Mureti opera omnia, cum brevi annotatione Davidis Ruhnkenii, tom. IV p. 1—170.

F. Neue, Observationum in Tacitum spec. I. Progr. Dorpati 1836. Fol.

B. G. Niebuhr, über den Unterschied zwischen Annalen und Historie. Inest commentatio museo Rhenano per Niebuhrium et socios edito t. II p. 293 sqq.

J. Nöggerath u. Nees von Esenbeck, Giebt Tacitus einen histor. Beweis von vulkanischen Eruptionen am Niederrhein? Antiquar.-naturhistorisch untersucht. Bonn 1824. 8.

Obbarius, Observationes polemico-irenicae in Taciti Annal. XV 44 'ergo abolendo rumori — urerentur.' Progr. Rudolstad. 1845. 4.

F. Oelschlaeger, Adnotationes criticae in C. Corn. Tacitum. Progr. Svinefurti 1844. 4.

Otto, Observationes criticae in nonnullos Taciti locos, annexis paucis rebus historicis e medio aevo depromptis. Giessae 1843. 4.

Pabst, Eclogae Tacitinae, gesammelt und zum Gebrauch der Schulen, vorzüglich zum Privatstudium durch grammat., krit. und sachl. Anmerkungen, durch einen Sprach- u. Sach-Index erläutert von Th. P. Leipzig. 1831. 8.

Gnomae seu axiomata politica e Taciti Annalibus excerpta; auctore Carolo Paschalio. Parisiis 1600. 12.

P. Petersen, Annotationum in Corn. Tacitum spec. I. Crucenaci 1830. 8.

—— —— spec. II., cum appendicula de Codice Neapolitano, quo dialogus de oratoribus cont. Confluentibus 1835. 4.

F. A. Rigler, Annotationes maximam partem criticae ad Taciti vitam Agricolae. Progr. Cleve 1835. 4.

C. L. Roth, Taciti Synonyma et per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicta; collegit, digessit, cum aliorum scriptorum locis comparavit. Norimbergae 1826. 8.

—— Emendationes Tacitinae. Progr. 1832. 4.

—— Gramm. quaestiones V e Tacito repetitae. Ibid. 1829. 4.

F. Rühs, ausführliche Erläuter. der zehn ersten Kapitel der Schrift des Tacitus über Deutschland. Berlin 1821. 8.

Henr. Savilii notae in Tacitum. Amstel. 1649. 12.

F. G. Schneidewin, Index scholar. aestiv. 1841. Gottingae 1841. 4.

Schraut, Beitrag zur Kritik des Tacitus. Saarbrücken 1840. 4.

Chr. Ferd. G. Chph. Selling, Observationes criticae in Tac. Agricolam. Hof 1826. 4.

—— Observationes criticae in C. Corn. Taciti Germaniam. Accessit nova Cod. Hummeliani collat. Augustae Vindel. 1830. 4.

Raimundus Seyffert, Emendationes Taciteae. Fasc. I. Annales. Berolini 1843. 8.

J. W. Süvern, über den Kunstcharakter des Tacitus. Inest haec dissertatio in Commentationibus artium academiae regiae Berolinensis a. 1822 et 1823.

J. S. Vater, Animadv. in locos quosdam ex Demosthene Tacito aliisque. Jenae 1796. 8.

M. Vertranii Mauri I. C. notae ad Tacitum. Vid. edit. Paris. a. 1608 t. II p. 323 sqq.

Fulvii Ursini adnotationes ad Tacitum. Editae sunt primum in hoc libro: Fragmenta veterum historicorum collecta

ab Antonio Augustino, emendata a Fulvio Ursino. Antv. 1594. 8.

J. G. H. Walch, Diatribe crit. de Tacito eiusque stilo. Lipsiae 1714. 8. Inest in Hauffii ed Taciti 1714.

J. Aemil. Wernicke, De elocutione Taciti Spec. I. Thoruni 1830. 8.

F. C. Wex, Beiträge zur Kritik und Erklärung von Tacitus Agricola. Progr. Schwerin 1840. 4.

—— Scholae Vismariensi . . . gratulatur . . gymnasium Frideric. Suerinense. Emendantur et explicantur duo difficillimi loci ex Taciti Agricola. Suerini 1841. 4.

—— Prolegomenon in Taciti Agricolam capp. I. III. Schwerin 1845. 4.

Aug. Wissowa, Lectiones Taciteae. Spec. I. II. Vratislaviae 1828. 8. 1829. 4.

—— —— Spec. III. De Cod. Taciti Vindob. Ratibor. 1833. 4.

Th. Wopkensii animadversiones criticae in Taciti opera. Vid. Acta lit. societatis Rheno-Traj. tom. II. pag. 19 sqq., tom. IV pag. 358 sqq.

36 Siglae quibus usus sum in annotationibus hae sunt:

A est codex Agricolae.
B — Budensis.
C — Corbinellianus.
F — Farnesianus.
G — Guelferbytanus.
M — Mediceus prior.
M^a — Mediceus alter.
R — Regius Parisiensis.
Or. — Orellius.

Ubi Taciti scripta laudantur,

H refertur ad Historias.
G — Germaniam.
A — Agricolam.
O — dialogum de oratoribus.

Nudi numeri respiciunt Annales.

Corrigenda et supplenda. In minore annotatione tomi I pag. 6 ad v. 8 pro *Ryckii* nomine rectius *Acidalii* ponetur: is enim *destinari* pro *destinare* primus commendavit; p. 17 v. 6 lege *iulios M: tacite correxit Lipsius.* Ad III 3 memorandum erat coniecturam *Augustae* pro *Augusta* primum a Kritzio in diurnis scholasticis Darmstad. a. 1831 part. II p. 100 propositam esse. In tomi II pagina 171 lege *Vaticana* pro *Vaticano.* Amplius si quid vitii in contextu verborum aut annotatione deprehendetur, in quarto volumine notabitur.

CORNELII TACITI
A N N A L I V M
LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—10 prooemium Annalium. Exponitur operis consilium et scribentis propositum (1). Pauca de Augusto et extrema; quomodo ad imperium accesserit ac promotus sit (2), quae subsidia dominationi providerit (3). Ex celeris ad summam spem admotis postremo nemo reliquus nisi Tiberius Nero, Liviae matris artibus et opera adiutus; eo cuncta vergere. Iam in proximo finis Augusti ac spes novae, de imminentium dominorum ingeniis rumores (4). Augustus Nolae moritur, Tiberius ingressus Illyricum properis Liviae litteris accitur (5). Agrippa Postumus in Planasia insula interemptus, idque primum novi principatus specimen (6). Servilia Romae ingenia, Tiberii cunctatio et dissimulatio (7). De supremis Augusti apud patres Tiberio coram consultatum et testamentum eius recitatum (8). De Augusto sermones vana mirantium, sententiae prudentium (9—10).

Cap. 11—54. Subsequitur in annorum serie iam per Annales exequenda novi principatus primus annus vel potius anni primi menses reliqui quinque, ab urbe condita 767, a Christo nato 14. Augusto caelestes religiones decernuntur, Tiberio principatus et imperium (11—14), comitia e campo ad patres transferuntur (15). Haec in urbe: at in Pannonia legiones tres seditio incessit, quae a Blaeso legato vix reprimitur, mox a Druso Tiberii filio sedatur (16—30). Isdem ferme diebus etiam Germanicae legiones turbatae. Inferioris Germaniae militi in rabiem prolapso obviam it Germanicus, non sine vitae suae periculo, atque seditiosos verbis et largitione promissisque permulcere conatur, superiorem exercitum sacramento adigit (31—38). Regressum ad aram Ubiorum excipiunt novae duarum legionum turbae, sed facunda eius oratione animi ad modestiam flectuntur atque noxii puniuntur (39—44).

1. *P. CORNELII TACITI* in summo margine M. In contextu versus primus: *AB EXCESSV DIVI AVG. VRBEM ROMAM A PRINCIPIO RE.*

Iras retinent duae legiones apud Vetera hibernantes. Romae de publicis malis rumores. Tiberio certum non omittere caput rerum, quamquam iturum se simulat. Germanicus dum arma Rheno demittere adversus Vetera parat, innoxii ibi invadunt in seditionis auctores et plurimo cum sanguine ultionem exequuntur (45—49). *Germanicus militem adversus Germanos ducit, ventumque ad vicos Marsorum. Hostium magna strages, sed in regressu Romanus periclitatur et alacri Germanici studio incolumis evadit* (49—51). *Tiberii laetitia et cura* (52). *Eodem anno Iulia moritur in oppido Rheginorum, Sempronius Gracchus interficitur. Sodales Augustales instituti* (52—54).

Cap. 55—81. Annus a Christo nato quintus decimus, imperatoris Tiberii secundus. Germanicus bellum in aestatem summa ope a se paratum repentino in Chattos excursu, facto ex superiore provincia, praecepit, penetratumque ad Adranam. Incenso Mattio vertit ad Rhenum (55—56), *sed agmen in itinere convertit ad castellum Cheruscorum Segestemque a suis circumsessum. Ereptus Segestes cum magna propinquorum manu, in quibus uxor Arminii* (57—58). *Is Cheruscos ad bellum stimulat* (59). *Altera in Cheruscos et socios expeditio Germanici, in qua adit saltum Teutoburgiensem, Varo caeso militibusque suprema solvit; id Tiberio non probatum* (60—62). *Cum Arminio in avia regresso pugna; manibus aequis abscessum* (63). *Romanus ad Rhenum revertitur; Caecina cum suo milite itinere terrestri super Pontes longos, ubi ab hoste circumventus gravem cladem vix effugit* (63—69), *Germanicus reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe per lacus reportat* (70), *cunctos alloquio et cura sibi et proelio firmat* (71). *Subsequuntur res domesticae: Tiberius civilem animum ostendit, sed fidem non facit, reducta lege maiestatis* (72—74), *nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis assidet in cornu tribunalis; idem erogandae per honesta pecuniae cupidus* (75). *Eodem anno actum de subducendis Tiberi aquis* (76—79); *Poppaeo Sabino prorogatur provincia Moesia additis in tempus Achaia et Macedonia* (80); *comitia consularia* (81).

Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem 1
et consulatum Lucius Brutus instituit. Dictaturae ad tempus

2. *L.*, non *Lucius*, M.

Cap. 1. *Urbem — habuere:* Annalium τηλαυγὲς πρόσωπον ab hexametro versu graviter accidente ad aures orditur. Idem usu venit scribenti I 71: *quorum laudato studio Germanicus, armis.* XV 9: *subiectis campis magna specie volitabant.* 73: *donec consensu patrum deterritus est, ne.* H. III 68: *commendans, postremo fletu praepediente.* G. 18: *bellorum casus putet, ipsis incipientis.* 32: *praecellunt, nec maior apud Chattos peditum laus.* 39: *auguriis patrum et prisca formidine sacrum.* O. 13 (*nec incertus*) *futuri testamentum pro pignore scribam.* De huiuscemodi versiculis a Livio admissis

sumebantur. Neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. Non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

4. *lapidiatque* M: correxit Beroaldus. 6. *R.*, non *Romani*, M. 9. *deterrerentur* M, non *detererentur*. 13. *caetera* M.

dixit Drakenborchius ad Livii Praefationem §. 1, de aliis alii; rem in universum expendere conatur Cicero in Oratore 56 189, de Oratore III 47 182, Quintilianus IX 4 72 sqq.

neque decemviralis potestas ultra biennium: decemviralis potestas diffusa per trium annorum spatia neque primum nec tertium implevit totum. Livius III 33—54. Dionysius A. R. X 56—XI 50. Itaque hic noster, dum scribit *neque — ultra biennium*, oppositum cogitavit non unum alterumve mensem, sed integri anni tempus, et sic recte dixit quae posuit: proxime enim post biennium sequitur triennium. Non bene Wolfius et Waltherus, ille suo acumine ductus, hic tanta auctoritate transversum actus, crediderunt non nisi legitimum decemvirorum imperium designari: nam septem menses, quos ex tertio anno illi delibaverint (Liv. III 38 sqq.), non ius fuisse sed vim, et vim in dies incertiorem.

tribunorum militum consulare ius: ab anno 310 (309) usque ad 387 modo tribuni militum consulari potestate, modo consules annuum imperium administraverunt: Liv. IV 7 sqq. Ad militarem tribunorum potestatem novum accessit ut *ius* dicerent. Hoc ultra annum 387 non valuit.

non Cinnae, non Sullae longa dominatio: et Cinna et Sulla *dominum* egit, legibusque contemptis et neglectis institutis maiorum ille consulatus continuos (a. 667—670), hic dictaturam perpetuam (a. 672—675) sibi arrogavit. Non minus apte paulo post Crassi Pompeique *potentia*, Antonii autem et Lepidi *arma* memorantur: nam illi societate cum Caesare inita multum in re publica poterant, hi armis manibusque militum valebant.

qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit: aliter ac mitius hanc sententiam protulit in prooemio Historiarum (I 1): *postquam — omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit.* De principis (h. e. princeps senatus) nomine Octaviano Caesari decreto a. 726 Dio Cassius LIII 1: *τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει ἕκτον ὁ Καῖσαρ ἦρξε, καὶ — τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε· καὶ ἐν αὐταῖς πρόκριτος τῆς γερουσίας*

Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, 2
Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus magistratuum legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione

2. *aput* M. *exsutoque* M. 3. *iulianus* M. 4. *reliqus* pr M.

ἐπεκλήθη, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο. Hic noster c. 9: *non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam.*

veteris populi Romani prospera vel adversa: populi nomen opponitur singulis hominibus rem Romanam inde ab Augusto post Actiacam pugnam moderantibus: hinc enim res principum, non populi narrantur. Itaque statim *tempora Augusti*, mox *Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res* legimus, contra H. I 1 *dum res populi Romani memorabantur* de tempore ab urbe condita usque ad proelium Actiacum. Conf. XI 24: *libertinorum filiis magistratus mandari non — repens, sed priori populo* (*sondern vom Volke in früherer Zeit*) *factitatum:* quippe olim populus sive comitia magistratus mandabant, quos post princeps conferebat. O. 19: *facile perferebat prior ille populus* (*die Volksgemeinde der früheren Zeit*) — *impeditissimarum orationum spatia.*

donec gliscente adulatione deterrerentur: ubi rerum scriptoribus periculosum est non adulari, decora ingenia rem omittere quam prolabi in adulationem malunt. In adulationis memoria cogitavit, puto, praecipue de Velleio Paterculo et Valerio Maximo. *ob metum falsae: falsae* est ad fallendum compositae (*verfälscht* sive *in verfälschter Gestalt*). Conf. 7: *tanto magis falsi ac festinantes.* III 3: *ne — falsi intellegerentur.*

Cap. 2. *nulla iam publica arma:* arma quae tractabant Octavianus et Antonius non in rei publicae usum, sed pro suis coeptis et in suam utilitatem gesserunt, et res publica *aliena* (H. I 1) facta erat.

Pompeius apud Siciliam oppressus: devictus est Sex. Pompeius navali pugna apud Naulochum non procul a Peloro Siciliae promontorio m. Septembri a. 718; inde profugus ad Antonium captus est in Asia caesusque a. 719: Appianus B. C. V 118—122 et 140—144. Dio XLIX 8—11 et 18. Suetonius Aug. 16. Kalendar. Amitern. ed. Foggin. p. 113. Drumannus Histor. Rom. t. IV p. 584 sqq.

consulem se ferens et — tribunicio iure contentum: M. Antonio ad Actium devicto (723) Caesar Octavianus octo consulatus continuos (724—731) gessit: Suetonius Aug. 26. *Iure* tribunicio nove dicit pro *potestate* trib., quae quid valeat ab ipso declaratum est III 56. Conf. I 3 et 7. Suetonius Aug. 27. Dio LIII 17. Eam potestatem perpetuam accepit a. 731: Dio LIII 32. *ubi militem donis, populum annona — pellexit:* haec imitatus est Aur. Victor, qui de Caesaribus 1: *Octavianus — mox procerum consulto ob victoriam patriam* (corrige *partam*) *placide exercitam Augusti cognomento dictus, illectis per dona militibus atque annonae curandae specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit.*

munia senatus magistratuum legum in se trahere: quae patres de-

cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi ambitu, postremo
3 pecunia turbabantur. Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum sororis filium admodum adulescentem

2. *ac* Beroaldus: M *at*. 7. *caeterum* M.

cernere, magistratus edicere ac disponere, populus iubere legibus rogatis ante solebant, ea in se traxit Augustus. Nam cum esset *princeps* senatus, in omnibus apud patres relationibus primus sententiam rogabatur, eique ceteri plerumque assentiebantur. Idem *imperator* praeerat militibus, *tribuniciae* autem *potestatis* compos iis senatus decretis quae fieri nollet, intercedere, cives non solum tueri sed legitime quemlibet attinere adeoque ducere in carcerem poterat. Dio LIII 17. De forma *munia* dictum ad III 2.

per acies aut proscriptione: acri iudicio secundi nominis casus mutatus est: eo enim efficitur ut praepositio priori nomini praeposita maiorem vim accipiat orationisque vigor augeatur. Germanice convertas 'in den Reihen der Schlacht oder durch Aechtung.' Conf. II 45: *vagis incursibus aut disiectas per catervas.*

ac novis ex rebus aucti — mallent: novis ex *rebus auctos* non solum intelligit quos modo nominavit *ceteros nobilium*, sed omnes ab Augusto opibus et honoribus donatos, sive nobiles fuere sive ignobiles. Itaque non bene pro vulgato *ac* Orellius intulit *ut*, coniecturam ab Horkelio receptam. Sed particula consecutiva etiam eo nomine repudianda est, quod qui honoribus et opibus extolluntur, neque semper neque necessario tuta et praesentia quam vetera et periculosa malunt.

invalido legum auxilio, quae vi ambitu, postremo pecunia turbabantur: 'iudicia repetundarum in re publica corruptissima corrumpebantur saepe potentia, minis, quin et sicis intentandis, saepe precibus, modo largitione, occulta primum, tandem aperta: *nunc prece, nunc pretio, nunc vi*, ut poeta ait.' WOLFIUS.

Cap. 3. *subsidia dominationi:* ad vitanda ea quae usu trita erant ac vulgaria, posuit *dominationi*, non *dominationis*. Conf. 22: *plures seditioni duces*. 24: *rector iuveni*. II 33: *modum argento supellectili familiae*. 46: *paci firmator*. 60: *dona templis*. 64: *causas belli*. III 14: *custos saluti an mortis exactor*. 36: *deterrima cuique licentia*. VI 36: *corpori custodes*, mox *ministri sceleribus*. XI 8: *rex Hiberis*. XIV 15: *inritamenta luxui*. H. I 88: *ministros bello*. H. II 44: *finis bello*. H. IV 19: *causam seditioni*. G. 16: *suffugium hiemi et receptaculum frugibus*. Secernenda ab his sunt exempla, ubi dativus pendet a verbo substantivo sive posito sive supplendo cogitatione, ut I 5: *quod causa exitii marito fuisset*. 51: *per quos exercitui regressus* (erat). 53: *nec alia tam intima Tiberio causa* (fuerat). II 21: *nec minor Germanis animus* (erat). III 40: *cum id — virtuti pretium esset*. XV 49: *initium coniurationi non a cupidine ipsius fuit*. H. IV 54: *ut finem imperio adesse crederent*.

pontificatu et curuli aedilitate, Marcum Agrippam ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum sumpsit; Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua. Nam genitos Agrippa Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat. Ut Agrippa vita concessit, Lucium Caesarem euntem ad Hispaniensis exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem extincto Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae

1. *M.*, non *Marcum*, M. 5. *tum* Wolfius: *dum* M, qui perinde aberrat 1 77 et 2 36 et 3 18. *genitos* corr M; fuit *genitus* vel *genitas*. 8. *destinari* Ryckius: M *destinare*. *spetie* M. 9. *L.*, non *Lucium*, M. *hispanienses* in M videtur e correctione, ut fuerit hispaniensis. 10. *Gaium* omnibus litteris M.

geminatis consulatibus: alterum intelligit M. Agrippae consulatum et tertium a. 726 et 727 cum Caesare collega gestum, qua in re favor insignis et fides. Primus eius consulatus (a. 717), nondum verso rei publicae statu populi suffragiis delatus, huc nihil pertinet. De Agrippae ignobilitate paterna Seneca Contr. 12: *Vipsanius Agrippa fuerat: Vipsanii nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat, et Marcus Agrippa dicebatur.* Seneca philosophus de Benef.: III 32: *utrum maius beneficium dedit M. Agrippae pater ne post Agrippam quidem notus, an patri dedit Agrippa, navali corona insignis unicum adeptus inter dona militaria decus?*

generum sumpsit: Iuliam ex Scribonia filiam, defuncto M. Marcello viduam, Agrippae collocavit a. 733: Dio LIV 6. Suetonius Aug. 63. Vell. II 93. Marcellus Octaviae sororis Augusti filius ac iuvenis magnae spei Baiis a. 731 vita decesserat: Dio LIII 30 et 33. Virgilius Aen. VI 862—887 et Servius ad v. 862. Propertius III 18. Seneca Consol. ad Marciam 2. Tacitus ipse II 41, III 64, VI 51.

in familiam Caesarum induxerat: Gaium et Lucium adoptavit domi per aes et libram emptos ab Agrippa patre a. 737, Tiberium privignum ac tertium nepotem Agrippam Postumum multis annis post in foro lege curiata filios arrogavit: Dio LIV 18. Suetonius Aug. 64 et 65. Velleius II 96.

principes iuventutis: iuventus intelligitur *equestris*, ut XI 12 *iuventutis Romanae pulcherrimum*, XII 41 *princeps iuventutis*. Iuniores iidem II 83. *L. Caesarem* — *mors fato propera:* Suetonius Aug. 65: *Gaium et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos, Gaio in Lycia* (die 21 m. Februarii a. 757), *Lucio Massiliae* (m. Augusto a. 755) *defunctis.* Conf. Velleius II 102. Dio LV 11. Florus IV 12 §. 41. Zonaras X 36: *ἥ τε οὖν Λιβία ἐπὶ τῷ θανάτῳ τούτων* (Gai Luciique) *ὑπωπτεύθη καὶ ὁ Τιβέριος, οὐ πολλῷ πρότερον ἐκ τῆς Ῥόδου*

potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulam Planasiam proiecerit, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. At Hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique per adoptionem a Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. Domi res tranquillae, eadem magistratuum vocabula;

4. *postumum*, non *Posthumum*, M. *planesiam* M. *proiecerit* editor: vulgo *proiiceret*, M *proieceret*. 6. *conpertum* M. *herculae* M. 7. *aput* M. *rhenum* M. *inposuit* M. 8. *quamquam* M, ut solet. 9. *munimentis* Lipsius: M *monumentis*. 13. *domi res* Beroaldus: M *dormires*.

πρὸς τὴν Ῥώμην ὑπονοστήσας. Tiberii frater Claudius Drusus a. 745 mortuus erat: Livius Epitoma 140, Dio LV 1—2, Suetonius Claud. 1, Ovidius Fast. I 597.

collega imperii: nomen *imperii* (*Oberbefehl*) et *imperatoris* pertinet ad milites exercitusque provinciarum. Velleius II 121: *postulante patre eius* (Tiberii), *ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset quam erat ipsi* (a. 765). Suetonius Tib. 21: *lege per consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, — in Illyricum profectus est.* *consors tribuniciae potestatis:* haec civile fastigium (III 56) indicabat. Ad eam Tiberius a. 748 triginta sex annos natus primum, dein a. 757 iterum ac 766 tertium admotus est: Dio LV 9 et 13, LVI 28.

omnisque per exercitus ostentatur: 'modo huic, modo illi exercitui impositus imperator, Germanicis maxime, tanquam non ambiguus successor.' WOLFIUS.

uti nepotem — proiecerit: quae proxime de tribunicia potestate Tiberii (a. 766) tradita sunt, tempore succedunt his quae de Agrippa Postumo in insulam relegato (760) narrantur. Recte igitur scriptum est *devinxerat*, mox *uti — proiecerit.* Sed hoc (*proiecerit*) ego demum repono. Conf. II 81: *adeoque commoverat, ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit.* III 21: *tantumque severitate profectum* (erat), *ut — fuderint.* IV 51: *repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant, ut quaedam munimenta Romani omiserint.* Porro forma *proiecerit* propius accedit ad id quod in M (*proieceret*) quam vulgata *proiiceret:* haec enim in M scribitur *proiceret* ideoque minus facile transire potuit in *proieceret* quam reposita *proiecerit.* De Agrippa in Planasiam insulae Corsicae propinquam relegato v. Dio LV 32. Suetonius Aug. 65: *Agrippam — ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit seposuitque Surrentum. — nihilo tractabiliorem, immo in dies*

iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotusquisque reliquus qui rem publicam vidisset? Igitur verso civitatis statu nihil usquam prisci et 4
integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis aspectare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur, aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere. Pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem, Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia; multaque indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis quibus Rhodi specie secessus exul egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas lubidines meditatum. Accedere matrem muliebri impotentia: serviendum feminae duobusque

4. *omnis* M: correxit Muretus. *exsuta* M. 8. *dissere* M. 9. *inminentis* M. 11. *non*] *N* cum lineola M. 13. *set* M. 14. *praemantur* M. 7. *speti e* M. *exul* Muretus: M *exulem*. *lapidines*, non *lupidines*, M. 9. *inpotentia* M. *faemine* M.

amentiorem in insulam transportavit saepsitque insuper custodia militum. Velleius II 112 extr. *ob amissum cum Quintilio Varo exercitum:* amissus erat a. 762 = 9 a Christo n.: Dio LVI 18—24. Velleius II 117—119. Tacitus I 53. Suetonius Aug. 23. *bella civium:* quod erat tritum et vulgare, *bella civilia*, evitavit.

Cap. 4. *eductum in domo regnatrice*: *eductum* antique positum pro *educatum*, ut I 41, VI 15 et 41. *Rhodi specie secessus exul egerit*: conf. I 53, VI 20 et 21 et 51. Suetonius Tib. 10 et 13. Dio LV 9. Abiit Roma 748, rediit 755: Velleius II 103 coll. 99. Sueton. 14. Ceterum acerbi indices hoc dicunt, Tiberium specie Rhodum secessisse in otium, revera exilium ibi tolerasse, et hoc quodammodo verum est. Vitium *exulem*, quo iusta oppositorum ratio tollitur, scribenti in M excidit, dum casum accusativum requiri ante verbum *egerit* opinatur. *aliquid*, h. e. *aliud quid*, ut H. I 85 *aliquis* pro *alio quo*. Cicero de Invent. I 54 104: *nec alicui unquam usu venerit.* *duobusque insuper adulescentibus:* intelligunt Drusum Tiberii ex Vipsania filium et Germanicum adoptatum a Tiberio. *Interim* est τέως, Tiberio patre vivo, *quandoque* futurum tempus spectat, cum soluti erunt patris reverentia.

Cap. 5. *valitudo Augusti:* bonae notae utraque forma est, tam levior haec (*valĭtudo*), ex radice *val — ere* et terminatione *tudo* inserta

insuper adulescentibus, qui rem publicam interim premant,
5 quandoque distrahant. Haec atque talia agitantibus gravescere valitudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo fore ut iuvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. Gnarum id Caesari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. Utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur; neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit. Acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia; laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

1. *praemant* (prima syll. per compend.) M. 5. *conscis* M. 8. *marciae*, non *Martiae*, M. 9. *gnarum* Lipsius: M. *G. nauum.* in M autem inferior pars litterae *G* videtur a manu sec. 12. *utcunque* Or. *aea* pr M. 14. *conpertum* M. 15. *reppererit*, non *repererit*, M. 16. *saepserat*, non *sepserat*, M.

littera connectente Ɣ composita, quam plenior illa *valētudo*, ex stirpe *valē — re* et eadem terminatione conformata, quae reperitur apud Horatium Serm. II 2 88, Epist. I 4 10, in inscriptionibus apud Fabrettium c. X n. 443, Gruterum p. 234, Marinium (Atti e Monumenti degli Arvali p. CII), etiam apud Tacitum. Nunc sponsore M *valitudo* scribendum erat.

et quidam scelus uxoris suspectabant: suspectare est *suspectum habere, suspicari* autem *ducere suspiciones.* Illud hic noster praetulit plerumque (v. I 13, XI 16, XII 65, XIII 39 et 47, XV 51. H. II 27, III 82), quod inclinat ad verba frequentativa, et quia forma passiva est verbi *suspectare, suspicari* non est. Conf. IV 3: *ne pellici suspectaretur.* De ista suspicione etiam Dio LV 22, LVI 30.

quod Maximum uxori — marito fuisset: admixtis falsis idem hoc narrat Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας cap. 11. Conf. Dio LVI 30. Plinius N. H. VII 46: *abdicatio Postumi Agrippae post adoptionem, desiderium post relegationem, inde suspicio in Fabium arcanorumque proditionem.*

spirantem adhuc Augustum: hoc ipsum affirmat Velleius II 123, indefessus Tiberii adulator, et Suetonius in Tib. 21, ubi verba Taciti respiciens et correcturus scribit: *et statim ex itinere revocatus iam quidem affectum sed tamen spirantem adhuc Augustum repperit, fuitque*

Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae 6
caedes; quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit. Nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae adposito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius unquam suorum necem duravit; neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat. Propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse.

1. *facimus* pr M. 2. *caedis* M. 3. *ea re*] *aere* M, in marg. *ea re.* 5. *adposito* M, non *app.* *agrippa* M. 6. *quandoque*, non *quandocumque*, M. 7. *quaestus* M. 9. *caeterum* M. *umquam* M.

una secreto per totum diem. Conf. idem Aug. 98. Dubitare cum Tacito maluit Dio LVI 31. Forma *repperit* codice nititur et ratione firmatur; de hac dixi *Element. Gramm. Lat.* p. 27 et 137 sq. Eadem ratio probat *reppuli rettuli rettudi.*

acribus namque custodiis — saepserat Livia: Agrippina, mater imperatoris Neronis, Claudio extincto hoc artificium rettulit: XII 68. Taciti locutionem *saepire custodiis* imitatur Suetonius Aug. 65: *saepsitque insuper custodia militum.* Ille enim post editos a Tacito Annales suas imperatorum vitas sub principe Hadriano evulgavit. Conf. annot. ad c. 6 et 39 et 41 et 72, II 39, IV 34 et 36, VI 6 et 20 et 25, XII 3, XIV 16. H. I 13 et 24, II 79, V 13.

Cap. 6. *primum facinus novi principatus:* animum adverte, lector; infausto quasi omine novus principatus incipit. Caedibus enim et flagitiis quoniam magis eminuit princeps Tiberius quam beneficiis et integris moribus, non sine consilio iam admonemur, caedem viri nobilitate praecellentis primum facinus fuisse novi principatus. Perinde Neronis imperii primordium caede celebratur, ut Nero multis in rebus similis erat Tiberio; XIII 1: *prima novo principatu mors Iunii Silani — paratur.* Codicilli quibus mors Agrippae imperata est ex urbe Nola Planasiam missi sunt: Suetonius Tiber. 22. Dio LVII 3. Velleius, neque verum profiteri neque mentiri aperte ausus, de hac re quaesita ambiguitate sic loquitur II 112: *hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die quo Tiberius adoptatus ab avo suo* (Augusto) *naturali erat et iam ante biennium qualis esset, apparere coeperat, mira pravitate animi atque ingenii in praecipitia conversus patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi, moxque crescentibus in dies vitiis dignum furore suo habuit exitum.* Scilicet legentem ille inducit ut credat, Agrippam vivo Augusto dignum furore suo exitum habuisse.

centurio aegre confecit: centurio a tribuno custodiae apposito immissus caedem manu patravit, idem praescribente tribuno ad principem profectus nuntium attulit. Nam dissentire a Tacito hac in re non videtur Suetonius, cum scribit Tib. 22: *hunc tribunus militum custos appositus occidit* (h. e. occidendum

Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit. Quod postquam Sallustius Crispus particeps secretorum (is ad tribunum miserat codicillos) comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso ficta seu vera promeret, monuit Liviam ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi ut non aliter ratio constet quam
7 si uni reddatur. At Romae ruere in servitium consules, patres, eques. Quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas gaudium, questus adulationem miscebant. Sextus Pompeius et Sextus Apuleius consules

1. *nuncianti* M. *ut mos*] *utnos* M, *mos* in margine. 3. *aput* M. *sallustius*, non *Salustius*, M. 6. *seu vera*] *seuera* pr M. Litterae *u* superscr. *v*. 10. *reddantur* M. 13. *tristior* in contextu M, *tristiores* in margine et Beroaldus in annotationibus. *quaestus* M. *adulationem* Heinsius: M *adulatione*. 14. *Sex.* bis M. *apuleius* M, non *App.* *cons.* cum lineola M.

curavit). — *renuntianti tribuno* (per centurionem missum ad Tiberium) *factum esse quod imperasset, neque imperasse se et redditurum eum senatui rationem respondit.* Postrema cum Tacitinis paene ad verbum congruunt. Conf. annot. ad I 5.

quandoque — explevisset: brevior forma h. l. idem valet quod *quandocumque.* Conf. c. 4 et VI 38. Quod statim sequitur *duravit*, id absolute dictum est pro *induruit* et perinde recurrit XIV 1: *usque ad caedem eius duratura filii odia.* H. IV 59: *nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba — suppeditavere.*

Cap. 7. *at Romae:* dum Tiberius lento itinere, neque abscedens a corpore Augusti, ad urbem proficiscitur, quae Romae facta sint interea, in priore parte huius capitis narratur. Advenisse ipsum significatum est verbis: *excubiae arma — comitabatur.*

lacrimas gaudium, questus adulationem miscebant: bina sermonis membra sic composuit, ut prius ad vultum, ad verba illustrium virorum alterum referretur. N. Heinsius codicis vitium *adulatione* ita correxit, ut ex verbo subsequente (*miscebant*) nomini antecedenti primam litteram sollerter applicaret, quo facto ut *questus* lacrimis, sic gaudio *adulatio* iam respondet et voces respondentes eodem casu positae sunt. Similis verbi *miscere* structura III 67. H. II 70, III 74, IV 47. A. 15. Conf. annot. ad XI 6.

primi in verba Tiberii Caesaris iuravere: h. e. iureiurando polliciti sunt facturos se esse quae Tiberius praescripserit. Mox (c. 8) est *sacramentum in nomen Tiberii.* Eadem vi dixit Horatius Epist. I 1 14 *iurare in verba magistri*, h. e. firmiter approbare quae magister docuerit ac praeceperit.

primi in verba Tiberii Caesaris iuravere, apudque eos Seius Strabo et Gaius Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae; mox senatus milesque et populus. Nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere re publica et ambiguus imperandi. Ne edictum quidem quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. Verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a corpore, idque unum ex publicis muneribus usurpare. Sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae arma, cetera aulae; miles in forum, miles in curiam comitabatur. Litteras ad exercitus tamquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus nisi cum in senatu loqueretur. Causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam

1. *aputque* M. *Seius Strabo* Beroaldus: M *selustrabo*. 2. *C*. M.

ne edictum quidem, quo — vocabat: id Nola vel ex itinere Romam praemisit. Conf. Dio LVI 31.

signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat: hoc per tribunum vel centurionem in urbem misit. Conf. Dio LVII 2. Tacit XIII 2: *signumque more militiae petenti tribuno dedit* (Nero) '*optimae matris.*'

excubiae arma, *cetera aulae:* conf. annot. ad XI 6. *causa praecipua ex formidine — dubitationem:* easdem causas eodem ordine Dio persequitur LVII 3. Add. Sueton. Tiber. 24—25. *nam verba — recondebat:* verba vultusque procerum in deterius accepta ac sibi adversa interpretatus recondidit, ut aucta promeret atque ulcisceretur. Conf. I 13 et 69, III 64, IV 21 et 71. A. 39.

Cap. 8. *inlatum per virgines Vestae:* in Cereris sacrario testamentum suum Augustus deposuerat. Suetonius Aug. 101: *testamentum, — tertium Nonas Aprilis ante annum et quattuor menses quam decederet factum — depositumque apud se, virgines Vestales — protulerunt. in spem secundam nepotes pronepotesque: nepotes* intellige Drusum Tiberii filium et Germanicum a Tiberio per adoptionem ascitum (c. 3). *Pronepotes* Germanici filii sunt. Suetonius Aug. 101: *heredes instituit primos Tiberium ex parte dimidia et sextante, Liviam ex parte tertia, quos et ferre nomen suum iussit, secundos Drusum Tiberii filium ex triente, ex partibus reliquis Germanicum liberosque eius tres sexus virilis, tertio gradu propinquos amicosque complures.*

populo et plebi quadringenties tricies quinquies: populo, h. e. ei civium in urbe habitantium multitudini quae publico frumento alenda esset, *quadringenties*, *plebi*, h. e. civibus Romanis in triginta quinque tribus descriptis, *tricies quinquies* legavit. Accurate magis Suetonius Aug. 101: *legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium.* Dio

expectare mallet. Dabat et famae, ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. Postea cognitum est ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem: nam verba, vultus in crimen detorquens recondebat.

8 Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti; cuius testamentum, inlatum per virgines Vestae, Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustae adsumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque; tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros. Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringenties tricies quinquies, praetoriarum cohortium militibus singula nummum milia, legionariis cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritim dedit. Tum consultatum

6. *supraemis* media syll. per compend. M. 9. *ae* in v. *Augustae* e corr. M. 13. *CCCCXXXV.* M. 14. *legionariis cohortibus* editor: M interpositum habet *aut.*

LVI 32 *tribus* omisit memorare et legatam eis pecuniam. Copiosius de hac re disputavi ad II. III 58.

legionariis cohortibus civium Romanorum trecenos nummos: iam minima mutatione (expuncta particula *aut* ante v. *cohortibus*) persanata sunt verba olim desperata, a Gronovio ingeniosius quam verius in hunc modum transformata, *legionariis trecenos, cohortibus civium Romanorum quingenos nummos,* scilicet ut Tacitus verbo tenus consentiret cum Suetonio et Cassio Dione. Ille enim Aug. 101: *praetorianis militibus singula milia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecenos nummos* (legavit). Dio LVI 32: *καὶ τοῖς στρατιώταις, τοῖς μὲν δορυφόροις* (praetorianis) *κατὰ πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμάς* (h. e. millenos nummos), *τοῖς δ' ἀστυκοῖς τὴν ἡμίσειαν* (quingenos), *τῷ τε λοιπῷ τῷ πολιτικῷ πλήθει* (legionariis) *πέντε καὶ ἑβδομήκοντα* (trecenos) *δοθῆναι ἐκέλευσε.* Haec Gronovius acute et docte: sed accuratius aestimantibus sic videbitur, Tacitum in re notissima Suetonio ac Dioni non quidem repugnare debere, sed eundem suo brevitatis studio ductum omittere posse aliquid, quod sine detrimento a legentibus ignoretur. Huiusmodi erat legatum *tribus istis cohortibus urbanis* numerandum. Nimirum pecunia illa paucis militibus urbanis legata *civilem modum* non excessit, Tacitus autem referre voluit quod ultra esset. Illud igitur silentio praetermisit Cornelius: in ceteris omnibus plena trium virorum consensio iam adest. *Legionarias cohortes civium Romanorum,* quas Dio *τὸ πολιτικὸν πλῆθος* nominavit, Tacitus nunc, cum in Annalium opere primum in mentionem earum incidit, diligenter et luculente distinxit a levibus sive auxiliaribus cohortibus sociorum: nam legionariae ab illis duabus rebus discretae fuerunt, primum quod in legionem compositae erant, tum

de honoribus; ex quis maxime insignes visi: ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, Lucius Arruntius censuere. Addebat Messala Valerius renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio num se mandante eam sententiam prompsisset, sponte dixisse respondit, neque in iis quae ad rem publicam pertinerent consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. Ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. Remisit Caesar adroganti moderatione, populumque edicto monuit ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. Die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis inprospere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus,

1. *ex quis qui* Bezzenberger. *portat triumphali* M. 3. *anteferentur* M. *L.* M. 4. *messala*, non *Messalla*, M. 9. *speties* M. 10. *umeris* M. 16. *inprospera repetita* M: tacite correxit Lipsius. 17. *pulcherimum facimus* M.

quod omnes legionarii civitate Romana gaudebant. Particulam *aut* addidit aliquis qui nominibus *civium Romanorum* explicationem vocum *legionariis cohortibus* contineri volebat, isque pro suo Latinitatis scientia *aut* posuit pro *sive* et aberravit ab usu Corneliano. In coniectura Gronovii praeter adhibitae medicinae violentiam et audaciam id maxime displicet, quod *cohortes urbanae* (de his v. IV 5 et annot.) perperam *cohortes civium Romanorum* dicuntur. Hoc saltem vitat Sauppius, coniiciens in Var. Lect. *milia, urbanis* CCCCC, *legionariis autem coh. Autem* etiam Beroaldus dedit, alii alia tentaverunt.

ex quis maxime insignes visi: plures sententias modum egressas exequitur Suetonius Aug. 100. Sed honores isti *maxime insignes* quin substiterint intra sententias, comparatis verbis Suetonii Tacitique dubitare vix licet, quamquam Dio et imagines gentium ab eo subactarum in funere praelatas esse (LVI 34) et funus triumphali porta ductum (c. 42) narravit, sed ipse Taciti Suetoniique relationem falso videtur accepisse. Suetonius adulatorum sententiis enumeratis pergit: *verum adhibito honoribus modo bifariam laudatus est, pro aede divi Iulii a Tiberio et pro Rostris veteribus a Druso Tiberii filio, ac senatorum humeris delatus in campum crematusque.*

conclamant patres: ante sententias singulorum senatorum ret-

auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret.

9 Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus; quod Nolae in domo et cubiculo in quo pater eius Octavius vitam finivisset. Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et Gaium Marium simul aequaverat; continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas, nomen imperatoris semel atque vicies partum, aliaque honorum multiplicata aut nova. At apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes. Multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. Postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam; mari Oceano aut amnibus longinquis saeptum imperium; legiones provincias

4. *supraemus* M. 5. *consolatuum* M. 6. *C.* M. 8. *inperatoris* M. 10. *vitae* M. 13. *dum* Muretus et Pichena: M *tunc.* 14. *ulciscerentur* M: correxit Beroaldus. 17. *ut* om M.

tulit: nunc quae omnes uno ore postulaverint narrare pergit. *remisit Caesar, adroganti moderatione:* non adversatus est quo minus humeris senatorum corpus ad rogum ferretur. *Remisit* (*er gab nach*) absolute positum est, quemadmodum *flexit* I 13 et 34, IV 37 et 41, *vertit* IV 38 et 70, XI 31 et 37, XIII 37. Conf. Suetonius Claud. 35: *sero enim ac vix remisit, ne feminae — contrectarentur.* Arrogantiam moderationis a Tiberio adhibitae referunt verba *populumque edicto monuit, ne — cremari vellent.*

Cap. 9. *quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus:* accepti imperii dies numeratur a primo consulatu, ad quem accessit XIV. kalend. Septembres (=19. August.) a. 711: eodem die a. 767 e vita excessit. Tacitus eadem computatione nunc utitur, qua in scriptione iuvenili sua (O. 17) *sex et quinquaginta annos* Augustum in imperio fuisse dixerat. Conf. Eutrop. VII 8. Alii huius principatum a pugna Actiaca (a. 723) numerant, quidam a septimo eius consulatu, cum imperium illi firmatum est a patribus datumque cognomen Augusti, h. e. VII. idus Ianuarias a. 727. Conf. lapidis Narbonensis titulus: VII *quoque idus Ianuarias, qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est, thure vino supplicent.* Orosius VI 20, qui VIII. idus nominat. Censorinus D. N. 21 (is reiicit in XVI. kal. Februarias). Ovid. Fast. I 587 sqq. idus Ianuarias ponit. Add. Dio LVI 30 extr. Suetonius Aug. 100 init.

classes, cuncta inter se connexa; ius apud cives, modestiam apud socios; urbem ipsam magnifico ornatu; pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. **10** Dicebatur contra pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adulescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium; mox ubi decreto patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat, utriusque copias occupavisse; extortum invito senatu consulatum, armaque quae in Antonium acceperit, contra rem publicam versa: proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui cepere laudatas. Sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, quamquam fas

1. *conexa* M. *aput cives* pr M, *apud c.* corr M. 14. *cepere* Muretus: M *fecere*. 15. *prutorum* M. *inimititius* M.

quo Valerium Corvum et Gaium Marium simul aequaverat: tredecim consulatus gessit Augustus; aequavit igitur septem consulatus Marii et sex Corvi. *mari Oceano aut amnibus longinquis saeptum imperium:* praedicant laudatores quod imperio longinquos fines posuit et tutos. Amnes longinqui sunt Rhenus, Danubius, Euphrates. *legiones provincias classes, cuncta:* conf. annot. ad XI 6.

Cap. 10. *dicebatur contra:* hinc subsequitur sententia eorum, qui quamvis prudentes paulo tamen severius iudicant. *corruptas consulis legiones:* dicit consulem anni 710 M. Antonium. Cf. Appianus B. C. III 43—44. Cicero Philipp. IV 2, ad Attic. XVI 8. Velleius II 61. Dio XLV 13. Drumanni Historia Rom. t. I p. 204 et 215.

ne ipsis quidem qui cepere laudatas: sententiam tuetur ac servat Mureti *cepere*, evertit scriptura codicis M *fecere:* auctores enim agrorum dividundorum id quod *fecere* haud dubie et probaverunt et laudaverunt, neque sermo nunc est de poenitentia quadam malorum ex civili bello natorum quae postea Octavianum moverit, immo de tempore cum triumviri veteranis suis et commilitonibus iusta laborum praemia se referre gloriabantur. Haec per se plana et perspicua: nihil autem praesidii Mureti emendationi conciliatur Suetonii verbis Aug. 13: *neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.* Etenim veterani non querebantur quod accepissent agros, sed quod non pro spe meritorum cepissent.

sed Lepidum: apposite repetitur adversandi particula, ut appareat quomodo iudices illi prudentes sed iniqui tamen, qui ante inimico suo quaedam condonaverant, acriores resurgant atque excusata gravioribus prolatis diluere contendant. *ὑστερολογία* illa, *post Antonium, Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum, — exolvisse,*

sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompeium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos; post Antonium, Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum, subdolae adfinitatis poenas morte exolvisse. Pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iulos. Nec domesticis abstinebatur: abducta Neroni uxor, et consulti per ludibrium pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet; Gai Matii et Vedii Pollionis luxus; postremo Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca. Nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. Ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum: sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. Etenim

2. *spetie* M. 4. *subdole* M. 6. *iulios* M. 7. *adducta* M. 9. *Gai Matii* editor: vulgo *Q. Tedii*. M *nuberetque tedii*. 10. *gravius domui* M: correxit Beroaldus in annotationibus. 11. *efficie* M. 12. *flammines* M.

admissa est, ut iungerentur quae eodem tempore facta sunt: nam Brundusinum foedus ictum et Octavia uxor Antonio data est a. 714, Tarentinum a. 717, sed hoc priore loco positum, ne interpositis nuptiis alterum ab altero secerneretur.

Varrones, Egnatios, Iulos: numerus multitudinis genus designat eorum qui crimine coniurationis cecidere. Conf. XI 7, XII 60. Ex eo genere praecipui nomine suo citantur. Primus est *L. Varro Murena* a. 732 necatus: Dio LIV 3. Suetonius Aug. 19 et 56, Tib. 8. Velleius II 91. Seneca de Brev. vitae 5, de Clem. 9. Eodem nomine *M. Egnatius Rufus* mox concidit: Suetonius et Seneca locis indic. Tertius est *Iulus Antonius*, alter M. Antonii ex Fulvia filius, Horatii amicus (Carm. IV 2), qui cum adulterio Iuliae Augusti filiae ad maiora tenderet, aut necatus est iussu principis aut mori adactus a. 752: Dio LV 10. Velleius II 100. Seneca de Brev. vitae 5, Plinius N. H. VII 46. Tacitus III 18, IV 44. *Iulium* falso nominari probat Horatius et docet Drumannus H. R. I 520.

abducta Neroni uxor — rite nuberet: cf. Dio XLVIII 15 et 43 sq. Suetonius Aug. 62, Tib. 4, Claud. 1. Livia nupsit Augusto a. 716.

Gai Matii et Vedii Pollionis luxus: ex *que tedii* quod feci *Gai Matii*, medicina paulo valentiore nunc usus, non improbabunt qui consideraverint requiri h. l. exemplum luxuriae cum rarae ac famosae tum *ab ipso principe* usque ad offensionem adiutae. Hoc autem praeter Vedium Pollionem equitem nemo praebet nisi *C. Matius*, et ipse eques Romanus atque fautoris Augusti luxuriosus amicus. Is ipse cum Vedio in deliciis Augusti refertur ab hoc nostro XII 60: *Gaius Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac* (imperante Augusto) *et Vedios et cetera equitum Romanorum praevalida nomina referre*

Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret.

Ceterum sepultura more perfecta, templum et caelestes religiones decernuntur. Versae inde ad Tiberium preces. 11
Et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia. Solam divi Augusti mentem tantae molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. Proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque etiam in rebus quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba, tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. At patres, qui-

5. *perfecta* cum lineola super *a* M. 7. *variae* M. 13. *exsec.* Or. 16. *poenitus* M.

nihil attinuerit. De Pollionis insolenti luxuria Seneca legendus de Ira III 40, de Clementia I 18, Plinius N. H. IX 39 (23) et 78 (53), Tertullianus de Pallio 5. Decessit a. 739: Dio LIV 23. De Matii luxu Columella XII 44—46, Plinius XII 6 (2), XV 15. Conf. Suetonius Domit. 21. *Tedius Afer* (Sueton. Aug. 27), consul designatus, Octaviani in triumviratu adversarius et ab hoc ad mortem sponte sumendam tunc actus, huic loco minime aptus est, eoque sub *Quinti* nomine admisso historiae fides corrumpitur. Copiosius de eo disputavi in *Diariis Antiquitatis stud.* a. 1841 p. 1195—2000. Ceterum de Matio ante me cogitavit Freinshemius, sed approbare coniecturam suam non potuit.

cum se templis et effigie numinum — coli vellet: hanc particulam ex variis de Augusto sermonibus non eo die quo sepultus est, sed demum post proximam senatus consultationem, qua *templum et caelestes religiones* decernebantur (c. 11 init.), iactatam esse existimare debemus. Iudices illi severiores Augusto vitio vertunt quae a patribus praesente Tiberio honori eius tributa sunt. De honoribus Augusto collatis, dum in vivis erat, haec intelligi non possunt: flamines enim et sacerdotes post mortem et sepulturam accepit. *comparatione deterrima*, h. e. comparatione deterrime ab Augusto quaesita, ut sibi honorem peteret ex malis publicis.

Cap. 11. *ceterum—decernuntur:* his verbis altera senatus consultatio post Tiberii adventum habita describitur in eaque Tacitus versatur usque ad finem c. 15. Itaque non bene haec a subsequentibus discreta exhibentur in multis editionibus.

Tiberioque — suspensa semper et obscura verba: suspensa sunt quibus deest fundamentum, obscura quae carent lumine. Utrisque

bus unus metus si intellegere viderentur, in questus lacrimas vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit. Opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. Quae cuncta sua manu perscripserat Augustus, addideratque consilium coërcendi intra ter-
12 minos imperii, incertum metu an per invidiam. Inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius se ut non toti rei publicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. Tum Asinius Gallus 'interrogo' inquit, 'Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis.' Perculsus inprovisa interrogatione paulum reticuit: dein collecto animo respondit nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo cui in universum excusari mallet. Rursum Gallus (etenim vultu offensionem coniectaverat) non idcirco interrogatum ait ut divideret quae

2. *ad deos*] *adeos* M. 5. *quod* M. 10. *itaque cumque* M. 15. *aliquit* M. 17. *idcirco* M, non *icc.*

respondet quod sequitur, *in incertum et ambiguum*, h. e. ut fierent incerta atque ambigua. In re conf. Dio LVII 1.

libellum: est ille libellus quem ex tribus voluminibus tertio loco commemorat Suetonius Aug. 101: *de tribus voluminibus uno mandata de funere suo complexus est, altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis quae ante Mausoleum statuerentur* (huius indicis magna pars nobis servata est in monumento Ancyrano), *tertio breviarium ipsius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigaliorum residuis.* Idem scriptum Suetonius Aug. 28 *rationarium imperii*, Calig. 16 *rationes imperii* nominavit.

quantum civium sociorumque in armis: cives sunt milites legionarii, *socii* cohortes auxiliares. Conf. annot. ad I 8 et 60. *regna provinciae, tributa aut vectigalia:* duobus nominibus connectente particula egentibus respondent duo quae particulae vinculo (*aut*) iuncta sunt. Conf. annot. ad XI 6. Ceterum tributa sunt quae Germani vocant *directe Steuern*, vectigalia quae *indirecte* sive *Zölle*.

necessitates ac largitiones, h. e. quae necessario insumenda sint et largienda. XIII 50: *ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent.*

Cap. 12. *quaecumque pars sibi mandaretur:* ipse tres rei publicae partes descripserat, urbem et Italiam, exercitus, provincias: Dio LVII 2. *cui — excusari mallet:* abs quo prolatis excusationibus liberari mallet. Ulpianus et Paulus et ablativo et praepositione *a* ad idem significandum utuntur: more Tacitino nemo, quod sciam, locutus est.

M Lepidus
Gallus Asinius
L Arruntius

separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum. Addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quaeque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram eius lenivit, pridem invisus, tamquam ducta in matrimonium Vipsania Marci Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret Pollionisque Asinii patris ferociam retineret. Post quae Lu- 13
cius Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit, quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed divitem promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent aut impares vellent vel iidem possent cuperentque, Marcum Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem, Lucium Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum. De prioribus consentitur, pro Arruntio quidam Gnaeum Pisonem tradidere; omnesque praeter Lepidum variis mox criminibus struente Tiberio circumventi sunt. Etiam Quintus Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere, Haterius cum dixisset 'quousque patieris,

1. *sed et* M: correxit Lipsius. 6. *uipstania* M: correxit Beroaldus. *M.* M. 8. *polionisque* M. *L.* M. 9. *haut* M. 10. *quamquam* Beroaldus: M *quam.* 14. *inpares* M. *idem* M. *M.* M. 14. *L.* M. 18. *CN.* M. 20. *Q.* M.

victoriarum suarum quaeque in toga — egregie fecisset, admonuit: ostendere admonitione sua voluit Tiberium omnibus rei publicae partibus non minus quam Augustum parem esse. *Pollionisque Asinii patris ferociam:* v. Velleius II 86: *rogante Caesare ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum, 'mea' inquit 'in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham et ero praeda victoris.'* Seneca de Ira III 23.

Cap. 13. *divitem promptum, artibus egregiis et pari fama publice:* de interpungendi modo ad XI 6. Arruntii artes egregiae facundia fuit et iuris scientia. Conf. VI 7: *qui* (Cotta) *sanctissimis Arruntii artibus — aequabatur.* XI 6: *meminissent — Arruntii et Aesernini: ad summa provectos incorrupta vita et facundia.* *omnesque — circumventi sunt:* de Cn. Pisone v. III 15, de Gallo VI 23, de Arruntio VI 48.

fessusque clamore omnium — rogari desineret: adulator Velleius II 124 de his sic tradit: *una tamen velut luctatio civitatis fuit, pugnantis cum Caesare senatus populique Romani, ut stationi paternae succederet, illius ut potius aequalem civem*

Caesar, non adesse caput rei publicae'? Scaurus quia dixerat spem esse ex eo non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset. In Haterium statim invectus est: Scaurum, cui inplacabilius irascebatur, silentio tramisit. Fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. Constat Haterium, cum deprecandi causa Palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius casu an manibus eius impeditus prociderat. Neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque curatissimis precibus pro-
14 tegeretur. Multa patrum et in Augustam adulatio. Alii parentem, alii matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur Iuliae filius censebant. Ille moderandos feminarum honores dictitans, eademque se temperantia usurum in iis quae sibi tribuerentur, ceterum anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est, aramque adoptionis et alia huiuscemodi prohibuit. At Germanico Caesari proconsulare imperium petivit; missique legati qui deferrent, simul maesti-

1. *caput* Rhenanus: M. *apud te* cum lineola. 2. *sanatus praeces* M. 4. *est* frequente hac nota ∸ M. *inplacabilius* M, non *impl.* 7. *rogori disineret* M. 10. *inpeditus* M. 12. *eiusque* Lipsius: M *etusque*. *pcibus* cum lineola, ut sit *praecibus*, M. 15. *censebat* M. 17. *his* M.

quam eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione quam honore victus est, cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret.

curatissimis precibus: curatissimae preces sunt quas summa cura prompsit. Forma nova ac rara et haec est et *curatius* II 27, XIV 21, XVI 22, etiam *excusatius* III 68 posita, quamvis a Seneca de Ira II 32 (*excusatius peccat*) ante admissa.

Cap. 14. *alii parentem, alii matrem patriae appellandam:* parentem Dio LVII 12 γονέα, matrem μητέρα dixit. De re legendus etiam Suetonius Tib. 50.

proconsulare imperium petivit: quod Germanico triennio ante datum erat imperium (Dio LVI 25), id ut continuaretur a senatu petivit Tiberius. Non recte coniecit Lipsius proconsulare imperium perpetuum, quod inter titulos principatus, Germanico decretum esse: nam eiusmodi imperium etiam in urbe teneri potuit (Dio LIII 32), sed quod Germanico concessum est, fuisse imperium extra urbem habendum apparet ex subsequentibus: *quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa quod designatus consul praesensque erat.* Idem probatur XII 41: *Caesar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret, atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet.*

tiam eius ob excessum Augusti solarentur. Quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa quod designatus consul Drusus praesensque erat. Candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum; et hortante senatu ut augeret, iure iurando obstrinxit se non excessurum.

15 Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. Neque populus ademptum ius questus est nisi inani rumore, et senatus largitionibus ac precibus

3. *praedurae* M. 8. *feebant* M. *quaestus* M. 9. *pcibus* cum lin. M.

candidatos praeturae duodecim nominavit: is numerus obtinuit duobus annis post, h. e. 16 a Chr.: tunc enim Gallus numerum traditum respiciens dixit (II 36): *princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret.* Mutatumne quidquam sit anno 18, cum Cappadoces legatum praetorium accipere et Commageni ad ius praetoris translati sunt (II 56), non constat. Praeturae extra ordinem datae memorantur II 32. Aliter Dio, qui in actis anni 33 scribit LVIII 20: *τῷ γοῦν ἐπιόντι ἔτει ἐν ᾧ ὅτε Γάλβας ὁ Σερούϊος — καὶ Λούκιος Κορνήλιος τὸ τῶν ὑπάτων ὄνομα ἔσχον, πεντεκαίδεκα στρατηγοὶ ἐγένοντο· καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἔτη συνέβη, ὥστε ἔστι μὲν ὅτε ἑκκαίδεκα, ἔστι δ'ὅτε παρ' ἕνα ἢ καὶ δύο* (uno vel duobus plus minusve) *χειροτονεῖσθαι.*

numerum ab Augusto traditum: traditus est extremis Augusti institutis: Dio LVI 25 in actis a. 764: *στρατηγοὶ ἑκκαίδεκα ἦρξαν, ἐπειδὴ τοσοῦτοί τε τῆς ἀρχῆς ἀντεποιήσαντο καὶ οὐδένα αὐτῶν λυπῆσαι ὁ Αὔγουστος—ἠθέλησεν. οὐ μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐφεξῆς ἔτεσι ταὐτὸ ἐγένετο, ἀλλ' οἱ δώδεκα ἐπὶ πολὺ κατέστησαν.* Etiam scripto, ut certe Tiberius ferebat, hunc numerum Augustus commendaverat: Velleius II 124.

iure iurando obstrinxit se non excessurum: simulavit summam erga praecepta patris reverentiam, simul moderationem suam iure iurando probatum iit: nam si plures crearentur, ne provinciae senatui populoque subtraherentur timor aderat. Pronomen *se* iunctum est cum v. *excessurum*, non cum *obstrinxit:* hoc enim ubi idem valet quod *asseverare*, absolute positum est a Tacito. Conf. IV 31, XIII 11.

Cap. 15. *tum primum e campo comitia ad patres translata sunt:* haec Tacitus iis adiungit quae modo de praeturae candidatis in senatu a Tiberio nominatis rettulit. Quod de praetorum comitiis, idem haud dubie de consulibus creandis tum novatum est, sed consules nulli creandi iam erant, cum et huic anno et proxime inferiori ab Augusto designati essent. Itaque Tacitus nunc intra praetorum commemorationem se continuit. Sed in campo comitiorum imago quaedam vel sic remansit, cum qui apud patres magistratum nacti essent, dicis causa ad populum per tribus in campo aut foro congregatum a praecone renuntiarentur. Hoc ipsum tamquam leve Tacitus omisit, Dio significavit LVIII 20: *καὶ μετὰ τοῦτο* (magistratuum comitiis apud patres habitis) *ἔς τε τὸν δῆμον καὶ ἐς τὸ πλῆθος* (h. e. ad comitia centuriata in campo, tributa in foro) *οἱ προσήκοντες ἑκατέρῳ τῆς ἀρχαίας ὁσίας ἕνεκα, καθάπερ καὶ νῦν, ἐσιόντες ἀπεδείκνυντο.* Conf. Suetonius Domit. 10: *occidit Flavium Sabinum alterum e patruelibus,*

sordidis exolutus libens tenuit, moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos. Inter quae tribuni plebei petivere ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum. Mox celebratio annua ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.

5. nunc *sed* M. 6. *haut* M. 7. *annua* Lipsius: M *annu* cum lineola super litt. *u*, Beroaldus in annotationibus *annuum*.

quod eum comitiorum consularium die destinatum perperam praeco non consulem ad populum sed imperatorem pronuntiasset. Plinius Paneg. 92: *tuo iudicio consules facti, tua voce renuntiati sumus, ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres.* Velleius Tiberium etiam ob hanc rem laude immerita cumulat II 126: *summotae foro seditio* (comitia tributa sive *contio*), *ambitio campo* (comitia centuriata), *discordia curia.* Idem II 124: *post redditum caelo patrem et corpus eius humanis honoribus, nomen divinis honoratum primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam divus Augustus reliquerat.*

etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant: candidatos ab Augusto commendatos tribus fere creaverant. Suetonius Aug. 56: *quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat supplicabatque more sollemni. Ferebat et ipse suffragium in tribubus ut unus e populo.* Minus speciose Iulius Caesar dictator, ipse a. 708 in decennium creatus consul, magistratuum comitia haberi voluit. Suetonius Caes. 41: *comitia cum populo partitus est ut, exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia quos populus vellet pronuntiarentur, pro parte altera quos ipse edidisset. Et edebat per libellos scriptura brevi: 'Caesar dictator illi tribui. Commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.'* Novi moris sub Tiberio coepti lectorem admonet Tacitus XIV 28: *comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita.*

moderante Tiberio, h. e. modum sibimet imponente, *während T. sich die Beschränkung auflegte.* Conf. II 29: *ita moderans ne lenire neve asperare crimina videretur.* VI 2: *verbis moderans* (*im Ausdrucke sich mässigend.*) *quattuor candidatos —designandos:* dicit praeturae candidatos ex quaestoribus designandos. Hi quattuor in quaestura a. 716 et subsequentibus consulibus adiutores fuere, dein ministri Caesaris facti sunt. Cf. annot. ad XVI 34. In illis quaestoribus tunc fuit Velleius Paterculus et frater eius. Velleius II 124: *quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit.*

mox celebratio annua: Augustalia celebrabantur XII die mensis Octobris: Kalendar. antiqua ap. Orellium Inscript. Lat. v. II p. 411. Quemadmodum *urbano* praetori circensium ludorum cura demandata erat (Iuvenalis X 36—46, XI 191—196), sic ad eum cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset, novorum ludorum celebratio translata est. Qui ludi cum eo anno quo primum celebrati sunt, a tribunis plebei et pecunia ex aerario

Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones 16
seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat. Castris aestivis tres simul legiones habebantur, praesidente Iunio Blaeso; qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus. Is imperitos animos, et quaenam post Augustum militiae condicio ambigentes, impellere paulatim nocturnis colloquiis aut flexo in vesperam die, et dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare. Postremo promptis iam et aliis seditionis mini- 17

2. *sedicio* M. 6. *iusticium* M. 13. *conloquiis* M. 14. *delapsis* M: emendavit Muretus.

data editi essent, *proximis annis* celebratio ad alterum praetorem translata et huius impensis instituta est. Itaque *celebratio annua* (*die jährlich wiederkehrende Feier*), quam scripturam olim ipse oppugnavi, bene se habet atque idem denotat quod *celebratio repetita annis subsequentibus.* Opponit Orellius sic dicendum fuisse *anniversaria*, non *annua*, sed hoc non satis considerate pronuntiatum esse vel ex uno Taciti exemplo XIV 12 *ludis annuis* videre licet; alia aliorum scriptorum suggerit Forcellinius. Minime vero, id quod opinatur idem Orellius, Tiberii malitia in eo cernitur, quod non praetori urbano, primario inter omnes, sed secundo post illum praetori hanc curam demandavit: immo postulabat aequitas, ne novum munus ad eum transferretur cui grave iam iniunctum erat; et ab ipso Augusto cura ludorum ad praetores translata ita distributa est, ut nemo plus quam duo munera quotannis sustineret, de quo dictum ad XIV 20. Nomen praetoris *peregrini* scriptores minus diligenter locuti admiserunt, ut Pomponius l. 2 §. 28 D. *de origine iuris* (I 2), inscriptio aevi Hadriani quam primus edidit Zamosius in Analectis lapidum vetust. c. V init. Conf. A. G. Zumptii dissertatio in Museo Rhen. a. 1842 p. 249. Orellii Inscript. Lat. n. 2369 et 2760. De Augustalibus Dio LVI 46.

Cap. 16. *tres simul legiones:* octava, nona, quintadecima: v. cap. 23 et 30. Ex his *octava* anno 69 Moesiam tuebatur (H. II 85, III 10 et 11), *quintadecima* a. 63 Corbuloni adversus Parthos proficiscenti tradita est (XV 25 et 26), anno autem 69 inferiorem Germaniam obtinuit (H. I 55, III 22, IV 18 et 35 et 58), *nona* in Britanniam a Claudio transmissa et gravi clade principe Nerone ibi conflictata est (XIV 32 et 38. A. 26). Pannoniam a. 69 tertiadecima et septima Galbiana praesidebant: H. II 86, III 7. De Pannonica seditione conferendus Suetonius Tib. 25, Velleius I 125, Dio LVII 4.

ob iustitium aut gaudium: iu-

stris, velut contionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum servorum oboedirent. Quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? Satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent. Ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum tendentes alio vocabulo eosdem labores perferre. Ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari; hinc vestem arma tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi. At Hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem

1. *contionabundus* Beroaldus: M *conditionabundus.* 2. *oboedirent* M, non *obed.* 7. *aput* M. 8. *tendentes* Iac. Gronovius: *tentes* in fine versus, spatio vacuo duabus litteris relicto, M, *retentos* Beroaldus. 14. *ad* pro *at* M.

stitium conventibus indictum est ob finem Augusti; gaudium et festi dies secuti ob successionem Tiberii. Tacitus incertus est quae causa intermittendi solita militum munia praevaluerit. De forma *munia* dictum ad III 2.

theatralium operarum: 'in theatro, sicut in circo, suae partes et factiones, distracto videlicet favore plebis in hunc histrionem, in illum. Eae non raro in tumultum exibant, imo pugnam, imo caedem. Dux his factionibus et signifer levissimus quisque e plebe, cui lingua manusque ad iniurias et contumelias promptae. Ab uno exemplo disce rem totam, apud Suetonium Ner. 26. Operae autem theatrales Tacito, ut Ciceroni operae Clodianae; et in lapide prisco (Gruteri p. 467 7) *operae veteres a scaena.*' Lipsius. Conf. Varro apud Gellium III 3: *pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat* (Plautus), *perdita.* In lapide illo *operae a scaena* sunt ipsi histriones.

histrionali studio: id Percennius probaverat, cum plaudentium factiones (*operas*) certis quibusdam histrionibus conciliavit.

Cap. 17. *apud vexillum tendentes:* *tendere* verbum in re militari legitimum significat permanere sub tentoriis, veluti XIII 36. H. I 31 et 55 et 59, II 66 et 93, sed nunc cum invidia quadam profertur. *alio vocabulo:* vocabulum *vexillarium* et *vexillariorum*, etiam *veterani* vocabantur vel *exauctorati*, ceterorum immunes nisi propulsandi hostis (c. 36). Accuratius disputatum est de hac re ad I 38.

hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi: verba *vacationes munerum* explicationis gratia post saevitiam centurionum accedunt: nam saevitia centurionum leniebatur ac redimi poterat pretio iis soluto nomine vacationum. H. I 46: *locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret.*

pacem sempiterna. Nec aliud levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singulos denarios mererent, sextus decumus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed isdem in castris praemium pecunia solveretur. An praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici. Adstre- 18
pebat vulgus, diversis incitamentis, hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere ut tres legiones miscere in unam agitaverint. Depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt, atque una tres aquilas et signa cohortium locant. Simul congerunt caespites, extruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blaesus advenit, increpabatque ac retinebat singulos,

1. *aliut* M. 3. *adferet* M. 5. *accepit* M: emendavit Beroaldus in mg. M. et in edito exemplo. 8. *aput* M, ut fere ubique. 14. *exstr.* Or.

ut singulos denarios mererent: infra (c. 26) milites postulant *ut denarius diurnum stipendium foret*, et paulo ante dux seditionis questus est, *denis in diem assibus animam et corpus* (militis) *aestimari.* Nimirum quamdiu singulis assibus militi numerabatur stipendium, decem asses integer denarius fuit, licet denarius ab a. 537 non denos asses sed denos et senos pretio aequaret: Plinius XXXIII 13: *post Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti, placuitque denarium sedecim assibus permutari.* Sed idem paulo ante: *in militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus est.* Sed posteaquam Iulius Caesar militare stipendium a quinis in diem assibus auxit ad denos, desiit vetus illa stipendii computandi ratio, militique non certa multitudo assium sed *novem aurei* quotannis, et tribus quidem pensionibus, numerati sunt, quos tandem ad *duodecim aureos* quattuorve trium aureorum pensiones auxit Domitianus: Suetonius Caesare 26, Domitiano 7. Iam novem aurei, annuum Tiberii aetate stipendium a Caesare olim constitutum, cum 900 sestertios efficiant sive 3600 asses, miles quotidie decem asses accepit, sed eos quorum sedecim denarium efficerent et quattuor sestertium. Vides igitur, lector, quid intersit inter decem asses et denarium, intelligis etiam Suetonii de Iulio Caesare verba *legionibus stipendium in perpetuum duplicavit*, non accurate dicta esse. In Lipsii ad h. l. excursu vera falsis mixta sunt ac Waltherus errores Lipsianos novis a se additis auxit.

isdem in castris: forma *isdem* duce libro M nititur et ab optimo Latinitatis auctore commendatur. Nam Cicero in Oratore 47 157: *'idem campus habet' inquit Ennius et 'in templis isdem' probavit: at 'eisdem' erat verius, nec tamen 'eisdem' male sonabat, opimius 'iisdem'*, ubi vulgo corrupte legitur

clamitans 'mea potius caede imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis quam ab imperatore desciscitis. Aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus paenitentiam
19 accelerabo.' Aggerebatur nihilo minus caespes, iamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi inceptum omisere. Blaesus multa dicendi arte, non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait, neque veteres ab imperatoribus priscis neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse; et parum in tempore incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace temptare quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur? Decernerent legatos, seque coram mandata darent. Adclamavere, ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent. Profecto iuvene modicum otium;

2. *incolomis* superscr. *u* M. 3. *iugulatur* M. 4. *adcelerabo* M. 5. *usque*] *eiusque* M: emendavit Beroaldus. *pervicatia* M. *victa* coni. Bezzenberger. 7. *desideria — ferenda* M, sed utrique *a*, litterae *u* aliquatenus simili, alio atramento superductae sunt lineolae. 10. *temptare* M, non *tent.*, et sic semper. 15. *ad* M.

nec tamen 'eisdem' opimius, male sonabat, 'iisdem'. Secundum hoc praeceptum scribamus aut *isdem* aut *eisdem*, *iisdem* opimitatis amatoribus relinquamus.

quae binos denarios acceperint: haec cum loquitur, respicit quae sequuntur, *quae post sedecim annos penatibus suis reddantur*, tempus missionis componens cum stipendiis olim acceptis. Respici a Percennio senatus consultum quo praetorianis viginti in diem asses a. 727 decreti sunt (Dio LIII 11), ut opinatur Orellius, neque verum neque veri simile videtur.

Cap. 18. *eum honorem*, h. e. *ut suae legionis* nomen et aquila manerent, in reliquis omitterentur. *una tres aquilas et signa cohortium locant:* id faciunt metu permoti, ne tres legiones in sua quaeque castra hiberna ducerentur ac tum minore vi agere possent. *signa cohortium* vexilla sunt centuriarum: v. ad I 34.

Cap. 19. *pervicacia victi:* pervicacia ipsius Blaesi et si qui alii fortiter obsisterent, victos esse Lipsius dicit. Immo pervicaciae nomen tam ad milites furentes pertinet quam ad Blaesum obsistentem. Utrique pervicaces erant et obstinati, sed militum pervicacia tandem a Blaeso victa est. Nos dicimus *an Hartnäckigkeit übertroffen.* Paulo ante vitium *eiusque* in M ex *usque* natum est eo, quod ex antegresso *pectori* ultima littera voci *usque* adhaesit. Ex *iusque* porro factum *eiusque.* Contra peccatum est I 13 extr.

cur — vim meditentur: expectamus *meditarentur*, sed fortius est et magis elegans *meditentur*, ex oratione recta (*cur vim medi-*

sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae
satis ostenderet necessitate expressa quae per modestiam
non obtinuissent.

Interea manipuli ante coeptam seditionem Nauportum 20
missi ob itinera et pontes et alios usus, postquam turbatum
in castris accepere, vexilla convellunt, direptisque proximis
vicis ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis
centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus inse-
ctantur, praecipua in Aufidienum Rufum praefectum castrorum
ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant aguntque primo
in agmine, per ludibrium rogitantes an tam immensa onera,
tam longa itinera libenter ferret. Quippe Rufus diu manipu-
laris, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque
militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior
quia toleraverat. Horum adventu redintegratur seditio, et 21
vagi circumiecta populabantur. Blaesus paucos, maxime praeda
onustos, ad terrorem ceterorum adfici verberibus, claudi car-
cere iubet: nam etiam tum legato a centurionibus et optimo
quoque manipularium parebatur. Illi obniti trahentibus, pren-
sare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum,

2. *expraessa* M. 5. *itenera* M. 6. *accipere* M. 13. *centuro* M. 14. *vetus* Lipsius: M *intus*. 15. *tolleraverat* M.

tamini?) simpliciter in obliquam conversum, h. e. nulla habita ratione verbi praegressi *tenderent*.

Cap. 20. *manipuli — Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus:* Nauportus est oppidum in superiore Pannoniae parte ad fluvium cognominem in Savum effluentem. Nunc vocatur *Laybach* Carniolae (*Krain*) caput. Conf. Strabo VII 5 §. 2. Plinius III 22 (18). Velleius II 110: *pars* (Pannoniorum sub Augusto rebellantium) *petere Italiam decreverat, iunctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio.*

vexilla convellunt: iuste dubitari nequit, quin hos manipulos eodem iure *vexillarios* vel *vexilla legionum* vocare Tacito licuerit, quo I 38 *vexillarii discordium legionum* memorantur; v. annotata ad h. l. Sententia *antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris* dilatatur ac certius definitur illata altera *et eo immitior quia toleraverat. Vetus operis ac laboris* perinde ac VI 12: *scientiae caerimoniarumque vetus.* 44: *vetus regnandi.* H. IV 20: *veteres militiae.* 76: *veterem expertumque belli.* Genitivus id denotat cuius inveterata consuetudo vel peritia in aliquo praedicatur.

Cap. 21. *nam etiam tum — parebatur:* haec non ita dicta sunt, quasi centuriones et optimus quisque manipularium furore rebellium mox ipsi correpti sint, sed parebatur ab iis, quia etiamnum iussa ducis exequi poterant, mox autem a lymphatis militibus spreti ac petiti verberibus saluti suae consulere

modo centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem, legionem, eadem omnibus imminere clamitantes. Simul probra in legatum cumulant, caelum ac deos obtestantur, nihil reliqui faciunt quo minus invidiam misericordiam, metum et iras permoverent. Accurritur ab universis, et carcere effracto solvunt vincula, desertoresque ac rerum capitalium damnatos
22 sibi iam miscent. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces. Et Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blaesi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos et quid pararet intentos 'vos quidem', inquit, 'his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blaese, ubi cadaver abieceris. Ne hostes quidem sepultura invident. Cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus,
23 hi sepeliant.' Incendebat haec fletu, et pectus atque os manibus verberans. Mox disiectis quorum per humeros sustine-

1. *cuius quisque* Bezzenberger. 5. *adcurritur* M. 9. *umeris* M. *aput* M. 10. *misserimis* (prius *s* puncto notatur) M. 11. *redidistis* M. 14. *abet* M. 15. *ablegeris* (non *abegeris*) M: *abieceris* Beroaldus in mg. M et in ed. 19. *hi* Muretus ac Lipsius: M *ii*. *incedebat* M (non *incedebant*): emendatum est in Beroaldi editione. 20. *umeros* M.

fugiendo coacti sunt. Sine causa ad hunc locum haesit Wolfius, cuius dubitationes bene removit Waltherus. *invidiam misericordiam, metum et iras:* cf. annot. ad XI 6.

Cap. 22. *ne hostes quidem sepultura invident:* Germ. 33: *ne spectaculo quidem proelii invidere.* Ablativus rem significat sive fontem, unde oriatur invidia; dativus personae (*ei*) supplendus est. Is usus proprius est scriptorum post auream aetatem agentium, veluti Lucani VII 798, Plinii Epist. I 10, III 8, aliorum. Quintilianus IX 3 1: *itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quidquid loquimur, figura est, ut 'hac re invidere', non ut omnes veteres et Cicero praecipue, 'hanc rem'.* Respicit Quintilianus Ciceronis Tuscul. III 9 20. Horatius Graecos aemulatus etiam genitivum huic verbo iunxit Serm. II 6 84: *neque illi sepositi ciceris nec longae invidit avenae.* Genitivi eadem quae ablativi h. l. est ratio.

Cap. 23. *ut pars militum gladiatores — pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alii — effunderentur:* rara arte ut quaeque gravissima erant primum memoravit: quippe ante omnia patratores caedis atrocis exquirere et punire, tum testes idoneos habere, postremo

batur, praeceps et singulorum pedibus advolutus tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars militum gladiatores qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum corpus effunderentur. Ac ni propere neque corpus ullum reperiri, et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem, neque illi fuisse unquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen ac praefectum castrorum extrusere; sarcinae fugientium direptae; et centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum 'cedo alteram' indiderant, quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. Ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. Quin ipsae inter se legiones octava et quinta decima ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur, ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset.

Haec audita quamquam abstrusum et tristissima quaeque 24
maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. Et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. Additur magna pars praetoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant; simul praetorii praefectus Aelius Seianus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tibe-

4. *vincerent* pr M. 5. *repperiri* M. 6. *umquam* M. 7. *haut* M. 10. *caedo* M. *facta uitae* M. 15. nunc *decima* M. 17. *praeces* M. 20. *duabus quae* M. 25. *Seinanus* pr M. *aput* M.

delicti corpus, ut dicunt iureconsulti, reperire milites irati studebant. *Effunderentur* et multitudinem et impetum turbae ex portis castrorum prorumpentis pingit.

Cap. 24. *et cohortes delecto milite supra solitum firmatae: delectus miles* singuli sunt ex ceteris cohortibus praetoriis lecti et illis duabus immixti. Scilicet ne Pannoniae legiones ad se domandas advenisse praetorianos crederent atque aegre ferrent, duas tantum cohortes imperator misit; quae ut robore non omnino carerent, supra solitum, h. e. supra numerum millenarium, auctae sunt.

qui tum custodes imperatori aderant: Germanos custodes post cladem Varianam Augustus dimiserat: Suetonius Aug. 49. Mox aut ipse aut Tiberius eosdem, ut hinc clarum, rursus acciverat. Particulam

rium auctoritate, rector iuveni, et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium, obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi et vultu, quamquam mae-
25 stitiam imitarentur, contumaciae propiores. Postquam vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent: ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus, silentium manu poscens. Illi quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare; murmur incertum, atrox clamor et repente quies; diversis animorum motibus pavebant terrebantque. Tandem interrupto tumultu litteras patris recitat, in quis perscriptum erat praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset; ubi primum a luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum; misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet quae statim tribui possent; cetera senatui servanda, quem neque gratiae neque severitatis ex-
26 pertem haberi par esset. Responsum est a contione mandata Clementi centurioni quae perferret. Is orditur de missione a sedecim annis, de praemiis finitae militiae; ut denarius diurnum stipendium foret; ne veterani sub vexillo haberentur. Ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur. Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefa-

5. *propi . . ores* e rasura M. videtur primum habuisse *propitiores.* 6. *introit* M: correxit Lipsius. 9. *sedtulerant* M: correxit Beroaldus. 13. *praecipum* M. 15. *aput* M. 17. *tribue* pr M. 19. *concione* Beroaldus: M *contentione.* 20. *perferret* M, non *praeferret* nec *proferret.* *orditur dimisione* M.

tum dum ponit Tacitus, subindicat eum morem a suis temporibus, h. e. a Traiani aevo, alienum esse.

Aelius Seianus — praemiorumque ostentator: observes, lector, quomodo ille qui principatus Tiberiani quasi ἀλάστωϱ exortus est et insignium domi malorum et cladium auctor extitit, nunc ubi primum memoria eius prolata est, annuntietur.

Cap. 25. *portas stationibus firmant:* id faciunt suspicione adversus praetorianos moti: Drusus enim cum paucis comitibus et satellitibus vallum ingressus erat, plerique remanserant extra castrorum ambitum; v. cap. 27 extr. *Globi armatorum* opponuntur ceterae multitudini quae sine armis Drusi verba audivit.

ciendi licentia? At Hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse. Nunquamne nisi filios familiarum venturos? Novum id plane quod imperator sola militis commoda ad senatum reiciat. Eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut proelia indicantur. An
praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse? Postremo 27
deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum, maxime infensi Gnaeo Lentulo, quod is ante alios aetate et gloria belli firmare Drusum credebatur et illa

2. *fustrari* M. 3. *retulisse* M. *numquamne* Or. *nisi filios* editor: vulgo *ad se nisi f.*, M *nisi ad se filios*. 6. *prael.* Or. *indicantur* litteris *ca* correctis in rasura M. 9. *occurreret*, non *occurrerat*, M. *discordie* M. 10. *CN.* M.

Cap. 26. *nunquamne nisi filios familiarum venturos:* verborum vitiosam consecutionem *nunquamne nisi ad se* iam non defendam, ut olim feci, neque cum Lipsio sedem verborum *ad se* commutabo, ut sit *ad se nisi*: nam *ad se* ex notatione marginali in operis contextum non apte illatum esse non solum locus alienus indicat, sed multo magis tenor sententiae probat. Nimirum seditiosi illi non de se solum sed de *legionibus in universum* queruntur: lege proxime priora: *Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum.* Eodem modo pergunt: *nunquamne nisi filios familiarum venturos?* venturos scilicet ad legiones in provinciis dispositas.

Cap. 27. *manus intentantes, causam discordiae et initium armorum*, h. e. ut causa discordiae et initium armorum inde (ex intentatis manibus) oriretur. Accusativus rem ex praegressis consectariam (*ein Ergebniss*) significat ac pendet ex notione verbi ex cetero enuntiato subintelligendi. Conf. I 74: *sed Marcellum insimulabat sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen.* II 64: *immittere latronum globos, excindere castella, causas bello.* VI 37: *albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus.* XVI 8: *Silanum increpuit — tamquam disponeret iam imperii curas, praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul et falsa.* Eodem accusativo etiam consilium ac finis (*ein Zweck*) denotari potest, quod si fit, accusativus et praecedere potest et subsequi. I 3: *Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum — pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam — geminatis consulatibus extulit.* 49: *truces — cupido involat eundi in hostes, piaculum furoris* (ut esset piaculum furoris). H. I 44: *omnesque conquiri et interfici iussit — munimentum ad praesens, in posterum ultionem.* 72: *et haud dubie servaverat* (puellam), *non clementia, — sed effugium in futurum.*

primus aspernari: fortius hoc est et maius quam *in primis aspernari.* Lentuli laudes IV 44. *Militiae flagitia* dicit commissa adversus militarem disciplinam et modestiam, nihil amplius. *Provisu periculi* idem est quod *evitaturus periculum.*

militiae flagitia primus aspernari. Nec multo post digredientem cum Caesare, ac provisu periculi hiberna castra repetentem, circumsistunt, rogitantes quo pergeret, ad imperatorem an ad patres, ut illic quoque commodis legionum adversaretur. Simul ingruunt, saxa iaciunt. Iamque lapidis ictu cruentus et exitii certus, accursu multitudinis quae cum Druso advenerat
28 protectus est. Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente caelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura quae peterent, si fulgor et claritudo deae redderetur. Igitur aeris

2. *cum*] *eum* M. 6. *adcursu* M. 8. *clamore pena caelo* M: emendavit Lipsius. 9. *suis* Freinshemius: *asuis* M. in mg. Beroaldi manu *ac suis*. 11. *peterent* editor: M *pergerent*, in mg. Beroaldi manu *gererent*, *peragerent*.

digredientem cum Caesare: mire Orellius: 'id est *a Caesare*, uti apparet toto ex loco, maxime ex vv. *multitudinis quae cum Druso advenerat*'. Nimirum oblitus est Drusum cum paucis castra ingressum esse, ceteram eius multitudinem extra relictam.

Cap. 28. *luna — languescere:* 'eclipsis haec, apud chronologos celebris, incidit in V. kalend. Octobr. initio hor. 3 18′ 32″, fine h. 7 6′ 32″, certa testis incipientis principatus Tiberiani'. WOLFIUS.

suis laboribus — adsimulans: sententia *id miles rationis ignarus omen praesentium accepit* duabus aliis explicatur, una *suis laboribus defectionem sideris adsimulans*, altera *prospereque cessura, — si fulgor et claritudo deae redderetur;* priori suum est participium *adsimulans*, alteri ex hoc ipso supplendum est (*censens*). Inde apparet particulam *ac*, quae in veteribus editionibus admissa est, importunam esse et procul removendam. Codicis M scriptura *asuis* pro suis orta videtur ex prima littera verbi praecedentis (*accepit*) perperam repetita. Boeckhius in Not. crit. ad Pindari Ol. III 34 commendavit *ac suis laboribus defectionem sideris adsimulant*, alii alia.

prospereque cessura quae peterent: quod est in codice *quae pergerent*, id corruptum esse per se planum et a Seyfferto *Emend. Tacit.* p. 2 commonstratum est. Structurae subvenire voluit Orellius scribendo *ad quae pergerent*, sed *pergere ad* Tacitus non iunxit, nisi ubi de loco et spatio vere emenso loquitur, ut I 40: *ad superiorem exercitum pergeret.* 41: *pergere ad Treviros.* III 8: *ad Drusum pergit.* Add. IV 52, V 10, XII 44. Neque milites illi ad quidquam perrexerunt, id est porro profecti sunt. Seyffertus commendavit *pararent*, Bezzenberger *pepigerint*, Rhenanus *gererent*, Pichena *peragerent*, I. F. Gronovius *urgerent.* Mihi et aptum sententiae videtur et proxime ad codicis vestigia accedere *peterent*, pro quo si *pererent* neglegentia scriptum esset, hoc in *pergerent* transformari facilius potuit, quod scribentis oculi *quo pergeret* modo antegressum observare etiam tum poterant. *Petere* autem h. l. unice verum est: petebant enim milites missionem a sedecim annis, petebant praemia finitae militiae; ut denarius diurnum stipendium foret; ne veterani sub vexillo haberentur (c. 26).

sono, tubarum cornuumque concentu strepere; prout splendidior obscuriorve, laetari aut maerere; et postquam ortae nubes offecere visui creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari deos lamentantur. Utendum inclinatione ea Caesar et, quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria iubet. Accitur centurio Clemens, et si alii bonis artibus grati in vulgus. Ii vigiliis stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. 'Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus et Drusis imperium populi Romani capessent? Quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad paenitentiam sumus? Tarda sunt quae in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias'. Commotis per haec mentibus et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas, signa unum in locum principio seditionis congregata suas in sedes referunt. Drusus orto die et vocata contione, 29
quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita incusat priora,

1. *spelndidor* M. 5. *loborem* M. *potandi* M, in mg. Beroaldus *portendi*. *adversari* M: correxit Rhenanus. 9. *ii* Lipsius: M *in*. 11. *Percennioni* M. 14. *quiin* M. 16. *que* M. 18. *auerterano* M. 21. *contentione* M: *concione* Beroaldus.

*ii vigiliis stationibus, custodiis portarum se inserunt: vigiliae stationes*que sine vinculo iuxta positae tamquam unum orationis membrum proximo (*custodiis portarum*) respondent: v. ad XI 6. *Vigiliae* in re castrensi sunt quae noctis tempore speculantur circumeundo, rectene se habeant omnia in castris et extra (*Patrouillen*). *Stationes* sunt globi militum tam in castris quam non procul ab iis per intervalla custodiendi causa tendentes (*Wachtposten*). Species stationum ipsae *custodiae portarum* sunt, quae aditus in portis castrorum observant tuenturque. Conf. I 25: *portas stationibus* (custodiis portarum) *firmant*. 32: *vigilias stationes, et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur*. 64: *barbari perfringere stationes* (tempore diurno cum nullae vigiliae). IV 48: *omittere stationes*. 50: *firmatae stationes densioribus globis*. VI 34: *Pharasmanes — adequitare castris — ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat*. XI 18: *stationes vigiliae, diurna nocturnaque munia*. XIII 35: *re-*

probat praesentia; negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet. Orantibus, rursum idem Blaesus et Lucius Apronius eques Romanus e cohorte Drusi, Iustusque Catonius primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii opperiendos legatos atque interim comitate permulcendum militem censerent, alii fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum; terrere, ni paveant; ubi pertimuerint, impune contemni; dum superstitio urgeat, adiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus. Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici iubet. Tradunt plerique intra tabernaculum ducis obrutos, alii cor-
30 pora extra vallum abiecta ostentui. Tum, ut quisque praecipuus turbator, conquisiti; et pars, extra castra palantes, a centurionibus aut praetoriarum cohortium militibus caesi; quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas praematura hiems, imbribus continuis adeoque saevis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda raptabantur. Durabat et formido caelestis irae, nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamen-

4. *L.* M. *aeques* M. (*a* puncto notatum). 6. *operiendos* M. 7. *primulcendum* M. 9. *inpune* M. 11. *ingnum* M. 18. *hiemps* M. *adeo quae* M. 20. *reptabantur* M. 22. *aliut* M.

teranos qui non stationem, non vigilias inissent. H. I 23: *in itinere in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans.* 28: *stationem in castris* (praetoriis) *agebat Iulius Martialis tribunus.* H. II 29: *vetitis obire vigilias centurionibus.* H. III 9: *Antonius stationes hostium inrupit.* H. IV 26: *dispositae per omnem ripam stationes, quae Germanos vado arcerent.*

Cap 29. *idem Blaesus: idem* additur ut filium Blaesi ducis, non ipsum, Romam missum esse pateret: idem enim paulo ante legatione functus erat: v. cap. 19.

adiciendos ex duce metus: cave credas *ex duce* perinde dictum esse atque *a duce:* immo praepositio non pendet ex verbo *adiciendos*, sed e nomine *metus*. Opponuntur igitur angores caelestes et metus ex duce. *promptum — Druso erat:* ὠμὸν γέννημα ἐξ ὠμοῦ πατρός. Cf. cap. 76 et Dio LVII 13.

Cap. 30. *adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates:* prius attinet ad defectionem lunae c. 28 narratam, alterum ad praematurae hiemis imbres et tempestates.

tum quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo suis quisque hibernis redderentur. Primum octava, dein quinta decuma legio rediere. Nonanus opperiendas Tiberii epistulas clamitaverat, mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit. Et Drusus non expectato legatorum regressu, quia praesentia satis considerant, in urbem rediit.

Isdem ferme diebus isdem causis Germanicae legiones **31**
turbatae, quanto plures, tanto violentius, et magna spe fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus vi sua cuncta tracturis. Duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub Gaio Silio legato; inferiorem Aulus Caecina curabat. Regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum.

5. *pervenit* M. 6. *ligatorum* M. *considerant* M. Rhenanus *consederant*. 8. *istem* priore loco, *isdem* posteriore et paulo post. 11. *tracturus* M: correxit Freinshemius. *aput* M. 12. *G. filio* M: *Silio* correxit Beroaldus in mg. M. 13. *ligato* M. *A.* M.

quia praesentia satis considerant: formam *considerant* minus tritam sed Latinis minime inauditam iusto properantius in vulgarem mutavit Rhenanus, qui in exemplari Frobeniana a. 1519 offendit vitium typographicum *consyderat*, sed apud Beroaldum, ut in M, recte *considerant*. Perinde *insidere* XVI 27 Tacitus scripsit, a Puteolano *insedere* transformatum. Cf. Haasii annotatio 299 ad Reisigii Praelectiones de arte sermonis Latini pag. 258.

Cap. 31. *isdem ferme diebus*, cet. Seditionem Germanici exercitus praeter hunc nostrum narrat breviter Velleius II 125, Suetonius Tiberio 25, Dio LVII 5—6.

agendo Galliarum censui tum intentum: haec quomodo accipienda sint, docet Suetonius scribens in Caesare c. 25: *omnem Galliam — in provinciae formam redegit, eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.* Eutropius VI 17: *Galliae autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties.* Conf. Dio LIII 22 et Livius Epit. 134. Gallia igitur *stipendiaria* provincia fuit, non *frumentaria*, h. e. tributum quotannis solvebat pecunia, non decumas frumenti pendebat. Ad tributum illud in plures annos pro facultate Gallorum distribuendum et describendum Germanicus tunc intentus erat. Cf. XIV 46: *census per Gallias a Quinto Volusio — acti sunt.* II 6: *missis ad census Galliarum Publio Vitellio et Gaio Antio.* Censum suum unusquisque ipse professus est: hinc legimus c. 33: *Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti* cet.

nam isdem aestivis in finibus Ubiorum: haec aestiva castra ad Rheni ripam inter oppidum Ubiorum et Vetera fuere. Nam sedata seditione quintani atque unetvicesimani abscessere (c. 37), et locum quo sunt profecti fuisse Vetera hiberna sua collato c. 45 liquet. Primam autem ac vicesimam legiones in civitatem Ubiorum, quae postea Colonia Agrippinensium,

Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienae speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unetvicesimanis quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus: nam isdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur per otium aut levia munia. Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo nuper acto in urbe delectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, impellere ceterorum rudes animos: venisse tempus quo veterani maturam missionem, iuvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent, saevitiamque centurionum ulciscerentur. Non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures, alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: sua in manu sitam rem Romanam; suis victoriis augeri rem

4. *quoque auicessima* M. 7. *dilectu* M. *suaeta* M. 8. *impellere* Acidalius: M *implere*. *venisset* pr M. 9. *veterandmaturam* M. 12. *aput* M.

Caecina ad hiberna castra reduxit (c. 37). Inde colligere licet aestiva illa inter utrumque oppidum ad ripam Rheni (c. 32: *exanimos — in amnem Rhenum proiciunt*) interiecta fuisse.

nuper acto in urbe delectu: delectus ille habitus erat quinquennio ante, cum tres legiones in Germaniae silvis cum Varo amissae essent: Dio LVI 23 et LVII 5. Suetonius Aug. 25: *libertino milite bis usus est, semel ad praesidium coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam Rheni fluminis.* Tacitus igitur *vernaculam multitudinem* dixit quae tota aut fere tota libertinis constabat.

impellere ceterorum rudes animos: quod codex M offert *implere* (omissa media syllaba impellere), id h. l. non aptum est et alienum a consuetudine sermonis Latini: nam *implere animos* nonnisi adiecto eo quo implentur, dicimus. Nude Latini non magis dicunt *implere r. animos* ac nos Germani *sie erfüllten die unerfahrenen Gemüther.* Neque *implere* per se solum usquam est *inquinare*, *inficere*, sed est *satiare*, quod ab hoc loco alienissimum. Sic c. 22: *implere dolorem osculis, lacrimis.* II. I 90: *genus orandi — ad implendas aures latum et sonans.* Alibi est *satisfacere*, etiam *perficere*, neque eae significationes nostris verbis conveniunt. Contra *impelli* homines sive animi tum dicuntur, cum ante ambigui accedente momento in unam partem inclinant, imagine sumpta a lance. Terentius Andr. I 5 31: *dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.* Sic etiam hic noster I 16: *is imperitos animos et quaenam post Augustum militiae conditio ambigentes, impellere paulatim.* XV 51: *is — spem dedit posse impelli.* II. I 7: *postquam impellere nequiverint.* H. II 63: *Sabinus — impulit ruentem.* 75: *facilius universos impelli quam singulos vitari.* H. III 57: *a quibus municipia coloniaeque impulsae.* Ad hunc usum verba de quo loquimur Theodisce convertenda sunt: *sie reissen die unerfahrenen Gemüther der Uebrigen mit fort.*

publicam; in suum cognomentum adscisci imperatores. Nec 32
legatus obviam ibat: quippe plurium vecordia constantiam
exemerat. Repente lymphati destrictis gladiis in centuriones
invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies et sae-
viendi principium. Prostratos verberibus mulcant, sexageni
singulos, ut numerum centurionum adaequarent: tum convulsos
laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem
Rhenum proiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal
pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque flagitatus est donec
ad exitium dederetur. Cassius Chaerea mox caede Gai Cae-
saris memoriam apud posteros adeptus, tum adulescens et
animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit.
Non tribunus ultra, non castrorum praefectus ius obtinuit:
vigilias stationes, et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi
partiebantur. Id militares animos altius coniectantibus prae-
cipuum indicium magni atque inplacabilis motus, quod neque
disiecti, nec paucorum instinctu, sed pariter ardescerent,
pariter silerent, tanta aequalitate et constantia ut regi crederes.
Interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti 33

2. *vaecordia* M. 3. *destrictis*, non *districtis*, M. 4. *vetussima* M. *seviendi* M. 10. *C.* M. 12. *patifecit* M. 16. *inpl.* M, non *impl.* 17. *nec* Grotius: M *nil*, Rhenanus *vel.* *set* M.

in suum cognomentum adscisci imperatores: Germanici cognomentum intelligunt, decretum a senatu olim Druso († 745), mox filiis eius Germanico et Claudio. Dio LV 2. Pedo Albin. v. 337. Suetonius Calig. 1, Claud. 1. *Imperatores* h. l. dicuntur duces militum, nihil amplius, neque huc pertinet quod Tiberius ipse se ob res in Germania gestas aliquando Germanicum appellavit; cf. Dio LVII 8. Itaque *in suum cognomentum adscisci* est *suo cognomento vocari*, h. e. *ut suum cognomentum imperatoribus tribuatur.* *In* accusativo subsequente h. l., ut persaepe apud Tacitum, rem effectam (*das Resultat*) indicat.

Cap. 32. *plurium vecordia: plurium* nunc interpretare τῶν πλειόνων, non simpliciter πλειόνων.

sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent: tantum seditio et conspiratio militum statim evaluit, ut sexageni singulos cuiusque legionis centuriones verberibus mulctaturi destinari possent. Non enim *omnem* legionum multitudinem extemplo furore fuisse correptam ex verbis *plurium vecordia* et paulo ante *multa seditionis ora vocesque* liquet. Coniectura illa *sexagenis singulos* haud dubie improbanda est: scilicet in eiusmodi tumultu ludo tragico nullus est locus. Ceterum in singulis legionibus fuisse centurias sexaginta, manipulos triginta, cohortes decem, manipulorum autem binos ac cen-

excessisse Augustum adfertur. Neptem eius Agrippinam in matrimonio pluresque ex ea liberos habebat, ipse Druso fratre Tiberii genitus, Augustae nepos, sed anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae. Quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus; unde in Germanicum favor et spes eadem. Nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa a Tiberii sermone vultu adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis; atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore
34 quamvis indomitum animum in bonum vertebat. Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit. Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut paenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere. Et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret;

5. h. l. *apud* M. *credebatur. Qui si* M. 6. *potius* M. 8. *adtiberii* (*d* puncto notatum) M. 9. *accebant* M. 12. h. l. *sed* M. 13. *proprior* M (*r* puncto notatum, ut videtur, Beroaldi manu). 14. *seque͂* M: *Sequanos* Beroaldus. 18. *spetiem* M.

turiarum singulos centuriones lector reminisci debet. Conf. Cincius ap. Gellium XVI 4, Polybius VI 24 1.

Cassius Chaerea — adeptus: v. Suetonius Calig. 56 sq. Dio LVIII 29 sq. *vigilias stationes:* conf. ad XI 6. *nec paucorum instinctu:* recepi *nec* a Grotio oblatum pro *nil:* hoc ipsum defendere nequeo, ac memor in talibus Tacitum nova et insolita minime sectari codicis scripturam tolerare non potui.

Cap. 33. *neptem eius Agrippinam:* M. Agrippa et Iulia Augusti filia genita erat: I 41. *credebaturque — libertatem redditurus:* Suetonius Tib. 50: *odium in Druso detexit* (Tiberius), *prodita eius epistola qua secum de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat.* Conf. idem Claud. 1. Tacitus II 82. *novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis:* Agrippina Liviae nurus et haec noverca eius erat, quia Tiberius Germanicum pro filio adoptaverat.

nisi quod castitate — in bonum vertebat: mulier animo commotior, ut ad extrema bonorum et malorum iuxta inclinaret, ab omni facinore abstinuit, ne optimi dilectissimique mariti animum offenderet, immo impetus ferox et ad audendum quodvis paratus in bonum vertebat, cuius rei argumenta narrantur I 40 et 69. Conf. II 72, IV 52 et 53. Reiicienda Neuii coniectura (Observat. ad Tacit. spec. I) *vertebant.*

alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem contionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum; vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes. Tarde obtemperavere. Tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii, praecipuis laudibus celebrans quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors.

35 Silentio haec vel murmure modico audita sunt. Ut seditionem attigit, ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quonam tribunos, quo centuriones exegissent, rogitans, nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant; mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli materiae lignorum aggestus, et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui

5. *elexit* M. *triumphos quitiberii* M. 6. *aput* M. 9. *murmurem* M. 12. *universa* M: correxit Lipsius. 13. *exprobant — praetia vocationum* M: correxit Beroaldus. 15. *papuli* M. *adg.* M.

Cap. 34. *sic melius audituros responsum:* Germanicus qui erat clementior (II 57) eo mitigari turbidos militum animos putabat, si significaret se non incusare praesentia sed ad querelas eorum responsum dare velle; ideo dicit permixtam contionem in manipulos oportere discedere, ut ordine dispositi melius audirent responsum. Id cum factum esset, iam audentior admonet militaris disciplinae atque vexilla praeferri iubet.

vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes: his verbis respicit et exprobrat centuriones occisos aut exactos, qui cum suum quisque ordinem ducere non possent, vexilla praeferri iubet, ut iis *saltem* cohortes discretae verba ducis audirent. Praeter aquilam, insigne totius legionis, in singulis legionibus inerant sexaginta vexilla, sexagenis centuriis destinata, in quibus cuius quodque cohortis esset, perscriptum erat. Hinc vexilla I 18 *signa cohortium* nominantur et I 37 *signa* atque *aquilae* duarum legionum, c. 39 *signa* legionis et *aquila* eius componuntur, cap. 47 *aquiliferi* cum *signiferis* et III 20 *signiferi* unius cohortis Romanae commemorantur. Propria autem praeter vexilla cohortium legionariarum signa nulla fuere. Veget. II 13: *antiqui quia sciebant in acie commisso bello celeriter ordines aciesque turbari atque confundi, ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diviserunt et singulis centuriis singula vexilla constituerunt, ita ut ex qua cohorte vel quota esset centuria, in illo vexillo litteris esset adscriptum, quod intuentes vel legentes milites in quantovis tumultu a contubernalibus suis aberrare non possent.* Quod Vegetius paulo ante ponit, *dracones etiam per singulas*

tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant. Fuere etiam qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus; et si vellet imperium, promptos ostentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. Opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans, ferrum a latere deripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Extrema et conglobata inter se pars contionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, feriret hortabantur; et miles nomine Calusidius strictum obtulit gladium, addito acutiorem esse. Saevum id malique moris etiam furentibus visum; ac spatium
36 fuit quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur. Consultatum ibi de remedio. Etenim nuntiabatur parari legatos qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent; de-

2. *istem* M. 5. *omnibus* M: emendavit Beroaldus. *promtas* M: correxit Rhenanus. *ostendavere* M. 8. *exsueret* M. 9. *diripuit* M. *impectus* M. 10. *atinuissent* M. 12. *proprius* (*r* puncto notatur) M. 13. *structum* M.

cohortes a draconariis feruntur ad proelium, id ab iis temporibus, quorum res a Tacito traditae sunt, alienum. Unum totius legionis insigne aquila esse coepit a secundo Marii consulatu (650 = 104): Plinius X 5 (4): *Romanis eam* (aquilam) *legionibus C. Marius in secundo consulatu suo proprie dicavit. Erat et antea prima cum quattuor aliis: lupi minotauri, equi aprique singulos ordines anteibant. Paucis ante annis sola in aciem portari coepta erat; reliqua in castris relinquebantur: Marius in totum ea abdicavit.*

Cap. 35. *nudant universi corpora:* qui tenent *universa*, manifestum codicis vitium, *universa corpora* interpretantur *omnes corporis partes;* sed hi duobus modis peccant, primum quod Latine dici id oportuit *totum corpus*, tum quod incredibilia narrantem Tacitum faciunt. Qui *universa corpora* totius exercitus corpora intelligunt, non minus absurda Tacito obtrudunt: sic enim qui nudant alii sunt quam qui nudantur.

neu mortem in isdem laboribus, sed finem — orabant: plena foret oratio *neu mortem in isdem laboribus obire sineret*, sed consulto admissum videtur zeugma satis insolitum, ut atrox et inconditus veteranorum clamor luculentius describeretur, quod magis apparebit, si voces eorum directo sermoni accommodaverimus: *medela fessis, neu mors in isdem laboribus, sed finis tam exercitae militiae, neque inops requies.*

promptos ostentavere: pronomen se perinde suppressum est, ut V 5: *sed paratos ad ultionem vi principis impediri testarentur.*

stinatum excidio Ubiorum oppidum, imbutasque praeda manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis. At si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi. Periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi sive omnia concedentur, in ancipiti res publica. Igitur volutatis inter se rationibus placitum ut epistulae nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum immunes nisi propulsandi hostis; legata quae petiverant, exolvi duplicarique. Sensit miles in 37
tempus conficta, statimque flagitavit. Missio per tribunos maturatur; largitio differebatur in hiberna cuiusque. Non abs-

4. *at si* M, non *ac si*. 6. *sive*] *sibi* M: correxit Iac. Gronovius. 10. *inm.* M. 11. *exsol.* Or.

Cap. 36. ***at si auxilia et socii —armarentur:*** auxilia dicit cohortes sociorum et alas quae aderant in duabus Germaniis, in superiore atque inferiore, *socios* qui novo delectu parari poterant et componi in cohortes auxiliares.

concedentur: non vere Rhenanus mutavit codicis scripturam in *concederentur:* nimirum is ad verba *periculosa severitas, flagitiosa largitio* falso supplebat *videbatur*, sed subintelligenda est potius tertia substantivi verbi persona (*est*).

Cap. 37. *turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti — veherentur:* quod quintani atque unetvicesimani extorserant, ut legata exolverentur, idem quamvis non flagitantibus primae ac vicesimae legionibus concessum, sed necessitate quadam concessum esse (quippe aemulatio legionum non toleratura erat, ut his pecunia solveretur, apud illos differretur), id his verbis breviter significatum est.

inter signa interque aquilas: signa sunt vexilla centuriarum pro singulis cohortibus distincta et notata. Perinde signa et aquila memorantur c. 39: *illic* (in castris primae legionis) *signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur.* Conf. ad I 34.

Cap. 38. *vexillarii discordium legionum:* Germanice interpretare *Fähnleinsmannen der aufrührerischen Legionen.* Nam *vexillarii* milites sive *vexillares* sive *vexilla* tunc memorantur, cum neque legio cum aquila sua neque cohors legionaria cum omnibus suis vexillis, neque cohortes sociales cum signis suis, neque ala, h. e. numerus quingentorum equitum ex sociis, sed delecti ex legionibus vel ex cohortibus sociorum vel ex alis nominandi sunt. Qui delecti si sunt ex legionariis, *vexilla legionum* vel *vexillarii legionum* vocantur, veluti hoc nostro loco ubi *vexillarii* ab aliis perperam pro *veteranis* habentur (immo veteranos tum apud ipsas legiones in aestivis ad Rheni ripam fuisse edocemur verbis illis c. 35: *atrocissimus veteranorum clamor* cet.), et IV 73 *vexilla legionum e superiore provincia* et XIV 34 *quarta decuma legio cum vexillariis vicesimanis*, h. e. cum delectis vicesimae legionis. Conf. XV 26:

cessere quintani unetvicesimanique, donec isdem in aestivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiam decumam et sextam decumam legiones nihil cunctatas sacramento adigit. Quartadecumani paulum dubitaverant: pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est.

38 At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum, et praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id Mennius castrorum praefectus, bono magis exemplo quam concesso iure. Deinde

1. *quintaniunt etuicessimanique* M (non *untetvicesimanique*). *istem* M. 3. *vicessimam* M. 8. *quartadecimani* nunc M. 10. *at*] *ad* M. 12. *Mennius*] fortasse fuit *Maenius*. *Mennius* nullus apud Gruterum, *Menius* unus p. 40 7: *M. Ennius* Heinsius coniecit, parum probabiliter.

vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto, i. e. legionarios delectos ex Illyrico et Aegypto. H. II 18: *certum erat Spurinnae — necdum venisse Caecinam — nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios* (delectos e legione) *cum paucis equitibus veterano exercitui obicere.* c. 24: *tertiae decumae legionis vexillum* (*ein Fähnleinshaufen der 13ten Legion*), *quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites.* 66: *Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse.* 83: *legio sexta et tredecim vexillariorum milia.* 89: *quattuor legionum aquilae per frontem, totidem circa e legionibus aliis vexilla.* 100: *vexilla quartae, sextae decumae et quintae decumae legionum*, ubi v. annot. H. III 22: *cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum.* Iidem *vexillarii trium Britannicarum legionum* H. II 100 appellantur et H. II 57 *e Britannico delectu octo milia.* H. III 48: *ut vexillarios e legionibus* (cf. c. 50 *e legionibus lecti*) *ducemque Virdium geminum — deligeret.* A. 18: *contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu.* Legionarii iam exauctorati sed sub vexillo retenti item sunt vexillarii, sed hi proprium genus vexillariorum (*veteranos*) efficiunt, de quo locutus est Tacitus I 26: *ne veterani sub vexillo haberentur.* 36: *exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo.* 39: *veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant.* III 21: *vexillum veteranorum non amplius quingenti.* Vexillarios *ex cohortibus praetoriis* offendimus H. III 21: *praetorianum vexillum proximum tertianis; vexilla equitum* nominantur H. II 11, adeo *vexillarii e cohortibus* (sociorum) H. III 6, etiam H. I 70 *praemissis — Germanorum vexillis cum ala Petrina*, iidemque *lecti e cohortibus* H. II 14, postremo *vexillum tironum* II 78. Neque vere neque dilucide de vexillariis exposuit Lipsius tum de Militia Rom. I 8 et V 19, tum ad Taciti Annales I 17, quem secutus Walchius ad Agricolam (c. 18) rem per se non difficilem disputando impeditam fecit.

intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. Simul exterritis qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.

Interea legati ab senatu regressum iam apud aram Ubio- 39
rum Germanicum adeunt. Duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum iussu qui inrita facerent quae per seditionem expresserant. Utque mos vulgo quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti incusant; et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque ad ianuam facto moliuntur fores, extractum cubili Caesarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. Mox vagi per vias obvios habuere legatos, audita consternatione ad Germanicum tendentes. Ingerunt contumelias, caedem parant, Planco ma-

4. *exterritis*, non *deterritis*, M. *obsisterant* M. 6. *turpidos* M. 7. *aput* M. 9. *vicensima* (*n* puncto notatur) M. 10. *vaecordes* M.

raptum vexillum ad ripam vertit: ne agmen subsisteret seditionique vacaret, vexillum signifero dereptum occidentem versus ad ripam Rheni vertit. *in hiberna:* intellige castra quintae atque unetvicesimae legionum Veteribus hibernantium (c. 45). Nam ex hoc oppido, non ex ara Ubiorum, in Chaucos profecti erant vexillarii, situ regionum id suadente et monstrante.

Cap. 39. *apud aram Ubiorum:* ubi Tacitus hanc aram positam cogitaverit, in incerto esse nequit, quamvis a viris doctis ea de re varie dubitatum sit. Scilicet paulo ante (c. 37) eundem hunc locum *civitatem Ubiorum* dixit et c. 36 *oppidum Ubiorum*, hiberna tum primae et vicesimae legionum, quae iam *apud aram Ubiorum* hiemare dicuntur. Idem autem de hac *civitate* sive *oppido* in rebus anni 50 post Chr. narrat XII 27: *sed Agrippina* (Claudii Caesaris uxor) — *in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum e vocabulo ipsius.* Conf. XIII 57, ubi *civitas Ubiorum* et *conditae nuper coloniae moenia.* Haec est *colonia Agrippinensis* sive *Agrippinensium* (H. I 56, IV 20 25 28 56 79. G. 28), olim *ara* vel *oppidum Ubiorum*, dein colonia, iam omnium urbium quae in felici Rheni ripa sunt et antiquitate insignis et divitiis negotiisque celeberrima. Vetera inde sexaginta milibus passuum (12 miliariis geographicis) distabant: I 45. Ipsa ara ab Ubiis

xime, quem dignitas fuga impediverat. Neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis. Illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur; ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset. Luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat, recepitque in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati aperit; ius legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur, attonitaque magis quam quieta contione legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit.

40 Eo in metu arguere Germanicum omnes quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium. Satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum. Vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam coniugem inter furentes et omnis humani iuris violatores haberet? Illos saltem avo et rei publicae redderet.

3. *relegione* M. *quilifer* M. 8. *recepitque* M, non *recipitque*. 14. *oms* cum lin. M.

Augusto posita erat, ut colligi potest ex *sacerdotio Romano* (c. 59) ibi constituto, tum ex ara Lugdunensium, de qua Strabo IV 3 §. 2: *τό τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν· ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ' τὸν ἀριθμόν.*

veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant: sub vexillo simplicius iungitur cum verbo *hiemabant* quam cum participio *missi*, ut foret *ita missi ut retinerentur sub vexillo*, quod sane nimis impeditum.

vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt: dum metuunt milites ac praecipue veterani, ne irrita fieret exauctoratio nuper concessa, hoc munus furentes veterani expugnato vexillo sibi quasi vindicare et conservare conantur. Nam quamdiu vexillum sub quo militabant sequi poterant, certe in legionum numeris non referebantur, sed ceterorum immunes erant nisi propulsandi hostis. Sic haec verba a me olim iusto artificiosius explicata nunc simplicius interpretanda reor. Plus rationis quam id quod dixi in hominibus rabie correptis postulare vel expectare natura eiusmodi tumultus dissuadet.

signa et aquilam: signa universim dixit vexilla centuriarum legionis. Conf. ad I 34.

Cap. 40. *eo in metu*: metus statum rerum indicat metuendum,

Diu cunctatus aspernantem uxorem, cum se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula testaretur, postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quae simul trahebantur; nec minus tristes qui manebant. Non florentis Caesaris neque 41
suis in castris, sed velut in urbe victa, facies, gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere. Progrediuntur contuberniis. Quis ille flebilis sonus? Quod tam triste? Feminas inlustres; non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti. Pergere ad Treviros et externae fidei. Pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria; socer Drusus; ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia; iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil aeque flexit quam invidia in Treviros. Orant obsistunt, rediret maneret,

2. *degenere* M. 3. *con fletu* M. 8. *set* M. 10. *conturberniis* M. 13 et 19. *Treviros* M, non *Treveros*. 14. *Augustaui mem.* M. 18. *elexit* M. 19. *absistunt* M: correxit Beroaldus.

incedebat muliebre et miserabile agmen: praeclare productis syllabis (— — — ◡) verbi *incedebat* tarditatem proficiscentium expressit. Tu convertas *daher schritt er, der weibliche und erbarmungswürdige Zug.*

Cap. 41. *in castris genitus:* Gaium Caesarem Caligulam in Treviris vico Ambiatino supra Confluentes natum esse Gaius Plinius, Germanicorum bellorum scriptor (cf. cap. 69), tradiderat, pro argumento ad aras illic constitutas provocans, in quibus inscriptum erat 'ob Agrippinae puerperium.' Sueton. Calig. 8. Eandem famam sequuntur versiculi Gaio imperante divulgati et a Suetonio recitati: *in castris natus, patriis nutritus in armis, iam designati principis omen erat.* Sed ille re vera Antii in lucem editus est anno 765, et biennio fere post, paucis ante Augusti mortem mensibus, mater cum filiolo in Germaniam ad maritum profecta est, id quod Suetonius et erudite et accurate exposuit Calig. 8, Tacitum qui sequitur Plinium in hac re vere redarguendo. Suetonii rationes evertere frustra conatus est Lipsius in excursu ad h. l., quamvis a Plinii Tacitique partibus stent etiam Athenaeus IV p. 148 D et Aurelius Victor in vita Caligulae.

Cap. 42. *vallo et armis circumsedistis:* cogita militum turbam circum tribunal, unde eos alloquitur dux, nullo ordine ac reverentia fusam armisque strepentem, ut *vallo et armis* idem sit, quod *vallo armorum.*

pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. Isque ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita coepit.

42 'Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt: sed illum quidem sua maiestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent. Coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? Militesne appellem, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis, an cives, quibus tam proiecta senatus auctoritas? Hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium rupistis. Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum eius detractabant. Divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit. Nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat. Primane et vicesima legiones, illa signis a

2. *aput* M. 8. *pronepus* M. 9. *peros* superscr. *h* M. 16. *detractabant* M, sed c. 45 *detrectetur.* 19. *uicessima* M.

Quirites vocando: accidit illud anno 707, cum Caesar ex Aegypto Romam rediit: Dio XLII 53. Sueton. Caes. 70. Appianus B. C. II 93. Plutarch. Caes c. 51. Polyaen. Strategem. VIII 23. Frontin Strateg. I 9. Lucan. V 357: *discedite castris, tradite nostra viris ignavi signa Quirites.* Quirites sunt qui domi civilia tractant, eatenus oppositi militibus, et hac voce milites turbantes ac dona sibi promitti exspectantes solutos esse militia Caesar declaravit.

vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit: vultu et aspectu rhetorice addit, ut sit quod respondeat *verbo uno:* certe Dio LI 3 (conf. Suetonius Aug. 17) alias Augusti artes rettulit.

mirum et ind. erat: eadem structura H. I 16: *si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo res publica inciperet;* similis est I 35: *ferrum — deferebat in pectus, ni proximi attinuissent.* Cf. I 63 et 65, XIII 2. Sic A. 1: *opus fuit* pro *opus fuisset*; H. III 22: *Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonae — ratio fuit.* Bezzenberger coniecit *esset. Nunc prima. et vicesima legiones — gratiam refertis?* Theodisce interpretare: *seid ihr es nicht erste und zwanzigste Legion — die ihr eurem Führer einen besondern Dank abstattet?* Vulgaris structura postulabat *prima et vicesima legiones — egregiamne — refertis?*

illa signis a Tiberio acceptis: hoc factum est haud dubie tunc, cum Tiberius audita clade Variana missu Augusti contendit ad Rhenum

Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? Hunc ego nuntium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos; hic tantum interfici centuriones, eici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra, flumina; meque precariam animam inter infensos trahere. Cur enim primo contionis die ferrum 43
illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o inprovidi amici! melius et amantius ille qui gladium offerebat. Cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius; legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim di sinant ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. Tua, dive Auguste, caelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria isdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque,

4. *saciatos* M. 6. *praecariam* M. 11. *inp.* M. 12. *siniret* M. 14. *istut* M. 16. *istem* M. 17. *Fluant* M.

(post Chr. a. 9), caesi exercitus reliquias collecturus ac firmaturus: Velleius II 120. Dio LVI 23. Tiberius tamen unius tantum legionis, et quidem primae, eas vires invenit, ut suppleto milite hanc iterum componere et novis signis donatis antiquo nomine servare posset. Ex reliquis duabus illius exercitus legionibus, h. e. *undevicesima* et *duodevicesima*, tam pauci videntur evasisse, ut has de integro componere Tiberius sive omiserit sive religione prohibitus sit. Certe ab hoc tempore illae legiones in rebus Romanis iam non comparent. Eas autem praeter primam in Vari militia fuisse, id de *undevicesima* constat ex Tacito I 60, de *duodevicesima* ex lapide Musei Bonnensis, quem in *κενοταφίῳ* posuit P. Caelius fratri M. Caelio 'legato' (nominis *legato* littera *o* integra restat, *t* truncata) 'legionis XIIX'; de *prima* idem ego ex his Taciti verbis elicio. Legatus primae fuit *Vala Numonius*, cuius nomen servavit Velleius I 119. *Undevicesimam* legatus provinciae inferioris Varus ipse duxit, ut ego colligendum existimo ex c. 60: *L. Stertinius — repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam.*

Cap. 43. *exercitui meo conscius:* structura verborum Graeca est: *τῷ στρατῷ τῷ ἐμαυτοῦ συνειδώς.*

isdem istis cum militibus: dum dicit Germanicus *isdem istis cum militibus* supprimit cogitationem sponte audientibus obversantem *quibus olim praefuisti*, neque sententia relativa quae sequitur *quos iam pudor et gloria intrat* referenda est ad *isdem istis*, sed per eam nova militum designatio affertur. Itaque virgula posita in pluribus editionibus post *memoria* delenda est.

quorum alia nunc ora alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi coniugem et filium redditis, discedite a contactu ac dividite turbidos. Id stabile ad pae-
44 nitentiam, id fidei vinculum erit'. Supplices ad haec, et vera exprobrari fatentes, orabant puniret noxios, ignosceret lapsis, et duceret in hostem; revocaretur coniux, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur. Reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem; venturum filium; cetera ipsi exequerentur. Discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae Gaium Caetronium, qui iudicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro contione legiones destrictis gladiis; reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem adclamaverant, praeceps datus trucidabatur. Et gaudebat caedibus miles, tamquam semet absolveret; nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius iussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat. Secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provin-

2. *et* M, non *ac*. 3. *turpidos* M. 4. *suplices* M. 7. *opses* M. 9. *exs*. Or. 11. *C*. M. 12. *destrictis* M, non *distr*. 16. *poenes* (*o* puncto notatur) M. 18. *Raetiam*, non *Rhaetiam*, M. *spetie* M.

eluant hanc maculam: quae macula dicatur, clarum ex praecedentibus *subvenisse Romano nomini*, *compressisse Germaniae populos*, scilicet ea quae aspersa est nomini Romano clade Variana, ut intellexit Wolfius. Conf. cap. 3: *bellum — nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae — quam cupidine proferendi imperii.* Ad eam infamiam abolendam ante coeptam seditionem omnia praeparata sunt. Itaque Germanicus de re nota verba faciens defungi paucis potuit. Alii *maculam* de ipsa seditione dictam accipiunt, non vere.

vos quoque sqq.: 'eximia peroratio; *mutata ora et pectora* cum dicit, nemo est qui id, si velit, non ad se privatim trahere queat. Postrema autem sententia eiusmodi est ut, si qui adhuc iram retineant, in eos ceteram turbam armet, seu poenitentia seu metu poenae et coeptorum diffidentia correctam. Notavit Freinshemius'. Wolfius.

Cap. 44. *rediret legionum alumnus:* iure hoc nomine vocari potuit infans in castris educatus, quamvis in Italia natus. Hinc clarum, unde falsa opinio in annotatione ad c. 41 commemorata nasci et disseminari potuerit. *neve obses Gallis traderetur:* hoc invidiose milites de Treviris iaciunt, quos cap. 41 *externos* denotarant, nunc in Gallica ripa agentes *Gallos* vocant ac dubiae fidei vocabulo *obses* significant.

ciae ob imminentis Suevos, ceterum ut avellerentur castris trucibus adhuc non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit. Citatus ab imperatore nomen ordinem patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat. Si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia.

Sic compositis praesentibus, haud minor moles supererat 45
ob ferociam quintae et unetvicesimae legionum, sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen est) hibernantium. Nam primi seditionem coeptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum; nec poena commilitonum exterriti nec paenitentia conversi iras retinebant. Igitur Caesar arma classem socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

At Romae nondum cognito qui fuisset exitus in Illyrico, 46
et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque

1. *suebos* M. 2. *adhoc* superscr. *u* M. 4. *strunuae* superscr. *e* M. 5. *donaria* M: correxit Victorius rursusque Ernestius. sic 6 48: *ludibria et pericularia.* 9. *haud*] *aut* M. *molis* M. 11. *aput* M. 17. *cognitio* (alterum *i* puncto notatur) M. *fuisse* M.

centurionatum inde egit: militum seditio cum magnam partem ob saevitiam et avaritiam centurionum exarsisset, de his severam cognitionem et novum quasi delectum dux agere voluit. Id novo *centuriatus* nomine Tacitus consignavit. *Agere centurionatum* dictum est ut *agere delectum* I 31. Bezzenberger commendat *censuram centurionum.*

Cap. 45. *sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen est):* numerat hic noster lapides miliares ab oppido Ubiorum (Cöln) usque ad castra *Vetera.* Conf. ad c. 39 et 31. *Vetera* tenet nomen hodieque vicus *Birten* prope urbem *Xanten* in laeva Rheni ripa situs. Conf. 'Antiquitates Rheni inferioris (Alterthümer am Niederrhein) fascicul. I. p. 26 sqq. et p. 55 sqq. Hodierna urbs *Xanten*, paulo inferius ad Rhenum sita, est *Colonia Traiana*, hiberna legionis XXX a Traiano illuc constitutae et Ulpia cognominatae. Conf. lib. cit. pag. 95 sqq.

Cap. 46. *patres et plebem, invalida et inermia:* patres et plebs tamquam res, non ut personae, scriptoris vel potius invidiose loquentium mentibus obversantur, quae causa est cur genus neutrum praedicati *invalida et inermia* subsequatur. Acute notavit Reisigius in Praelectionibus de doctrina sermonis Latini habitis p. 314. Minus insigne est quod infra (XIV 48)

duorum adulescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat. Ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longa experientia eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. An Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem? Satis prospectum urbanae servituti: militaribus animis adhi-

47 benda fomenta, ut ferre pacem velint. Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant, validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam; ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri, maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia. Simul adulescentibus excusatum quaedam ad patrem reicere, resistentisque Germanico aut Druso posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent? Ceterum ut iam iamque iturus, legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem aut negotia varie causatus primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.

1. *tuorum* M. 2. *irae* M. *imperator iam* M. 5. *tociens* M. 7. *urbane* M. 8. *inm.* M. *aduersos* M. 10. *incassum* M. 12. *aput* M. *subnixius* M. 14. *intenderentur* M: correxit Beroaldus. 17. *alius* M. 21. *diutissimae* M.

scribit *carnificem et laqueum pridem abolita.*

neque duorum adulescentium nondum adulta auctoritate: consulto reprehensores nomina *adulescentium* et *nondum adulta* componunt, παρονομασίᾳ contemptum adversus iuvenes Drusum et Germanicum indicantes. *an Augustum — commeare potuisse:* Sueton. Aug. 20. Dio LIV 20, LV 6.

Cap. 47. *immotum — fixumque Tiberio fuit:* Lipsium *immotus* rescribi praecipientem redarguit Gronovius collato Virgilii Aen. IV 15: *si mihi non animo fixum immotumque sederet.* Conf. XV 5: *Vologesi vetus et penitus infixum erat.*

ac ne postpositi contumelia incenderentur: ex antecedentibus (*multa — angebant*) haec ita pendent, ut notio verbi *metuebat* suppleatur. Consimilis structura H. III 46: *iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret.* H. II 34: *inchoato ponte transitum Padi simulantes, ac ne ipsorum miles segne otium tereret.*

adornavit naves: in Pannoniam ituro mare superum sive Hadriaticum navibus permeandum erat, in Germaniam tendenti Massilia petenda, dein Rhodano flumine et Arare (H. II 59) subvehendum.

At Germanicus, quamquam contracto exercitu et parata 48
in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti
exemplo sibi ipsi consulerent, praemittit litteras ad Caecinam,
venire se valida manu ac, ni supplicium in malos praesumant,
usurum promisca caede. Eas Caecina aquiliferis signiferisque,
et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat,
utque cunctos infamiae, se ipsos morti eximant hortatur: nam
in pace causas et merita spectari; ubi bellum ingruat, innocentes
ac noxios iuxta cadere. Illi temptatis quos idoneos
rebantur, postquam maiorem legionum partem in officio vident,
de sententia legati statuunt tempus quo foedissimum quemque
et seditioni promptum ferro invadant. Tunc signo inter se dato
inrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo nisi consciis
noscente quod caedis initium, quis finis. Diversa omnium, 49
quae unquam accidere, civilium armorum facies. Non proelio,
non adversis e castris, sed isdem e cubilibus, quos simul
vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes,

5. *promisca* superscr. *u* M. *caenia* M, in mg. *Cecinna.* 16. *istem* M.

Cap. 48. *aquiliferis signiferisque:* in duabus legionibus apud Vetera hibernantibus duo aquiliferi, signiferi centum viginti: quippe signiferi nominantur qui vexilla centuriarum gestant. Conf. ad I 34.

quod caedis initium, quis finis: cum *initium* hoc loco aperte causam significet, inde consequitur nomine opposito *finis* indicari id quod caedendo spectabant (*das Ziel*). Itaque praeter conscios nemo utrum *finis* in caede esset necne sciebat, ac propterea *quis*, non *qui*, recte adhibitum est. Si scriptum esset *qui finis*, ut Ernestius volebat, *finem* in caedendo esse omnes noscebant, sed qualis is futurus esset, nonnisi consciis notum erat.

Cap. 49. *mox ingressus castra Germanicus:* Germanicum advenisse interim, profectum cum cetero provinciae inferioris exercitu ab ara Ubiorum, memineris.

iunctoque ponte: ab una Rheni ripa ad alteram apud Vetera compositis navigiis et stratis insuper tabulatis pons iungebatur, quod hic noster breviter dixit *pontem iungere*, Germani *eine Brücke schlagen;* cf. II. III 6: *cohortes et alam — ad Forum Alieni iuncto ponte consedisse.* XIII 7: *pontes per amnem Euphraten iungi* (iubet). Germanicus terram transrhenanam ita ingressus est, ut Lupiae (*Lippe*) fluminis dextra ripa iuxta esset. *Silva Caesia* est Vesaliae saltus (*Weselerwald*), non procul a dextra ripa Lupiae. De tractu Coesfeldiano (*Koesfeld*) non cogitandum, quippe qui et longius a Rheno distet et nimium septentrionem versus porrigatur.

quarum ea seditione: pronomen tam ad alas quam ad cohortes pertinet: socii enim omnes a seditione abstinuerant; conf. c. 36: *at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi.*

ingerunt tela. Clamor vulnera sanguis palam, causa in occulto; cetera fors regit. Et quidam bonorum caesi, postquam intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant. Neque legatus aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lacrimis sed cladem appellans, cremari corpora iubet.

Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris; nec aliter posse placari commilitonum manes quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Caesar, iunctoque ponte tramittit duodecim milia e legionibus, sex et viginti socias cohortis, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

50 Laeti, neque procul, Germani agitabant, dum iustitio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera con-

2. *postqua* M. 3. *saeruiretur* (prius *r* puncto notatur) M. 6. *illut* M. 7. *cremari*] *ore mari* M. cf. annot. ad 4 2.

Cap. 50. *limitemque a Tiberio coeptum scindit:* verbum nonnisi ad proximum accusativum *limitem a Tiberio coeptum* aptum est, non aeque ad remotiorem *silvam Caesiam.* Nam ut ab *agmine propero* arbores stratae ac viae munitae sint per hanc silvam, quod ipsum a verisimilitudine abhorret, tamen id neque *scindere* neque *dirimere* (h. e. *scindere*, ut I 65) silvam est, nisi in silvis iuga sunt quae viis dirimuntur. Itaque ad prius obiectum *silvam Caesiam* ex praedicato *scindit* verbum ei conveniens, ut *permeat* vel simile, legentis mens debet assumere secundum dicendi licentiam (*zeugma* grammatici vocant) Tacito frequentissimam. Scisso limite castra in ipso posuit imperator eo haud dubie consilio, ut compendium operis faceret: nam cum vallum alioqui non minus in *lateribus* quam in *fronte* ac *tergo* struendum esset, iam concaedes sufficiebant firmandis lateribus: quippe abrupti scissi limitis parietes latera tuebantur. Ipse limes apud oppidum *Dorsten* videtur fuisse (conf. Fiedleri Monumenta Romana ad Rhenum inferiorem p. 59), ut *saltus obscuri* hinc peragrati fuerint qui nunc Haardtiana iuga (*Haardt-Gebirge*) inter Lupiam et Roeram (*Ruhr*) Vestfaliae nominantur. *Marsos* enim, ad quorum vicos exercitus postremo pervenit, non inter Lupiam et Amisiam fluvios habitasse, sed magis ad Roeram superiorem egisse vel hinc patet, quod ipsi in memoria rerum nunc primum nominantur, Druso nimirum et Tiberio propter remotas sedes et silvis obsitas incogniti: illi autem regionem inter Lupiam et Amisiam saepius permeaverant. Marsi cladis Varianae initio, ut mihi videtur, exciti et reliquias exercitus Romani consectati nunc in ultionem petuntur.

caedibus munitus. Inde saltus obscuros permeat, consultatque ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intemptatum eoque hostibus incautum. Delecta longiore via cetera accelerantur: etenim attulerant exploratores festam eam Germanis noctem ac sollemnibus epulis ludicram. Caecina cum expeditis cohortibus praeire et obstantia silvarum amoliri iubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Iuvit nox sideribus inlustris, ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatae stationes stratis etiam tum per cubilia propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis. Adeo cuncta incuria disiecta erant, neque belli timor; ac ne pax quidem nisi languida et soluta, inter temulentos. Caesar avidas 51
legiones, quo latior populatio foret, quattuor in cuneos dispertit; quinquaginta milium spatium ferro flammisque pervastat. Non sexus, non aetas miserationem attulit; profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum quod Tamfanae vocabant, solo aequantur. Sine vulnere milites, qui semisomnos inermos aut palantis ceciderant. Excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Usipetes; saltusque per quos exercitui regressus, insedere. Quod gnarum duci, incessitque

4. *adc.* M. 11. *erat* M. 17. *tafanae* cum lincola super prim. syll. 19. *caedis bructiros* M. 20. *gnaram* M.

incautum: h. e. incustoditum. Conf. XI 26 *insidiis incautum*, id est non custoditum a prudentia adversus insidias. *languida et soluta:* Germani festis epulis languent somnoque soluti iacent. Itaque ad pacem translata sunt quae proprie de hominibus dicenda erant. Id quo facilius fieri possit, additum est *inter temulentos.*

Cap. 51. *templum quod Tamfanae vocabant:* templum h. l. est consecratum nemoris spatium, non aedes muris columnisve extructa. Germani enim *nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine caelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident:* Germ. 9 extr. De Tamfana quater verba fecit I. Grimm in Mythologia Theodisca p. 70 et 236 et 256 et 1062, sed nihil de numinis vi aut vocabulo elicere potuit. Inscriptio (apud Orellium n. 2053) quae in agro Neapolitano reperta traditur (*Tamfanae sacrum* cet.) ex impostoris Ligorii thesauris prodiit. Scite W. E. Giefers demonstrare operam dedit, hoc templum (nemus fuisse recte statuit) positum fuisse in confiniis Marsorum et Cheruscorum Bructerorumque ultra oppidum cui nomen a Marte (*Marsberg*), eo in loco qui hodie *Carlschanze* vocatur. Scilicet idem probatum ivit,

sent forward prepared for march or fight

itineri et proelio. Pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant, mox prima legio, et mediis impedimentis sinistrum latus unetvicesimani, dextrum quintani clausere; vicesima legio terga firmavit; post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti, dein latera et frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere. Turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Caesar advectus ad vicesimanos voce magna hoc illud tempus oblitterandae seditionis clamitabat: pergerent, properarent culpam in decus vertere. Exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque. Simul primi agminis copiae evasere silvas castraque communivere. Quietum inde iter; fidensque recentibus ac priorum oblitus miles in hibernis

52 locatur. Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere. Gaudebat oppressam seditionem; sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. Rettulit tamen ad senatum de rebus gestis, multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus lau-

4. *acmen* M. 7. *levis* M. 8. *illut* M. 9. *saeditionis* (*a* puncto notatur) M. 11. *primis agminis* clare M, non *primis agminum*. 19. *in speciem*] *inspectam* M.

columnam a Carolo Magno vastatam (*Irmensul*) fuisse arboris truncum in nemore Tamfanae ex incendio Romanorum conservatum. *Tamfanae* nomen non tam deam videtur denotare quam lucum sacrum, monente Giefersio et provocante ad IV 73 *apud lucum quem Baduhennae vocant.* Lege Diurna Antiquitatum et historiae patriae tom. VIII fasc. 2.

excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Usipetes: hae nationes a septentrione (Bructeri) et ab occidente (Usipetes) Marsos attingebant. Tubantes Taciti aetate eo nomine iam non extitere ideoque in *Germania* non memorantur. Idem de *Marsis* dicendum.

pars equitum et auxiliariae cohortes: auxiliariae cohortes quae h. l. vocantur non sunt omnes sociorum numeri, sed pars eorum: agmen enim claudunt *ceteri sociorum*, ut statim legimus, h. e ceterae alae et cohortes auxiliariae. Theodisce igitur convertas *und Cohorten der Hülfstruppen*, non (ut vulgo faciunt) *und die Cohorten d. H.* Graeci talia aut addito aut omisso articulo distinctius significare possunt.

Cap. 52. *nuntiata ea:* haec scribere maluit quam ponere *is nuntius — adfecit*, evitans nomen abstractae notionis. Sic statim *missione festinata*, non *missionis festinatione*.

davit, sed intentior et fida oratione. Cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

53 Eodem anno Iulia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Reginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii florentibus Gaio et Lucio Caesaribus, spreveratque ut imparem; nec alia tam intima Tiberio causa cur Rhodum abscederet. Imperium adeptus extorrem infamem et post interfectum Postumum Agrippam omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exilii ratus. Par causa saevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio et prave facundus, eandem Iuliam in matrimonio Marci Agrippae temeraverat. Nec is libidini finis: traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat; litteraeque quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compo-

2. *aput* M. 4. M *Reginorum*, non *Rheg.* 7. *imperarem* M. *caus* M. 9. *post unum* M, in mg. *posthumum*, et sic Beroaldi editio (*Posth.*). 14. *contumatia* M. 15. *littereque* M.

sed intentior: 'mit mehr Wärme. Id fieri potest brevi oratione, rem minus accurate explicante. Pauca loquitur verus affectus'. Wolfius.

Cap. 53. *eodem anno:* hac formula Tacitus uti solet, cum a rebus externis ad domesticas sese convertit, et contra, veluti II 52, IV 72, XII 22; saepius autem eandem adhibet, ut primariis anni rebus enarratis postremum quae minus gravia aut non perpetui tenoris, sed tamen memorabilia, ad absolvendam et supplendam anni historiam succedant, ut nunc fecit et I 76, II 39 et 85, XIII 10 et 58, XIV 27, XV 32. Aliis verbis utitur et quidem *fine anni* III 30 et 49, IV 61, VI 14 et 39, XIII 24, XV 47; *extremo anni* VI 27; *eo anno* III 75, IV 44, XIV 47; *idem annus* VI 45, XIII 33; *isdem consulibus* XI 22, XV 22; *sub idem tempus* IV 15 et 16.

ob impudicitiam: de Iuliae impudicitia et exilio v. III 24. Dio LV 10 et 13. Sueton. Aug. 63 et 65 et 101, Tiber. 7 et 11 et 50. Velleius II 100. Seneca de Benef. VI 32. Macrobius Saturn. II 5. Iulia in exilium missa est a. 752.

longinquitate exilii: longinquitatem nove dixit pro diuturnitate iudice Lipsio ac subscriptore Ernestio. Sed neque *longinquitas* neque *longinquus* unquam de *tempore* dicta apud Tacitum inveniuntur: immo semper inest *spatii* notio. Cf. III 5, VI 14 et 44. Agr. 19 et 31. I 9, II 24 et 82, IV 23 et 27, VI 39, XIII 37 et 41. Itaque *longinquitas exilii* est remota Reginorum civitas et *exilium* de loco exilii dictum est. Perinde iter ab urbe ad fretum Siciliae factum *longinqua peregrinatio* VI 14 appellatur.

in prominenti litoris: praepositionem omisisset, si usus esset nomine adiectivo in *o* desinente, quemadmodum I 61: *medio campi albentia ossa — disiecta vel aggerata.*

sitae credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quattuordecim annis exilium toleravit. Tunc milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris, nihil laetum opperientem. Quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariae per litteras daret, cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degeneraverat. Quidam non Roma eos milites sed ab Lucio Asprenate proconsule Africae missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

54 Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti: Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiciuntur. Ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia ex certamine histrionum.

8. *L.* M. 12. *T.* M. 13. *Titios* Lipsius et Vertranius: M *tatios.*

65: *lubrico paludum lapsantes.* H. I 79: *lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti caedebantur.* I 64: *medio montium et paludum porrigebatur planities.* XV 18: *tropaea — medio Capitolini montis sistebantur.* Genitivus ubi abest, nomen adiectivum adverbiascit: II 52 *legio medio, leves cohortes — in cornibus locantur,* H. III 16 *vacuum medio relinquit iter,* et c. 19 *coloniam plano sitam,* et c. 38 *turrim vicino sitam;* XIII 38 *medio sextam legionem constituit,* XV 29 *medio tribunal sedem curulem — sustinebat.* Agr. 24 *medio — sita.* H. III 23 *ut tela vacuo atque aperto excuterentur.* H. IV 23 *pars aequo adibatur.* Temporis quo quid acciderit designatio saepius adhaeret eiusdemmodi adiectivis cum genitivo iunctis, sed nonnisi iis, quae in *o* exeunt: vid. VI 27 *extremo anni,* II 21 *sero diei,* 39 *obscuro diei,* XII 69 et XIV 2 et H. I 62 *medio diei,* H. IV 50 *obscuro adhuc coeptae lucis,* III 5 *asperrimo hiemis,* XIII 28 et XIV 53 et H. II 53 *medio temporis,* XIV 10 *reliquo noctis.*

Cap. 54. *ut quondam Titus Tatius — Titios instituerat:* quomodo Tacitus, qui scribit H. II 95 *quod sacerdotium* (Augustales) *ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit,* aperte secum pugnare potuerit, eius rei causam inde petendam existimo, quod Titiorum originem ex nomine declarare se posse opinabatur. Eos enim a praenomine (*Tito*) Tatii regis nomen duxisse credidit. Titii autem non videntur instituti a Tatio, qui est persona mythica, sed sacerdotes esse Titiorum s. Titiensium, h. e. Sabinorum Romae habitantium. In alia abit Varro de L. L. V 85: *sodales Titii dicti ab Titiis avibus quas in auguriis certis observare solent.* Tituli et lapides constanter *Titios* vel *Titienses* praebent, non *Tatios;* vid. apud Orellium num. 746 et 890 et 2364-2366, apud Marinium Atti e monumenti t. I p. 157.

discordia ex certamine histrionum: paulo copiosius rem narrat

Indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli; neque ipse abhorrebat talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via: sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

55 Druso Caesare Gaio Norbano consulibus decernitur Germanico triumphus manente bello; quod quamquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Chattos excursu praecepit. Nam spes incesserat dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniae, Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit, suasitque Varo ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis, atque ipsi tempus fore quo crimina et innoxios discerneret.

6. *Gaio*] *C.* M. *cos.* M. 14. *vinceret* (a Beroaldo) superscr. *i* M.

Dio LVI 47. Histriones qui h. l. vocantur sunt *pantomimi*, generis nomine pro specie posito.

indulserat ei ludicro Augustus: minus accurate Suidas tradit inventam esse ab Augusto saltationem pantomimorum s. v. *ὄρχησις παντόμιμος: ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων.* Rectius idem s. v. *Ἀθηνόδωρος: κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις εἰσήχθη, οὔπω πρότερον οὖσα.* Zosim. Hist. I 6: *παντόμιμος ὄρχησις ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις εἰσήχθη, οὔπω πρότερον οὖσα, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων.* Conf. Dio LIV 17. Lucian. de Saltat. c. 34. De natura novae saltationis Athenaeus I p. 20 D—F: *τοῦτον τὸν Βάθυλλόν φησιν Ἀριστόνικος καὶ Πυλάδην — τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς ἣ ἐλέγετο σίκιννις. . . . ἦν δὲ ἡ Πυλάδου ὄρχησις ὀγκώδης παθητική τε καὶ πολύκοπος, ἡ δὲ Βαθύλλειος ἱλαρωτέρα.* Plura Grysar 'de Pantomimis Romanorum', quae dissertatio Musei Rhenani philolog. vol. II pag. 30 inserta est.

Cap. 55. *praecepit:* conf. ad II. III 65. *Segestes — vinciret:* conf. Velleius II 118. Strabo VII 1 4. Dio LVI 19. Flor. IV 12 32.

sed Varus fato et vi Arminii cecidit: Velleius l. c.: *sed praevalebant iam fata consiliis, omnemque animi eius aciem praestrinxerant.*

gener invisus, inimici soceri: magnam animi trepidationem interpretibus iniecit numerus multitudinis, quode conf. Waltherus, qui et ipse probat peiora et a Wolfio iure explosa. Haud reputaverunt qui ineptas attulere explicationes, quemadmodum *regina* et *rex* dicantur *reges*, *soror* et *frater fratres*, *filius* et *filia filii* (cf. II 57, XI 38, ubi *filios* habemus filium et filiam, XII 4, ubi *fratres* fratrem et sororem), ita *socerum* et *socrum* esse *soceros*. Cf. Virgil. Aen. II 457. Seneca Med. v. 106. Rem. conficit Boethius Philosoph. Consol. II 3:

Sed Varus fato et vi Arminii cecidit: Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat. Gener invisus, inimici soceri; quaeque apud concordes vin-
56 cula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant. Igitur Germanicus quattuor legiones, quinque auxiliarium milia, et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit; totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit; positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Chattos rapit, Lucio Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto. Nam (rarum illi caelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebatur. Sed Chattis adeo inprovisus advenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit.

1. *armeni* M. 4 et 5. *aput* M. 10. *L.* M.

Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum (Schwiegerältern), cum coniugis pudore, tum masculae quoque prolis opportunitate praedicavit? Soceri igitur apud Tacitum sunt Segestes et coniux eius, irarum mariti sui socia. Theodisce converte: *der Schwiegersohn verhasst, feindlich gesinnt die Schwiegerältern.* Anaphora incitati sermonis ingenio praeclare convenit. Non intellexit sensitve Orellius, qui admodum incerta et longe petita profert Wolfium secutus: 'utique sunt duo membra: *gener* socero (Segesti) invisus, inimici ipsi *soceri* utriusque coniugis, Sigimerus Arminii pater, Thusneldae socer, et Segestes pater Thusneldae, Arminii socer'. Sed Arminii patrem *Sigimerum*, quem nominat Velleius II 118, cum Tacitus nusquam commemoraverit, ille his temporibus iam non vixisse existimandus est: certe hic ut legentibus plane ignotus memorari non potuit. Tacitus *Segimerum* fratrem Segestis I 71 in deditionem accipi narrat, sed ille pater Arminii non magis fuit quam Segestes pro patruo eius haberi potest. Postremo Bezzenberger hoc dici pronuntiat, quod Arminius filiam Segestis rapuisset, generum invisum factum esse socero, quem inimicum iam antea habuisset.

Cap. 56. *totidem legiones:* in Chattorum sedes cum *superioris* Germaniae legionibus ab oppido Magontiaco vel ex illa regione Germanicus ingreditur. Conf. XII 27 et 28. Mons Taunus qui statim appellatur (ei hodie nomen est tum antiquum suum, tum *die Höhe* vel *der Heyrich*), non procul a Magontiaco in dextra Moeni ripa inter oppida hodierna *Homburg* et *Wiesbaden* situs est. Summum eius fastigium efficit qui nunc vocatur *der Feldberg* prope civitatem *Königstein.* Dum Germanicus in Chattos ducit, Caecina expeditionem a Veteribus susceptam executus est. Vid. c. 56 extr.

metuebatur: nil moror Wolfium cum Lipsio scribentem *metuebantur* ac correctam scripturam ita commendantem: '*flumina* Latine *auctus*

Iuventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant. Dein tormentis sagittisque pulsi, temptatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere; quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis iuvare Chattos: sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma; et Marsos congredi ausos prospero proelio cohibuit. Neque multo post 57 legati a Segeste venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsedebatur, validiore apud eos Arminio, quoniam bellum suadebat: nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur. Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed iuvenis conscientia cunctabatur. Quippe anno quo Germaniae descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus ruperat vittas,

1. *tramiserit* M: emendavit Acidalius et Pichena. 4. *pagis*] *pacis* M. 7. *quociens* M. 10. *praelio* Or. 12 et 17. *aput* M. 13. *quoniam* Iac. Gronovius: *quo* cum lineola (solitum v. *quoniam* compendium) M. 14. *rebus commotis* M: correxit Lipsius.

habent, *flumen auctum*'. Quod dicit vir ingeniosus verum est, sed falsum quod inde colligit: nam *flumina* etiam *inundationes* faciunt, non *inundationem*, et tamen dici potest *fluminum inundatio*. Sed id quaerendum restat, num post pluralem *imbres* et singularem *auctus* verbi numerus singularis sequi possit: id enim nonnisi certis conditionibus est concessum. Licet vero hoc loco, quia *fluminum auctus* est quod imbribus efficitur, et quia non tam imbres quam quod inde consequitur metuebatur; cui cum mentis acies praecipue intenta sit, ad idem praedicati numerus accommodatur.

tramiserat — arcebant: alterum praedicatum (*arcebant*) non grammaticum vocis *iuventus* numerum sequitur, sed logicum. Perinde XII 33 et 40, XVI 2. Liv. I 27: *suo iussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant.* Cf. Drakenb. ad Liv. III 28 2.

Mattio: ne Mattium (*Maden*), in dextra Adranae (*Eder*) ripa situm, eandem urbem esse ac Mattiacum (*Marburg*) ad Loganam (*Lahn*) opinemur, diligens huius expeditionis consideratio impedit. Conf. Wilhelmi liber cui index *Germanien und seine Bewohner* p. 188.

Cap. 57. *quanto quis audacia promptus: promptior* severa structurae concinnitas postulabat, hanc ipsam autem Tacitus solet declinare, non semper quidem sed saepe. I 68: *quanto inopina, tanto maiora;* III 46: *quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles.* XII 11: *quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret.* H. II 99: *quantum hebes.*

profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata; benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit convertere agmen; pugnatumque in obsidentis, et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. Inerant feminae nobiles; inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrimas neque voce supplex, compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens. Ferebantur et spolia Varianae cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem veniebant prae-
58 dae data. Simul Segestes ipse, ingens visu et memoria bonae societatis impavidus. Verba eius in hunc modum fuere: 'non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies. Ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patriae (quippe proditores etiam iis quos anteponunt invisi sunt), verum quia Romanis Germanisque idem conducere,

3. *presidio* M. 4. *acmen* M. 5. *eticlientium* (*i* ante *c* puncto notatur) M. 7. *segestes* M. *parentes* M. 12. *inp.* M. 13. *ramanum* M. 16. *invisunt* M: *invisi sunt* in mg. M et Beroaldus in editione.

tanto promptior. Apud eundem non minus saepe nominis adiectivi forma comparativi praecedit, sequente positivo: IV 48: *tanto infensius caesi, — quanto perfugae incusabantur.* VI 45: *tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus.* Aliquotiens altera (*tanto* vel *eo*) ex comparantibus voculis omittitur: II 5: *quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior.* VI 17: *quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant.* VI 34: *quanto maiora peterent, plus decoris — laturos.* H. III 18: *moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant.* 58: *quanto quis clarior, minus fidus.* Maior licentia conspicua I 74: *quantoque incautius efferverat, paenitentia patiens tulit.* I 2: *ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur.* VI 26: *quanto propius mala rei publicae viseret, — honestum finem voluisse.* H. I 14: *ea pars morum eius quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat.* H. II 11: *quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat.* Perperam huc referri IV 69 suo loco dictum est.

Germanico pretium fuit: non operae pretium *visum* est, sed ipsum pretium tulit, quod ille agmen ex Chattis ad Rhenum versum in itinere ad fines Cheruscorum convertit. Theodisce interpretare: *Germanicus sah sich belohnt, dass er mit dem Heereszuge seitwärts* (nach Norden) *einbog.* Sic in H. III 8: *in Veronensibus pretium fuit* nihil est nisi occupata Verona pretium laboris dedit. Conf. II 35: *ni pretium foret — noscere.* Non multum abludit *ratio fuit* infinitivo subsequente ut H. III 22: *Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonae — ratio fuit.*

et pacem quam bellum probabam. Ergo raptorem filiae meae, violatorem foederis vestri, Arminium apud Varum, qui tum exercitui praesidebat, reum feci. Dilatus segnitia ducis, quia parum praesidii in legibus erat, ut me et Arminium et conscios vinciret flagitavi. Testis illa nox, mihi utinam potius novissima. Quae secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt. Ceterum et inieci catenas Arminio, et a factione eius iniectas perpessus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta turbidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me perfidia exolvam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si paenitentiam quam perniciem maluerit. Pro iuventa et errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam fateor. Tuum erit consultare utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit an quod ex me genita est'. Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem, ipsi sedem vetere in provincia pollicetur. Exercitum reduxit,

2. *aput* M. 5. *vinceret* superscr. *i* M. 9. *turpidis* superscr. *b* M. 10. *exs.* Or. 11. *permitiem* M. 12. *praecor* (per compendium) M. 15. *incolomitatem* M. 16. *vetera*, non *vaera*, M: correxit Lipsius.

Cap. 58. *et inieci catenas — perpessus sum:* translate loquitur, neque de veris catenis cogitandum est. Ipse iniectas perpessus est, cum ab Arminii factione circumsideretur, iniecit conamina eius quovis modo impediendo, postremum carissimam coniugem eripiendo.

vetere in provincia: h. e. in Germania inferiore vel superiore. Eadem c. 57 *Gallica ripa* et c. 59 *victa ripa* vocatur. Nova provincia diversae ripae tractus terrarum usque ad Visurgim cogitantur, qui quamvis nondum in provinciae formam redacti, tamen nonnullis in locis et castellis et praesidiis Romanorum obsessi tenebantur. Recurrit haec sive cogitandi sive loquendi licentia III 74, ut terra Romano milite occupata tamquam nova provincia veteri et verae componatur: *nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit.*

Arminii uxor — in tempore memorabo: Strabo et Arminii coniugem *Thusneldam* et infantem *Thumelicum* in triumpho Germanici (II 41) ostensum narrat VII 1 4: *παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον — γυνὴ δ' Ἀρμενίου — ὄνομα Θουσνέλδα καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμελικός.* Göttlingius Thusneldae effigiem agnoscere sibi visus est in statua antiqua Florentina, Thumelici in capite gladiatoris vetusti: lege eius: *Thusnelda, Arminius Gemahlin, und ihr Sohn Thumelicus in gleichzeitigen Bildnissen nachgewiesen.* Jen. 1843. De Thusnelda quae disputavit vir elegantis iudicii, admodum probabiliter exposita sunt, de Thumelico (hunc gladiatorem fuisse ac manum sibi vitandae ignominiae intulisse opinatur) non item. *Ludibrio conflictatus* accipio de fuga tentata, in qua captus ac fortasse trucidatus est. Eiusmodi inceptum Taciti verba XI 16 videntur significare: *cuius si filius hostili in solo*

nomenque imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit: educatus Ravennae puer quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

59 Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus vecordem agebant; volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem poscens. Neque probris temperabat. Egregium patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam avexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae dis patriis suspenderit. Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos nunquam satis excu-

2. *reuennae* M. 7. *vaecordem* M. 8. *ceruscos* M. 16. *sacerdotium Romanum: Germanos* Wolfius: *sacerdotium hominum Germanos* pr M, *sacerdotium: hominem Germanos* corr M et Beroaldus in editione. *numquam* Or.

adultus in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio servitio cultu, omnibus externis. Ex nomine Thumelico nihil coniiciendum est de gladiatoria opera: hoc enim cum trium annorum puer gereret, mater haud dubie ei imposuit, neque sumpsit a voce θυμέλη, sed paternum aliquod et Germanicum elegit.

Cap. 59. *fama dediti benigneque excepti Segestis — cupientibus erat:* vide quam diligenter sibi caverit ab nominibus abstractis quae nos vocare solemus. Cogita haec per nomina pronuntiata esse — *famae deditionis benignaeque exceptionis Segestis divulgatio, ut quibusque belli odium aut cupido erat,* — statim senties quam non Latine nedum Tacitino more haec elata verbis compareant. Conf. annot. ad III 13.

volitabatque per Cheruscos: auctor delecta gravi verbi forma cum adiuncta particula velocitatem et trepidationem ipso sono pingit. Conf. c. 18: *properantibus Blaesus advenit, increpabatque ac retinebat singulos;* 63: *trudebanturque in paludem;* II 30: *certabantque cui ius perorandi in reum daretur;* III 44: *increpabantque Tiberium;* IV 17: *incusabatque diductam civitatem ut civili bello;* XI 34: *clamitabatque;* XII 34: *vocabatque;* XV 58: *volitabantque.* Novitatem notat IV 67: *prospectabatque.*

totidem legatos: hi fuere Varus, Caelius, Vala Numonius. Cf. annot. ad. c. 42.

sacerdotium Romanum: Germanos — viderint: haec duo si lector memor teneat, in M et M[a] non raro *i* et *a* commutari, veluti II 20 et XIII 39 *libritores* pro *libratores*, IV 37 *ficta* pro *facta*, c. 49 *sibinus* pro *Sabinus*, XI 10 *invisit* pro *invasit*, XIV 1 *redditur* pro *reddatur*, et quam facile vel potius

saturos quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. Aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa; quae quoniam exuerint, inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adulescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam parentes, antiqua mallent quam dominos et colonias novas, Arminium potius gloriae ac libertatis quam Segestem flagitiosae servitutis ducem sequerentur. Conciti per haec non modo Cherusci sed conterminae 60
gentes, tractusque in partis Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate; unde maior Caesari metus.

2. *imperi* M. 3. *quoniam*] *quo* cum lin. ex solito compendio M. *exsuerint* M. 5. *inp.* M. 11. *aput* M.

necessario leviter infectum *rominum* vulnere obturato transierit in *hominum*, is coniecturam Wolfianam mecum in iustam possessionem restituere minime dubitabit. Ex una parte Romani et factio Romana (Segestes cum suis amicis), ex altera Germani eo nomine digni componuntur. Romanis Segestes favet, et ipse favorem eorum experitur, Germani in aeternum Romanos odio prosequi pergent et iustam cur oderint causam habent. Ad aram Ubiorum sacerdotium Romanum fuisse, non Germanicum, id manifestum vel ex odio Segimundi, quo aliena sacra abiecerat: v. c. 57. Aliae coniecturae non dignae sunt quae iuxta Wolfii emendationem memorentur, veluti Seyfferti *omissum*, Bezzenbergeri *hoc unum*.

ille delectus Tiberius: recte I. Fr. Gronovius: 'quem unum ex omnibus dignum Augustus putavit, ut heredem successoremque destinaret'.

quam dominos et colonias novas: quemadmodum c. 58 *veterem provinciam* legimus, ubi *nova* proprie non erat, sic nunc *coloniae* veteranorum *novae* in Germaniae solo condendae in oratione ponuntur, quamvis etiam ante nullae illuc deductae essent. Nam quod Dio LVI 18 tradit *καὶ στρατιῶταί τε αὐτῶν ἐκεῖ ἐχείμαζον καὶ πόλεις ᾠκίζοντο*, certe non de coloniis conditis intelligendum est. Waltherus confidentius quam verius novas colonias interpretatur in ripa victa sive Gallica sitas.

Cap. 60. *Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis:* hae quadraginta cohortes sunt quattuor legiones inferioris exercitus, prima, quinta, vicesima, unetvicesima: vid. c. 64 extr. *Romanas* et hic et II 80 et III 20 dicit, ut has *legionarias cohortes civium Romanorum* (I 8, XII 38) sive Dionis LVI 32 *πολιτικὸν πλῆθος* sive *graves* cohortes *gravemque* armaturam distinguat ab ea militia, quae modo cohortes *sociae* vel *sociales* (I 49, XII 31, XIII 38), modo *leves* vel *expeditae* vel *citae* (*leves* I 51, II 52, III 39, IV 73. *expeditae* I 50, IV 25, XII 39. H. III 2, V 11. *citae* XII 31), modo *auxiliariae* sive *auxiliares* sive *subsidiariae* (I 63, III 21. H. I 59, II 89, III 15; XII 39), etiam *armatura levis* (II 8 et 16, XIII 41, XIV 34) vocari solet. Quippe hac aetate legionarii omnes *pilani* fuere, h. e. pilis sive iaculis gravibus instructi, socii autem sive auxiliares *δορυφόροι*. Gladius utrisque,

Et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit. Ipse impositas navibus quattuor legiones per lacus vexit; simulque pedes eques classis apud praedictum amnem convenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu Lucius Stertinius missu Germanici fudit; interque caedem et praedam repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter, vastatum, haud procul Teuto-

4. *inp.* M. 5. *eques* M, non *equos*. *classes* M: correxit Lipsius *aput* M. 7. *L.* M.

sed apud legionarios Hispanicus qui dicitur, h. e. in mucronem et utrimque acutus, apud socios patrius cuique. Apud legiones duces erant legati, tribuni, centuriones, apud socios neque tribuni centurionesve neque legati, sed praefecti cohortium, quemadmodum in equitatu sociorum *praefecti alarum:* nam alae quoque nonnisi sociales fuere; in legionibus aquilae et vexilla, in expeditis militibus signa tantum cohortium. Dum Caecina quattuor legiones per Bructeros ad Amisiam ducit, inferioris provinciae militia socialis ad tutanda hiberna remansit. In exercitu a Germanico ex superiore provincia in hostes Rheno flumine et per lacus ad Amisiam deducto socii non defuere, ut patet ex cap. 63 (*subsidiariae cohortes*).

finibus Frisiorum: ablativus loci, nulla addita praepositione, propter adiunctum nomen *Frisiorum* admitti potuit: eiusmodi enim genitivus vicem adiectivi nominis implet, quod ubi nomini substantivo additum est, ablativum loci praepositione carere posse constat. Cf. c. 63: *litore Oceani.* IV 46: *qui montium editis — habitabant.* XIV 10: *tumulo matris* (= *materno*). O. 32: *non rhetorum sed Academiae spatiis.* Ibid. 37: *antiquariorum bibliothecis.* Idem fieri potest, si pronomen relativum cum verbo post ablativum sequitur, ut XII 36: *stetere in armis praetoriae cohortes campo qui castra praeiacet* (= castra praeiacente). Praeterea locandi vel iacendi verbis nudum ablativum interdum iungere ita ausus est ut saltem duo nomina eo casu subsequantur, ut XIV 61: *Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque ac templis locant;* IV 74: *campo aut litore iacentes.* Quod legimus XIV 29 *equites vado secuti*, in eo *vado* adverbiascit, ut in *plano*, *aequo*, *vicino;* XIV 8 *aliam fere litore faciem* vulgata vitiosa est; in XVI 5 *diem noctemque sedilibus continuant* tertius est casus, non sextus, et H. V 5 *vitisque aurea templo reperta* praepositio *in* post *aurea* absorpta est.

quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo — dicebantur: insignis hic locus est maximeque luculentus de scena cladis Varianae. Nempe *ultimi Bructerorum* inter fontes Lupiae et Amisiae habitavere, et utriusque amnis fontibus interiecti sunt saltus Osningenses (*Osnegge* sive *Osning*) inter *Lippspringe* et *Haustenbeck;*

burgiensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque insepultae
dicebantur. Igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema 61
militibus ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat
exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum
et sortem hominum. Praemisso Caecina, ut occulta saltuum
scrutaretur pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus
campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria
deformis. Prima Vari castra lato ambitu et dimensis prin-
cipiis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto vallo,
humili fossa accisae iam reliquiae consedisse intellegebantur:
medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, dis-
iecta vel aggerata. Adiacebant fragmina telorum equorum-
que artus, simul truncis arborum antefixa ora. Lucis propin-
quis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum
centuriones mactaverant. Et cladis eius superstites, pugnam
aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas
aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera
et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali contionatus Ar-
minius, quot patibula captivis, quae scrobes; utque signis et
aquilis per superbiam inluserit. Igitur Romanus qui aderat 62
exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa,
nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes

2. *decebantur* M. 6. *umido* M. 7. *incaedunt* M. 8. *deformides* M: *deformes* Beroaldus. 12. *adiaciebant* M. 14. *aput* M. 16. *vinculae labsi* M.

ibi igitur saltus Teutoburgiensis. Conf. Velleius II 105 et 118 sqq. Dio LVI 17—19. Ex novis scriptoribus diligenter hanc quaestionem tractavit *W. E. Giefers: De Alisone castello deque Varianae cladis loco Commentatio.* Lege prae ceteris p. 47—52.

Cap. 61. *ob propinquos, amicos:* comma post *propinquos* vitandae ambiguitatis causa toleravi. Alioqui certum est, hoc nominum par *ἀσυνδέτως* positum uno tenore proferendum esse et ex adverso collocatum esse duobus nominibus iungente particula connexis *ob casus bellorum et sortem hominum.* Vid. annot. ad XI 6.

dimensis principiis: h. e. rite et iusto ordine dispositis. Conf. XV 43: *dimensis vicorum ordinibus.* Perperam interpretatur Waltherus.

medio campi: dicit medium inter prima et secunda castra spatium.

antefixa ora: Iac. Grimmius in Mythologia Theodisca p. 28 vel in altera editione p. 42 ora equorum esse pronuntiat, non vere, ut mihi videtur: *ora* enim hominum sunt, equorum *ora* nulla, sed *capita.* Conf. I 31: *multa seditionis ora vocesque.* 43: *quorum alia nunc*

ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, maesti simul et infensi condebant. Primum extruendo tumulo caespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos, et praesentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat, neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum adtrectare feralia debuisse.

63 Sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites campumque, quem hostis insederat, eripi iubet. Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis quos per saltus occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques; missaeque subsidiariae cohortes, et fugientium agmine impulsae, auxerant consternationem; trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset. Inde hostibus terror, fiducia militi; et manibus aequis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat; pars equitum litore Oceani petere Rhenum iussa; Caecina, qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames

4. *haut* M. 6. *praelia* Or. 10. *hostes* M. 15. *constenationem* M. 21. *monitos* superscr. *u* M.

ora — contueor. II 21: *latos barbarorum artus, nuda ora.* III 53: *denotantibus vobis ora ac metum singulorum.* H. I 69: *manus in ora legatorum intentant.* H. III 10: *pectus atque ora singultu quatiens.* H. IV 30: *praeter suorum ora.*

Cap. 62. *gratissimo munere in defunctos: gratissimo* non intellectu activo accipiendum, sed passivo, ut ex una parte defuncti grato munere placati, ex altera Caesar et milites ira permoti componantur.

vetustissimis caerimoniis: caerimoniae h. l. sunt *τελεταί* (*Weihungen*), quibus initiatus est Germanicus, cum in collegium augurum receptus est.

Cap. 63. *cedentem in avia Arminium:* intellige silvas non procul a Visurgi sitas et a saltu Teutoburgiensi in septentrionem se sinuantes. Germanicus enim longius ad terras septentrionales evectus erat, ubi regredi coepit ad Amisiae ostia. *litore Oceani:* v. ad I 60.

Pontes longos: pontes illi (*ein Bohlenweg und Moordamm*) strati erant in terra Bructerorum, non procul a Lupia. Vide Ledeburii librum cui nomen 'das Land und Volk der Bructerer' p. 215. 221. 314 sqq.

vastas inter paludes, et quondam a Lucio Domitio aggeratus; cetera limosa, tenacia gravi caeno aut rivis incerta erant; circum silvae paulatim adclives, quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Caecinae dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus et alii proelium inciperent. Barbari perfringere stationes seque inferre munito- **64**
ribus nisi lacessunt, circumgrediuntur occursant. Miscetur operantium bellantiumque clamor. Et cuncta pariter Romanis adversa, locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loricis; neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta apud paludes proelia, procera membra, hastae ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. Nox demum inclinantis iam legiones adversae pugnae exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur, vertere in subiecta; mersaque humo, et obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus. Igitur futura volvens non aliud repperit quam ut hostem silvis

1. *L.* M. 7. *praelium* Or. 8. *sequi* M. 9. *nisi* M, non *nissi*. 12. *liberare* M. 13. *aput* M. 14. *proelio* M. *haste* M. 15. *Mox* M. *tam* M, in mg. *iam*. 19. *quo defectum* M. 22. *aliut* M.

Cap. 64. *lacessunt, circumgrediuntur occursant:* orationis haec forma ut notio verbi *lacessunt* duobus oppositis, *circumgrediuntur* et *occursant*, aucta definiatur: haec igitur et coniunxi sublata distinctione et posita post *lacessunt* eadem a verbo praegresso separavi. Nam barbari primo stationes et munitores lacessebant, modo procursantes modo cedentes, tum in tergum simul et in frontem impetum direxerunt (*circumgrediuntur occursant*).

neque librare pila inter undas poterant: pila tantummodo, non hastae, memorantur: quippe Caecinae milites nonnisi legionarii, qui hac aetate pilani omnes: socii vero hastis et spathis armati. Conf. II 14: *nec enim immensa barbarorum scuta, enormis hastas — perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina.* Germanicus eo loco Romanum militem alloquitur eoque arma huius sola commemorat. XII 35: *si auxiliaribus resisterent* (Britanni), *gladiis et pilis legionariorum, si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur.* XIV 36: *pilis emissis, post umbonibus et gladiis*

coërceret, donec saucii, quantumque gravioris agminis, anteirent. Nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones quinta dextro lateri, unetvicesima in laevum, primani ducendum ad
65 agmen, vicesimanus adversum secuturos. Nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. Ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse. Coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere, capto propere campo humentia ultra. Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit. Sed ut haesere caeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, inrumpere Germanos iubet, clamitans 'en Varus eodemque iterum fato vinctae legiones'. Simul haec, et cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit. Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis recto-

1. *coherceret* M. 4. *levum* M. 5. *uicensimanus* M. 7. *aput* M. 10. *quintillium* M. 12. *intendentes* M. 13. *reppulisse* M, non *repulisse*. 14. *contumatia* M. *umentia* M. 19. *eodemque* editor: vulgo *et eodem*, M *et eodemque*. 20. *vinctae* pr M, *victae* corr M.

stragem caedemque continuarent (haec Suetonius Paulinus ad legionarios). Hinc de legionariis XV 7: *et pila militum arsere*. H. II 42: *omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere*.

Cap. 65. *apud Romanos — interruptae voces:* verbum *essent* omissum est, quod quando hic noster sibi licere putaverit, ad VI 35 exponemus.

missae in latera legiones — deseruere: quintani sunt unetvicesimanique. Vid. c. 64 extr. Iam agmen quadratum clausumque dissolutum erat, et utramque exercitus partem libero incursu incessere hostes poterant.

eodemque: codicis vitium *et eodemque* inde natum videtur, quod aliquis qui particulam *que* in ἀρχετύπῳ compendio signatam non observavit, ad explendum sermonem imprudens *et* ibi adiunxit. Bezzenberger *et eodem denique* voluit. Mihi optio cum daretur, deligeremne *et eodem* an *eodemque*, hoc praetuli, quod clamantis sonus sic fortius effertur. Vid. annot. ad I 59.

ribus disicere obvios, proterere iacentes. Plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri adversum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. Iuvit hostium aviditas, omissa caede praedam sectantium; enisaeque legiones vesperascente die in aperta et solida. Neque is miseriarum finis. Struendum vallum, petendus agger; amissa magna ex parte per quae egeritur humus aut exciditur caespes; non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos caeno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur. Forte equus abruptis vinculis 66
vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit. Tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas; quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Caecina comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam. Simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse docuerunt. Tunc contractos in principia, 67
iussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet. Unam in armis salutem, sed ea consilio temperanda, manendumque intra vallum donec expugnandi hostes spe propius succederent; mox undique erumpendum; illa eru-

1. *dissicere* M. *proterrere* M. 2. "*adversum*" *ferri* M, signa autem transpositionis alia manu alioque atramento apposita sunt. 6. *eniseque* M. 8. *perque geritur* M: correxit Rhenanus. 14. *gredentium* M. 17. *praecibus* M.

per quae egeritur humus: codicis scriptura (*geritur*) bona et facilis ad explicandum videatur, si *geritur* pro *aggeritur* accipiamus. Sed Tacitus eo intellectu hoc verbum alias non admisit, neque dicimus Latine *per aliquid aggerere*, sed ablativo utimur. Prima v. *egeritur* littera a praecedente *quae* absorpta est.

Cap. 66. *aversa hosti:* hosti adversa erat porta *praetoria*, ei contraria *decumana*. Vegetius de Re mil. I 23: *porta autem quae appellatur praetoria aut orientem spectare debet aut illum locum qui hostem respicit. — Decumana autem porta quae appellatur post praetoriam est.* Conf. Paul. excerpt. ex Fest. s. v. *praetoria porta.* Liv.

ptione ad Rhenum perveniri. Quodsi fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam. Quae domi cara, quae in castris honesta, memorat: reticuit de adversis. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem
68 invaderent. Haud minus inquies Germanus spe cupidine et diversis ducum sententiis agebat, Arminio, sinerent egredi egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam praedam fore. Igitur orta die proruunt fossas, iniciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo. Postquam haesere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubae concinuere. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hic silvas nec paludes, sed aequis locis aequos deos. Hosti facile excidium et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur; cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversae legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim sanita-
69 tem copias, cuncta in victoria habuere. Pervaserat interim

2. *sevitiam* M. 7. *haut* M. *gemanus* M. 8. *sentiis* M. 12. *fossos* M. 13. *roro* M. 20. *offenduntur* M, in mg. *offeruntur:* correxit Rhenanus. 21. *ingoiomerus* M.

X 32. Hygin. de Castramet. p. 1025 ed. Schel. in Graevii Thes. Antiq. tom. X.

Cap. 67. *quae in castris honesta:* dona militaria, etiam aquilae quae tamquam numina legionum summo studio a militibus tutandae erant.

Cap. 68. *proruunt fossas:* aditum ad castra sibi facturi fossas implent ac proruunt materia ex labris et margine earum in profundum illata; quae cum ad complendas fossas non sufficeret, in supplementum crates iniecerunt. Sic *proruere* significatione activa pro *evertere* XIV 61: *effigies Poppaeae proruunt* (Romani). H. III 22: *hostem — profligare ac proruere.* 23: *balista — hostilem aciem proruebat.*

circumventi exercitus fama, et infesto Germanorum agmine Gallias peti; ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. Sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. Tradit Gaius Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit. Non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quaeri. Nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem temptet, tamquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam appellari velit. Potiorem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces; compressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit. Accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii, odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret.

At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secun- **70**
dam et quartam decumam itinere terrestri Publio Vitellio du-

2. *inp.* M. 5. *inopsa* (*a* puncto notatur) M. 6. *G.* M. 7. *aput* M. *poti* (non *ponti*) M: correxit Beroaldus in annotationibus. *laudis* M. 9. *militum* M. 13. *caliculam* M. *aput* M. 14. *conpr.* M. 19. nunc *decimam* M. *P.* M.

Cap. 69. *Gallias peti:* primum in Gallica Rheni ripa provincias inferiorem et superiorem, tum ceteram Galliam. *impositum Rheno pontem:* intellige pontem apud Vetera a Germanico anno ante factum: I 49.

Germanicorum bellorum scriptor: Sueton. vita Plinii: *bella omnia quae unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit.* Plin. Epist. III 5: *bellorum Germaniae viginti, quibus omnia quae cum Germanis gessimus bella collegit. Inchoavit cum in Germania militaret somnio monitus. Adstitit enim quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit; commendabat memoriam suam orabatque, ut se ab iniuria oblivionis assereret.* Aliud Plinii opus laudatur XIII 20, XV 53, H. III 28, quode v. annot. ad XIII 20.

odia in longum iaciens: sator est Seianus, solum excipiens Tiberius. De hoc dictum *quae reconderet auctaque promeret. In longum* est in tempus longe remotum. Ea enim indoles Tiberii ut odium diutius retentum et absconditum gravius promeret et homines invisos acerba ultione perverteret. I 13: *in Haterium statim invectus est: Scaurum, cui inplacabilius irascebatur, silentio tramisit.* IV 71: *mitigavit* (iram Tiberii in Gallum), *non Galli amore, verum ut cunctationes principis op-*

cendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice adlabente aestu quietum habuit: mox impulsu aquilonis, simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen. Et opplebantur terrae: eadem freto litori campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, sarcinae; corpora exanima interfluunt, occursant. Permiscentur inter se manipuli, modo pectore modo ore tenus extantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti. Non vox et mutui hortatus iuvabant adversante unda; nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab rudi, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit. Pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet: quippe illis etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium. Lux reddidit terram, penetratumque ad Amisiam, quo Caesar classe contenderat. Impositae dein legiones, vagante fama

1. *clasis* M. 3. *inp.* M. 10. *subtractos* M. in v. *solo o* post *l* est e correctione. *non* Lipsius: M *Nox*, Rhenanus *nec*. 12. *ab rudi*] *a prudenti* M, *ab rude* Freherus (Lampugnani larva), *ab imprudenti* Lipsius. 13. *editiorae nisus* M. 17. *illic* M: correxit Beroaldus. 18. *ad Amisiam* editor: *ad amnem uisurgin* M, *ad amnem Unsingim* vulgo. 19. *classem* (*m* puncto notatur) M. *legeones* M.

periretur, gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.

Cap. 70. *quas navibus vexerat:* cf. 60: *ipse impositas navibus quattuor legiones per lacus vexit.* In regressu dimidiam partem Vitellio terrestri itinere in litore ducendam tradit, alteram navibus impositam ad Amisiam reportat, ibi etiam legiones Vitellii in classem recepturus. Etenim inter ostia Visurgis Amisiaeque undae mari reciproco (*bei der Ebbe*) longissime a terra recedunt eaedemque multis insulis vadisque obsitae sunt. Cf. annot. ad c. 70 extr.

sapiens ab rudi: sapiens qui multa scit natura; ei contrarius est *rudis*, non *imprudens*, cui opposita providentia est, quod utrumque demum in subsequentibus *consilia a casu differre* inest. *sine utensilibus:* h. e. sine iis quae usui sunt ad vitam sustentandam; cf. II 1 et 60, III 52, XV 39.

penetratumque ad Amisiam, quo Caesar classe contenderat: insignis libri Medicei corruptela (*amnem uisurgin*) a me nunc demum remota tot virorum acutorum aciem non frustra exercuisset, si Taciti modum enarrandi paulo diligentius considerassent. Nimirum ille Germanici,

submersas; nec fides salutis, antequam Caesarem exercitum-
que reducem videre. Iam Stertinius, ad accipiendum in de- 71
ditionem Segimerum fratrem Segestis praemissus, ipsum et
filium eius in civitatem Ubiorum perduxerat. Data utrique
venia, facile Segimero, cunctantius filio, quia Quintilii Vari
corpus inlusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exercitus
damna certavere Galliae Hispaniae Italia, quod cuique prom-
ptum, arma equos aurum offerentes. Quorum laudato studio
Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria
pecunia militem iuvit. Utque cladis memoriam etiam comi-
tate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere;
vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et
cura sibique et proelio firmabat.

Decreta eo anno triumphalia insignia Aulo Caecinae, 72

5. *cunctantius* M, non *cunctat. quinctilii* M. 6. *inlussis* M. *caeterum* M. 10. *utquae* (*a* puncto notatur) M. 14. *A.*, mox *L.*, tum *C.* M.

paene usque ad Visurgim in hac expeditione progressi, reditum paucis his verbis complectitur et describit (cap. 63): *mox reducto ad Amisiam exercitu* (h. e. eo exercitu quem Germanicus ducebat, non etiam Caecinae milite), *legiones classe, ut advexerat, reportat.* Sed quo minus statim exponeret auctor, quomodo *ad Amisiam reductae* sint quattuor Germanici legiones, impedivit interposita longior de Caecinae exercitu relatio (c. 63 *Caecina, qui suum militem ducebat* — c. 69 extr.). Quo episodio finito narrator redit ad filum c. 63 omissum atque in supplementum capite septuagesimo exequitur, quomodo quattuor legiones Germanici ad Amisiam et inde ad Rhenum reductae sint. Nempe earum duae navibus impositae ad Amisiam vectae sunt, duae Vitellio traditae terrestri itinere ex iis fere locis, ubi Visurgis in mare erumpit, ad eundem amnem penetraverunt, unde omnes navibus per lacus ad Rhenum reportantur. Itaque totum caput 70 nihil est nisi explicatio paucorum verborum (c. 63) *mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat.* In exemplari unde descriptus Mediceus AM ISIĀ fuit; inde librarius codicis M fecit *amnem uisurgin.* Altingii *Unsingim*, nomen ab ipso ex vocabulo parvi fluminis *Hunse* confictum, Lipsii *Vidrum*, fluvios Tacito incognitos, iam silentio praeterire licebit.

Cap. 71. *Iam Stertinius — praemissus:* Stertinius et ante Caecinam et Germanici militem regressus incolumis cum suis ad Rhenum pervenit. Conf. I. 60. In eadem expeditione, quae l. c. memoratur, Stertinius in terra Bructerorum Segimerum et filium Sesisthacum (Strab. VII 1 4) dedentes se accepit. *quorum-armis:* cf. annot. ad I 1.

adloquio et cura: quale alloquium dixerit adiecto nomine *cura* significavit, alloquium consolationis et laudationis, etiam exhortationis. H. III 36: *non adloquio exercitioque militem firmare.* Vulgo *adloqui* et *adlocutionem* dicebant. Varro L. L. VI 57: *adlocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad*

Lucio Apronio, Gaio Silio ob res cum Germanico gestas. Nomen patris patriae Tiberius, a populo saepius ingestum, repudiavit; neque in acta sua iurari, quamquam censente senatu, permisit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi. Nam legem maiestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant, si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica maiestatem populi Romani minuisset. Facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat, mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore an iudicia maiestatis

3. *rupudiavit* M. 5. *lubico* superscr. *r* M. *dictan* M, superscr. *s* quod ab alia manu videtur esse: correxit Muretus ac Pichena. 7. *aput* M. *iudicum* M. 8. *veniebat* pr M, corr *veniebant*. *aut* Beroaldus: M *ut*. 10. *inp*. M. 11. *spetie* M.

aliquem locum consolandi causa. Catull. XXXVIII 5 et 7: *quem tu — qua solatus es adlocutione? — Paulum quid lubet adlocutionis maestius lacrimis Simonideis.* Formam *adloquii* et Livius (I 34, IX 6, XXV 24) et Tacitus ex Horatii sacrario videntur protulisse, qui Epod. XIII 18 *deformis aegrimonio dulcibus adloquiis.*

Cap. 72. *nomen patris patriae — in lubrico dictitans:* conf. Dio LVII 8. Sueton. Tiber. 26 et 67.

si quis proditione — maiestatem populi Romani minuisset: conf. Ascon. argum. Cornel. p. 60 et 61 ed. Orell. Cic. in Verr. lib. I 33, in Pison. 21, pro Cluent. 33. *Maiestas* apud antiquos populi fuit sive rei publicae, non unius hominis: Cic. de Orat. II 39: *si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit qui exercitum hostibus populi Romani tradidit.* Auctor ad Herenn. II 12: *maiestatem is minuit qui ea tollit ex quibus civitatis amplitudo constat, suffragia populi et magistratus consilium.* Vid. Drumanni Histor. Rom. vol. II pag. 487.

primus Augustus cognitionem cet. conf. Dio LVI 27. Sueton. Aug. 55. Dig. XLVIII 4. Cod. Iustin. IX 8.

Cassii Severi libidine: de hoc vide Quintil. VI 1 43, X 1 22 et 116, XI 1 57. Tacit. O. 19 et 26. Sueton. Aug. 55 et 56, Calig. 16, Vitell. 2, de Illustr. Gramm. 22. Seneca Excerpt. Contr. III praef. Hieronymus in Euseb. Chron. ad a. 786 ab u.: *Cassius Severus orator egregius, qui Quintianum illud proverbium luserat, vicesimo quinto exilii sui anno summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.* Conf. Tacit. IV 21.

consultante Pompeio Macro — respondit: Suetonius auctore Tacito pro more usus in Tiberio 58 scribit: *consulente praetore an iudicia maiestatis cogi iuberet, exercendas esse leges respondit.* Cf. Dio LVII 19. Praetor ille sortitus erat iudicia maiestatis. *Iudicia* tam apud Tacitum quam Suetonium intellige *iudicum consilia* ad iudicandum de

redderentur, exercendas leges esse respondit. Hunc quoque
asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in saevitiam
superbiamque eius et discordem cum matre animum. Haud 73
pigebit referre in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Roma-
nis, praetemptata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii
arte gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit,
postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio
obiciebat accusator quod inter cultores Augusti, qui per
omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium
quendam mimum corpore infamem adscivisset, quodque ven-
ditis hortis statuam Augusti simul mancipasset. Rubrio cri-

1. *legis* M. 7. *faianio* h. l. M.

singulis maiestatis reis cogenda sive reddenda et constituenda. Tiberius consultanti praetori quaesita ambiguitate respondit *exercendas leges esse:* scilicet maiestatis quaestionem non a praetore et iudicibus more vetere, sed in senatu se coram tractari voluit; nam proprium illi fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere; vid. IV 19. *asperavere carmina:* ipsa recitat Suetonius Tib. 59.

Cap. 73. *per omnes domos:* nomen *domos* (*Palais*) de urbe positum et numero multitudinis elatum accipe aedificia eorum Romanorum qui divitiis aut nobilitate praestabant. Aliquoties etiam singulari nominis numero eà vis subest. Conf. II 29: *Libo — cum primoribus feminis circumire domos.* II 82: *claudebantur domus.* III 9: *domus foro imminens.* III 55: *ut quisque opibus domo paratu speciosus.* IV 14: *foeda per domos.* VI 3: *custoditurque domibus magistratuum.* 45: *exolutis domuum et insularum pretiis.* XVI 13: *domus corporibus exanimis—complebantur.* H. I 81: *rari domos, plurimi amicorum tecta — petivere.* 82: *velut capta urbe clausae domus.* O. 36: *adsignatae etiam domibus inimicitiae.* Agr. 21: *templa fora domus extruerent.* Hic tamen usus ad urbem et ad eos qui urbana aemulantur coërcendus: nam apud peregrinos *domus* pro cuiuscumque generis aedificiis ponuntur, v. c. XIII 54. G. 46.

quos mater sua — sacrasset: v. Dio LVI 46. Suetonius Calig. 56. Iosephus XIX 1 §. 11.

Cap. 74. *proconsulem:* legebatur *praetorem.* Quod Iosias Mercerus cunctanter coniectavit, Lipsius non improbavit, *proconsulem* pro vulgato *praetorem*, id ego sine dubitatione adoptandum existimavi, ut vitium apertum Tacitoque indignum, ab ipso XVI 18 in eadem re recte devitatum, tandem amoveatur. Nam posteaquam Augustus eam provinciarum divisionem fecit, ut validas et exercitibus coërcitas sibi, pacatas et barbarorum incursibus non obnoxias senatui populoque committeret (Dio LIII 12 — 14. Strabo XVII extr. Sueton. Aug. 47), Bithynia senatoria sive popularis provincia fuit, et hac conditione permansit usque ad annum a Chr. 133 principe Hadriano, qui Bithyniam sibi sumpsit, senatui populoque Pamphylia substituta. Vid. Dio LXIX 14. Iam qui mittitur in provinciam senatoriam sive popularem sive proconsularem, ei nomen *proconsul* vel *pro consule*, non *praetor,* sive is dignitate praetorius

mini dabatur violatum periurio numen Augusti. Quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus non ideo decretum patri suo caelum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset; nec contra religiones fieri quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Ius iurandum perinde aestimandum quam si Iovem fefellisset:
74 deorum iniurias dis curae. Nec multo post Granium Marcellum proconsulem Bithyniae quaestor ipsius Caepio Crispinus

1. *periturio* (*t* puncto notatur) M. *nomen* M: correxit Freinshemius. 3. *pernitiem* M. 4. *alios ei'* (i. e. *eius*) *eiusdem* M. 6. *effegies* M. *numinus* pr M. 9. *dis* M, non *diis*. 10. *proconsulem* editor: M et vulgo *praetorem*. *bithiniae* M.

est sive consularis, ita tamen ut in Asiam provinciam et Africam non nisi viri consulares mittantur. Hunc dicendi usum Plinius et Suetonius et praecipue Tacitus ubique sequuntur. Habes *proconsulem* in provinciis senatus populique apud Tacitum I 53, II 52, III 21 et 32 et 35 et 38 et 66 et 68 et 72, IV 13 et 23 et 36, XII 59, XIII 1 et 33, XIV 46, XVI 10 et 18. H. I 76, II 97 (*proconsulatum Africae*), III 46, IV 48 et 50. Agr. 6 et 42. Conf. Plin. Epist. II 11, ubi *proconsul Africae*, V 20, X 64 (65) et 108 (109) et 112 (113), ubi ipsius *Bithyniae proconsul*, IV 9, ubi quod idem valet *sortitus Bithyniam*. Contra qui Caesaris provinciam imperio regit, is *legatus* provinciae, sive ipse praetorius est sive consularis, vel *propraetor* sive *pro praetore* vocatur. Habes *propraetorem* Caesaris provinciae rectorem apud hunc nostrum II 66, IV 73, VI 27, XII 31 et 40, XIII 51, *legatum* II 7 et 56 et 77 et 80, III 12 et 41, XI 10, XII 27 et 40, XIII 53 et 56, H. V 10, *legatum consularem* Agr. 7. Sed ne in posterum dubitationi de hoc loco quis indulgeat, ultro dubitantibus occurram. Dicat enim aliquis, 'nonne Bithynia anno quo Marcellus eam administravit Caesari tradita esse potuit extra ordinem, quemadmodum eadem provincia Plinio Secundo a Traiano commissa fuit?' Non potuit, quia *quaestor* proconsulis memoratur, cui locus est neque in provincia Caesaris neque apud legatum Caesaris. Ambigat alius, 'nonne *praetor* in hoc Taciti loco universe positus est pro rectore provinciae?' Non est. Nam primum Tacitus XVI 18 Bithyniae rectorem ipse nominavit *proconsulem*, ut iubebat usus dicendi, tum *praetorem* provinciae senatoriae neque ipse neque aequalis scriptor unquam appellavit. Postremo ne Caesaris quidem legatus simpliciter *praetor* apud Tacitum eiusve aequales vocatur, quamquam contrarium alii probare voluerunt, sed temere, his Taciti locis, II 56: *Commagenis Quintus Servaeus praeponitur tum primum ad ius praetoris translatis*. Narrat terram Commagenorum provinciam Caesaris factam esse et accepisse *propraetorem*, sed recte scribit *ad ius praetoris*, quod is qui provinciam *pro praetore* obtinet *iure praetorio* utitur, non *propraetorio:* ius enim propraetorium non est. Idem dicendum est de II 77: *Pisonem, non Sentium, Syriae prae-*

maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone; qui formam vitae iniit quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt. Nam egens ignotus inquies, dum occultis libellis saevitiae principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnis adeptus, dedit exemplum quod secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum insimulabat sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo. Nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo statuam Marcelli altius quam Caesarum sitam, et alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam. Ad quod exarsit adeo ut rupta taciturnitate proclamaret se

3. *audatiae* M. 5. *aput unum* M. 7. *comtemptis* M. *pernitiem* M. 10. *accussator* M. 13. *ininditam* (prius *in* punctis notatum) M. 14. *at quot* M.

positum; huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas. Etiam Piso, pro praetore provinciae Syriae, iure *praetorio* ibi agebat. Porro IV 15 Tiberius dicit: *se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse* (Lucilio Capitoni Asiae procuratori): *quodsi vim praetoris usurpasset —, spreta in eo mandata sua.* Asia senatoria erat, et tamen praetor memoratur, sed quis non videt Tiberium ut Caesarem loqui? Hoc dicit, si Capito procurator eam vim usurpasset, quam in Caesaris provincia exercet is, qui iure *praetorio* (pro praetore) eam regit, spreta in eo mandata sua. Denique IV 45 legimus: *is praetorem provinciae Lucium Pisonem — uno vulnere in mortem adfecit.* Ibi propter additam *provinciae* vocem *praetoris* nomen ponere potuit, ubi alioqui *pro praetore* nominandus erat: nam *provinciae praetor* (= praetor provincialis) quis est nisi qui provinciam iure praetorio, h. e. pro praetore urbis exercet? Alia via expedio et explico XV 25: *et qui praetorum finitimas provincias regebant*; lege illic annot. Videbis, lector, quo haec tendant. Nimirum vel illi, qui temeraria coniectura statuunt in Bithyniam eo tempore, de quo nunc loquimur, extra ordinem legatum Caesaris vel propraetorem missum esse, nihil proficiunt. Nam hoc si factum esset, primum quaestori nullus locus fuit, tum etiam Caesaris legatus *praetor Bithyniae* nominari non potuit. Vitium ex commutatis siglis PRT et PRC originem duxit.

Romano Hispone: eius Declamationum electa nonnulla Seneca rhetor in Controversiis posuit.

patiens tulit absolvi reum: si vera sunt quae Suetonius 58 narrat, *statuae quidam Augusti caput dempserat, ut alterius imponeret. — Damnato reo* cet., alio tempore minus patientem se Tiberius ostendit.

de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est: a patribus, apud quos hac aetate *publica negotia et privatorum maxima tractabantur* (IV 6), de pecuniis repetundis quaestio ad iudicium recuperato-

quoque in ea causa laturum sententiam palam et iuratum; quo ceteris eadem necessitas fieret. Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Gnaeus Piso 'quo' inquit 'loco censebis, Caesar? si primus, habebo quod sequar, si post omnis, vereor ne imprudens dissentiam'. Permotus his, quantoque incautius efferverat, paenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis. De pecuniis repetundis ad reciperatores itum est.

75 Nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta. Sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quae Pius Aurelius senator questus mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas, auxilium patrum invocabat.

3. *CN.* M. 5. *oms* cum lineola M. 6. *efferuerat* M. 7. *peccuniis* M. 11. *praeces* (*a* puncto notatum) M. *constituta. Sed*] *constituas et* M. 13. *quaestus* (*a* puncto notatum) M.

rium a praetore cogendum translata est, ut quantum pecuniae stipendiariis reddendum esset aestimaretur. Nam ii tantum repetundarum rei ad patres adducebantur, qui gravibus criminibus obstricti tenebantur. Vid. Plin. Epist. II 11: *Marius Priscus accusantibus Afris, quibus pro consule praefuit, omissa defensione* (in senatu) *iudices petiit: ego et Cornelius Tacitus adesse provincialibus iussi existimavimus fidei nostrae convenire notum senatui facere excessisse Priscum immanitate et saevitia crimina, quibus dari iudices possint, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset.* Idem IV 9: *censuit Baebius Macer consul designatus lege repetundarum Bassum teneri: Caepio Hispo salva dignitate* (h. e. ordine senatorio Bassi) *iudices dandos*, id est qui pecuniam a Basso restituendam aestimarent. Cf. eiusdem VI 29: *tuitus sum Iulium Bassum ut incustoditum nimis et incautum, ita minime malum; iudicibus acceptis in senatu remansit.* Severius actum in causa Baebii Massae a senatu damnati: idem Plinius VII 33.

Cap. 75. *in cornu tribunalis:* cf. Dio LVII 7. Sueton. Tiber. 33. Adulator Velleius II 126: *revocata in forum fides;* et 129: *cum quanta gravitate ut senator et iudex, non ut princeps et Caesar, causas pressius audit.*

mole publicae viae: moles viae haud denotat saxa ingentia in via transvehi solita: id enim numero multitudinis efferendum erat, et obstat qui sequitur ductus aquarum, h. e. opus arcuatum pondere ingens. Via gravibus saxis strata, urgente etiam mole aquaeductus, subsederat proxime domum senatoris Aurelii, eoque etiam aedium fundamenta in fronte labefactata sunt. Aliud est de quo queritur Plinius Paneg. 51 1: *non, ut ante, immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur.*

Resistentibus aerarii praetoribus subvenit Caesar, pretiumque aedium Aurelio tribuit, erogandae per honesta pecuniae cupiens; quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto paternas ei angustias esse. Temptantis eadem alios probare causam senatui iussit, cupidine severitatis in iis etiam quae rite faceret acerbus. Unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeposuere.

Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana 76
urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus ut libri Sibyllini adirentur. Renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens. Sed remedium coërcendi fluminis Ateio Capitoni et Lucio Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus formidolosum,

1. *praetiumque* M. 3. *exsueret* M. 6. *causa* M. 7. *cupidioe* M. *iis* M, non *his*. 12. *sybillini* M. 13. *rennuit* (prius *n* puncto notatum) M. 15. *L.* M. *acchaiam* (prius *c* puncto notatum) M. 16. *depcantis* cum lin. super *p* (id est *depraecantis*) M. 18. *praesedit* Beroaldus: M *praesidit*. 19. *in vulgus* mg. M (ubi ascriptum est *in* dumtaxat): *vulgus* omisso *in* M.

aerarii praetoribus: duo ex praetorum numero hac aetate aerarii curam gerebant. Vid. XIII 29. Sueton. Aug. 36. Dio LIII 2 et 32.

quam virtutem diu retinuit: Velleius suo more II 129: *senatorumque censum, cum id senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui!*

Cap. 76. *eodem anno*: accedit ad finem annalis curriculi; v. ad cap. 53.

levari in praesens proconsulari imperio: cf. Dio LVIII 25. Quibus opus erat proconsuli magnaeque comitantium turbae sive cohorti, etiam quibus quaestor eiusque scribae sustentandi erant, ea omnia provincia debuit erogare. Nunc vero, cum Achaia (h. e. Graecia) et Macedonia propraetori Moesiae traderentur (c. 80), et proconsule et quaestore simul levatae sunt. Utramque provinciam Claudius a. 44 senatui restituit. V. Dio LX 24. Sueton. Claud. 25: *provincias Achaiam et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, senatui reddidit.*

nimis gaudens: v. c. 29: *promptum ad asperiora ingenium Druso erat.* Paulo ante si quis *praesidit* cum codice M scribere inclinaverit, talem impetum cohibebit admonitio

et pater arguisse dicebatur. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant; alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem, quamquam id quoque

77 dictum est. At theatri licentia, proximo priore anno coepta, gravius tum erupit, occisis non modo e plebe sed militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiae ut praetoribus ius virgarum in histriones esset. Intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui praebebat. Valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius. De modo lucaris et adversus lasciviam fautorum multa decernuntur; ex quis maxime insignia, ne domos pantomimorum senator introiret; ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in theatro

3. *conp.* M. 4. *hostentandam* M. 5. *quoque*] *quod* M: correxit Lipsius. 7. *tum*] *dum* M. *sed*] *et* M: emendavit Lipsius. 14. *uerborum* M.

Latinum verbum esse *praesĭdēre*, *praesīdĕre* non esse, ut *consīdĕre*, *insīdĕre* cet.

Cap. 77. *proximo priore anno coepta:* v. c. 54. Additum *priore* mihi etiamnum tamquam interpretamentum proximi nominis suspectum est. Nam quae Ernestius protulit ex Cicerone Or. 64 *proximum superiorem*, N. D. II 20 *orbem proximum inferiorem*, N. D. III 21 *proxime superiores*, item Wolfius ex Vopisci Probo 11 *proximo superiore anno*, haec alius generis esse video: scilicet ex pluribus rebus quae antecedunt aut succedunt, quae sit proxima significatur. Sed h. l. unus annus, non plures, praecedunt: nam in anno secundo operis sui nunc auctor versatur. Itaque *priore* non magis opus erat, quam c. 78 *itaque proximae seditionis male consulta — abolita in posterum*, et c. 22 *quem — nocte proxima iugulavit*, et O. 17 *proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes.*

militibus et centurione — cohortis: cohors (praetoria) ludis assidebat: XIII 24. *de modo lucaris:* h. e. de modo lucari (*Gage*) adhibendo. *Lucar* dictum a *lūcis:* sic enim vocabant aes quod ex lucis publicis locatis captum et histrionibus antiquo tempore solutum est. Conf. Paulus ex Festo s. v. *lucar* et *lucaris pecunia*, Festus s. v. *pecunia*. Plutarchus Quaest. Rom. n. 88. Sueton. Tiber. 34: *ludorum ac munerum impensas corripuit mercedibus scenicorum recisis.*

spectarentur; ut spectantium immodestiam exilio multandi
potestas praetoribus fieret. Templum ut in colonia Tarraco- 78
nensi strueretur Augusto petentibus Hispanis permissum, da-
tumque in omnes provincias exemplum. Centesimam rerum
venalium, post bella civilia institutam, deprecante populo,
edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti; simul im-
parem oneri rem publicam, nisi vicesimo militiae anno ve-
terani dimitterentur. Ita proximae seditionis male consulta,
quibus sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita
in posterum.

Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio an ob 79
moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus
per quos augescit; auditaeque municipiorum et coloniarum
legationes, orantibus Florentinis ne Clanis solito alveo de-
motus in amnem Arnum transferretur, idque ipsis perniciem
adferret. Congruentia his Interamnates disseruere: pessum
ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar (id enim

1. *ut* editor: legebatur *et*. *exitio* M. *multandi* M, non *mulctandi*. 2. *fleret* M. 4. *centissimam* M. 5. *depcante* cum lineola super *p* M. 7. *pubplicam* M. 15. *permitiem* pr M. 16. *aff.* Or. *Interamnates* in margine M et Beroaldus: M *ante manates*.

ut — potestas praetoribus fieret: quae antecedunt enuntiata negantia nunc a contraria dicendi forma excipiuntur. Quod ibi debuit esse *ut*, id pro *et* reposui.

Cap. 78. *templum — exemplum:* ara apud Tarraconenses iam vivo Augusto perinde ut Lugduni et apud Ubios: Quintil. VI 3 77: *Augustus nuntiantibus Tarraconensibus palmam in ara eius enatam, 'apparet', inquit, 'quam saepe accendatis'.* Aram nunc templo mutare et augere Tarraconenses cupiunt.

deprecante populo: deprecatus est per acclamationes, non per tribunos in senatu: ideo *edixit* Tiberius, h. e. *edicto proposito dixit*, non *respondit*. Res venales sunt quae auctionibus veneunt. Centesima una cum aerario militari instituta est ab Augusto a. 759: v. Dio LV 25. Sueton. Aug. 49: *utque perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos* (milites) *prosequendosque suppeteret, aerarium militare cum vectigalibus novis instituit.* Nova vectigalia fuerunt *centesima rerum venalium* e Tacito h. l. commemorata et *vicesima hereditatum*, cuius mentionem Dio fecit. Quod autem Dio de vicesima hereditatum tradit, *εἰσῆκτο μὲν γὰρ καὶ πρότερόν ποτε* (h. e. iam ante annum 759), *καταλυθὲν δὲ μετὰ ταῦτα*, hoc etiam de centesima credendum est, ut Taciti verba *post bella civilia institutum* arguunt.

sedecim stipendiorum finem: h. e. finem stipendiorum qui sedecim stipendiis impetratur. Genitivus causam indicat, unde finis consequatur. De re conf. c. 36 et 52.

Cap. 79. *ne Clanis — transferretur:* non universa fluvii Clanis

parabatur) in rivos diductus superstagnavisset. Nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum; optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit; spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint. Quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. Seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat.

80 Prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis Achaia ac Macedonia. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in isdem exercitibus aut iurisdictionibus habere. Causae variae traduntur: alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse, quidam invidia, ne plures fruerentur. Sunt qui existiment, ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium. Neque enim

1. *deductus* M. 3. *obtume* M. 8. *praeces* M. 10. *concederet* M: correxit Lipsius. 12. *ac* M, non *et*. 13. *istem* M. 16. *fuerentur* M.

aqua, sed lacus ille, unde effunditur et augescit, non procul a Trasimeno situs in Arnum transferri poterat. Quo facto Florentini timebant, ne nimium incresceret Arnus. Nunc Clanis (Chiana) magnam partem in Arnum se transtulit, Tiberi ceteram aquam affundit.

in rivos diductus: qui id suadebant, fore ut rivi illi in Umbriae arenis delitescerent sperabant. Contra disseruere Interamnates. Waltherus *fecundissimos Italiae campos* pro felicissimis illis Campaniae campis accepit: non crederem, nisi litteris perscriptum viderem. Interamnates ad Narem in confiniis Umbriae et Sabinorum positi.

nec Reatini — recusantes: cf. Cic. ad Att. IV 15: *Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem et decem legatos, quod lacus Velinus, a Manio Curio emissus interciso monte, in Narem defluit.*

Velinum lacum — erupturum: cf. Plin. N. H. III 17 (12): *Sabini — Velinos accolunt lacus. — Nar amnis exhaurit illos* (lacus) *sulphureis aquis; Tiberim ex his petens replet e monte Fiscello labens, iuxta Vacunae nemora et Reate in eosdem conditus.*

Cap. 80. *prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia:* hoc ad principem pertinet, non ad senatum: Moesia enim Caesaris provincia erat, et Achaia et Macedonia eidem in praesens tradita. Cf. I 76, V 10. Quod paulo post dicit *in isdem exercitibus aut iurisdictionibus habere*, intelligit Caesaris *legatos* et *procuratores:* nam minores et inermes provinciae fere a procuratoribus Caesaris cohibebantur; conf. XII 54, XIII 31. H. V 9 et 10, I 11 et 12, II 12 et 16 et 58.

eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. Qua haesitatione postremo eo provectus est ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.

De comitiis consularibus, quae tum primum illo principe 81
ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intellegeretur: aliquando ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est. Plerumque eos tantum apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset: posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent. Speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

1. *virtutis* M. 2. *sibi sibi* sine interpunctione M. 4. *quibustdam* M. 7. *aput autores* M. nunc *sed* M. *repperiuntur* M. 12. *aput* M. 14. *in spetiosa* M. 16. *seruitium. FINIT P. CORNELI LIB. I.* ‖ *INCIPIT LIBER. II.*

ut mandaverit quibusdam provincias — passurus: lege VI 27. Sueton. Tiber. 63 et 41. Dio LVIII 19. Ioseph. Ant. XVIII 6 §. 5.

Cap. 81. *quae tum primum:* 'secundo anno Tiberii, quo primum designavit consules. Nam proxime priori destinarat Augustus. *Deinceps* intellige de reliquis annis eiusdem Tiberii, non de successoribus eius. Conf. Dio LVIII 20.' Wolfius.

candidatos hortatus: hoc ipso quod candidatos nominabat et hortabatur, patribus significabat et suggerebat qui designandi sibi viderentur.

ne ambitu comitia turbarent: ne senatorum suffragia ambiendo conciliare sibi studerent. *suam ad id curam pollicitus:* in his comitiis dominari unus voluit, non ea moderatione uti quam in praetoriis (v. c. 15) ostentavit. Dio LVIII 20. Conf. Tacit. II 42.

aut subdola: scilicet nonnulli qui Tiberii verbis crederent, imprudentia sua circumventi sunt. Gravi clausula liber desinit, perinde secundus et tertius, ubi cf. annot.

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—41. Annus a Christo nato decimus sextus, imperatoris Tiberii tertius. De rebus Orientis repetita nonnulla (1—4). Eius provinciis imponendus Germanicus. At ille celerandae de Germanis victoriae intentior bellum mari classeque inferendum praeparat (5—6). Ante tamen expeditio in Chattos suscepta a Silio, ab ipso alia ad Alisonem castellum (7). Parata classe Germanicus fossam Drusianam ingreditur, inde lacus et Oceanum secunda navigatione pervectus terrestri itinere ab Amisiae ore ad Visurgim et terram Cheruscorum tendit; Amsivariorum a tergo deficientium perfidiam immisso Stertinio caede et igne ulciscitur (8). Romanus ubi ad Visurgim penetravit, in diversa ripa Germani et Arminius; huius cum Flavo fratre colloquium (9—10). Visurgis transitus ab equite Romano, non sine clade (11). Caesar cum legionibus amnem transgressus, propinquo summae rei discrimine, militum animos ipse explorat tempore nocturno (11—13), eadem nocte auctus omine. Postero die exercitum adhortatur, item Arminius suum militem (14—15). Cherusci ingenti proelio victi ac caesi (16—18). Iidem tamen viso aggere, quem Romanus in modum tropaeorum struxerat, fugam sistunt, agmen Romanum incursant, postremo alterum proelium (inter Visurgim Albimque) ausi rursus sternuntur; Amsivarii, in quos Stertinius iturus erat, deditionem properaverunt (19—22). At in regressu dispar fortuna; saevitia Oceani magna pars navium haustae, plures longius eiectae sunt (23—24). Quae clades ne Germanos ad spem belli erigeret, Silius in Chattos, Germanicus in Marsos irrumpit, ubi aquila Varianae legionis recepta et hostium spes repressa (25). Sed Tiberius Germanicum suetis legionibus abstraxit, in urbem ad triumphum et consulatum revocavit (26). Ibi Libo Drusus defertur moliri res novas. Principem infensum expertus gladio domi incumbit (27—32). De luxu coërcendo decreta patrum et consultationes, Lucii Pisonis liberi doloris documenta (33—34). De rebus eo anno proferendis diversae Gnaei Pisonis et Asinii Galli sententiae, certamen Gallo adversus principem de comitiis magistratuum (35—36). Census quorundam senatorum adiuti a Tiberio, sed preces Marci Hortali nobilis iuvenis superbius acceptae (37—38). Fraus Clementis (is Postumi Agrippae servus fuerat) punita (39—40). Fine anni nova opera in urbe dicata (41).

Cap. 41—52. Annus a Chr. n. decimus septimus, principis Tiberii quartus. Germanicus triumphum ducit de Cheruscis et sociis. Res Orientis ad componendum ei permissae, sed Syriae praepositus est a Caesare Gnaeus Piso, qui Germanico adversaretur (41—43). Drusus

Tiberii filius in Illyricum missus ad discordias Suevorum et Cheruscorum componendas. Certamina Marobodui et Arminii (44—46). Asiae duodecim urbes nocturno terrae motu collapsae refoventur patrum et principis largitione. Tiberii in privatos liberalitas, in hereditatibus adeundis providentia (47 — 48). Deorum aedes Romae dedicatae (49), tum de adolescente lege maiestatis (50), de praetore subrogando (51). In Africa Tacfarinas turbator a Furio Camillo proconsule repressus (52).

Cap. 53—58. Annus a Chr. n. decimus octavus, Tiberii principis quintus. Conventus Germanici et Drusi in urbe Nicopoli (53), iter Germanici per Athenas, Euboeam Lesbumque ad extrema Asiae, regressus eiusdem, ubi Colophona oraculumque Apollinis adiit (54). Interim Piso Athenis civitatem oratione saeva increpat, perstringens oblique Germanicum, abs quo apud Rhodum nihilo minus tempestatibus eripitur; hinc in Syriam celeriter profectus seditiose ibi agit (55). Germanicus ad Armenios praevertit, his regem imponit, Cappadocibus legatum dat, item Commagenis (56). Pisonis in eum officia omissa et contumeliae (57). Artabani Parthorum regis legati ad Germanicum, Vonones amotus in Ciliciam (58). Res domesticae nullae hoc anno referuntur.

Cap. 59—88. Annus a Chr. n. undevicesimus, imperatoris Tiberii sextus, cuius res partim externae sunt (59 — 81), partim in urbe senatuque peraguntur (82 — 88). Germanicus in Aegyptum proficiscitur, Tiberio improbante (59), Nilo subvehitur, terrae miraculis animum attendens, quorum praecipua describuntur (60—61). Eadem aestate Drusus Germanos ad discordias illicit, ut fracto iam Maroboduo usque ad exitium insisteretur; qui Danubium transgressus qua Noricum praeterfluit ad Pannoniae legiones e regno confugit. Ipse Ravennae habitus est, barbari eum comitati quique cum Catualda item pulso venerunt, ultra Danubium locati (62 — 63), rege Vannio. Laetusque Tiberius ob res Orientis et Germaniae arte magis quam armis compositas eadem via aggreditur Rhescuporim Thraciae regem, insigni perfidia usum in Cotyn fratris sui filium (64 — 66), et evertit (67). Vonones fugam e Cilicia tentans retrahitur atque interficitur (68). Germanicus ex Aegypto remeans a Pisone in irritum versa repperit quae ordinaverat, mox aeger animi extinguitur, non sine suspicione accepti a Pisone veneni (69—73). Syriae Sentius praepositus (74), Agrippina cum cineribus mariti classem ascendit in urbem properando (75). Piso ob excessum Germanici intemperanter laetus provinciam repetit, Sentii opera et cura depulsus (76—81). At in urbe magnis animorum motibus Germanici mors accepta est (82—84). Eodem anno libido feminarum a patribus coërcita (85), virgo capta (86), Arminius regnum affectans dolo propinquorum cadit; viri laudes (87—88).

1 Sisenna Statilio Lucio Libone consulibus mota Orientis regna provinciaeque Romanae, initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur. Is fuit Vonones, obses Augusto datus a Phraate. Nam Phraates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat, partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu quam fidei popularium diffisus.
2 Post finem Phraatis et sequentium regum ob internas caedes venere in urbem legati a primoribus Parthis, qui Vononen vetustissimum liberorum eius accirent. Magnificum id sibi

1. *Ab excessu diui Augusti. Sisenna* M. *Sisenna Statilio* editor: vulgo *Sisenna Statilio Tauro.* *L.* M. *cos.* cum lineola M. 5. *datus aprahate. nam prahates* M: idem magna constantia 6 31 et 32 *phraaten, phraatis, phraates*, item 37 et 42 et 43 *phraatis, phraates*, ac 12 10 *praatis* M[a]. 9. *prahatis* M. 10. *Vononem* M. idem c. 4 *uononen.*

Cap. 1. *Sisenna Statilio* [*Tauro*]: cognomen *Sisenna*, pro more apud Tacitum saepe usurpato neque apud alios scriptores inaudito, gentis nomini praepositum legimus, *Sisenna Statilio.* Sed hoc quotiens admittitur, neque praenomen neque aliud cognomen additur, quamvis falso nonnulli nostra aetate efferant *Gaium Crispum Sallustium* pro *Crispo Sallustio* aut *Gaio Sallustio Crispo.* Magis vero barbarum est ubi ad *Sisennam Statilium*, h. e. post cognomen priore loco et nomen altero positum, tertio novum cognomen (*Taurus*) accedit. Ut igitur vitium tam maniefstum removeretur, expunxi Taurum eumque adiunctum esse puto in libro *ἀρχετύπῳ* a viro litterato qui *Taurum* cognomentum a *Statiliis* non alienum esse ex VI 11, XII 59, XIV 46 meminisset idque in margine vel supra versum poneret. Cf. annot. ad XIII 30. Accedit in partes meas testis minime contemnendus Cassiodorus, cuius in Chronico ad hunc annum clare leguntur *Sisenna Statilius et L. Scribonius.* Huius auctori (nam ipse Taciti libros non legit) fons Tacitus.

nam Phraates quamquam depulisset: depulerat Antonium triumvirum et ingentes eius copias, legatum vero Oppium Statianum cum suis occiderat anno urbis 718 ante Chr. 36: Dio XLIX 23—32 et quos laudat Drumannus Histor. Rom. tom. I p. 452—460. *Venerantium officia*, quae Phraates a. 734 ad Augustum vertit, memorant Suetonius Aug. 21, Dio LIV 8, Strabo XVI 1 28, Horatius Carm. IV 15 6, Epist. I 12 27, Ovidius Fast. V 593, VI 467, Velleius II 91, Iustinus XLII 5, Florus IV 12 63, Monum. Ancyr. cet.

partemque prolis: filios Seraspadanen, Rhodaspen, Phraaten, Vononen, horum duas uxores et quattuor filios: Strabo XVI 1 28.

Cap. 2. *post finem Phraatis et sequentium regum:* Phraates (a. 752) interemptus est a filio spurio Phraatace, qui deinceps imperavit, sed brevi fugatus et mortuus; post Orodes II regnavit itemque occisus est a popularibus: Ioseph. Antiq. XVIII 2. §. 4. Dio LV 10. Hunc secutus est Vonones Roma accitus aliquamdiu post a. 752.

credidit Caesar, auxitque opibus. Et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia. Mox subiit pudor, degeneravisse Parthos; petitum alio ex orbe regem, hostium artibus infectum; iam inter provincias Romanas solium Arsacidarum haberi darique. Ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Caesaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet? Accendebat dedignantes et ipse, diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura; quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine, fastuque erga patrias epulas. Inridebantur et Graeci comites, ac vilissima utensilium anulo clausa. Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia; et quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis et honestis. Igitur Artabanus Arsacidarum e sanguine 3
apud Dahas adultus excitur, primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur. Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii, qui Artavasden regem Armeniorum specie amicitiae inlectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia

1. *accipere* M.: emendavit Beroaldus. 9. *venatu* bis M, alterum sex punctis subnotatum. 11. *anulo* M, non *annulo*. 13. *maioribus* M: emendarunt Muretus et Lipsius. 15. *aput* M. 17. *pathorum* M. 18. *spetiae* (*a* puncto notatum) M.

Caesar: is est Caesar qui ante nomine suo non ambigue designatus est, h. e. *Augustus*. Idem c. 3 *Caesar* appellatur: nos dicimus *der Caesar*. Vid. ad XI 1. *nova vitia:* nova vitia Parthis erant aut videbantur. Nova haec vitia inique eo nomine notata opponuntur veris modo commemoratis.

ipsorum moribus: M offert *maioribus*. Codicis scripturam vindicare cum Pichena et Walthero equidem non ausim, cum quae sunt aliena maioribus, minoribus possint placere. Itaque si Tacitus scripsisset *maioribus*, adiiciendum erat aliquid, unde maiorum aemulos esse Parthos liqueret. Maxime autem me movet ad *maiores* exterminandos quod enuntiato *et quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis et honestis*, praecedentia illa *sed prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia*, explicantur et illustrantur: in his enim non qui maiorum sed hominum iam viventium mos et persuasio fuerit, declaratur.

Cap. 3. *apud Dahas adultus:* Dahae Caucasi montis incolae, ex gente Scytharum (*Dahistan*), non procul a mari Caspio vicini Sacis:

per dolum propinquorum, datus a Caesare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis
4 more externo in matrimonium regnumque. Dein iussu Augusti impositus Artavasdes, et non sine clade nostra deiectus. Tum Gaius Caesar componendae Armeniae deligitur. Is Ariobarzanen, origine Medum, ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere; temptatoque feminae imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique, et magis sine domino quam in libertate, profugum Vononen in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus, et parum subsidii in Armeniis, vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Syriae Creticus Silanus excitum custodia circumdat, manente luxu et regio nomine. Quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

5 Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret. At ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa pa-

5. *inp.* M. 6. *C.* M. *ariobarzanen* M, ut supra est *Artavasden* et mox *uononen.* 9. *adsumpto* M: correxit Beroaldus. 13. *si nos aui* M: correxit Beroaldus. 15. *Syriae* M, qui per hunc librum septies *y* et totidem locis *u* offert, in ceteris (5 10, 6 27 et 31 et 37) *y* et 4 5 *u.* etiam in altero Med. saepius *y* quam *u.* *Silanus* M, non *Sillanus.* 19. *spetiae* M.

Plin. N. H. VI 19 (17), XXXVII 33. Tacit. XI 8 et 10. De Artabano v. Ioseph. Ant. XVIII 2 §. 4.

ob scelus Antonii: Antonius Artavasden ad se elicuit catenisque paulo post oneravit a. 34 ante Chr. (Dio XLIX 39), Cleopatra autem illum regem necavit a. 30: Dio LI 5. Conf. Velleius II 82. Drumann. Hist. Rom. I p. 463 et 489.

a Tiberio Nerone: cf. Monum. Ancyr. Suetonius Tiber. 9. Dio LIV 9. Velleius II 94. Factum id est a. 20 ante Chr. = 734 ab u.

Cap. 4. *Gaius Caesar:* est Agrippae et Iuliae filius, Lucii Caesaris frater. Plin. N. H. IV 32 (27): *quem* (Dionysium Characenum) *ad commentanda omnia in Orientem praemisit divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio.* Decedens illa provincia mortuus est. V. ad I 3.

sed ubi minitari Artabanus: structuram verborum liberiorem notavi ad II 31. *in loco:* is locus est II 68.

Cap. 5. *casibus obiectaret:* Virgil. Aen. II 751: *caput obiectare periclis.*

trui voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias, et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent. Fundi Germanos acie et iustis locis, iuvari silvis paludibus, brevi aestate et praematura hieme; suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum, damno armorum adfici; fessas Gallias ministrandis equis; longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. At si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam, simul bellum maturius incipi, legionesque et commeatus pariter vehi; integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore.

6 Igitur huc intendit, missis ad census Galliarum Publio Vitellio et Gaio Antio. Silius et Anteius et Caecina fabricandae classi praeponuntur. Mille naves sufficere visae properataeque, aliae breves, angusta puppi proraque et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent; quaedam planae carinis, ut sine noxa side-

1. *caelerandae* M. *praeliorum* Or. 3. *prosperae* (e puncto notatum) M. 7. *oport.* M. 12. *P.* M. 13. *C. Antio* Ursinus: *cantio* M. 15. *brevis* M.

tractare proeliorum vias: proeliorum viae sunt quibus ad hostem proeliis domandum pervenire Germanicus posset, *die Strassen zu Schlachten.* Nam qui celerandae victoriae intentus erat, quid prius cogitaret, quam quibus viis celerrime cum hoste congredi posset? *Tractare* est *animo tractare*, ut I 64 *futura volvens* et III 38 *bellum volverat.* Ernestius *proeliorum vias* interpretatur *modum belli cum Germanis gerendi*, sed singularis *via* quamvis interdum *modum* ac *rationem* significet, numerus tamen multitudinis *viae* eodem significatu raro admittitur: saltem quae Ernestius ad sententiam suam commendandam attulit exempla, in iis *viae* propriam suam significationem tuentur. Sunt autem haec: Cic. ad Fam. IV 13 6: *omnes vias persequar, quibus putabo ad id quod volumus pervenire posse;* ad Q. Fr. I 1 6: *omnes vias pecuniae norunt.* Hoc in loco *viae pecuniae* sunt viae quae ducunt ad pecuniam, quemadmodum *proeliorum viae* quae ducunt ad proelia. Nostra loci interpretatio non multum recedit ab ea quam Lallemandus et Wolfius proposuere: *cogitare quibus viis hostem ad pugnam eliceret*, nisi quod de *eliciendo* ad pugnam hoste cogitari nolim.

tertium iam annum belligeranti: Germanicus post consulatum a. 12 in urbe gestum in Germaniam profectus est, octo legionibus ad Rhenum ab Augusto a. 13 praepositus. Dio LVI 26. Nec tamen ab eius in provinciam adventu annos illos tres Tacitus computavit, sed bellum demum anno 14 post Chr. Augusto mortuo susceptum est et gestum usque ad hunc annum 16. Itaque more apud antiquos scriptores solito annum praesentem in computationem recepit. Germanicum anno 13 (766) in Germaniam iam invasisse nemo veterum tradidit: immo contrarium coniici licet ex Suetonii Calig. 1, etiam

rent; plures adpositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent; multae pontibus stratae super quas tormenta veherentur, simul aptae ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citae remis, augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum, in quam convenirent, praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolae dicunt, mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine,
7 eiusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur. Sed
Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita

1. *adp.* M, non *app.* 2. *repetente* M: correxit Beroaldus. *adbell.* M. 5. *spetiem* M. *batuorum* M. (infra *bataui.*) 7. *oportuna* M. 9. *aput* M. 12. *placidor* superscr. *i* M. *uahalaem* M; correxit Beroaldus. 14. *inm.* M.

ex Tacito I 3. Lipsius aliique ad h. l. offenderunt.

Cap. 6. *Gaio Antio:* Inscriptio ap. Orell. n. 1415 (Gruter. 50 9): DEO MERCVRIO ET POSTVERTE C. ANTIVS TITI FI. EX VOTO. Antemoduni Lingonum. *Sentium* malebat Freinshemius ex c. 74, sed *Cn. Sentio* longius a Medicei *cantio* recedit.

converso ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent: H. III 47: *pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est.* Germ. 40: *utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit.*

et violentiam cursus — misceatur: nunc contra se habet: Rhenus enim, cui iam per effluvium quod vocatur *Leck* magna aquarum copia subtrahitur, prope Lugdunum Batavorum aegre in mare effunditur. Olim nonnisi Vahalis (*Waal*) et fossa Drusiana (*Yssel*) aquas Rheno detraxerunt. Conf. Wilhelm *Germanien* cet. p. 63 et 64. Quod Plinius IV 29 (15) scribit, Rhenum *medio inter haec* (inter Helium et Flevum Rheni ostia) *modicum nomini suo custodire alveum,* hoc ille pronuntiavit ingentem *integri* fluminis ambitum respiciens.

Vahalem accolae dicunt: Tacitus hunc dicendi morem non imitatus Vahalem ipse Rhenum semper appellavit: v. Hist. V 19 ibique annot. Idem dicendi usus Iulio Caesari, qui quamquam Vahalis nomen cognitum habet (B. G. IV 10), ipse tamen c. 15 *ad confluentem Mosae et Rheni* scripsit.

Cap. 7. *cum expedita manu:* h. e. cum cohortibus sociorum et equite alario. Legionum robora tunc in Germania inferiore fuere, quo ex proxima expeditione revenerant atque in novam et mox suscipiendam remanserant in hibernis: Silius autem suam irruptionem ex superiore provincia fecit.

manu inruptionem in Chattos facere iubet: ipse audito castellum Lupiae flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum quam ut modicam praedam et Arpi principis Chattorum coniugem filiamque raperet; neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere, ad famam adventus eius dilapsi. Tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit: tumulum iterare haud visum. Et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita. Iamque classis advenerat, cum praemisso com- 8
meatu et distributis in legiones ac socios navibus, fossam

1. *chatos* M. 2. *flumine* pr M. 3. *aliut* M. 4. *predam* M. *chatorum* M. 5. *opsessores* M. *facere* M.

castellum Alisonem: castellum Aliso a Druso in confluviis Alisonis et Lupiae positum (cf. Dio LIV 33) post cladem Varianam a praesidio Romano relictum est, ut tradit Velleius II 120 4: *Lucii etiam Caedicii praefecti castrorum, eorumque qui una circumdati Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est; qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexuperabiles, nec temerario consilio nec segni providentia usi speculatique opportunitatem ferro sibi ad suos peperere reditum.* Ex hoc loco cum Taciti verbis collato consequitur id castellum a Germanico in prioribus expeditionibus praesidio rursus instructum fuisse. Aliso et fluvii nomen fuit et castelli. Fluvii nomen hodie est *Alme*, loci *Elsen*, qui pagus ad Alisonem nec procul a sinistra Lupiae ripa et utriusque fluminis confluentibus situs est. A civitate Paderbornensi dimidium milliaris Germanici distat. Conf. de Alisone Castello commentatio. Scripsit W. E. Giefers. Crefeldiae 1844. 8.

Cap. 8. *Amisiae:* nusquam apud Tacitum vicus vel civitas *Amisia* neque apud alium rerum scriptorem reperitur, atque nostrae aetatis urbs *Emden* ab Amisia (*Ems*) appellata non in laevo amne sed in dextra ripa. Vid. Tacit. I 60 et 63 et 70, II 23. Fluvii nomen Straboni VII 1 3 ὁ *Ἀμασίας*, item Ptolemaeo II 11 §. 1 *Ἀμασίου ποταμοῦ ἐκβολαὶ* et §. 11 *μέχρι τοῦ Ἀμασίου ποταμοῦ*. Apud Melam III 3 et Plinium IV 28 (14) *Amisius*. Tacitus semper *Amisia*. In alia regione fuit *Ἀμάσεια vicus*, quem Ptolemaeus II 11 §. 27 prope *Μουνίτιον* esse perhibet. Itaque *Amisia* etiam hoc Taciti loco pro fluvio accipienda est et *Amisiae* est dativus, non casus localis (*die Flotte wurde der Amisia zurückgelassen, auf der linken Flussseite*).

transposuit — iturum: hoc scias ultra omnem dubitationem esse positum, laevo amne designari laevam partem amnis partem, h. e. partem ad Rhenum ac terram Batavorum versam, quod qui negat, idem hunc scriptorem obscure ac turbate locutum profitetur. Sed eiusmodi opprobrium, Tacito semper indignum, ut ab hoc loco procul amoveatur, faciunt verba *dextras in terras iturum:* in his enim *dextrae terrae* dicuntur, propterea

cui Drusianae nomen ingressus, precatusque Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae relicta, laevo amne; erratumque in eo quod non subvexit. Transposuit militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. Et eques quidem ac legiones prima aestuaria, nondum adcrescente unda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati, et quidam hausti sunt. Metanti castra Caesari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: missus ilico Stertinius cum

4. *amissiam* M, mox *amisiae*. 11. aut fuit aut debuit esse *Amsivariorum*: *angriuoriorum* M. 12. *ilico* M, non *illico*.

quod in dextra amnis ripa sitae sunt. Itaque duplex commissum esse peccatum liquet, primum quod imperator militem non subvexit, alterum quod laevo amne navibus egressus est exercitus. Ita pontibus opus erat ad tantum exercitum trans flumen mittendum; transgressis autem novae difficultates oboriebantur in superandis aestuariis (*Seelachen*), quae pontibus et propter multitudinem eorum et propter spatium traiici non poterant. Ea incommoda vitavisset, si in amne subvexisset navibusque militem in dextram ripam transposuisset.

prima aestuaria: haec sunt inter Amisiam et Visurgim. In eadem regione, sed paulo propius ad Oceanum, duae legiones in reditu periclitatae sunt: v. I 70.

Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: vix dubium quin a Taciti manu fuerit *Amsivariorum:* nam nomen vulgatum *Angrivariorum*, si recte se haberet, sedes horum ad flumen *Amisiam* tunc fuisse credendum esset: quippe Romanis ab Amisia ad Visurgim tendentibus *a tergo* colunt. At vero Angrivarii *Visurgim inter et Albim* tunc habitabant, ut clarum ex c. 19: *latus unum Angrivarii lato aggere extulerant*, h. e. prope ad amnem *Alleram* (Aller) vel *Liniam* (Leine), id quod ad eum locum ostensum est. Cum illo Taciti loco consentit Ptolemaeus II 11 §. 16: (μεταξὺ) *Καύχων δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν Σουήβων Ἀγγριουάριοι· εἶτα Λαγγοβάρδοι.* Quippe maiores Chauci inter Visurgim et Albim ibidemque Langobardi egere; Angrivarii igitur interiecti utrisque inter Visurgim et Albim. Iam quae Tacitus nunc tradit, ea cum illis (c. 19) manifesto pugnant, nisi forte statuendum erit, partem Angrivariorum ad Amisiam degisse, partem inter Visurgim et Albim; sed id iuste credi nequit. Perinde turbatum est c. 22: *mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent.* Sed Germanicus ipse in finibus Angrivariorum cum exercitu Romanorum tunc erat (v. ad c. 20) et nationes inter Visurgim et Albim vel, ut ipse dicit, *inter Rhenum Albimque debellaverat.* Cf. c. 22 et 41. Itaque etiam illic erratum est in nomine gentis, et Stertinius non ad *Angrivarios* domandos, qui domiti iam erant, sed missus est ad *Amisiae accolas*, quorum perfidiam ante raptim ultus

equite et armatura levi igne et caedibus perfidiam ultus est. Flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. Eius in 9
ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre colloqui oravit. Erat is in exercitu, cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. Tum permissum, progressusque salutatur ab Arminio; qui amotis stipatoribus, ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent postulat, et postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. Illo locum et proelium referente, quodnam praemium recepisset exquirit. Flavus

2. *flum* cum lin. M. litterae *ui* proximi vocabuli sunt in rasura. 5. *conl.* M. 6. ter habet *flauus* M, non *flavius*. 7. *diberio* superscr. *T* M. *permissu* M. *tum permissum* glossa videtur esse. 10. *fratrum* M.

(c. 8) erat, nunc bello persecuturus est, nisi veniam supplices petivissent et accepissent. Quid multa? Et c. 8 et 22 scribendum est *Amsivariorum* et *Amsivarios*, litteris *ms* pro *ngr* substitutis, et nomen *Angrivariorum* nonnisi c. 19 et 24 et 41 tenendum. Hoc luculente comprobatur XIII 55, ubi Boiocalus, dux *Amsivariorum*, Tiberio et *Germanico* ducibus stipendia meruisse se refert et *quinquaginta annorum obsequium* iactat, brevi hac defectione populi sui silentio transmissa. Boiocalus igitur cum Amsivariis in commilitium acceptus Romana stipendia hoc ipso tempore meruit, sed domi eadem natio aliquamdiu hostiliter adversus Romanos egit. Illos autem *Amsivarios* ad Amisiam sedes habuisse primum e nomine liquet, nam ab *Amisia* fit *Amisi-uarii* et una *i* expulsa *Amsivarii*, deinde comprobatur eo quod Chauci, Amisiae in septentrione accolae, agros Amsivariorum a se pulsorum occupaverunt. Error hinc ortus est quod *Angrivarii* et ipsi tribus locis per hunc librum in proxima vicinia nominati sunt, quodque iidem ex Germania (33 et 34) magis cogniti erant atque inferioribus temporibus, aliquamdiu ante annum 98 post Chr. n., ad sinistras fluvii Visurgis terras in sedes Bructerorum immigraverunt et diu ibi duraverunt: Amsivarii autem a. 58 post Christum excisi sunt (XIII 56) ideoque in Germania a Tacito non recensentur. Iuvenis in his rebus probe versatus, W. E. Giefers, per errorem Taciti tam in Annalibus II 8 et 22 quam in Germania (c. 33 et 34) *Angrivarios* nominatos esse pro *Amsivariis* existimat. De Germaniae locis non concedo, in Annalibus quamquam librarium potius quam auctorem accusaverim, tamen haec cogitatio fecit, ut *Amsivarios* in contextum verborum non reciperem.

Cap. 9. *flumen Visurgis — interfluebat:* locus in quem Romani ab Amisiae ostiis ad Visurgim penetraverunt, is haud dubie aliquanto a porta Westfalica (*Minden*) versus septentrionem et plana terrarum remotus erat: nihil enim Romani magis quam obscuros saltus montesque vitabant. De hiatu operis h. l. multi falso locuti sunt. Hi meliora edoceri possunt collato II 60.

Flavus: e capillorum colore Germanorum proprio Arminii fratri cognomentum inditum fuisse satis verisimile videtur. Recte igitur *Flavus* scribemus et hic, ubi Mediceus eam formam ter repetitam

aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat, inridente Arminio vilia servitii pretia. Exin diversi ordiuntur, hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam; neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: ille fas patriae, libertatem avitam, penetralis Germaniae deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et adfinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet. Paulatim inde ad iurgia prolapsi quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius accurrens plenum irae armaque et equum poscentem Flavum attinuisset.

2. *praetia* M. 9. *gurgia* M. 10. *adc.* M.

exhibet, et infra XI 16, ubi M[a] semel *Flavo*, mox vitiose *flabii*. *Flavius* non est *cognomentum*, sed *nomen* gentilicium.

tum permissum, progressusque: '*tum* transitioni servit; alibi' (apud Tacitum nunquam) '*ibi tum* et similia'. Wolfius. Nescio quot Taciti lectoribus haec sufficiant: mihi *tum* ab eius usu quam maxime abhorret. Verum deleta vocula, ut suasit Muretus, nihil lucrabimur nisi ut *permissum* magis frigeat quam nunc *tum permissum;* sed utramque si removeris, narrandi ratio plane Tacitina prodit: nam quae sponte et facile ex ceteris intelliguntur, additis verbis efferre non solet, et *que* particula nomini aut verbo iuncta saepe apud eum novum enuntiatum ita incipit, ut idem fere valeat quod *itaque* et transitioni serviat. Hanc particulae vim qui non perspexit, is aliquid desideravit et in margine sive supra versum libri prisci addidit *tum permissum.* Halmii (Symbol. crit. et exeg. Spirae a. 1846) *oratum permissum* prorsus alienum est a Taciti stilo et post proximum *oravit* intolerabile.

Cap. 10. *diversi ordiuntur:* 'uterque causas suas et consilia proferre coepit, diversa inter se et contraria'. Wolfius. Conf. XIII 9: *quo componeret diversos.* Proprie de loco quem quis occupavit *diversus* ponitur, ut XVI 30 *steteruntque diversi.* Sed aliud est *diversos stare* et *diversos ordiri.* Accedit quod statio Arminii et Flavi iam descripta est. *Ordiuntur* breviter dictum pro *disserere* sive *proferre ordiuntur.* Conf. XII 5: *orditurque gravissimos principis labores — egere adminiculis;* XV 26: *orditurque magnifica de auspiciis imperatoris;* ibid. 51: *omnia scelera principis orditur. Diversi* similiter positum II 73: *diversi interpretabantur.*

neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: habiti sunt Ravennae libera custodia, ut mox Maroboduus (II 63), quod relatum I 58. Non igitur premenda sunt verba (I 59) *Arminium — rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus vecordem agebant,* aut quae iactavit iniqua Maroboduus II 46, *cum coniux, cum filius eius servitium adhuc tolerent.* Nam a suis arceri et custodiri pars est servitii: hinc Cherusci apud Tacitum XI 16: *cuius* (Arminii) *si filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio servitio cultu, omnibus externis.*

penetralis Germaniae deos: deos in intimis Germaniae silvis lucisque cultos.

Cernebatur contra minitabundus Arminius, proeliumque denuntians. Nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset. Postero die 11
Germanorum acies trans Visurgim stetit. Caesar, nisi pontibus praesidiisque impositis, dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit. Praefuere Stertinius et e numero primipilarium Aemilius, distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. Qua celerrimus amnis, Chariovalda dux Batavorum erupit. Eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxere: dein coorti et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus, collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Chariovalda diu sustentata hostium saevitia, hortatus suos ut ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos inrumpens congestis telis et suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites cum Stertinio Aemilioque subvenientes periculo exemere. Caesar trans- 12
gressus Visurgim indicio perfugae cognoscit delectum ab Arminio locum pugnae; convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram, ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. Habita indici fides, et cernebantur ignes; suggressique propius speculatores audiri fremitum equorum immen-

2. *interiacebat* M: correxit Beroaldus. 6. *inp.* M. 7. *primilliarium* M: Beroaldus *primipillarium*, idem in annot. *primipilarium*. 8. *deducerent* M: correxit Rhenanus. *cellerrimus* M. *chariovalda* utrobique M, non *Cariovalda*. 10. *circumlectam* M. 14. *fringerent* M: correxit Lipsius. Bezzenberger *perfringerent*. *ipse in*] *ipsis* M: correxit Beroaldus. 15. *inrupens* M: correctum in Alciatina a. 1519. 22. *inm.* M.

Cap. 11: *Stertinius et e numero primipilarium Aemilius:* Stertinius haud dubie unus e legatis: I 60 et 71, II 8. His dignitate proximus primipilaris: is autem adiunctus non tam qui praeesset equitatui, sed ut ob usum stipendiorum transitum moderaretur. *Chariovalda dux Batavorum:* fuit praefectus alarium ex Batavis.

Cap. 12. *in silvam Herculi sacram:* non fuit deus Hercules ille apud Germanos, sed heros vel daemon a popularibus suis alio nomine cultus alioque iuxta eorum persuasionem patre natus, sed Romana interpretatione *Hercules:* ad huius enim vim et naturam proxime accedere videbatur daemon Germanorum. Herculem in Germaniae fortibus viris refert hic noster Germ. 3 coll. 34, in deorum numero G. 9 non Tacitus reposuit, sed glossator: vid. ibi annot.

sique et inconditi agminis murmur attulere. Igitur propinquo summae rei discrimine explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat. Tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem; si contio vocetur, illic quoque, quae pauci incipiant, reliquos adstrepere. Penitus noscendas mentes, cum secreti et incustoditi inter militaris cibos spem aut metum proferrent.

13 Nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fama sui, cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria per iocos eundem animum laudibus ferrent, reddendamque gratiam in acie faterentur, simul perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. Inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo, voce magna coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras: veniret dies, daretur pugna; sumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges; accipere omen, et matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare. Tertia ferme vigilia adsul-

1. *propinquos* (*s* puncto notatur) M. 4. *sepius* M. 5. *servilla* M. 7. *cum secreti* Beroaldus: M *consecreti*. 10. *umeros* M. 21. *peccunias* M.

Cap. 13. *egressus augurali per occulta et vigilibus ignara:* cetera praetorii tabernaculi vigilibus custodita erant: augurale (*οἰωνιστήριον*), praetorio adiunctum et sacro usui sepositum, sine custodibus erat. Hyginus *de Castramet.* in Graevii Thes. Ant. Rom. t. X p. 1015 col. 3 v. 3: *auguratorium parte dextra praetorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit: parte laeva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat et exercitum felici auspicio adloquatur.* *contectus humeros ferina pelle:* 'quare *ferina pelle?* ut habitum mentiretur Germani, credo, qui plerumque pelliti. Germani autem multi non in castris solum, sed ut opinor, inter eius custodes'. Lipsius. Equidem neque hoc credo neque illud: immo *ferinam pellem* elegit, ut minus agnosceretur.

perfidos et ruptores pacis: sic Cherusci appellantur, quia Vari legiones perfidia deceptas rupta pace trucidaverant. *sestertios centenos:* h. e. aureum Romanum sive denarios 25. Dixi de hac re ad I 17. Arminius magno pretio aliquot transfugas allicere studebat, ut de coeptis et statu exercitus Romani certior fieret.

tatum est castris, sine coniectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere. Nox eadem 14
laetam Germanico quietem tulit; viditque se operatum, et sanguine sacro respersa praetexta, pulchriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse. Auctus omine addicentibus auspiciis, vocat contionem, et quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae, disserit. Non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed si ratio adsit, silvas et saltus: nec enim immensa barbarorum scuta, enormis hastas inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina. Denserent ictus, ora mucronibus quaererent: non loricam Germano, non galeam, ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis et fucatas colore tabulas; primam utcumque aciem hastatam,

1. *conlectu* M. 4. *sacri* M: correxit Beroaldus. *res tersa* M. 6. *provisa* Freinshemius et I. Fr. Gronovius: M *praevisa*. 9. *inm.* M. 13. *tenuis et fucatas* M (non *tenuis fucatas*).

Cap. 14. *quietem:* intellige insomnium per quietem noctis oblatum. Totum pro parte dictum est. I 65 *dira quies;* XI 4 *nocturnae quietis species.* Lucan. VII 26 *dira quies et imagine maesta diurna.* In rebus faustis insomnia laeta solent esse, dira in adversis: conf. I 65.

viditque se operatum: 'operandi verbum ad sacra. Tibull. II 5: *tunc pubes operata deo.* Curt. VIII 10: *per dies decem Libero patri operatum habuit exercitum.* Restitue apud Livium X 39: *dum hostes operati superstitionibus concilia secreta agunt, Amiternum oppidum de Samnitibus vi cepit.* Ita meus codex: vulgo *superati.* Quod ait *respersam praetextam,* scire licet pontifices, immo sacerdotes omnes, cum diis facerent, praetexta usos: Germanicus autem augur. Lampridius in Alex. 40: *accepit praetextam etiam cum sacra faceret, sed loco pontificis maximi, non imperatoris.* Appianus B. C. I 54: *οὕτω μὲν Ἀσελλίων στρατηγῶν τε καὶ σπένδων, καὶ ἱερὰν καὶ ἐπίχρυσον ἐσθῆτα ὡς ἐν θυσίᾳ περικείμενος, ἀμφὶ δευτέραν ὥραν ἐσφάζετο ἐν ἀγορᾷ μέσῃ παρὰ ἱεροῖς.* Quintil. decl. 340: *ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum praetextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus; quo infirmitatem pueritiae sacram facimus ac venerabilem.* Spartianus in Hadr. 26: *natali suo ultimo cum Antoninum commendaret, praetexta sponte delapsa caput ei operuit,* ubi corrigo *aperuit*, quia sacrificabant capite velato. Adi et Zosimum IV 36, ubi delata ad Gratianum Christianum principem praetexta pontificia, et spreta. Ab hac mente Plinius placari purpura deos scripsit, respiciens scilicet ad praetextam, IX 60: *distinguit ab equite curiam, dis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat*'. LIPSIUS.

sacro respersa: qui tenere codicis scripturam *sacri* animum inducit, *sacrum* pro hostia accipiat necesse est. Sed ea nominis significatio non invenitur nisi in formula *inter sacrum saxumque sto,* quae legitur apud Plautum Captivis III 4 84;

ceteris praeusta aut brevia tela. Iam corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum abire fugere; pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani iuris memores. Si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quam Rhenum, neque bellum ultra, modo se, patris patruique vestigia prementem, isdem in terris victorem sisterent. Orationem ducis secutus militum ardor, signumque pugnae datum. Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari, hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint; quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis dis obiciant, nulla boni spe. Classem quippe

4. *memoris* M. 8. *sisterrent* M. 12. *tergu* cum lineola M: *terga* Muretus et Pichena. 13. in v. *fractos* litt. *o* ex corr. in M.

Casina V 4 7; alioqui nec sacrum neque Graecorum *ἱερόν* numero singulari *hostiam* significat. II. II 70 extr. *sacrum* non est victima sed sacrificium. *auctus omine:* cf. I 42: *tot praemiis aucta* (legio). VI 8: *honoribus augebantur.* XI 16: *auctum pecunia.* XIII 18: *largitione potissimos amicorum auxit.* Agr. 6: *auctus est ibi filia.*

quae sapientia provisa: Theodisce converte *wofür weise gesorgt sei*, quae futuro proelio commoda sapienter praeparasset. Ea quae fuerint, veluti magnus exercitus, largi commeatus, omnis generis arma, egregii duces, Tacitus exequi noluit, sed tantummodo *apta imminenti pugnae* copiosius descripsit: *praevisa*, ut est in codice, languet eique *sapientia* non apte iungitur. Conf. IV 25: *ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa.* H. V 17: *quae provideri astu ducis oportuerit, provisa.*

denserent ictus: ictus densis ordinibus ferirent. Formam *densêre*, Virgilio celebratam (G. I 419. Aen. VII 794, XI 650, XII 264) aliisque poetis, ad evitanda vulgaria Tacitus praetulit.

ad brevem impetum validum: Germ. 4: *magna corpora et tantum ad impetum valida.* Infra c. 21. Arma Germanorum describuntur Germ. 6. *sine cura ducum abire fugere:* loquitur de turba et multitudine, non de *comitatu* principum: nam huic *infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse*, ut est in G. 14.

Cap. 15. *onusta vulneribus terga: terga* Muretus, M *tergum.* Proprie *corpora* non *terga* hostibus ac periculis obiici dicuntur, sed quia verbera fere tergo accipiuntur, inde vulgaris locutio paulum mutata est. Ceterum *terga* vere a Mureto correctum esse ex opposito membro *fractos artus* apparet. Orator barbarus simpliciter dicere potuit *Romanorum corpora* vel *milites Romanos* verberibus et fluctibus defatigatos esse, sed pro hisce intulit singularum partium commemorationem, qua auditoribus rei imago luculenta ob oculos poneretur. Non bene contra Mureti emendationem disputavit Waltherus.

et avia Oceani quaesita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. Meminissent modo avaritiae crudelitatis superbiae: aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium? Sic accensos et proelium 16
poscentes in campum, cui Idistaviso nomen, deducunt. Is medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. Pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos. Campum et prima silvarum barbara acies tenuit: soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii; dein quattuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar; exin totidem aliae le-

2. *praemeret* (per compendium) M. 4. *aliut* M. 6. *idista viso* M. 7. *ripe* M. *caedunt* M.

Cap. 16. *in campum cui Idistaviso nomen:* hic campus in terra Cheruscorum non procul a finibus Angrivariorum in dextra Visurgis ripa fuit. Cf. annot. ad II 9. *Idistavisonem* Grimmius Mythol. Theod. p. 372 ed. II censet fuisse *Idisiavisonem* et hanc vocem valuisse *nympharum* (*idisi*) *pratum*. Res prorsus incerta.

ut ripae fluminis cedunt: ripae non est dativus quod opinatur Waltherus, assentiente Halmio in Symbolis crit. et exeg. ad Taciti Annales, sed nominativus est, ut oppositum *prominentia montium* ostendit: *ripae* (dextrae) cum flumine cedunt campo ad dextram ripam sito in laevam partem. Contra *prominentia montium* campo ad dextram se sinuanti resistunt; ipsi colles sunt ante memorati et nunc variandae orationis causa nomine *montium* ornati.

cum duabus praetoriis cohortibus: cur *duae* praetoriae cohortes, cum milites ducem custodiae causa comitantes alias *praetoria cohors* vocetur (Polyb. VI 26 8. Sallust. Catil. 60. Caesar B. G. I 40)? Quippe duo exercitus duorum Caesaris legatorum, Caecinae Siliique, nunc coniuncti sunt, et duplex cohors praetoria eum circumdat penes quem summae rei regimen. Conf. Cic. Epist. ad Fam. X 30: *Antonius legiones eduxit duas, secundam et quintam trigesimam, et cohortes praetorias duas, unam suam, alteram Silani.* Itaque Theodisce interpretandum erat *mit den beiden praetorischen Cohorten*, non *mit zwei praetorischen Cohorten.* Eaedem cohortes laudantur mox c. 20. De praetorianis ex urbe Roma accitis noli cogitare cum Orellio.

ceteraeque sociorum cohortes: levis armatura cum equite sagittario ante enumerata ea est militia socialis, quae quattuor legionibus civium Romanorum tamquam alterae copiae adiunctae erant. Sed praeter has aliae etiam sociorum cohortes aderant, v. c. Chaucorum, atque illae appellantur *ceterae so-*

giones et levis armatura cum equite sagittario, ceteraeque sociorum cohortes. Intentus paratusque miles, ut ordo ag-
17 minis in aciem adsisteret. Visis Cheruscorum catervis, quae per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, octo aquilae petere silvas et intrare visae imperatorem advertere. Exclamat, irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina. Simul pedestris acies infertur, et praemissus eques postremos ac latera impulit. Mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant. Medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur; inter quos insignis Arminius manu voce vulnere sustentabat pugnam. Incubueratque sagittariis, illa rupturus, ni Raetorum Vindelicorumque et Gallicae cohortes signa ob-

5. *tergaue* M: correxit Lipsius. 9. *nuina* M: correxit Beroaldus. *pedestres* M. 15. *callicae* M.

ciorum cohortes. ut ordo agminis in aciem adsisteret: ut ordo incedentis exercitus ex longo et porrecto agmine (*Colonnen-Marsch*) in latam aciem (*Linie*) assistendo formaretur: *dass die vorrückenden Colonnen in eine Linie sich an einander stellten.*

Cap. 17. *insignis Arminius manu voce vulnere:* oculos suorum in se vertit agendo et pugnando, clamando et hortando, eo magis quod acceptum *vulnus* fortitudinem et alacritatem viri nihil tardaverat. H. III 17: *consilio manu voce insignis hosti, conspicuus suis.*

cohortes signa obiecissent: cf. H 52: *Africae legionem, et quod sub signis sociorum,* h. e. in cohortes sociales compositum. H. IV 16: *Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit.* Sociorum cohortes patria signa sequuntur et pauca quidem, ut videtur, singulae, sed in legionibus cuique ordini sive centuriae suum *vexillum* est. Inde hoc dicendi genus apud Tacitum, ut quotienscumque *signa vexillaque* iungantur, illa cohortium socialium, haec militis legionarii propria intelligantur. H. II 18: *sed indomitus miles — correptis signis vexillisque ruere.* Sunt tres praetoriae cohortes et harum signa, mille vexillarii legionum cum suis vexillis. Ibid. 43: *legio* (unetvicesima) — *plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit,* h. e. signa ex cohortibus praetoriis et socialibus, vexilla e legionariis. H. III 63: *Vitellianus miles transiturus in partes — sub signis vexillisque,* i. e. *sub signis* praetoriani, *sub vexillis* legionarii. H. IV 15: *signa vexillaque et quod militum in superiorem insulae partem congregantur,* h. e. signa sociorum, vexilla legionariorum. Ibid. 34: *circumferebantur signa vexillaque;* illa signa Civilis de sociis, vexilla de legionariis rapuerat. At nunquam, ubi de legionariis non admixta alius generis militia sermo est, *signa vexillaque* nominantur, sed aut *vexilla,* aut *aquilae vexillaque,* aut *signa* (= vexilla) *aquilaeque: signa* enim praeter hanc

iecissent. Nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Quidam adgnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit. Ceteri passim trucidati. Et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere. Quidam turpi fuga in summa arborum nisi, ramisque se occultantes, admotis sagittariis per ludibrium figebantur; alios prorutae arbores adflixere. Magna ea victoria neque cruenta nobis fuit. Quinta ab hora 18
diei ad noctem caesi hostes decem milia passuum cadaveribus

10. *ora* M.

artiorem significationem etiam generatim quaecumque insignia exercitus denotare possunt. Cohortium socialium nulla *vexilla* memorantur, nisi ubi non integrae cohortes, sed lecti e cohortibus nominantur (*Fähnleinsmannen*), veluti H. I 70: *praemissis — Germanorum vexillis cum ala Petrina.* Conf. ad I 38. Semel tamen (Agr. 35 extr.) *vexilla* sociorum, sed non pro solita diligentia, Tacitus dixit ubi *signa* expectamus. Cohortes praetoriae, si extra urbem ad proelia proficiscuntur, more cohortium socialium *sub signis* pugnant, in urbe et *vexillis* utuntur et *signis*. Lege H. I 36: *haud dubiae iam in castris* (praetoriis) *omnium mentes, tantusque ardor, ut — medium inter signa Othonem vexillis circumdarent*, h. e. medius inter novem signa (*Fahnen*) cohortium praetoriarum etiam *vexillis* (*Fähnlein*) ordinum cuiusque cohortis circumdabatur. Contra in legionariis praeter aquilam *signa* a Tacito non referuntur, nisi ubi universe *vexilla* nomine *signorum* (*Feldzeichen*) appellantur. Sic XV 12: *signa et aquilas — infelicis exercitus tueretur.* 29: *agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque.* H. III 21: *hic aquilarum signorumque* (vexillorum) *ordo.* Ibidem 22 primum: *permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat*, et mox: *abrepta quaedam signa*, i. e. vexilla quaedam septimae legionis. Cap. 31: *signa* (vexilla) *aquilasque extulere.* Perinde 50: *signa aquilaeque victricium legionum;* 52: *placuit — acciri aquilas signaque.* Conf. I 37 et 39, II 81. Alioqui legionarios praeter aquilam nonnisi vexilla sequi videmus, ut apertum ex I 34: *adsistentem contionem* (legionum in castris), *quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum; vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes.* Inde fit ut tantummodo *vexilla* octavae et septimae legionum commemorentur H. II 85: *laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus.*

tranare Visurgim conantes: cogita illos qui ante proelium silvam tenuerant et pugna coepta in aperta fugiebant, equite terga invadente pulsi.

Cap. 18. *Tiberium imperatorem salutavit:* 'oportuerat Germanicum ipsum, qui dux et auctor facti. Sed Augustus ut auspicia servavit sibi, sic honorem omnem rei a ducibus suis legatisve gestae. Nam qui ductu quidem suo, alienis tamen auspiciis vicerat, ne antiquitus quidem imperator salutabatur

atque armis opplevere, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. Miles in loco proelii Tiberium imperatorem salutavit, struxitque aggerem et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium

19 nominibus imposuit. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species dolore et ira adfecit. Qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt; plebes primores, iuventus senes agmen Romanum repente incursant turbant. Postremo deligunt locum flumine et silvis clausum, arta intus planitie et humida: silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angri-

4. *tropheorum* M: correxit Gronovius. 10. *planitiae* M. *umida* M.

aut triumphabat. Hoc adulans suo principi Horatius voluit (Carm. IV 14 33) . . . Et ab hac re statim in tropaei inscriptione legis *exercitum Tiberii imperatoris ea monimenta sacravisse*, non Germanici qui ducebat'. Lipsius.

Cap. 19. *postremo deligunt locum flumine et silvis clausum:* celebrata Taciti brevitas hoc loco fraudi fuit et interpretibus eius et locorum veteris Germaniae situs scrutantibus. Omnes enim hoc *flumine* Visurgim significari opinantur, quod falsum esse liquebit, ubi haec verba paulo accuratius consideraverimus. Proelio priore noctis interventu finito proximis diebus aggerem struxit exercitus Romanus, quem non prope ad Visurgim aggestum esse, sed in loco edito et a flumine Visurgi paulum remoto, inde colligere licet, quod Cherusci ante quam hunc aspicerent *trans Albim* concedere et porro ingruenti Romanorum exercitui se subducere parabant. Sed aspectu illo commoti, plebes primores, iuventus senes *agmen Romanum* (ex *agminis* nomine patet Germanicum pugna ad Visurgim pugnata versus Albim progressum esse) *repente incursant turbant*que, ac postremo locum insederunt, unde Romanos cohiberi ab itinere ultra faciendo posse sperabant. Quae omnia quamvis paucis verbis exponantur, Taciti tamen consuetudo et ipsa rei natura ostendit, Germanorum exercitum, ante aliquot dies in dextra Visurgis ripa ad excidium usque caesum, in regressu novas paulatim copias assumpsisse, ut tandem (*postremo*) progredienti militi Romano iter obstruere conarentur. Itaque *flumen* illud non est Visurgis, sed est flumen inter Visurgim decurrens et Albim, cuius nomen Tacitus aut ignoravit aut ponere neglexit. Fuit quae *Leine* nunc audit aut *Aller*, certe non Visurgis; et Graece illud *flumine* non *τῷ ποταμῷ* convertendum est, sed *ποταμῷ* simpliciter vel *ποταμῷ τινι*. Iam vides titulum c. 22 memoratum, *debellatis inter Rhenum Albimque nationibus* cet., esse quidem *superbum*, sed inanem falsumque non esse, et sane talis decet Germanicum hominem a vanis alienum. Etiam concinit quod legimus II 41 triumphasse Germanicum de Chattis Cheruscisque et Angrivariis, *quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt.* Atqui hac una expeditione prope Albim penetravit: in ceteris ne Visurgim quidem superaverat.

Angrivarii — dirimerentur: cf. annot. ad c. 8. Ipsum nomen

varii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur.
Hic pedes adstitit: equitem propinquis lucis texere, ut ingressis
silvam legionibus a tergo foret. Nihil ex his Caesari in- 20
cognitum: consilia locos, prompta occulta noverat, astusque
hostium in perniciem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato
tradit equitem campumque; peditum aciem ita instruxit ut
pars aequo in silvam aditu incederet, pars obiectum aggerem
eniteretur; quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. Quibus
plana evenerant, facile inrupere: quis impugnandus agger,
ut si murum succederent, gravibus superne ictibus conflicta-
bantur. Sensit dux imparem comminus pugnam, remotisque
paulum legionibus funditores libratoresque excutere tela et
proturbare hostem iubet. Missae e tormentis hastae, quanto-
que conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus
deiecti. Primus Caesar cum praetoriis cohortibus, capto vallo,
dedit impetum in silvas: collato illic gradu certatum. Hostem
a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant: utris-
que necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.
Nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum 21
superabantur, cum ingens multitudo artis locis praelongas
hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et

2. *ad . . stitit* (erasae videntur litterae duae) M. 3. *his* Oberlinus: M *iis*. 5. *permitiem* M. 9. *planae uenerant* M (non *plane venerunt*). *inp*. M. 11. *inpar*. M. 12. *libritoresque* M: correxit Beroaldus. 16. *conl*. M.

denotat eos qui loca campestria incolunt (*Anger* idem quod campus sive partum). Cheruscorum sedes trans Visurgim cum ipsis montibus desinebant: campos Brunovicenses et Hannoveranos Angrivarii tum habitabant.

Cap. 20. *funditores libratoresque excutere tela—iubet: librator* generis nomen est, *funditor* speciei, ut funditor etiam librator sit, sed non omnis librator etiam funditor. Cf. annot. ad XIII 39. *Libritores* qui nulli fuerunt Iac. Gronovio relinquendi sunt.

capto vallo dedit impetum in silvas: iam erat in terra Angrivariorum eosque cum Cheruscis caedere pergebat. Hinc Germanicus *triumphavit* (II 41) *de Cheruscis Chattisque et Angrivariis.* Conf. ad c. 8.

Cap. 21. *subducit ex acie legionem faciendis castris:* fortasse post *legionem* numeri nota, veluti I, excidit. Quod sequitur *ambigue* est *ambiguo eventu*, neque recte de fide ambigua sociorum cogitavit Waltherus. Nam quod is, ut nihil ambiguum in hac pugna fuisse demonstraret, pressit verba *quis plana evenerant, facile inrupere* (c. 20), haec de pedite aequo in silvam aditu incedente, non de equite dicta sunt.

velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium; contra miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamque strage hostium aperiret, inpromplo iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin et Inguiomerum, tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deserebat. Et Germanicus quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti, orabatque insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore. Iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. Equites am-
22 bigue certavere. Laudatis pro contione victoribus, Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo, debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Caesaris ea monimenta Marti et Iovi et Augusto sacravisse. De se nihil addidit, metu invidiae, an ratus conscientiam facti satis esse. Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent. Atque illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere.

23 Sed aestate iam adulta legionum aliae itinere terrestri in hibernacula remissae; plures Caesar classi impositas per

4. *iam ob* sine defectus signo M: in margine ab alia manu: "deest ut arbitror *Arminio*." supplementum auctore Beroaldo insertum. 5. *tardauarat* M. 9. *internitionenem* M. 13. *congerie marmorum* M. 15. *munimenta Marii* M: *monimenta* a Lipsio, *Marti* a Beroaldo est. 16. *factis* M: correxit Aldus. 17. aut fuit aut debuit esse *Amsivarios:* M *agrivarios.* cf. annot. ad 2 8. 20. *aegestate* M: correxit Beroaldus.

Cap. 22. *bellum in Angrivarios:* eos recens defecisse c. 8 relatum est. Sed *Amsivarios* pro *Angrivariis* rescribendum esse monstratum est ad c. 8. Stertinius cum in defectores ante proelia cum Cheruscis missus est (c. 8), igne et caede perfidiam interim ultus est: iam ad eosdem bello domandos profecturus erat, nisi deditionem properavissent. Ceterum ex verbis *veniam omnium accepere* satis perspicitur commemorari eandem gentem, cuius mentio c. 8 facta est.

Cap. 23. *aestate iam adulta:* Servius ad Virgil. Georg. I 43: *anni quattuor sunt tempora divisa in ternos menses. Qui* (repone *antiqui*) *ipsorum temporum talem faciunt discretionem, ut primo mense veris novum dicatur ver, secundo adultum, tertio praeceps, sicut etiam Sallustius dicit ubique 'nova aestas, adulta, praeceps.' Sic autumnus novus, adultus, praeceps, item hiems.* Conf. XI 31: *adulto autumno* (= mense Novembri). XIII 36: *donec ver adolesceret* (= donec m. Maius adveniret). Apte comparavit

flumen Amisiam Oceano invexit. Ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis impelli: mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire; milesque pavidus et casuum maris ignarus dum turbat nautas vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc caelum et mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, et rigore vicini septentrionis horridior, rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. Quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaurire inrumpentis undas poterant: equi iumenta sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera, et fluctu superurgente.
Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia caeli 24
praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus, aut ita vasto et profundo,

1. *prmo* M. 2 et 4. *inp.* M. 5. *cassuum* M. 13. *anchoris* M.

Oberlinus Thucyd. II 19: τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος.

tumidis Germaniae terris: Germaniae terrae tument montibus et saltibus; montium enim iuga *tumores* terrae sunt, ut Pichena poeticae dictionis vocem *tumidis* per *montuosis* recte explicaverit. Conf. Ovid. Heroid. 5 138: *in immensis qua tumet Ida iugis.* Amor. II 16 51: *tumidi subsidite montes.* Tacit. Agr. 10: *rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum.* Montes quidem in septentrionalibus Germaniae regionibus non sunt, sed id hic noster probe sciens non scripsit *tumidis illis terris*, sed *tumidis Germaniae terris:* auster enim dum ex iugis mediae Germaniae in aperta et plana septentrionis erumpit, vires auget. Converte *der bei Germaniens aufgeschwellter Länder-Masse, bei seinen tiefen Strömen, in ungemessenem Wolkenzuge mächtig, auch durch den Frost des nahen Nordens grimmiger*, cet. *Immenso nubium tractu* ablativus praedicati est qui dicitur, non causam indicat: nubium enim tractus et ipse vento efficitur. Alii interpretes longe quaesita protulerunt. Sic Waltherus *tumidas* dici putavit humiditate et pinguedine turgentes, fretus Virgilii Georg. II 324, ubi *vere tument terrae;* sed qui eius loci contextum perlegerit, facile intelliget hunc minime comparandum fuisse.

Cap. 24. *mare:* leni structurae attractione *mare* sequitur verbum *credatur*, non casum nominum adiectivorum *vasto et profundo.*

Angrivarii nuper in fidem accepti: accepti scribit accurate et vere, idque non pro *recepti* aliqua negligentiae culpa dictum est, ut statuendum iis qui c. 8 *Angrivariorum*, non *Amsivariorum*, tueri volent, sed *nuper in fidem accepti*

ut credatur novissimum ac sine terris mare. Pars navium haustae sunt, plures apud insulas longius sitas eiectae; milesque, nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit; quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentis oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente aestu et secundante vento claudae naves raro remigio aut intentis vestibus, et quaedam a validioribus tractae, revertere; quas raptim refectas misit ut scrutarentur insulas. Collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere; quidam in Britanniam rapti et remissi a regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, visa sive ex metu credita.

25 Sed fama classis amissae ut Germanos ad spem belli, ita Caesarem ad coërcendum erexit. Gaio Silio cum triginta

1. *mari* I. Fr. Gronovius. 2 et 6. *aput* M. 4. *germanice* M. 13. *remissa regulis* M. 18. *C.* M.

severe et proprie de eo tempore accipiendum, quo Romani inter Visurgim et Albim altero proelio Cheruscos et socios devicerunt. In his sociis etiam Angrivarii Cheruscis in septentrionem contermini victi sunt et subiecti. Hinc Germanicus *triumphavit* (II 41) *de Cheruscis Chattisque et Angrivariis*, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. Conf. annot. ad c. 8 et 41.

redemptos ab interioribus: quomodo ab *interioribus* Angrivarii redimere tempestate pulsos potuerint, subobscurum est. Videntur nonnulli milites in Albis ostia delati a Langobardis intercepti esse: ab his redemptos Angrivarii Romanis reddidere. Quod si verum est, Tacito cordi fuit nominare loca duo extrema, Britanniam et eos qui ultra Angrivarios agebant.

miracula narrabant — beluarum formas: hanc materiem declamatores arripuere, de quibus Seneca Suasor. 1 sub finem: *Latini declamatores in Oceani descriptione non nimis viguerunt: nam aut timide scripserunt aut curiose. Nemo illorum potuit tanto spiritu dicere, quanto Pedo qui navigante Germanico dixit.* Continuo ex carmine Pedonis (Albinovani) recitat versus 23 minime vulgares.

Cap. 25. *Gaio Silio — ire in Chattos imperat:* dum Germanicus Marsos irrumpit et Cheruscos, Silius Chattos exterruit, ne sociis suis auxilium ferrent, ut ab eodem incepto cohibiti sunt Cherusci a Caecina, cum Germanicus Chattos vastavit (I 56). Quae res cum minus memorabilis videretur, de hac Silii expeditione nihil relatum est.

peditum, tribus equitum milibus ire in Chattos imperat; ipse maioribus copiis Marsos inrumpit, quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. Missa extemplo manus quae hostem a fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna. Eo promptior Caesar pergit introrsus, populatur, excindit non ausum congredi hostem aut, sicubi restiterat, statim pulsum, nec unquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, et velut aucti numero inrupissent. Reductus inde in 26
hiberna miles, laetus animi quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. Addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exolvendo. Nec dubium habebatur labare hostes petendaeque pacis consilia sumere, et si proxima aestas adiceretur, posse bellum patrari. Sed crebris epistulis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum. Prospera illi et magna

3. *loco* M: correxit Lipsius. 5. *exemplo* M. *eligeret* M. 7. *exscind.* Or. 9. *umq.* M. 10. *cassibus* M. 14. *hiona* M: correxit Beroaldus. 16. *exs.* Or. 19. *epistulis* M, non *epistol.*

Varianae legionis aquilam: undevicesimae legionis aquilam anno ante reppererat Stertinius apud Bructeros: I 60. Quae iam recluditur, duodevicesimae legionis fuit aut primae: vid. ad I 42. Quae una etiam deerat, eam Publius Gabinius in Chaucis recuperavit a. 40 Claudio principe, cuius anni res gestae ex opere Tacitino interciderunt: vid. Dio LX 8. Falsa de aquilis Varianis Florus IV 12 37: *signa et aquilas duas adhuc barbari possident, tertiam signifer priusquam in manus hostium veniret evulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit.* Haec ille ex scriptore qui Augusti aevo vixit imprudens rettulit.

Cap. 26. *sic Sugambros in deditionem acceptos:* Suetonius Tiber. 9: *Germanico* (bello) *quadraginta milia dediticiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit.* Aug. 21: *ex quibus* (Germanis) *Ubios et Sugambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit.* Ubios Agrippa in Gallicam Rheni ripam traduxit (v. Tacit. XII 27 ibique annot.) anno urbis 716 vel 715, Sugambros Tiberius, quod a. 746 factum esse ex Dione LV 6 colligere licet. Obiter rem meminit Strabo VII 1 3, Eutropius VII 9, Orosius VI 21. Conf. Horat. Carm. IV 2 34, 14 51. Velleius II 97. Cassiodorus s. a. 746.

proelia: eorum quoque meminisset quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. Se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suevos regemque Maroboduum pace obstrictum. Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quoniam Romanae ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui. Precante Germanico annum efficiendis coeptis, acrius modestiam eius adgreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste nonnisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intellegeret.

27 Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. Eius negotii initium ordinem finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, iuvenem inprovidum et facilem inanibus

3. *consilia* M. 5. *suebos* M, item c. 44. 45. 62. 63. 6. *quoniam* (*quo* cum lineola) M. 7. *esset* Muretus: M *est*. *praecante* pr M. 12. *aput* M. 13. *germanicos* M. 14. *sequi* M. 18. *dum* M.

sic Suevos regemque Maroboduum pace obstrictum: Velleius II 108 et 109. Dio LV 28 et 30 in actis anni 759.

consultum esset: esset Muretus: M *est*. *Est* ita defendi potest, ut Tacitum haec non ad suam cogitationem relata sed a Tiberio directe pronuntiata scripsisse accipiamus. Sed huius tam repentinae in construenda oratione conversionis cum ex totius loci ratione causa idonea, ut alibi, afferri nequeat, Mureti emendationem (*esset*) adoptare equidem non dubitavi.

'*deportare lauream:* i. e. triumphare. Triumphantes enim ascendere Capitolium soliti, et laurum quam manu tenebant, quaeque in fascibus lictorum, deponere in gremio Iovis, arbitri scilicet victoriae et auctoris.' Lipsius. Conf. Dio LIV 25: *καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν* (Augustus) *τήν τε δάφνην ἀπό τῶν ῥάβδων περιεῖλε καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο.* Plura collegit Lipsius in Excurs. ad h. l.

Cap. 27. Iam ad res domesticas anni 16 enarrandas Tacitus se vertit. *sub idem tempus* sqq: de eadem re breviter absolvunt Velleius II 130, Seneca Ep. 70, Suetonius Tiber. 25, Dio LVII 15: unus Tacitus facti gravitatem recte aestimavit. *curatius*: vid. ad I 13.

quae per tot annos rem publicam exedere: crimina maiestatis designat delatorumque calumnias: conf. I 72—74.

ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam
interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scribo-
niam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos
Caesares, plenam imaginibus domum ostentat, hortaturque ad
luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo
pluribus indiciis inligaret. Ut satis testium et qui servi 28
eadem noscerent repperit, aditum ad principem postulat,
demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium equitem
Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indi-
cium haud aspernatus congressus abnuit: posse enim eodem
Flacco internuntio sermonem commeare. Atque interim Li-
bonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus,
non verbis commotior (adeo iram condiderat); cunctaque
eius dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat,
donec Iunius quidam, temptatus ut infernas umbras carminibus

2. *interpraetes* (per comp.) M. 3. *consobrinus caesaris* M: tacite correxit Rhenanus. 7. *repperit* M, non *reperit*. 8. *crimini* M. 9. *pro-prior* (alterum *r* puncto notatur) M. 11. *sermonem* editor: M *sermone*, Rhenanus tacite *sermones* et ita vulgo. 13. *commocior* M. 14. *mallebat* M.

proavum Pompeium, amitam Scriboniam: Lucius Scribonius Libo, consul a. 720 cum Marco Antonio, eius Scriboniae quae nupsit Octaviano Iuliamque genuit, frater fuit, idemque pater illius Scriboniae quae Sexto Pompeio Magni filio matrimonio iuncta est. V. Appiani B. C. V 3 et 139. Dio XLVIII 16. Ex hac Scribonia Sextus Pompeius filiam procreavit Pompeiam, Marco Claudio Marcello desponsatam sed non collocatam, postea (id ex hoc nostro loco colligere licet) Scribonio cuidam Liboni nuptam, parenti eius Libonis qui iam reus producitur. Itaque huic Druso Liboni Pompeius Magnus et Scribonius Antonii collega, patres Sexti et Scriboniae, proavi fuere, Scribonia autem Octaviani coniux eidem amita maior (sic appellatur soror proavi; l. 10 §. 16 Dig. *de gradibus* XXXVIII 10), sed amitam maiorem perfidus amicus et adulator specioso nomine *amitam* nominat, duobus cognationis gradibus prudenter neglectis, ut maior nobilitatis imago vani hominis menti offunderetur, id quod interpretes adhuc latuit. Quam Seneca Ep. 70 memorat *amitam* Libonis rei, haec non illa antiqua Scribonia materque Iuliae, sed soror fuit ei Liboni qui hunc Drusum Libonem genuit.

consobrini Caesares sunt Lucius et Gaius Iuliae filii et Agrippae. Hisce Scribonius ille consul et frater Scriboniae unde Iulia nata avunculus magnus fuit, idemque reo Liboni proavus.

libidinum et necessitatum: quae necessario eroganda et impendenda sunt, sive ad vitam sustentandam sive ad imperium tuendum sive in alium quem finem ea requiri videntur, *necessitates* a Tacito dicuntur: I 11: *tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones.* H. IV 22: *per licentiam absumpta*

Libo Drusus is condemned for Majesty

eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. Celebre inter accusatores Trionis ingenium erat, avidumque famae malae. Statim corripit reum, adit consules, cognitionem senatus poscit. Et vocantur patres, addito consultandum super re magna et
29 atroci. Libo interim veste mutata cum primoribus feminis circumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula poscere, abnuentibus cunctis, cum diversa praetenderent, eadem formidine. Die senatus, metu et aegritudine fessus sive ut tradidere quidam simulato morbo, lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri, et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto eius vultu excipitur. Mox libellos et auctores recitat Caesar, ita moderans ne lenire neve
30 asperare crimina videretur. Accesserant praeter Trionem et Catum accusatores Fonteius Agrippa et Gaius Vibius, certabantque cui ius perorandi in reum daretur, donec Vibius,

2. *accussatores* M. *triones* M. *fame* M. 3. *cognitionem senatus* M, non *sen. cogn.* 10. *suplices* M. 13. *asperari* M. 14. *C.* M. 14 et 15. *liuius* M: correxit Grotius et edidit Ryckius ex 4 28 et 29.

sunt quae adversus necessitates (*dringende Bedürfnisse*) *in longum suffecissent.* Germ. 15: *quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit.* Quod Libonis necessitates (*Verbindlichkeiten*) ex vita libidinosa et prodiga consequuntur, id ad vim nominis nihil attinet, sed hoc ex locis propositis facile intelligas, duobus modis dici necessitates, primum id quo quis necessario utitur (*nothwendige Bedürfnisse*), tum illud quo alteri obligati sumus (*Verbindlichkeiten*). Prior necessitas naturalis est et libero arbitrio semota, altera sponte inita, et talem Libo Drusus susceperat sumpto aere alieno, in quo contrahendo Firmium Catum adiutorem habuit.

Cap. 28. *et qui servi:* haec dedit variationis gratia pro *et servorum qui.* Similis attractio IV 4: *percensuitque cursim numerum legionum, et quas provincias tutarentur.* VI 44: *aucti copiis socialibus, et quas dux Romanus misisset.* XV 25: *scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus, et qui praetorum* (= praetorias) *provincias regebant.*

Flaccum Vescularium: eius finis narratur VI 10, ubi perperam *Vescularius Atticus* nominatur.

posse—sermonem commeare: non *sermones* (*Unterhaltungen*) commeabunt inter Catum et Tiberium, sed unus de coeptis Libonis *sermo.* Itaque duce libro Mediceo scribendum erat *sermonem* (*sermonē*), non *sermones.*

Cap. 29. *circumire domos:* cf. annot. ad I 73. *vocem adversum pericula:* generale nomen *vocis* elegit, quo tam preces quam orationis facundiam complecteretur. *innisusque fratri:* quis frater fuerit incertum. Si is Lucius Libo huius anni consul fuisset, id Tacitus aliquo modo indicaturus erat.

Cap. 30. *Gaius Vibius:* est *C. Vibius Serenus:* cf. IV 13 et 28—29 et 36.

quia nec ipsi inter se concederent et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum professus, protulit libellos vecordes adeo ut consultaverit Libo an habiturus foret opes quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret. Inerant et alia huiuscemodi, stolida vana, si mollius acciperes, miseranda. Uni tamen libello manu Libonis nominibus Caesarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator arguebat. Negante reo, adgnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatus

1. *ipse* M. 3. *vaecordes* M. 8. *adgnonoscentes* M. 9. *interrogare* M: correxit Lipsius.

quia nec ipsi inter se concederent et Libo sine patrono introisset: haec Tacitus ad mentem et ex oratione Vibii protulit. *singillatim se crimina obiecturum professus:* continuam orationem omisit secutus Ciceronis C. Verrem accusandi rationem, de qua v. Act. in Verr. I 11.

uni tamen libello — nominibus Caesarum — additas atroces notas: duorum casuum dativorum prior (*uni libello*) totum, alter (*nominibus*) partem consignat. Itaque non necesse est substitui *uno* pro *uni*, ut suasit Kritzius.

vetere senatus consulto: meminit eius Cic. pro Deiot. 1, Milon. 22, pro Rosc. Am. 41, Partit. orat. §. 118. *mancipari singulos actori publico iubet:* interpretare: *lässt einen nach dem andern an einen Verwalter von Staatsgütern verkaufen:* nam eiusmodi actores plures in urbe erant, neque ipse cui mancipati sunt suos iam habuit, sed tamquam rei publicae emptos suscipiendis negotiis adhibuit. Idem artificium Tiberius repetit infra III 67: *servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat.*

domumque digressus — mandavit: aliud et fortius consilium amita Scribonia dedit, ut narrat Seneca Epist. 70: *Scribonia, gravis femina, amita Drusi Libonis fuit, adulescentis tam stolidi quam nobilis, maiora sperantis quam aut illo seculo quisquam sperare poterat aut ipse ullo. Cum aeger a senatu in lectica relatus esset non sane frequentibus exequiis* (*omnes enim necessarii deseruerant impie iam non reum, sed funus*), *habere coepit consilium, utrum consisceret mortem an expectaret. Cui Scribonia: 'Quid te', inquit, 'delectat alienum negotium agere'? Non* (corrige *nec non*) *persuasit illi: manus sibi attulit nec sine causa: nam post diem tertium aut quartum inimici moriturus arbitrio si vivit, alienum negotium agit.*

Publio Quirino: nominis forma *Quirinius,* quae hic in M invenitur, item III 22, ubi ter exitus in *ius,* atque III 48, ubi tamen bis *Quirini* ac semel *Quirinius* offertur, nomen esset gentile pro more conformatum. Sed gentis nomen huic consulari fuit *Sulpicius* (III 48), praenomen *Publius.* Itaque tertium quod restat est nomen familiae sive cognomen idque *Quirinus* esse debet, ut est in duobus locis III 48 (*Quirini*). In quinque reliquos corruptela invasit nata per assimilationem e praenomine *Publius* in *ius* exeunte. Cognomen viri recte scribunt fasti consulares ad a. 742 (741), ubi est P. SVLPICIVS P. f. P. n. QVIRINVS, quamquam est *Quirinio et Valgio cos.* in Kalendar. Praenest. ad IV. kal. Mai. in Verr. Flacc.

consulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet, scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur. Ob quae posterum diem reus petivit, domumque digressus extremas preces Publio Quirino propinquo suo ad principem mandavit. Responsum est ut senatum rogaret.

31 Cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus vocare per-

1. *questio* M. *prohibebantur* pr M. 5. *P.* M. *Quirino* Beroaldus: M *Quirinio.* 7. *strepebant etiam* M, non *strepebantque etiam.* 8. *possint* M: tacite correxit Rhenanus.

Fast. p. 107 ed. Foggin. vel apud Orellium Inscript. Lat. II p. 388; cf. ibid. p. 386. Sed fastorum consularium scriptura confirmatur insigni titulo apud Muratorium Nov. Thesaur. Inscript. I p. 670 1, ubi est P. SVLPITIO QVIRINO, et nummo in Vaillantii Numm. familiarum Rom. t. II tab. CXXXV, ubi est P. SVLPICIVS P. F. QVIRINVS IIIVIR, quem Vaillantius pro patre huius nostri habet. Primus *Quirinum* in Tacito strenue vindicavit et *Quirinium* repudiavit Ryckius: hoc loco *Quirino* etiam apud Beroaldum. De homine copiose disputavit Norisius Cenotaph. Pis. dissert. II c. 16 §. 12. Quod Graeci scriptores cognomen viri in *ιος* efferunt, veluti Strabo XII 6 5 (*Κυρίνιος*), Lucas Evangel. II 2 (*Κυρηνίου*), Iosephus Antiq. XVIII 1 §. 1, 2 §. 1 (*Κυρήνιος*), hoc inde explicaverim, quod illi gentilicium id esse opinati sint: nimirum in Quirino, cui nihil affinitatis cum Sulpiciorum gente vetere et patricia, cognomen magis pervulgatum erat quam nomen *Sulpicii.* Apud Florum IV 12 41 codices inter *Curinio* et *Quirino* fluctuant, apud Suetonium Tiber. 49 editi genitivum *Quirini* exhibent.

Cap. 31. *cum Libo — vocare:* quasi non relativa particula *cum* sed alia ei respondens ac relationi haud obnoxia (*tum*) praecessisset, sequitur infinitivus historicus qui dicitur, isque tunc a Tacito adhibetur, cum novum aliquod vel insolitum relaturus est. Cf. II 40: *iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere.* IV 50: *et ingruebat nox nimbo atrox, — cum Sabinus circumire.* VI 44: *iamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus distrahi consiliis.* XIII 57: *neque extingui poterant* (ignes), — *donec — agrestes quidam eminus saxa iacere.* XIV 5: *Acerronia — memorabat, cum dato signo ruere tectum.* H. III 31: *iam legiones in testudinem glomerabantur, — cum languescere paulatim Vitellianorum animi.* Etiam in protasi eandem licentiam admisit, sed ita ut post primum sermonis membrum aut certe ante apodosin ad iustam structuram reditus fiat. II 4: *sed ubi minitari Artabanus, et parum subsidii in Armeniis, vel — bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Syriae — excitum custodia circumdat.* III 26: *at postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat* cet. XII 51: *ubi quati uterus, et viscera vibrantur, orare — ut*

cussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium. Atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adpositum cum mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris duos ictus in viscera direxit. Ad gemitum collabentis accurrere liberti; et caede visa miles abstitit. Accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, iuravitque Tiberius petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset. Bona inter accusatores dividuntur, et praeturae 32
extra ordinem datae iis qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messalinus, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit, Gnaeus Lentulus, ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret. Supplicationum dies Pomponii

2. *adpositum cum* editor: M *adpositum.* 4. *derexit* M. *conl.* M. *adc.* M. 5. *cede* M. *adstitit* M. *aput* M. 6. *ads.* M. 8. *accussatores* (alterum *s* puncto notatur) M. *praeture* M. 9. *his* M: correxit Bekkerus. 10. *exs.* Or. 11. *C. N.* M.

eximeretur. H. III 10: *ubi crudescere seditio, et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, inici catenas Flaviano iubet.* H. III 31: *ut praebere ora contumeliis, et — cuncta victi patiebantur, subit recordatio.*

evertentibus adpositum cum mensa lumen: in codice *cum* post praegressum *tum* vocis *adpositum* delituit. Ablativus tolerari non potest, nisi soloecismum fortiter devorare velis. Comparat quidem Waltherus O. 20 *ipsa studiorum incude positi*, sed ibi meliores libri *in* praebent, neque is locus conferendus erat, quippe non vitiosus, si deesset praepositio. Alii secuti Ernestium dicunt esse ablativum instrumenti, nihil dubitantes exilem tribuere Tacito describendi diligentiam (*das Licht, welches vermittelst eines Tisches hingestellt war*), scilicet ut legentes noscerent lumini fundamentum non defuisse. Immo mensa simul et lumen appositum a refugientibus et trepidantibus servis evertebantur: alioqui mensae memorandae iusta causa non erat.

Cap. 32. *Tunc Cotta Messalinus:* quae Cotta et Lentulus suadent, intra sententias videntur substitisse, sed quae Flaccus ceterique commendavere, ea senatus decretis confirmata esse partim huius scriptoris verba (*constituti* et *decrevere*), partim Dio Cassius LVII 15 ostendit: *καὶ θυσίας ἐπ' αὐτῷ οὐχ ἑαυτοῦ μόνον ἕνεκα, ἀλλὰ καὶ τοῦ Αὐγούστου τοῦ τε πατρὸς αὐτοῦ τοῦ Ἰουλίου, καθάπερ ποτὲ ἐδέδοκτο, ψηφισθῆναι ἐποίησε* (Tiberius). Cotta ille Messalinus Messalae oratoris patris optimi degener proles. Plinius X 27 (22). Persius II 72: *magni Messalae lippa propago.*

Lucius Piso: Lucii Pisonis nomen latere sub libri Medicei *L. P.* hinc colligo, quod ex hominibus illustribus (talis enim h. l. requiritur) aevi Tiberiani, quorum nominibus notae *L. P.* conveniunt, nonnisi *L. Piso* (II 34, III 11, IV 21) et *L. Pomponius* (II 41) apti sunt, sed Pomponii sententia cum proxime iam relata sit, unus Piso restat. Quod is II 34 liberi doloris documenta dedisse narratur, id minime

Flacci sententia constituti. Dona Iovi Marti Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, Lucius Piso et Gallus Asinius et Papius Mutilus et Lucius Apronius decrevere; quorum auctoritates adulationesque rettuli, ut sciretur vetus id in re publica malum. Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta; quorum e numero Lucius Pituanius saxo deiectus est, in Publium Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco advertere.

33 Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Quinto Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo;

1. *constituti ut dona* M: correxit Freinshemius. *cordiae* M. 2. *septrium* M. 3. *L.* M. *Piso* a I. Fr. Gronovio est: M *P.* *galius* M. 4. *L.* M. 5. *rettuli* M, non *retuli.* 7. *L.* M. 8. *delectus* M. *P.* M. 9. *Esquilinam* M (non *Exquilinam*). 12. *Q.* M.

obstat, quo minus idem in negotio ad principis salutem pertinente claritudinem suam obsequio protegendam existimet, ut fecit III 68. Eadem indoles et necessitas Asinio Gallo: v. I 8 et 12 et 77, II 36, IV 20. Imperante Tiberio etiam alter L. Piso viguit et pontificis dignitate praeditus functus est urbis praefectura (VI 10), *nullius servilis sententiae sponte auctor*, sed is si fuisset, *pontificis* vel *praefecti urbis* nomen Tacitus additurus fuit.

facta et de mathematicis magisque Italia pellendis s. c.: cum Libo ad Chaldaeorum (iidem ab arte sua *mathematici* vocantur, ut XII 52. H. I 22, II 62) promissa et magorum sacra (c. 27) se applicuisset, senatus consulta facta sunt, ut eiusmodi facinoribus in futurum occurreretur, sed frustra. Vid. VI 20—22, XII 52. H. I 22. *Chaldaei* nominantur mathematici a terra, unde huic generi vaticinandi ex observatione siderum origo, II 27, III 22, VI 20, XII 22 et 68, XIV 9, XVI 14.

saxo deiectus est: saxum dicit pro saxo Tarpeio, quemadmodum IV 29, itemque I 15 *campum* pro campo Martio. Plene *saxo Tarpeio* VI 19, *Tarpeia rupes* H. III 71. Diversum est *more prisco* sive *more maiorum advertere* (animadvertere). Scilicet qui sic ad mortem ducitur, deligatus ad palum virgis caeditur donec animam expiret, tum caput securi amputatur: Sueton. Ner. 49. Quemadmodum consules in Publium Marcium adverterunt, ita Pituanium tribuni, ut videtur, saxo deiecerunt. Vid. Niebuhrii Hist. Roman. tom. II not. 372 et 1340 sq. et cf. Dio LVIII 15. Marcius civis Romanus externa superstitione infectus, Pituanius peregrinus videtur fuisse. Sic VI 19 *Sextus Marius Hispaniarum ditissimus — saxo Tarpeio deicitur. Classicum* instrumentum est, cuius sono classes olim in campum Martium convocabantur, cum alias ob res, tum si de capite civis statuendum esset. Lege Varronem L. L. VI §. 90—92. Comitia et iudicia in campo iam nulla sunt, sed imago prisci moris tenetur.

extra portam Esquilinam: in campo Esquilino; Sueton. Claud. 25. Eundem Tacitus XV 60 dicit *locum servilibus poenis sepositum*, ubi v. annot.

decretumque ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis Serica viros foedaret. Excessit Fronto, ac postulavit modum argento supellectili familiae: erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publica crederent, loco sententiae promere. Contra Gallus Asinius disseruit: auctu imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum sed e vetustissimis moribus: aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rem publicam referri, qua tenui angustas civium domos, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid aut modicum nisi

2. *sirica* M: tacite correxit Rhenanus. 6. *adolevisset* M: correxit Beroaldus. 7. *aput scipionis* M. 9. *manificentiae* M. 11. *aliquit* M.

Cap. 33. *vestis Serica:* ea vestis erat bombycina (non ex lana facta, ut visum Lipsio) et pellucida, apud Seres Indos confici solita. Lege Pausaniae descriptionem VI 26 4. Conf. Dionys. Perieg. v. 757, Pollux VII 17 76, Servius ad Virgil. Georg. II 121. Naturam earum vestium Seneca de Benef. VII 9 designavit: *video Sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est quo defendi corpus aut denique pudor possit, quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. Hae ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronae nostrae ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quam in publico ostendant.* De Lipsii errore Waltherus ad h. l. dixit, de sedibus et commerciis Serum Hüllmannus *Handelsgeschichte der Griechen* p. 203 sqq.

excessit Fronto, h. e. Fronto ultra haec processit in censendo (*Fronto ging darüber hinaus*). *Excedere* perinde absolute positum est II 24: *tantum illa clades novitate et magnitudine excessit.* Agr. 42: *obsequium ac modestiam eo laudis excedere.*

erat quippe adhuc frequens senatoribus: indicant ea verba *de luxu civitatis* non a consulibus tunc relatum, sed eam rem Haterii et Frontonis sententiis in consultationem adductam esse. Haec enim annotatio aeque pertinet ad Haterium quam ad Frontonem. De re v. XIII 49.

distinctos senatus et equitum census: Augustus censum senatorium primo ad decies aeris constituit, sed aucta civium opulentia post annum 736 ab u. ita ampliavit, ut pro *decies aeris* (1,000,000 assium) *decies sestertii* (2,500,000 assium) senatorem censeri vellet. Ea de re accurate exposuit Dio LIV 17: *τάς τε ἀρχὰς ἅπασι τοῖς δέκα μυριάδων οὐσίαν ἔχουσι καὶ ἄρχειν ἐκ τῶν νόμων δυναμένοις ἐπαγγέλλειν ἐπέτρεψε. τοσούτων γὰρ τὸ βουλευτικὸν τίμημα τὴν πρώτην εἶναι ἔταξεν, ἔπειτα καὶ ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας αὐτὸ προήγαγε, καί τισι τῶν εὖ βιούντων, ἐλάττω τότε μὲν τῶν δέκα αὖθις δὲ τῶν πέντε καὶ εἴκοσι κεκτημένων, ἐχαρίσατο ὅσον ἐνέδει.* Cf. idem LIV 26. Dionem qui duobus locis tam copiose de hac re exposuit quique more Romano rationem subduxit, minime errasse recte iudicavit Lipsius in Electis II 17 (Opp. tom. I p. 813), idemque ego ex duobus aliis in-

ex fortuna possidentis. Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis ordinibus dignationibus, antistent et aliis quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur, nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. Facilem adsensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adiecerat et Tiberius non id tempus censurae nec, si quid in
34 moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem. Inter quae Lucius Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe,

2. *ut*] *ut*, *ut* censor Halensis Orellii (a. 1847 p. 178). 3. *antistent. Talis quae* M: emendavit Grotius et I. Fr. Gronovius. 5. *delenimentis* M, non *delinim.* 8. *quit* M. 10. *L.* M. *ipso* M. *fore* M. *sevitiam* M.

diciis colligo, primum quia re familiari civium insigniter aucta simplicissima erat mutatio, ut numerus assium (1,000,000) in eundem numerum sestertiorum mutaretur, ea tamen moderatione adhibita, ut in hac commutatione sestertius nummus pro $2\frac{1}{2}$ assibus antiquo more acciperetur; deinde summus auctorum Tacitus Dioni quamvis obscure consentit, cum de Marco Hortalo II 37 scribit: *nepos erat oratoris Hortensii, inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur.* Nimirum Augustus in Marcum Hortalum ad paupertatem delapsum insigni liberalitate usus ei dedit censum senatorium. Eadem pecuniae summa, decies sestertii dote, Tiberius Agrippae filiam donavit, ut refert Tacitus II 86, idemque Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium, h. e. censum quo opus esset ad ordinem senatoris retinendum, largitus est. Conf. I 75. Quoniam haec argenti summa a censu senatorio quasi sollemnis facta est, inde honestiorum parentum filiae coniugibus suis dotem *decies sestertii* fere ferebant: conf. Seneca Consol. ad Helv. 12. Iuvenalis X 335: *et ritu decies centena dabuntur antiquo.* Quibus omnibus cum Dionis narratio confirmetur, unum Suetonii testimonium, quod ei contrarium est, scriptoris festinationi et errori tribuendum videtur; est autem hoc (Aug. 41): *senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum milium summa duodecies sestertio* (= 3,000,000 assium) *taxavit, supplevitque non habentibus.* Scilicet Suetonius, quod extra ordinem *octoginta senatorum filiis* hanc summam donavit Augustus, a. 757, hinc census senatorii normam falso elicuit. De illa donatione Dio LV 13: *ὀγδοήκοντα δέ τισι καὶ ἐς τριάκοντα μυριάδας* (=3,000,000 assium) *τοῦτο* (*τίμημα*) *ἐπηύξησε.* Equitum census ad quadringena sestertia definitus erat.

sed ut — dignationibus, antistent et aliis: est libera structura; scilicet ex *ut*, inserviente in priore membro comparationi (= *sicut*), ad alterum *ut* finalis particula sumenda est. Comparari potest quod *utque* pro *atque*, *ut* admissum est G. 2. O. 34. H. I 39, II 49. Bezzenberger praefert *dignationibus antistent, ita iis.*

victurum in aliquo abdito et longinquo rure, testabatur; simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, et quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit vocata in ius Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat. Nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abscessit, quamquam Augusta se violari et imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus ut se iturum ad praetoris tribunal, adfuturum Urgulaniae diceret, processit Palatio, procul sequi iussis militibus. Spectabatur occursante populo compositus ore, et sermonibus variis tempus atque iter ducens, donec propinquis Pisonem frustra coërcentibus deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, iuberet. Isque finis rei; ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit. Ceterum Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quae apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est praetor qui domi interrogaret, cum virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret 35
Gnaei Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sen-

4. *pcibus* cum lin., i. e. *praecibus* M. 8. *illi* M. *abscessit* Ernestius: M *abscissit*, Aldus *abstitit*. 10. *praetoriis* pr M. 16 *caeterum* M. 17. *aput* M. 19. *iudicii* superscr. *o* M. 22. *C. N.* M.

Cap. 34. *curiam relinquebat:* recte accipiunt qui interpretantur *relinquere parabat:* non enim reliquisse ostendunt quae statim legimus, *quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset.* Conf. IV 62: *qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant.* V 11: *ille — non modo rettudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat.* Quod mox sequitur *abeuntem*, est *in rus abire parantem.*

vocata in ius Urgulania: vocata est ad praetoris urbani tribunal.

Cap. 35. *res eo anno prolatas:* sunt causae publicae a praetoribus singulis iudiciisque decernendae. Nam quae de conventu Italiae et affluentibus provinciis statim dicuntur, ea de privatis iudiciis h. l. quo minus cogitemus impediunt.

senatum et equites: duas praecipuas iudicum decurias nominat, cum quattuor hac aetate fuerint, tertia *tribunorum aerariorum,* quarta *ducenariorum.* Conf. Sueton. Aug. 32 et interpretes eius loci.

Cap. 36. *nam censuit in quinquennium* sqq.: Galli sententiam, *magistratus* omnes (quaestores,

tentias noscere. Piso, quamquam afuturum se dixerat Caesar, ob id magis agendas censebat, ut absente principe senatum et equites posse sua munia sustinere decorum rei publicae foret. Gallus, quia speciem libertatis Piso praeceperat, nihil satis inlustre aut ex dignitate populi Romani nisi coram et sub oculis Caesaris, eoque conventum Italiae et adfluentis provincias praesentiae eius servanda dicebat. Audiente haec Tiberio ac silente magnis utrimque contentionibus acta: sed
36 res dilatae. Et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est. Nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, iam tum praetores destinarentur, princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. Haud dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii temptari. Tiberius tamen, quasi augeretur potestas eius, disseruit: grave moderationi suae tot eligere, tot differre. Vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab iis qui ultra quinquennium proiciantur. Unde prospici posse quae cuique tam longo temporis spatio mens domus fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid si honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quae sua

1. *afuturum* M, non *abf.* 2. *ut* — *foret* M: *et* — *fore* Iac. Gronovius. 5. *tignitate* M. *Romani*] *R.* M. 6. *italia* M. *et*] *et ei* M: correxit Beroaldus. 12. *dum* M. 13. *haudubium* M. 15. *auretur* M: correxit Beroald. in annot. 18. *iis* M, non *his.* 21. *honorum* M.

praetores, consules) amplectentem, primum universe ponit hic noster, deinde eam partem quae ad *praetores* pertinebat, accuratius exequitur. Praetores scilicet Galli sententia sexaginta in quinque annos (12 × 5) comitiis senatus arbitrio haberi solitis ita designabantur, ut legati legionum sponte in eo numero inessent, utque deinceps quoque anno duodenos ex eo numero praetores princeps nominaret. Comitiis igitur peractis, spes eorum qui in numerum sexagenarium recepti erant, in quinquennium erat definita, eorum autem qui repulsam tulerant, honoris expectatio ultra idem temporis spatium reiecta. Itaque principis in deferendis honoribus arbitrium artis finibus circumscribebatur, et recte Tacitus monet, *haud dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii temptari.*

quid si honorem per quinquennium agitent: uno anno, non per quinquennium, singuli honorem agitaturi erant, sed Tiberius designationem pro ipso honore posuit, usus obscura oratione et perplexa.

spatia exercendae candidatorum industriae quaerendisque aut potiundis honoribus statuerint. Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit.

37 Censusque quorundam senatorum iuvit. Quo magis mirum fuit quod preces Marci Hortali, nobilis iuvenis, in paupertate manifesta superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Igitur quattuor filiis ante limen curiae adstantibus, loco sententiae, cum in Palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem modo Augusti intuens, ad hunc modum coepit: 'patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat; simul maiores mei meruerant ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi neque eloquentiam, gentile domus nostrae bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam si tenues res meae nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent. Iussus ab imperatore uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum. Nec ad invidiam ista, sed

1. *spacia* M. 4. *quo* Rhenanus: M *quod.* 7. *sestertii* M (non *sestertium* Beroaldi). 11. *imagine* M. 12. *nemerum et puritiam* M.

Nam ex sexaginta candidatis seu potius designatis praetoribus duodeni quovis anno praetores, ceteri praetores designati futuri erant, donec exacto quinquennio omnes ad magistratum pervenissent. Minus etiam verum est, sed veritatis specie haud destitutum quod sequitur, *quinquiplicari prorsus magistratus.*

favorabili in speciem oratione: eiusmodi oratio erat ut favore digna videretur. Passiva nominis significatio, quae forma eius expressa est, ubique a Tacito servatur. XII 6: *postquam haec favorabili* (favore digna) *oratione praemisit.* H. II 97: *integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius — egerat.* O. 7: *in civitate minime favorabili natus.* Ea civitas Gallica erat, Marci Apri patria, cui minime ab urbe Roma faveri ille dicit. Fallitur in nominis potestate definienda Boetticher in lexico Taciteo s. v.

Cap. 37. *censusque quorundam* sqq.: conf. Dio LVII 10. Sueton. Tiber. 47. Velleius II 129. Frater Marci Hortali fuit Hortensius Corbio, de quo conf. Valerius Maximus III 5 4. *quod — superbius accepisset:* cum scribit *accepisset*, non *accepit*, illud *quo magis mirum fuit* de hominibus aevi Tiberiani dictum et sequentia ex horum opinione suspensa posuit.

cum in Palatio senatus haberetur: in ea Palatii parte, ubi bibliotheca Latina: nam ibi clipeatae imagines

conciliandae misericordiae refero. Adsequentur florente te, Caesar, quos dederis honores: interim Quinti Hortensii pro-
38 nepotes, divi Augusti alumnos ab inopia defende'. Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: 'si quantum pauperum est venire huc et liberis suis petere pecunias coeperint, singuli nunquam exatiabuntur, res publica deficiet. Nec sane ideo a maioribus concessum est egredi aliquando relationem et, quod in commune conducat, loco sententiae proferre, ut privata negotia et res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et principum, sive indulserunt largitionem sive abnuerunt. Non enim preces sunt istud, sed efflagitatio, intempestiva quidem et inprovisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia

1. *absequentur* M. 2. *interimq; hortensq;* M: correxit Beroaldus. 4. *tiberio quod* (comp.) *fuit* pr M. *promcius* M. 6. *peccunias* M. *numquam* M. 7. *exs.* Or. 8. *egrendi* M. 9. *negotia et res* M: *negotia res* tacite Lipsius. 11. *indulserunt* editor: vulgo *indulserint*. *abnuerunt* (*u* in rasura) M. 12. *istut* M, quomodo *aliut*, *aliquit*, *aput* cet. 15. *transmerei* M: correxit Gryphius. 16. *ambitionem* M. 18. *conp.* M.

virorum litteris atque eloquentia praestantium: cf. c. 83 et de Palatinae domus bibliotheca tam Graeca quam Latina Sueton. Aug. 29. Dio LIII 1. Becker in Enchirid. A. R. t. I p. 426.

tot dictatorum: 'vaniloqua hominis oratio et falsa. Ubi enim isti tot consules tot dictatores? Certe ego in Hortensia gente unum dictatorem reperio et consulem unum, dictatorem a. u. 467 secessione plebis, consulem Q. Hortensium, huius avum. Sed intellegit fortasse maiores suos etiam ex gente materna'. LIPSIUS. Oblitus est Lipsius L. Hortensium consulem a. 646, in cuius locum post damnationem successit M. Aurelius Scaurus.

Cap. 38. *sive indulserunt largitionem sive abnuerunt:* in posterioris verbi forma secutus sum librum Mediceum, in altero id mihi sumpsi, ut pro *indulserint* scriberem *indulserunt*. Vulgo *sive indulserint largitionem sive abnuerint.* Quae si pro perfecti temporis et subiunctivi formis accipias, usus Latinae linguae et Taciti repugnat (conf. I 79, VI 9 et 12, XII 26, XIV 59. H. II 78. G. 34), sin futurum exactum esse statuamus, iusta temporis illius ratio desideratur.

The false Agrippa Postumus.

expectabunt, sibi ignavi, nobis graves.' Haec atque talia, quamquam cum adsensu audita ab iis quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. Sensitque Tiberius; et cum paulum reticuisset, Hortalo se respondisse ait: ceterum si patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. Egere alii grates: siluit Hortalus, pavore, an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens. Neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

Eodem anno mancipii unius audacia, ni mature subventum 39
foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippae servus, nomine Clemens, comperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit. Ausa eius impedivit tarditas onerariae navis; atque interim patrata caede, ad maiora et magis praecipitia conversus furatur cineres, vectusque Cosam Etruriae promunturium ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret: nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat. Tum per idoneos et secreti eius socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas aures,

2. *iis* M, non *his*. 3. *honesta*] *adnesta* M. 4. *excipere* M: correxit Beroaldus. 8. *Hortalus*] postr. syll. in M est e corr. *pavare* M. 10. *dilabaretur* M, *dilaberetur* Beroaldus: *delaberetur* Ernestius. 11. *audatia* M. *nematurae* M: correxit Beroaldus. 13. *conp.* M. 14. *frude* M. 16. *inp.* M. 17. *parata* M: tacite correxit Rhenanus. *precip.* M. 18. *coram* nunc M, fortasse pr M *Cosam*, ut emendavit Lipsius. *promunturium* M. idem 4 67 *promuntirii*, 6 50 *promunturium*, M[a] 14 4 *promuntorium*, 15 46 *promunturium*. 20. *haut* M. 22. *sermonilius* M. 23. *vagor umore* M. *aput* M. *inp.* M. *promtas* M.

daturum liberis eius ducena sestertia singulis: census is fuit *ducenariorum* (Sueton. Aug. 32), in quarta decuria iudicantium.

Cap. 39. *eodem anno:* ad finem annalis historiae progressus nonnulla haud continui tenoris in supplementum addit. Conf. dicta ad I 53. Falsi Agrippae mentionem faciunt Suetonius Tiber. 25, Dio LVII 16.

Postumi Agrippae servus, nomine Clemens: Suetonius l. c. *servus Agrippae, Clemens nomine.* Conf. ad I 5.

furatur cineres: id vafer servus fecit ne fraudis convinci manifesto documento posset.

aut rursum apud turbidos eoque nova cupientes. Atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici, neque diutius isdem locis, sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut prae-
40 veniebat. Vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam, credebatur Romae; iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coërceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. Modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat. Postremo dat negotium Sallustio Crispo. Ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exequuntur ut iussum erat. Dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum, clauso ore, in Palatium traxere. Percontanti Tiberio quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur 'quomodo tu Caesar.' Ut ederet socios, subigi non potuit. Nec Tiberius poenam eius palam ausus, in secreta Palatii parte interfici iussit corpusque clam auferri. Et quamquam multi e domo principis equitesque ac senatores sustentasse opibus, iuvisse consiliis dicerentur, haud quaesitum.

1. *aput* M. 4. *festimatione* M. 7. *catus* M, in mg. *cetus.* 9. *vanesceret* M: correxit Beroaldus. 10. *spernemdum* M. 12. *cilentibus* M. 13. *diligit*, et mox *aderant* M: correxit Beroaldus. 15. *exs.* Or. 16. *finctum* M. *percunct.* Or. 19. *penam* M.

relinquebat famam aut praeveniebat: 'statim abeundo scilicet, priusquam bene innotesceret: praeveniebat autem ex inopinato et celeriter se sistendo. Ita parum gnaros relinquebat, parum providis se sistebat'. Lipsius.

Cap. 40. *iamque Ostiam invectum — celebrabant:* quae Ostiae celebrabat Clementem multitudo ingens, ea praesentem et coloniam illam ingressum conspexit et concursando admirata est, sed clandestini in urbe Roma coetus fama freti eundem ut verum Augusti sanguinem verbis celebrabant: nam eo audaciae servum progressum esse ut coetus urbanos inviseret, hoc a veri similitudine nimis abhorret, neque inest in verbis quae legimus. Immo Ostiam esse unde clientes vel milites Sallustii Crispi nocturno tempore personatum Agrippam in Palatium urbemque trahunt, ex verborum contextu colligere licet. Aliter statuit Halmius l. c. Cf. V 10: *iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur* (falsus Drusus).

Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa 41
cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta in hortis quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur.

Gaio Caecilio Lucio Pomponio consulibus Germanicus Caesar ante diem septimum kalendas Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. Vecta spolia, captivi, simulacra montium fluminum proeliorum; bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus. Sed suberat occulta formido reputantibus haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi, avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum, breves et infaustos populi Romani amores.

Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sester- 42

1. *edem saturnio praecepta* M: correxit Beroaldus. 3. *fortes* M. 5. *aput* M. 6. *C.* M. *caelio* M: correxit Broterius. *L.* M. *cos.* M. 7. *ante — kal.*] *ad VII. K* cum lin. traversa M. *A. D.* pro *ad* tacite correxit Lipsius. 8. *cattisque* M.

Cap. 41. *quos Caesar — legaverat:* Cicero Philipp. II 42. Sueton. Caes. 83. Dio XLIV 35. Appian. Civ. II 143. Plutarch. Brut. 20. Cf. annot. ad XII 56.

sacrarium genti Iuliae: ludicrum circense, a Tacito XV 25 commemoratum, fortasse post adiectum est.

apud Bovillas: est civitas in via Appia IX vel X M. P. ab urbe. Hinc corpus Augusti, quod a Nola decuriones municipiorum et coloniarum deportaverant, *equester ordo suscepit intulitque urbi.* V. Sueton. Aug. 100. Claud. 6.

Caecilio: apud Dionem LVII 17 est *Καικίλιος*, eademque nominis forma comparet in fastis quos Norisius ex codice bibl. Caesareae publicavit, item in Chronico Cassiodori et inscriptione apud Murator. Thesaur. Inscript. 1 p. 301. Quas auctoritates secutus cum aliis *Caecilio* scripsi pro *Caelio*; praesertim cum sciam quam saepe codex Mediceus mediis syllabis omittendis peccaverit. Titulus a Ryckio ex Grutero 448 8 allatus, ubi est *C. Caelio Rufo et L. Pomponio Flacco coss.*, ex penu Ligorii impostoris depromptus est.

triumphavit: de hoc triumpho Strabo VII 1 4 p. 291: *ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, Σεγιμοῦντός τε Σεγέστου υἱός, Χηρούσκων ἡγεμών, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ γυνὴ δ' Ἀρμενίου, τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουϊντίλιον παρασπονδήσει καὶ νῦν ἔτι συνέχοντος πόλεμον, ὄνομα Θουσνέλδα, καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμελικός,* cet.

tios viritim dedit, seque collegam consulatui eius destinavit. Nec ideo sincerae caritatis fidem adsecutus, amoliri iuvenem specie honoris statuit, struxitque causas aut forte oblatas arripuit. Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. Nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente Gaio Caesare missoque ad res Orientis intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut versa Caesarum subole imperium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quae non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret. Ille ignarus doli vel, si intellegere crederetur, vim metuens, in urbem properat; exceptusque immiti a principe, et mox accusatus in senatu, non ob crimina quae fingebantur, sed angore, simul fessus senio, et quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt, finem vitae, sponte an fato, implevit. Regnum in provinciam redactum est, fructibusque eius levari posse centesimae

5. *pociebatur* M. 7. *C.* M. 11. *gnarus* M: tacite correxit Rhenanus. 14. *set* M. 15. *nudum* M.

et Angrivariis: hos inter Visurgim et Albim habitantes in postrema Germanici expeditione domitos esse monitum in annot. ad c. 20 et 22; cf. ad c. 8. Extremi erant populorum ad quos Germanicus penetraverat, et probe separandi sunt ab iis qui c. 8 falso *Angrivarii* nominantur.

quinque liberis onustus: nomina liberorum Nero, Drusus, Gaius, Agrippina, Drusilla. Iuliam novissimo partu mater Agrippina anno proximo in insula Lesbo edidit: II 54. *populi Romani amores:* h. e. eos quos amore suo populus Romanus prosequatur, *Lieblinge* vel *Liebesgegenstände.* Sic Catullus *amores* dicit puellam puerumve amatum VI 16, X 1, XV 1, XXI 1, XL 7, XLV 1, LXIV 27.

Cap. 42. *quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur*: regnum acceperat a. 718 ab u. beneficio Marci Antonii: Dio XLIX 32, LI 2, LVII 17. Sueton. Tiber. 8 et 37. Cf. infra XIV 26. Erat ex posteris Archelai, quem ducem Mithridatis Sulla devicit. Alius Archelaus est filius Herodis et Iudaeae tetrarcha, de quo Iosephus Antiquit. XVII c. 11 et 13.

versa Caesarum subole: versa paulo gravius dictum quam *extincta* (cf. ad XII 45), atque hoc nonnisi ad Lucium et Gaium Caesares, non etiam ad Agrippam Postumum in exilium actum attinet, ut credidit Lipsius, ne quid dicam de hoc acumine Waltheriano '*versa* est Caesarum suboles, cum Augusti sanguine orti cederent stirpi Claudiorum per adoptionem irrepentium'. De re cf. I 3.

regnum in provinciam redactum est: conf. Strabo XII 1 4 p. 534: *τῆς δὲ μεγάλης Καππαδοκίας νῦν μὲν οὐκ ἴσμεν πω τὴν διάταξιν. τελευτήσαντος γὰρ τὸν βίον Ἀρχελάου τοῦ βασιλεύσαντος, ἔγνω*

vectigal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus; et provinciae Syria atque Iudaea, fessae oneribus, deminutionem tributi orabant. Igitur 43
haec, et de Armenia quae supra memoravi, apud patres disseruit; nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi: nam suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse. Tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat; praefeceratque Gnaeum Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre

1. *ducentisimam* M. 2. *commagenorum* M (non *commagenonum*). 5. *demin.* M, non *dimin.* 6. *aput* M. 8. *conp.* M. 13. *conexum* M. 14. *C. N.* M.

Καῖσαρ καὶ ἡ σύγκλητος ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων αὐτήν. H. e. in provinciam redigi Cappadociam senatus et princeps iam decreverant, cum Strabo haec scripsit, sed notum nondum erat, utrum proconsuli an legato Caesaris moderanda traderetur. Ea dubitatio sublata est a. 18; cf. c. 56: *at Cappadoces in formam provinciae redacti Q. Veranium legatum accepere.* Sueton. Tiber. 37: *cuius* (Archelai) *etiam regnum in formam provinciae redegit.* Errat Appianus in Mithr. c. 105, qui Cappadociam ab Augusto in provinciam redactam esse narrat.

fructibusque eius levari posse centesimae vectigal: insignem Cappadociae fertilitatem divitiasque extollit Iustiniani Novellae XXX praefatio c. 1. Cf. lex 9 Theod. cod. *de indulgentiis debitor.* XI 28. Inde factum est ut imperatores Romani inferioris aetatis praeposito sacri cubiculi atque comiti curam domus divinae (h. e. possessionum aedificiorumque suorum) per Cappadociam traderent. Vid. Notit. dign. Orient. c. IX et Gothofredus ad legem 2 Theod. cod. *de palatinis* VI 30. De centesimae vectigali Lipsius: 'onus hoc impositum urbi et Italiae post bella civilia ab Augusto anno, nisi erro, 759, quo tempore aerarium militare institutum, ut tradit Dio LV 25. Colligo ex verbis Taciti quae I 78. Non aliud autem hoc vectigal quam centesimus rerum in auctione venalium nummus. Auctor sic interpretandi Suetonius qui ducentesimam auctionum appellat Cal. 16: *ducentesimam auctionum Italiae remisit,* ubi bene Turnebus (Adv. 27 20) emendat *centesimam*' (immo error Suetonii videtur subesse), 'bene, inquam, maximus ille criticus aevi nostri. Nec iuvat Suetonii receptam lectionem hic locus Taciti, quia ille idem Tiberius quasi poenitentia beneficii centesimam iterum instituit, ducentesima inducta. Clare Dio LVIII 16: *καὶ μετὰ τοῦτο* (i. e. post Seiani mor-

Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit, mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur; vix Tiberio concedere, liberos eius ut multum infra despectare. Nec dubium habebat se delectum, qui Syriae imponeretur, ad spes Germanici coërcendas. Credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi. Divisa namque et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat, et quia claritudine materni generis anteibat, avum Marcum Antonium, avunculum Augustum ferens. Contra

1. *affrica* M. 5. *uxoris quoque* M, non *uxorisque*, quod est vitium typogr. apud Beroaldum, ab ipso correctum in annot. 8. *coherc.* M. 13. *aput* M. 14. *mater* M: tacite correxit Rhenanus. 15. *M.* M.

tem) τέλος τι διακοσιοστὴν ἔχον ἑκατοστὴν ἤγαγε. Non narrat id Tacitus; fateor, quia ea omnis historia extincta; at Dio idem LIX 9, ubi de Caligula, sibi constans centesimam ab eo sublatam ait, non ducentesimam'.

Cap. 43. *quae supra memoravi:* c. 3 et 4. *qui sorte aut missu principis*; sortiuntur provincias suas viri consulares vel praetura functi, qui in provincias senatus populique *pro consule* sive *proconsules* proficiscuntur, sed in suas princeps suo iudicio mittit *legatos* sive *propraetores*. Conf. ad I 74.

Creticum Silanum: consul suffectus fuerat cum Caecilio Metello a 760: Dio LV 30.

a patre Pisone: de hoc vid. Hirtii B. Afr. 18 et Drumanni Hist. Roman. tom. II p. 90. Filii Pisonis immitis ingenii documentum praebet Seneca de Ira I 16.

petitione honorum abstinuit: aedilitatem quam gessit ante Chr. a. 30 (v. Vaillantii Numm. famil. I tab. 19 et Drumann. l. c.) Tacitus aut neglexit aut ignoravit. Consulatu functus est ante Chr. a. 23 (a. u. 731): Dio LIII 30; v. ad III 16.

Plancinae nobilitate: 'a Dione LVIII 22 Munatia Plancina dicitur, ut certum sit eam celebris illius L. Munatii Planci filiam fuisse aut neptem. Nominat hanc ipsam Romae lapis in aedibus Caesiis (Grut. 985 8) *dis manibus L. Munati Plancinae l. Polycliti*, id est, Plancinae liberti'. Lipsius.

monuit — insectandi: pro suo more simplici verbo utitur, *admonuit* declinans ut vulgari usu nimis detritum. Ceterum structura eadem est quae I 12 et 67, IV 8. *Aemulatio muliebris* intelligenda est Augustae adversus Agrippinam, non Plancinae in eandem.

avunculum Augustum: uno cognationis gradu neglecto posuit et hic et II 53, IV 3 et 75, XII 64 *avunculum* pro *avunculo magno*, quam appellandi rationem omnino

Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur. Et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam uxorem Drusi praecellebat. Sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.

44 Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae studiaque exercitus pararet; simul iuvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente. Sed Suevi praetendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes. Nam discessu Romanorum ac vacui externo metu, gentis adsuetudine et tum aemulatione gloriae arma in se verterant. Vis nationum, virtus ducum in aequo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modo Cherusci sociique 45 eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum; sed e regno etiam Marobodui Suevae gentes, Semnones ac Langobardi, defecere ad eum. Quibus additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam quam quia fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies, pari utrimque spe, nec, ut

3. *fama* cum lin. (h. e. *famam*) M. *prec.* M. 10. *suebi* M. *orantentes* M. 13. *aequos et* M: correxit Rhenanus. 14. *aput* M. *pellantem* M. 15. *cheruscis* M: *Cherusci* Alciatina et Rhenanus. 17. *suebae* M. *Langobardi* M, ut M[a] 11 17: G. 40 Leidensis *Longobardos.* 19. *clientium* M, non *clientum.* 21. *deriguntur* M.

vitavit. Matri enim Germanici Antoniae minori pater fuit Marcus Antonius triumvir, mater Octavia Augusti soror. Ipsi igitur Germanico Octavia erat avia et Augustus avunculus magnus: nam *avunculus magnus est aviae frater*, ut definit Paulus l. 10 §. 15 Dig. *de gradibus* (XXXVIII 10). Perperam Lipsius et Waltherus dicunt Augustum fuisse Germanici *proavunculum*, h. e. proaviae fratrem.

Pomponius Atticus eques, amicus ille Ciceronis, pater fuit Pomponiae, quacum Marcus Agrippa genuit Vipsaniam, Tiberii coniugem Drusique matrem. Vid. Sueton. Tiber. 7, de ill. Gramm. 13. Nep. Attic. 12. Senec. Epist. 21: *nomen Attici perire Ciceronis epistolae non sinunt: nihil illi profuisset gener Agrippa et Tiberius progener et Drusus Caesar pronepos.*

Cap. 44. *in Illyricum:* Illyrici nomen provincias Dalmatiam, Pannoniam, Moesiam hoc tempore complectitur, sed Drusum in Dalmatiam missum esse atque hinc ad legiones Pannonicas pervenisse ex II 53 et 62—63 liquet.

et tum aemulatione gloriae: haec verba propriam illius belli

olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Ac tunc Arminius equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat, reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat, contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum; ac mox per dona et legationes petivisse foedus, proditorem patriae, satellitem Caesaris, haud minus infensis animis exturbandum quam Varum Quintilium interfecerint. Meminissent modo tot proeliorum; quorum eventu, et ad postremum eiectis Romanis, satis probatum
46 penes utros summa belli fuerit. Neque Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem abstinebat, sed Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta quae prospere ceciderint, testabatur: vecordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade Germaniae et ignominia sua, cum coniunx, cum filius eius servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio inlibatam Germanorum glo-

1. *aput* M. *pec.teruas* M: correxit Beroaldus. 3. *ac tunc* M (non *et tunc*). 4. *conl.* M. 12. *electis* M. 15. *oms* cum lin. (*omnes*) M. 16. *caecid.* M. *vaec.* M. 19. *ignomina* M. 20. *filios* M. *se*] *si* M.

causam indicant. Germani enim externo metu vacui se ipsi lacessere solebant, aliis alii causis incitati. Eius belli quod tum gerebatur causa in *aemulatione gloriae* fuit. Germanici dicas: *und zwar damals aus Wetteifer um Ruhm.* Quippe Cherusci multum laudis pepererant in bellis adversum Romanos toleratis: Suevi igitur eandem vel maiorem gloriam sperabant se laturos esse, si Cheruscos devicissent. Conf. III 18: *et tum pudore absolutae Plancinae placabilior.* IV 28: *ab exilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus pater.* Aliud est *tum et*: eo novum quid adiungitur, ut IV 52: *Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa.* XIII 13: *orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae.* XIV 61: *quae semper odio, tum et metu atrox.*

Cap. 45. *Hercyniae latebris defensum:* conf. Strabo VII 1 3 p. 290. Velleius II 108.

per dona et legationes petivisse foedus: v. II 26. Velleius II 109.

Cap. 46. *illius consiliis gesta quae prospere ceciderint:* contrarium esse verum ipse hic noster testatur I 68. *cum coniunx — adhuc tolerent:* v. annot. ad II 10.

at se duodecim legionibus petitum —servavisse: Velleius II 109—110.

riam servavisse, mox conditionibus aequis discessum; neque paenitere quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum an pacem incruentam malint. His vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant, cum a Cheruscis Langobardisque pro antiquo decore aut recente libertate, et contra augendae dominationi certaretur. Non alias maiore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit; et transfugiis paulatim nudatus in Marcomanos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope iuvisset. Missus tamen Drusus, ut rettulimus, paci firmator.

Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes collapsae 47

1. *condic.* Or. 4. *cause* M. 5. *recente* M: Lipsius *recenti.* 9. *ne* M. 10. *transfugiis* M, non *transfugis.* *Marcomannos* M: simplex *n* 2 62 et in libris Germ. 42. 12. *adverus* M. 15. *conl.* M.

pro antiquo decore aut recente libertate: pro antiquo decore vetus Arminii miles, *pro recente libertate* novi eius socii ante Maroboduo subiecti, Semnones Langobardique, certavere. *in Marcomanos:* quae sit vera nominis scriptura ostendit Statius Silv. III 3 170: *quae modo Marcomanos post horrida bella vagosque* cet.

missus tamen Drusus — paci firmator: rei eventum narrare hoc loco non potuit annalium scriptor, quia tertio demum anno (post Chr. 19) illae discordiae compositae sunt; v. II 62 et 63. *paci firmator:* v. annot. ad I 3.

Cap. 47. *duodecim celebres Asiae urbes collapsae:* cf. Plinius II 86 (84): *maximus terrae memoria mortalium extitit motus Tiberii Caesaris principatu, duodecim urbibus Asiae una nocte prostratis.* Strabo XII 8 18. Dio LVII 17. Orosius VII 4. Eckhel D. N. VI. p. 192. Corpus inscriptionum Gr. Boeckh. n. 3450 et 3461. In numero duodenario Plinius cum Tacito consentit, Hieronymus in Chronico et inde Syncellus p. 319 tredecim urbes enumerat, iis quas Tacitus nominat adiungens *Ephesum;* basis monumenti apud Puteolos a. 1693 effossa (Graevii Thes. Antiq. Graec. VII p. 433—504), quae sola superest, praeter hanc etiam Cibyraticam anno demum 23 = 776 terrae motu labefactam (Tacit. IV 13) enumerat, quattuordecim figuras muliebres in lapide Tiberio dicato exhibens, subscriptis quattuordecim civitatum nominibus. Id monumentum ad similitudinem colossi, quem Asiae civitates beneficio obstrictae Tiberio dedicaverant Romae in foro iuxta aedem Veneris astantibus urbium simulacris (a. 19 vel paulo post), ab Augustalibus Puteolanis a. 30 = 783 expressum est. Cf. Orellii Inscript. Lat. n. 687. Boeckhii Corp. inscript. Gr. t. II p. 810.

in Sardianos lues: eam deflevit Bianor Anthol. Palat. IX 423.

nocturno motu terrae; quo inprovisior graviorque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat, in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo quae plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidenses, quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocaesariam, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit qui praesentia spectaret refoveretque. Delectus est Marcus Aletus e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo
48 impedimentum oreretur. Magnificam in publicum largitionem

2. *effigium* et 3. *deductis* M: correxit Beroaldus. *inm.* M. 5. *ignes* M, non *ignis.* 8. *sypilo* M. 9. *habit* M. *Apollonidenses* vel *Apollonidienses* Ernestius: M *Apollonienses.* 10. *qui quem osteni* M. 11. *hiero caesariam* M. *cyment molum* M. 13. *M.* M. 15. *oreretur* M (non *oriretur*).

Magnetes a Sipylo: urbs Magnesia in radicibus Sipyli montis Lydiae non procul a Smyrna sita erat; itaque *Magnetes a Sipylo* sunt incolae eius urbis, quae inde a Sipylo conspicitur. Respicit qui ita scribit aspicientes eos, qui ab Occidente Orientem versus Magnesiam adeunt. Inversa ratione si homines ex Cappadocia advenientes respexeris, iidem *Magnetes super Sipylum* appellari possunt. Ceterum haec urbs longe vetustissima ab antiquis scriptoribus *Sipylus* nominatur, ut a Pindaro Ol. I 38 (61); postea ab incolis Magnesia appellata est, et a situ *Μαγνησία ὑπὸ Σιπύλῳ* apud Strabonem XIII 3 5, *Μαγνησία ἀπὸ Σιπύλου* in nummis a Ryckio laudatis, *Magnesia ab Sipylo* a Livio XXXVII 44. Diversa est ab hac urbe Magnesia prope Meandrum, de qua conf. Livius XXXVII 45 et Strabo XIV 1 39 et 40 p. 647, etiam hic noster III 62.

Apollonidenses: horum mentionem facit Plinius V 30, Cicero Flacc. 21 et 29 et 32, ad Att. V 13, ad Quint. I 2 3. Eius urbis in Lydia sitae nomen erat *'Απολλωνίς*, gen. *'Απολλωνίδος*. Conf. Strabo XIII 4 4 p. 625. Apud Hieronymum et in marmore Puteolano est APOLLONIDEA. Ab Apollonide *Apollonidenses* vocantur, ab Apollonidea *Apollonideenses* vel *Apollonidienses*, ut est in codicibus Cic. pro Flacco 29. Ab *Apollonia* nomine non *Apollonienses* sed *Apolloniatae* nominantur (v. Stephan. s. v. *'Απολλωνία*).

Mosteni aut Macedones Hyrcani: recte posuit *aut*, non *sive*, sunt enim duae civitates. In marmore illo undecima refertur *Hyrcania*, duodecima *Mostene*. Eadem nomina habet Hieronymus. Macedones Hyrcani sunt Macedones et Hyrcani, in Lydiae Hyrcanio campo habitantes.

consulari obtinente Asiam: qui provinciam Asiam quique Africam

auxit Caesar haud minus grata liberalitate, quod bona Aemiliae Musae, locupletis intestatae, petita in fiscum Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, et Patulei divitis equitis Romani hereditatem, quamquam ipse heres in parte legeretur, tradidit Marco Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat, nobilitatem utrisque pecunia iuvandam praefatus. Neque hereditatem cuiusquam adiit nisi cum amicitia meruisset. Ignotos et aliis infensos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat. Ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Quintum Vitellium movit senatu aut sponte cedere passus est.

Isdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abolitas 49

2. *intestate* M. 5. *M.* M. 6. *nobilitate* M: correxit Beroaldus. *peccunia* M. 11. *sullamque vitellum* M: correxit Beroaldus.

pro consule administrabant, viri consulares erant, cum ceterarum senatus provinciarum proconsules modo e consularibus, modo e praetoriis deligerentur; v. Dio LIII 14. Strabo XVII sub finem. Additum *consulari obtinente Asiam* explicandae causae servit, *da ein Consular Asien verwaltete.*

Cap. 48. *nobilitatem utrisque:* ceteri editores Beroaldum secuti *nobilitatem utriusque* legunt libro Mediceo invito, sed *utrisque* de duobus singulis dictum apud Tacitum non raro invenitur (vid. ad XI 1), et dativus satis excusationis habet. M. Servilius consul anni 35 (788): VI 31.

Q. Vitellium: Suetonius Vitellio 2: *Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset.*

Cap. 49. *quam:* nuper Waltherus codicis scripturam (*quas*) ita vindicare conatus est, ut primum unicuique deorum suam cellam in communi templo sacram fuisse dicat, deinde ad alios Taciti locos provocet, ubi Capitolium numero multitudinis *aedes* appellatur, ut infra XIII 24: *urbem princeps lustravit e responso haruspicum, quod Iovis ac Minervae aedes de caelo tactae erant.* H. III 71: *inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus.* Sed *cella* non est *aedes*, et templum tribus cellis instructum tribus aedibus non constat. Nec vero demonstrari potest in illo templo unicuique trium deorum suam cellam fuisse: sed haec numina cum tam arto vinculo inter se connexa sint, omnibus unum sacellum suffecisse credibile est. Neque quod dicunt interpretes, *Liberum* esse *Διόνυσον* et *Liberam τὴν Κόραν*, omnino verum est, sed *Libera* ita respondet *Libero*, ut Iuno Iovi, Bellona Marti, Diana Iano, Ops Saturno. Ambobus, Libero et Liberae, persimilis est Ceres, et omnes tres utpote terrae fertilitatem augentes et curantes coluntur. Quapropter Livius commune trium numinum templum recte *aedem*, non *aedes*, appellat III 55: *ut qui tribunis plebis, aedilibus, iudicibus, decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris Liberi Liberaeque venum iret.* Qui in hoc loco nomen *aedem* invitis optimis quibusque codicibus delendum existimavere,

coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta circum maximum, quam Aulus Postumius dictator voverat. Eodemque in loco aedem Florae ab Lucio et Marco Publiciis aedilibus constitutam, et Iano templum, quod apud forum Olitorium Gaius Duilius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit. Spei aedes a Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello.

50 Adolescebat interea lex maiestatis. Et Apuleiam Variliam, sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium et matrem eius inlusisset, Caesarique connexa adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. De adulterio satis caveri lege Iulia visum: maiestatis crimen

2. *quas* M: correxit Lipsius. *apostumius* M: *Aulus Posthumius* Beroaldus. 3. *aedem*] *aead* (cum lin. recta super alterum *a*) M. 4. *aput* M. 5. *holitorium* M. *C.* M. *dullius* M, h. e. *Duilius* leviter tentatum. 7. *a* Beroaldus: M *in*. *iatillius* M: correxit Beroaldus. 9. *App.* Or. 12. *conexa* M.

ii temere iudicarunt, neque reputaverunt, verba legis esse, quae luculente ac sine ellipsibus proferenda erant. Concinit Dionys. Ant. VI 9 4: *ναοῦ κατασκευὰς ἐξεμίσθωσε* (A. Postumius 257 a. u.) *Δήμητρι καὶ Διονύσῳ καὶ Κόρῃ κατ' εὐχήν*. Iam vero Capitolium, ingentis magnificentiae opus, in comparationem vocari utique nequit: id enim, quippe sacrum tribus summis Etruscae religionis numinibus, Iovi Iunoni Minervae, non solum tres cellas sed tria templa sive aedes comprehendebat. Formam *quas* scripsit qui oculos suos ad Liberum Liberam et Cererem conversos direxit.

ab Lucio et Marco Publiciis constitutam: conf. Varro de L. L. V §. 158, Ovid. Fast. V 285, Festus s. v. *Publicius clivus*.

quod apud forum Olitorium C. Duilius struxerat: haec adiecta sunt, ut Ianus quem struxit Duilius, a Iano *Bifronte* sive *Gemino*, quem Numa ad infimum Argiletum aedificavit (Liv. I 19), discerneretur. Ianus Numae fuit ad forum Romanum in octava urbis Regione, Duilii in foro Olitorio ad theatrum Marcelli prope Tiberim in urbis regione nona. Utrumque imperite commiscuit Servius ad Virgilii Aen. VI 607: *sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum iuxta theatrum Marcelli.* Cf. Beckeri Enchirid. Antiq. Rom. t. I p. 259.

hanc Atilius voverat: vovit Atilius Calatinus consul a. 496, triumphum adeptus 497: Cicero de Legibus II 11, Livius Epit. XVII et XXI 62, Florus II 2 12.

Cap. 50. *Apuleiam:* Orellio qui et hic et paulo post dedit *Appuleiam* auctorem fuisse Mediceum non credo: nam altero loco M exhibet *puleiam*, h. e. *Apuleiam* absorpta prima littera post vocalem *liberaritque*, ut I 39 *ni quilifer* pro *ni aquilifer*, idemque I 7 scribit *Apuleium*, ac Beroaldus *Apuleiam* edidit hoc nostro loco, quemadmodum I 7 *Apuleium* secutus Mediceum.

distingui Caesar postulavit, damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset: in se iacta nolle ad cognitionem vocari. Interrogatus a consule quid de iis censeret quae de matre eius locuta secus argueretur, reticuit; dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent. Liberavitque Apuleiam lege maiestatis: adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur suasit. Adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.

De praetore in locum Vipstani Galli, quem mors abstu- 51
lerat, subrogando certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romae erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici fovebant: contra plerique nitebantur ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat. Lae-

6. *puleiam* M. 7. *depcatus* cum lin. (*depraecatus*) M. 9. *affrica* M. 10. *Vipstani* M, non *Vipsanii*.

damnarique, si qua — dixisset: duobus annis ante Tiberius pronuntiaverat, *deorum iniurias dis curae* (I 73): nunc illius liberalitatis obliviscitur *adolescente* scilicet lege maiestatis.

adulterii graviorem poenam; h. e. quam lex Iulia constituit. Eam Paulus Recept. sent. II 26 14 hanc dicit: *adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis et tertia parte bonorum ac relegatione in insulam placuit coërceri.* Haec Paulus de iure sui temporis: Tiberio principe reis Italia et Africa interdictum est, ut statim fieri videmus in adultero Manlio. Is enim lege punitus est.

propinquis suis: si *a propinquis suis* scripsisset, hoc fieri non per propinquos, sed Apuleiam removeri ultra ducentesimum lapidem a commercio et vicinitate propinquorum suorum lectores credere poterant, Tacitus autem prius dicere voluit ideoque praepositionem omisit, dativo poetarum more suoque admisso. Cf. II 57, IV 6, XII 1 et 9 et 54, XIII 20, XIV 58, XVI 16, H. I 11, Agr. 2. Eundem casum eodem modo saepius positum et ab hoc et ab aliis auctoribus invenimus, ubi participium perfecti passivi ei consociatum est. Exempla collegit Boetticher lex. Tacit. p. 143 et 144; Ruperti Taciti sui t. IV p. 812, admiscens aliena; add. III 3: *Tiberio et Augustae — cohibitam.* Ciceronis hoc in genere usum definivit Madvigius in annot. ad lib. I 4 de Finib. Quod attinet ad iudicium privatum propinquorum de admissis mulierum, vid. XIII 32. Liv. XXXIX 18. Dionys. Ant. II 25. Sueton. Tiber. 35.

Cap. 51. *Vipstani Galli:* vere M Galli nomen gentile *Vipstanum* effert, non *Vipsanium.* Huius, ut videtur, filius *Vipstanus Gallus* laudatur in tituli sub principe Claudio positi fragmento Maffeiano ap. Murator. 2049 7; v. Hagenbuchii Epistol. Epigraph. p. 227 sq. Marini *Atti e Monumenti degli Arvali* vol. I p. 100 sq. *Vipsaniorum* gens et ante M. Agrippam et post extinctam eius domum Romae ignobilis et obscura. V. Senec. Controv. XII sub finem, inscript. ap. Gruterum 340 3. Conf. ad XIV 1.

just as the laws were vanquished even when they were in force

tabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret. Victa est sine dubio lex, sed neque statim et paucis suffragiis, quomodo etiam cum valerent leges vincebantur.

52 Eodem anno coeptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. Is natione Numida, in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare, dein more militiae per vexilla et turmas componere, postremo non inconditae turbae sed Musulamiorum dux haberi. Valida ea gens et solitudinibus Africae propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma, Maurosque accolas in bellum traxit. Dux et his Mazippa. Divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret, Mazippa levi cum copia incendia et caedes

4. *affrica* M. 9. *musula maiorum* M. *valide agens* M: correxit Beroaldus. 10. *Africae* h. l. M.

quod lex iubebat: intellige *Papiam Poppaeam:* v. XV 19. Plin. Ep. VII 16. Lipsii ad III 25 Excurs. C.

Cap. 52. *per vexilla et turmas:* per vexilla peditem, equitem per turmas. Aemulatur superbus Numida ordinem militis legionarii: ibi enim *vexilla* et *turmae*, apud socios *signa* sive *cohortes* et *alae*. Inde mox *lectos viros et Romanum in modum armatos.* Cf. ad II 17.

Musulamiorum dux: nominis forma a Beroaldo correcta est *Musulamorum*, a Bekkero propius ad codicem *Musulamiorum*, et sic scribere videtur M IV 24, si quid fidendum est silentio Baiteri et Furiae, et sic est apud Aurelium Victorem de Caesaribus c. 4: *caesaque Musulamiorum manus*, frustulum in Claudii vita ex Taciti Annalium libro deperdito aliquo (quippe hoc Aurelius ex Suetonio petere non potuit) acceptum. In Flori codicibus IV 12 40 sunt *Musulami*, *Musulani*, *Misulani*, *Musiliani.* Fortasse rectius *Misulanorum* h. l., ut est apud Plinium V 4, etiam Ptolemaeum IV 3 § 24 in libris melioribus, quos secutus est Wilbergius, aliis formam *Μισουλάμοι* exhibentibus. Sedes bene definit Ptolemaeus, in his terrae regionibus bonus auctor: *τῶν μὲν Κιρτησίων καὶ τῆς Νουμιδίας μεσημβρινώτεροι ὑπὸ τὸ Αὔδον ὄρος Μισουλανοί.*

disciplina et imperiis suesceret: suesceret intellectu activo nove positum est pro *assuefaceret;* ablativus est casus instrumenti. Vulgarem usum dicendi hic noster secutus est II 44: *ut suesceret* (Drusus) *militiae.*

Maurosque accolas in bellum traxit: interpretare Theodisce: *und zog ihnen benachbarte Mauren mit in den Krieg hinein;* non *die Mauren,* ut vulgo accipiunt. Nam inter Musulamios et Mauretaniae incolas interiecta erat magna pars provinciae Africae Numidiaque, et Iuba rex Mauretaniae, amicus populi Romani (IV 26), non passurus erat ut regnum eius in bellum traheretur. Nimirum in interiora Africae usque ad Musulamios Maurorum partes dispersae habitabant, nullius imperio subditae.

et terrorem circumferret. Compulerantque Cinithios, haud spernendam nationem, in eadem, cum Furius Camillus pro consule Africae legionem, et quod sub signis sociorum, in unum conductos ad hostem duxit, modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil aeque cavebatur quam ne bellum metu eluderent. Spe victoriae inducti sunt ut vincerentur. Igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur. Nec Tacfarinas pugnam detrectavit. Fusi Numidae, multosque post annos Furio nomini partum decus militiae. Nam post illum reciperatorem urbis filiumque eius Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat; atque hic quem memoramus bellorum expers habebatur. Eo pronior Tiberius res gestas apud senatum celebravit; et decrevere patres triumphalia insignia, quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit.

Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum con- 53
sules habuit. Sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem

1. *conp.* M. *cnitios* M: correxit Beroaldus; Muretus *Ciniphios*, Broterius *Cinyphios*. 2. *pro consule* M, non *proconsul*. 4. *manum similitudinem* M: correctum in Alciatina. 13. *aput* M. 14. *insigna* M. 15. *impunae* M. 17. *aput* M.

compulerantque Cinithios — in eadem: sedes Cinithiorum non longe a flumine Cinyphe inter Syrtim minorem et maiorem. Ptolemaeus l. c. §. 22: *ὑπ' αὐτὴν* (Syrtim minorem) *Κινίθιοι καὶ ἀνατολικώτεροι μέχρι τοῦ Κινύφου ποταμοῦ Νιγίτιμοι, καὶ περὶ αὐτὸν τὸν ποταμὸν οἱ Λωτοφάγοι.*

et quod sub signis sociorum: h. e. socii per cohortes divisi; v. ad II 17. *sed nihil aeque cavebatur — eluderent:* ambigere possis, utrum de Romanis an de Numidis haec dicta sint, praesertim cum subsequatur *spe victoriae inducti sunt ut vincerentur*, quae cum de Numidis posita sint, etiam priora de isdem intelligenda videantur. Sed verbum *cavebatur* (non timebatur), tum fiducia Romano aptior quam barbaris, postremo variandi sermonis studium Taciti proprium suadent, ut cautionem illam Romanis tribuamus. Post hos ad Numidas transit narrator verbis *spe victoriae — vincerentur*, quo facto ad Romanos redit.

leves cohortes duaeque alae: v. annot. ad I 60.

Cap, 53. *Tiberium tertio:* melior usus postulabat *tertium* (v. Gell. X 1), sed monente Orellio *tertio* scripsit, ne quater *um* se exciperet. Ante Tiberius consul fuit a. 741 et 747 (Sueton. Tiber. 9. Dio LIV 25, LV 8); princeps tres consulatus gessit, primum hunc paucis diebus (Suet. 26), alterum cum Druso filio a Ch. 21 (Tacit. III 31. Dio LVII 20) tribus mensibus, tertium absens a. 31 cum Seiano (Dio LVIII 4. Sueton. 26 et 65) usque in Idus Maias.

Achaiae Nicopolim: 'bene late *Achaiae* nomen sumit, non pro

Germ. meets Drusus at Nicopolis

Achaiae Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Delmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. Igitur paucos dies insumpsit reficiendae classi; simul sinus Actiaca victoria inclutos et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii cum recordatione maiorum suorum adiit. Namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium laetorumque. Hinc ventum Athenas, foederique sociae et vetustae urbis datum ut uno lictore uteretur. Excepere Graeci quaesitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis

54 adulatio haberet. Petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit. Tum extrema Asiae, Perinthumque ac Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat.

1. *nicopolem* M. 2. *Delmatia* M, non *Dalmatia.* 10. *excipere* et 14. *byiantium* M: correxit Beroaldus.

Graecia solum, sed pro Epiro, ubi sane haec urbs est, ab Augusto structa ad Ambracium sinum, monumentum scilicet victoriae Actiacae. Credo ideo, quia illo aevo tota haec regio uni praesidi permissa, ideoque et nomine uno dicta'. Lipsius.

ut memoravi: II 43.

excepere Graeci — praeferentes: nomen *Graeci* interpositum est, ne Athenienses solos indulsisse tunc adulationi diceret. In honorando Germanico vetera suorum facta verbis Graeci praeferebant, ut sese extollerent, dicta autem veterum adhibebant, ut Germanicus tamquam novus Theseus vel Cimon altius efferretur.

Cap. 54. *Thracias urbes:* formam *Thracias* sine discrepantis scripturae commemoratione h. l. omnes editores exhibuere. Infra codex M bis litteram *a* (*Thraciam* II 66 et 67), bis *e* (*Threciae* III 38, *Threcum* IV 48) et M[a] *Threcio* XII 63, saepius autem, et septem quidem locis, in quorum quinque fido silentio conferentis Baiteri acquiescendum est, M *ae* scriptum dedit (II 64 et 65 et 67, III 38, IV 5 et 46, VI 10), id quod etiam in paucis lapidum titulis comparet. Ut in Graecis Θρᾷκες et Θρῇκες vel Θρήϊκες sunt, non Θραῖκες, sic Latine aut *Thraces* aut *Threces* (hac nominis forma gladiatores Thraciae armaturae plerumque consignantur), unice probandi sunt, *Thraeces* scribentium negligentiae imputandi aut curiositati eorum qui Θρᾷκες perperam idem valere ac Θραῖκες opinati sunt. *Thraces* autem prae *Threcibus* placent, quia consuetudo Latina non Iones imitatur, sed Dores et Aeolos. Haec norma etiam apud Horatium valet et Virgilium, qui formam in *e* nonnisi in *Threïcius* et similibus adoptavit.

Atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem
obvii aquilones depulere. Igitur adito Ilio quaeque ibi varie-
tate fortunae et nostri origine veneranda, relegit Asiam,
adpellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur.
Non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et
ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium
et nomina audit; tum in specum degressus, hausta fontis
arcani aqua, ignarus plerumque litterarum et carminum, edit
responsa versibus compositis super rebus quas quis mente
concepit. Et ferebatur Germanico per ambages, ut mos ora-
culis, maturum exitium cecinisse. At Gnaeus Piso, quo pro- 55
perantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido
incessu exterritam oratione saeva increpat, oblique Germani-
cum perstringens, quod contra decus Romani nominis non
Athenienses tot cladibus extinctos, sed colluviem illam natio-
num comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis ad-
versus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios.
Etiam vetera obiectabat, quae in Macedones inprospere, vio-
lenter in suos fecissent, offensus urbi propria quoque ira,
quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum pre-
cibus suis non concederent. Exin navigatione celeri per
Cycladas et compendia maris adsequitur Germanicum apud

1. *samothacum* M. 2. *adito Ilio quaeque* I. Sever. Vater Animadvers. in locos quosd. ex Mid. Demosth. orat. Ien. 1796: M *alio quaeque. varietalate* M. 4. *adbellitque* M. 5. *aput* M. 11. *At Gnaeus*] *A. T. C. N.* M. 15. *conluvie miliam* M. 19. *suo* M: emendavit Beroaldus. 20. *Areo* M: Beroaldus *a reo*. *praecibus* M. 22. *aput* M.

relegit Asiam: h. e. proxime Asiae litus vectus est (*er fuhr wieder an der Küste Kleinasiens hin*). Ilium et quidem *novum Ilium* Germanicus pedibus adiit: nam a mari paulum abest. Inde ad naves regressus Asiae litus legit, quod Tacitus brevius dixit *relegit Asiam*.

Clarii Apollinis: Clarius appellatus Apollo a Claro luco prope Colophonem. Strabo XIV 1 26: *Κολοφῶν, πόλις Ἰωνική, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν*, unde patet Strabonis aetate minus id oraculum illustre fuisse. Plinius II 106 (103): *Colophone in Apillinis Clarii specu lacuna est, cuius potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita.* Conf. Pausan. VII 3 1.

Cap. 55. *colluviem illam nationum:* 'respicit ad consuetudinem Atheniensium ius civitatis communicandi cum multis, atque adeo vendendi hominibus vilissimis ac perditis, de qua iam graviter questus Demosthenes *περὶ συντάξεως* p. m. 126; quod ius iis ademptum postea ab Augusto: v. Dio LIV 7.

insulam Rhodum, haud nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat ut, cum orta tempestas raperet in abrupta possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremis quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso, et vix diei moram perpessus linquit Germanicum praevenitque. Et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est ut sermone vulgi parens legionum haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse, in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat. Nota haec Germanico: sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit.

56 Ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quoniam nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interiecti et saepius discordes sunt, adversus Romanos odio et in Parthum invidia. Regem

4. *triremis* M, non *triremes*. 17. *inp.* M. *incidebat* M: correxit Lipsius. 19. *et*] *set* pr M, *sed* corr M: correxit Pichena. 20. *quoniam*] *quo* cum lin. M, h. e. *quoniam*, non *quando*. *laete* (prius *e* puncto notatur) M.

Similiter infra III 54 negat Romanos iam unius urbis cives esse'. ERNESTIUS.

compendia maris: a Cycladibus per aperta maris *audentioribus spatiis* Rhodum navigavit, usus *εὐθυπλοίᾳ*, non *ἐγκολπίζων*, ut utar Strabonis verbis XIV 1 27.

exercitio equitum, decursibus cohortium: 'alia haec decursio ab illa funebri de qua dixi. Nam haec exercitii fuit, solita usurpari ter quot mensibus ex institutione D. Augusti. Vegetio *campicursio* dicitur, quem vide I 27, III 4; *campestris decursio* Suetonio in Galba 6: *campestrem decursionem scuto moderatus*, in Nerone 7: *indictaque decursione praetorianis scutum sua manu praetulit.* Et sane indecorum feminam in his spectari et velut moderari'. LIPSIUS.

Cap. 56. *nostris provinciis late praetenta:* haec scripsit orbem Romanum sui temporis, non eius de quo loquitur, respiciens. Comparant interpretes Virgilii Aen. III 692: *Sicanio praetenta sinu iacet insula.* VI 60: *praetentaque Syrtibus arva.* Georg. I 270: *segeti praetendere saepem.*

illa tempestate non habebant, amoto Vonone: sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum aemulatus, venatu epulis et quae alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. Ceteri venerantes regem Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. At Cappadoces in formam provinciae redacti Quintum Veranium legatum accepere; et quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Quintus Servaeus praeponitur, tum primum ad ius praetoris translatis. Cunctaque socialia prospere compo- 57

5. *germanicos* M. 10 et 12. *Q.* M. 12. *servaeius* M: correxit Lipsius ex 3 13, 6 7.

amoto Vonone: Vononem ex Armenia in Syriam accitum Silanus propraetor custodia circumdederat (II 4); eundem paulo post Germanicus Pompeiopolim Ciliciae urbem amovit (II 58). Errat igitur Suetonius, cum in Caligul. c. 1 de Germanico haec tradit: *cum Armeniae regem devicisset, Cappadociam in provinciae formam redegisset — Antiochiae obiit.*

Zenonem Polemonis regis Pontici filium: Polemo regnum Ponti accepit a. 719: Dio XLIX 33 et 44. Iam extinctus erat et imperium eius administrabat coniux Pythodoris, mulier modesta et perita, cum altero filio, altero cui nomen Zenonis in Armeniae regnum misso. Strabo XII 3 §. 30.

in urbe Artaxata: severa verborum structura aut *in urbe Artaxatis*, aut *in urbe Artaxatorum* debuit esse: sed nomini *in urbe* alterum vocabulum prima sua positione et declinationi haud obnoxium iungere maluit. Cf. VI 33: *urbe Artaxata potiuntur.* Contra XIII 39: *unde orta fiducia caput gentis Artaxata adgrediendi.* 41: *an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret — agitavit.* Ibidem: *Artaxatis ignis immissus.* XIV 23: *post deleta Artaxata.* Numerus ubique sibi constat, nisi additum nomen *urbis* licentiam illam excusat. Alii numeri inconstantiam statuunt, quod mihi in tam accurati scriptoris uno eodemque opere non probatum. De situ Artaxatorum Plinius VI 10: *in excelso autem Tigranocerta, at in campis iuxta Araxem Artaxata.* Condita erat et munita suasu Hannibalis a rege Artaxia: Strabo XII 14 6. Plutarchus Lucullo c. 32.

at Cappadoces — ad ius praetoris translatis: acceperunt procuratorem ius dicentem nomine et auctoritate praetoris urbani; hoc est *ad ius praetoris translati.* Mittit autem procuratorem princeps, eoque nomen ei est *legati.* Lege proximam annotationem.

legatum accepere: Dio LVII 17: κἀκ τούτου καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη. Is ἱππεὺς intelligendus est procurator qui simul provinciae praeses: procuratorum enim equestris nobilitas est (A. 4).

sita non ideo laetum Germanicum habebant, ob superbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere utrumque neglexerat. Cyrri demum apud hiberna decumae legionis convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur; et erat, ut rettuli, clementior. Sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, aggerere falsa, ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari. Postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus a Caesare, qualem ira et dissimulatio gignit, responsum a Pisone precibus contumacibus; discesserantque apertis odiis. Postque rarus in tribunali Caesaris Piso, et si quando adsideret, atrox ac dissentire manifestus. Vox quoque eius audita est in convivio, cum apud regem

3. *Cyrrhi* Broterius. *aput* M. 4. *convenire* M: tacite correxit Rhenanus. 10. *praecibus* M. 11. *opertis* M: correxit Lipsius. 13. *aput* M.

Cf. XII 49: *erat Cappadociae procurator Iulius Pelignus* sqq. XV 25: *scribitur — procuratoribus, et qui praetorum finitimas* (Syriae) *provincias regebant.* Hinc corrigo quod 'legatum praetorium' Cappadocibus in annot. ad I 14 p. 22 tribui. Sueton. Vespas. 8: *Cappadociae propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit consularemque rectorem imposuit pro equite Romano.*

ad ius praetoris: vid. dicta ad I 74. Strabo XVI 2 3 (p. 749) *ἡ Κομμαγηνὴ μικρά τις ἐστίν, ἔχει δὲ ἐρυμνὴν πόλιν Σαμόσατα, ἐν ᾗ τὸ βασίλειον ὑπῆρχε· νῦν δὲ ἐπαρχία γέγονε.* Caligula et Claudius Commagenem et Ciliciae partem Antiocho, de quo dictum ad XII 55, donaverunt; quo defuncto Vespasianus iterum imperio Romano adiunxit. Suetonius Vespas. 8: *Ciliciam et Commagenem, ditionis regiae usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit.*

Cap. 57. *Cyrri demum:* Cyrrus Syriae oppidum, caput tetrarchiae Cyrresticae. Plinius V 19 (23). Aspirationem (*Cyrrhus*) a Graecis addi solitam in nomine Orientis Tacitus omisit, si quid tribuendum est hac in re libro M. *et filios:* haerent interpretes quomodo filii Pisonis memorari possint, cum ex duobus eius filiis Gnaeus in urbe degerit, Marcus patrem in provinciam unus secutus sit: III 16 collatis II 76 et 78. Nos veram loci explicationem supra ad I 55 significavimus; scilicet parentes Pisonem et Plancinam praeter filium etiam filia, quamvis aliunde nobis haud cognita, comitata est. Ea et Marcus Piso *filii* vocantur.

discesserantque apertis odiis: haec scribens respicit quae subsequuntur de Pisone in tribunali Caesaris assidente et mansuram discessionem etiam tum vitante. Theodisce: 'und von einander gegangen waren sie mit unverhohlenem Hasse'. Ceterum hanc codicis scripturam primus tacite mutavit Pichena in *discesseruntque* a plerisque acceptum, etiam a Bekkero et Orellio: antiqui editores a Beroaldo usque ad Lipsium tenent *discesserantque.*

Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leves Pisoni et ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari; abiecitque simul coronam, et multa in luxum addidit, quae Germanico, quamquam acerba, tolerabantur tamen. Inter quae ab rege Par- 58
thorum Artabano legati venere. Miserat amicitiam ac foedus memoraturos, et cupere renovari dextras, daturumque honori Germanici ut ripam Euphratis accederet: petere interim ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim Ciliciae maritimam urbem amotus est. Datum id non modo precibus Artabani sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

Marco Silano Lucio Norbano consulibus Germanicus 59

2. *offerentur* M. 6. *venire* M: correxit Beroaldus. 7. *cuperere novari* M. 9. *vononis* M. 10. *discordas* M. 14. *pcibus* cum lin. M. 17. *M. Silano L. Norbano cos.* M.

Cap. 58. *sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat:* ne hoc iniquum de Germanico iudicium lectoris efficeret, prospexit vir sapiens addita causa, qua simul Germanicus a culpa malignitatis liberatur et Piso ea contumelia dignus declaratur.

Cap. 59. *cognoscendae antiquitatis:* si finis, quem quis sequitur, tamquam causa cur aliquid suscipiatur, cogitatur, genitivus ad finem designandum potest adhiberi. Familiaris est Tacito haec notionum permutatio. Conf. III 9 et 27 et 41, VI 30, XIII 11. II. IV 25 et 42.

levavitque — pretia frugum: Sueton. Tiber. 52: *quod vero Alexandriam propter immensam et repentinam famem inconsulto se adisset* (Germanicus), *questus est in senatu. Horrea* intellige Romano militi frumento ornata et iubente Germanico ita aperta, ut emptoribus pretio statuto ac modico fruges concederentur.

pedibus intectis et pari cum Graecis amictu: levibus *ὑποδήμασιν* usus est sive soleis, non calceis Romanis, ut maior pars pedum intecta esset, item pallio (*ἱματίῳ*), toga omissa. De Scipionis apud Siculos cultu Livius XXIX 19: *ipsius etiam imperatoris non Romanus modo sed ne militaris quidem cultus iactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio.*

inlustribus: equites censum senatorium (decies sestertii = *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας*) possidentes Augustus a. 742 ab u. ex cetera equitum multitudine secretos honoribus suscipiendis et dignitati, si vellent, senatoriae destinavit (Dio LIV 30), lato clavo senatorum insigni permisso, unde laticlavii

Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis. Sed cura provinciae praetendebatur, levavitque apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, Publii Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, accepimus. Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus, seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris, quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus, insedisset.

60 Sed Germanicus nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido a Canopo. Condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare ter-

4. *amictus* M. *Publ. Scipionis*] *pscipionis* M. 5. *aput* M. 9. *elexandriam* M. *alio* M. 13. *adversum* ductu ambiguo inter *m* et *s* M. 17. *greciam* M.

vel *inlustres*, interdum etiam *insignes* appellari coepti sunt: IV 58, VI 18, XIII 25 (collato Suetonii Nerone 26), XV 28 et 35, XVI 17 (ubi *equites Romani, dignitate senatoria*). *Insignes* habes equites XI 5 et 22, *primores* H. I 4, *splendidos* apud Plin. Ep. VI 15 et 25. Equitum genus vulgarium et illustrium distinguit Dio LV 2: *ὑπὸ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριβῶς τελούντων καὶ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων.* Disputarunt de hoc equitum discrimine Lipsius ad XI 4, Ryckius ad h. l.

seposuit Aegyptum: h. e. *hat Aegypten verschlossen* sive *vereinsamt*, scilicet a frequentia et aditu hominum potentium. Perperam explicat Orellius 'totam Aegypti administrationem *sibi reservavit*', inductus falsa explicatione verborum *domi retinere* H. I 11. De eadem re XII 60. H. III 8 et 48. Strabo XVII 1 12 p. 797. Dio LI 17. Hinc explicandum videtur quod dioecesis Aegyptus post Constantinum Magnum *praefectum Augustalem*, non *vicarium*, ut ceterae dioeceses, et quinque provinciae eius dioecesis *praesides*, sexta *correctorem*, nunquam *consularem* acciperent. Vid. Notit. dign. Orient. cap. 1.

Cap. 60. *orsus oppido a Canopo:* cf. Herodot. II 97. Strabo XVII 1 17: *Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις ἐν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίοις ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πεζῇ ἰοῦσιν, ἐπώνυμος Κανώβου τοῦ Μενελάου κυβερνήτου, ἀποθανόντος αὐτόθι.* Situm est ad Canopicum Nili ostium, de quo Herodotus II 15 et 17 et 113 et 179, Plinius V 11 et 34.

ramque Libyam deiectus est. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent, eosque qui postea pari virtute fuerint in cognomentum eius adscitos; mox visit veterum Thebarum magna vestigia. Et manebant structis molibus litterae Aegyptiae, priorem opulentiam complexae; iussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat habitasse quondam septingenta milia aetate militari, atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya Aethiopia Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha potitum; quasque terras Syri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum hinc Lycium ad mare, imperio tenuisse. Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica quam nunc vi Parthorum aut potentia

1. *delectus* M: emendavit Iac. Gronovius, ante quem auctore Beroaldo *delatus*. *est* additum suasore Pichena. 2. *aput* M. 10. *pactriano* M. *scitha* M. *Suri* M. 11. *bythinum* M. 12. *lycum* M. 14. *epur* M.

inde proximum amnis os dicatum Herculi: Strabo l. c. §. 18: *μετὰ δὲ τὸν Κάνωβόν ἐστι τὸ Ἡράκλειον τὸ Ἡρακλέους ἔχον ἱερόν.*

quem indigenae — adscitos: HerculisAegyptii mentionem faciunt Herodotus II 42—45, Arrianus Exped. Alexandri II 16, Diodorus I 24, Mela III 6.

mox visit veterum Thebarum m. v.: aditam a Germanico Memphim omittit. Plinius VIII 71 (46): *Germanici Caesaris manum aversatus est* (Apis in urbe Memphide) *haud multo postea extincti.* Amm. Marcellinus XXII 14 extr.: *offerentem cibum aliquando Germanicum Caesarem, siculi lectum est, aversatus portenderat paulo post eventura.*

Rhamsen: quae hic noster refert de Rhamse, Herodotus II 102 sqq. et Diodorus I 53 de *Sesostri* praedicant. *Libya Aethiopia, Medisque et Persis:* sic distinguendum. Conf. ad XI 6.

Cap. 61. *Memnonis saxea effigies:* Plinius XXXVI 7 (11): *quem cotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.* Iuvenalis XV 5: *dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae.* Strabo XVII 1 46 p. 816: *πεπίστευται δ' ὅτι ἅπαξ καθ' ἡμέραν ἑκάστην ψόφος, ὡς ἂν πληγῆς οὐ μεγάλης, ἀποτελεῖται ἀπὸ τοῦ μένοντος ἐν τῷ θρόνῳ καὶ τῇ βάσει μέρους· κἀγὼ δὲ παρὼν ἐπὶ τῶν τόπων μετὰ Γάλλου Αἰλίου καὶ τοῦ πλήθους τῶν συνόντων αὐτῷ φίλων τε καὶ στρατιωτῶν περὶ ὥραν πρώτην ἤκουσα τοῦ ψόφου, εἴτε δὲ ἀπὸ τῆς βάσεως, εἴτε ἀπὸ τοῦ κολοσσοῦ, εἴτ' ἐπίτηδες τῶν κύκλῳ καὶ περὶ τὴν βάσιν ἱδρυμένων τινὸς ποιήσαντος τὸν ψόφον, οὐκ ἔχω διισχυρίσασθαι· διὰ γὰρ τὸ ἄδηλον τῆς αἰτίας πᾶν μᾶλλον ἐπέρχεται πιστεύειν ἢ τὸ ἐκ τῶν λίθων οὕτω τεταγμένων ἐκπέμπεσθαι τὸν ἦχον.* Conf. Pausan. I 42 2; ex novis scriptoribus Wilkinson (Topography of Thebes.

61 Romana iubentur. Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens; disiectasque inter et vix pervias arenas instar montium eductae pyramides certamine et opibus regum; lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula; atque alibi angustiae et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.

62 Dum ea aestas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quaesivit inliciens Germanos ad discordias, utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis iuvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, et tunc dubiis rebus eius ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomanorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem inrumpit regiam

7. *penetrabiles* M: corr. Lipsius. 15. *marcomanorum* M, non *Marcomannorum*. 16. *societatatem* M.

Lond. 1835 p. 37), qui Strabonis suspicionem veram esse firmavit.

lacusque effossa humo: lacum Moeridis et similes intelligit: Herodotus II 148 sqq. Plinius V 9. *Lacus* numero multitudinis dictum esse sequens nomen *receptacula* ostendit.

angustiae et profunda altitudo: intellige angustias Nili fluminis et profundam altitudinem: nam Germanicus Nilo subvehitur. Plinius V 10: *postremo inclusus montibus nec aliunde torrentior vectus aquis properantibus ad locum Aethiopum, qui Catadupi vocantur, novissimo cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere.*

quod nunc rubrum ad mare patescit: rubri maris nomine cum duo sinus, et is qui Persicus appellatur, et qui ab Arabia nomen habet, Taciti temporibus comprehenderentur (Plinius VI 28 et 29. Mela III 8), ille hoc loco nonnisi Persicum potest dixisse: nam ad Arabicum sinum etiam Tiberii principatu Augustique Romanorum imperium patuit, ad Persicum demum Traiano imperante (a. 115) promotum est, isque classem ibi constituit quae Arabiam in provinciae formam redactam tueretur. Conf. Prooemium meum c. 15.

Cap. 62. *fracto iam Maroboduo:* fractus est Arminii vi et Cheruscorum: vide c. 44—46.

fines Marcomanorum: Marcomani duce Maroboduo Bohemiae terras olim occupaverant: cf. G. 42. Strabo VII 1 3: *ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς καὶ τὰ τῶν Σοήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπου τὰ τῶν Κολδούων· ἐν οἷς ἐστι καὶ τὸ Βουΐαιμον, τὸ τοῦ Μαροβούδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους.*

inrumpit regiam castellumque iuxta situm: Strabo id castellum *Βουΐαιμον* appellat, Ptolemaeus II

Maroboduus comes to Italy & dies at Ravenna

castellumque iuxta situm. Veteres illic Suevorum praedae, et nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam 63
misericordia Caesaris fuit. Transgressus Danuvium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam praetulisse. Responsum a Caesare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. Ceterum apud senatum disseruit non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium, et quam propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur. Sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdae casus, neque

1. *sueborum* M. 4. *ad* M. *transtulat* M: correxit Ernestius. 5. *morobuduo* pr M, *moroboduo* corr M. *aliut* M. 6. *danuuium* M; perinde mox et 4 5, et sic tituli ap. Orellium Inscr. Lat. n. 648 et 750. 12. *aliut* M. 13. *aput* M. 16. *ei*] *et* M. 18. *si*] *ne si* M: correxit Rhenanus. *suebi* M. *reditus* M: correxit Rhenanus.

11 §. 29 *Μαρόβουδον*, ubi nunc *Budweis* oppidum. Tacitus barbara nómina in rebus minoris momenti libenter omittit. Cf. ad XII 13.

Cap. 63. *celerum apud senatum — consilia extulit:* hinc causa intelligitur cur Velleius Paterculus, insignis ille Tiberii sive admirator sive adulator, cum de ceteris brevi absolveret, de Marobodui rebus ingenioque et copiose et accurate rettulerit II 108—110. Ipse (108) dicit *nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet.*

Vibilio duce: infra XII 29 libri *Vibillius* exhibent, sed a Vibio fit Vibilius, ut a Quinctio Quinctilius, a Publio Publilius, a Terentio *Terentilius*, quam formam pro *Terentillus* Livio restituendam suadet Niebuhrius Hist. Rom. t. II p. 313 n. 634.

Danuvium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur: Maro iam nomen est *March*, Cuso *Waag*. Marus in confinio regni Hungarici et Austriae in Danubium influit, Cusus magis orientem versus Danubio miscetur. De Vannii fato conf. XII 29 et 30. Ab Occidente his Suevis contermini Bastarnae fuere. Plin. N. H. IV 25: *a Maro,*

Rhescuporis & Cotys quarrel. Rh. kills Cotys. He is tried & Thrace subjected to a Roman as guardian of the young princes

aliud perfugium. Pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibilio duce, receptusque Forum Iulium Narbonensis Galliae coloniam mittitur. Barbari utrumque comitati ne quietas provincias immixti turbarent, Danuvium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

64 Simul nuntiato regem Artaxian Armeniis a Germanico datum, decrevere patres ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. Structi et arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Caesarum, laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporim quoque, Thraciae regem, astu adgreditur. Omnem eam nationem Rhoemetalces tenuerat; quo defuncto Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permisit. In ea divisione arva et urbes et vicina Graecis Cotyi, quod incultum ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit; ipsorumque regum ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox avidum et societatis impatiens erat. Sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data, et resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. Enimvero audita mutatione

1. *aliut* M. 2. M *Vibilio*, M[a] 12 29 *Vibillius*. *daice* M. 3. *nequetas* M. 11. *thaeaeciae* M. *regem regem* M. 12. *ea* M. 17. *inpaciens* M. 19. *resistentium facere* M: correxit Rhenanus (non Beroaldus, ut narrat Orellius).

sive Duria est a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos, adversa Bastarnae tenent aliique inde Germani.

Cap. 64. *Rhescuporim:* 'non in alio nomine magis variatum. Dio LIV 34, LV 30' (cf. XLVII 25 et 48) '*Ῥασκύποριν*, Velleius II 129 *Rhascupolin*' (item Appian. B. C. IV 87 et 103 sq.), 'Suetonii optimus in Vaticano codex in Tiber. 37 *Trascypolin*, quomodo et in Livio scriptum leges. Lucanus vocat (V 55) *gelidae dominum Rascipolin orae*'. Lipsius. Oberlinus addidit ex nummo ap. Cary Histoire des rois de Thrace pl. 2 *βασιλέος ῥασκουπόριδος*, ex alio ap. Eckhel. t. II p. 59 *ῥαισκουπόριδος*. Conf. Boeckh. Corp. Inscript. Graec. num. 359 tom. I p. 430.

Thraciae regem: cf. annot. ad II 54. *omnem eam nationem:* pauca repetere supra incipit.

illi mite et amoenum: hinc Ovidius in vicinia regni Cotyani (Tomis) exulans in epistola ad hunc regem missa (ex Ponto II 9) v. 5 dicit: *supplicis exaudi, iuvenum mitissime, vocem*, et v. 64: *eiusdem sacri cultor uterque sumus. Ad vatem vates orantia brachia tendo.* Cf. v. 48—54.

principis immittere latronum globos, excindere castella, causas bello. Nihil aeque Tiberium anxium habebat quam ne 65
composita turbarentur. Deligit centurionem qui nuntiaret regibus ne armis disceptarent; statimque a Cotye dimissa sunt quae paraverat auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat, eundem in locum coiretur: posse de controversiis colloquio transigi. Nec diu dubitatum de tempore loco, dein conditionibus, cum alter facilitate alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adicit, tractaque in multam noctem laetitia per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn et, postquam dolum intellexerat, sacra regni, eiusdem familiae deos et hospitalis mensas obtestantem catenis onerat. Thraciaque omni potitus scripsit ad Tiberium structas sibi insidias, praeventum insidiatorem; simul bellum adversus Basternas Scythasque praetendens, novis peditum et equitum copiis sese firmabat. Molliter rescriptum, si fraus abesset, posse eum innocentiae fidere; ceterum neque se neque senatum nisi cognita causa ius et iniuriam discreturos: proinde tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis. Eas litteras Latinius Pandus 66
pro praetore Moesiae cum militibus quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus, maluit patrati quam incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet, mortemque sponte sumptam ementitur. Nec tamen

1. *inm.* M. 2. *amxium* vel *anixium* pr M. 7. *conl.* M. 8. *condicionibus* h. l. Or. 9. *rhescupores* M. 14. *scribsit* M. 15. *Basternas* M, non *Bastarnas*, ut Rhenanus. 21. *cotyis* M. 22. *thraciam* M, non *Thraeciam*. 23. *coty* cum lin. M.

causas bello: vid. dicta ad I 27 et 3.

Cap. 65. *de tempore loco, dein conditionibus:* v. ad XI 6.

Cap. 66. *Latinius Pandus pro praetore Moesiae:* hinc discimus Poppaeum Sabinum, cui sub finem anni a Christo 15 provinciam Moesiam additis Macedonia et Achaia prorogatam legimus (I 80), Moesiae administratione ante annum 19 solutum esse. Idem tamen Macedoniae Achaiaeque diu posthac praeesse perrexit: v. V 10, VI 39. Post Pomponium Flaccum Pomponius Labeo Moesiae praepositus est: IV 47.

Cap. 67. *praesidia Romana:* dicit castra aut oppida, in quibus praesidia militiae Romanae: in Moesia enim duae legiones erant: IV 5. *monendo suadendo:* contraria ἀσυνδέτως iuncta sunt et iungenda: v. ad XI 6.

Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pando,
quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum
veterem stipendiis et arta cum rege amicitia, eoque accom-
modatiorem ad fallendum, ob id maxime Moesiae praefecit.
67 Flaccus in Thraciam transgressus per ingentia promissa quam-
vis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit ut praesidia
Romana intraret. Circumdata hinc regi specie honoris valida
manus tribunique et centuriones, monendo suadendo, et quanto
longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum
necessitatis in urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore
Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in
Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum con-
stabat, inque liberos Cotyis dividitur; iisque nondum adultis
Trebellienus Rufus praetura functus datur, qui regnum interim
tractaret, exemplo quo maiores Marcum Lepidum Ptolemaei
liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexan-
driam devectus, atque illic fugam temptans, an ficto crimine,
68 interficitur. Per idem tempus Vonones, quem amotum in
Ciliciam memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios,
inde in Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem
Scytharum conatus est. Specie venandi omissis maritimis
locis avia saltuum petiit, mox pernicitate equi ad amnem
Pyramum contendit, cuius pontes accolae ruperant audita

1. *padusa* M. 5. *thraciam* M, sed mox *Thraecia*, ut videtur propter silentium Baiteri. 7. *hinc regi*] *in gregi* M: correxit Beroaldus. *speciae* M. 10. *accussatus* M. 11. *cotys* M. 13. *inqui* M. *cotys* M. 14. *trebellenus* M. incorruptam nominis formam servavit M 3 38, 6 39. 15. *M.* M. *ptolemei* M. 22. *equi edamnem* M.

M. Lepidum: cf. Iustinus XXX 2 et 3. Valerius Max. VI 6 1. Ptolemaeus ille *Epiphanes* fuit, mortuus a. u. 573. 'Exstat denarius cum capite feminili turrito subscripto ALEXANDREA: in parte adversa: M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. S. C. Ackermann I p. 20; cfr. Champollion-Figeac Annales des Lagides. Paris 1819. II p. 130'. ORELLIUS.

Cap. 68. *Vonones:* probrum ex Vononis fato principi Tiberio ingerit Suetonius saepe nimius in vituperando Tiber. 49: *sed et Vononem Parthorum regem, qui pulsus a suis quasi in fidem populi Romani cum ingente gaza Antiochiam se receperat, spoliavit perfidia et occidit* Quanto melius de Vonone hic noster II 2—4 et 58, denique hoc loco.

amnem Pyramum: hunc Ciliciae amnem describit Strabo XII 2 4, memorat Mela I 13, Plinius V 22 (27), Stephanus s. v.

regis fuga: neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone praefecto equitum vincitur, mox Remmius evocatus, priori custodiae regis adpositus, quasi per iram, gladio eum transigit. Unde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam.

At Germanicus Aegypto remeans cuncta quae apud le- 69
giones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit. Hinc graves in Pisonem contumeliae; nec minus acerba, quae ab illo in Caesarem temptabantur. Dein Piso abire Syria statuit. Mox adversa Germanici valitudine detentus, ubi recreatum accepit votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. Tum Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem quae rursum Germanico acciderat. Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabo obliti, aliaque maleficia quis creditur animas numini-

6. *aput* M. 10. *Suria* hic et mox M. 14. *degreditur* M: correxit Lipsius. *operiens* M. 16. *repperiebantur* M. 19. *tabo* Lipsius: M *tabe*. *malefica* M: correxit Beroaldus.

praefecto equitum: quemadmodum leves sociorum cohortes praefecti ducebant (de his v. ad XII 35), sic quoque alis equestribus auxiliarium praefecti praeerant, ut praefectus *equitum* h. l. idem sit atque *alae praefectus*. Duces illi sociorum a principe destinabantur: Sueton. Aug. 38: *militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum sed et praefecturas alarum dedit*.

Cap. 69. *Seleuciam digreditur:* h. e. e Germanici vicinia discedit. Germanicus prope Antiochiam Epidaphnae aegrotabat. Vide II 83. Est Seleucia ad Orontem, urbs Syriae non procul a Cilicia. Strabo XIV 4 20, XVI 2 8.

et reperiebantur — sacrari: diligenter ac dextre nefariae superstitionis tentamina Tacitus enumerat, ut veneni accepti persuasionem non omnino vanam fuisse ostendat: nam qui haec moliri non erubescebant, iidem a veneno minus etiam abhorruere. De vi particulae *et* dictum ad H. V 22. Alterum eiusdem sceleris indicium fuit amicorum Pisonis adversa aegrotantis Germanici rimantium inquisitio; tertium c. 70 memoratur, quartum 74.

plumbeis tabulis insculptum: conf. Dio LVII 18: ὀστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει κατορωρυγμένα, καὶ ἐλασμοὶ μολύβδινοι ἀράς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες, ζῶντος ἔθ᾽ εὑρέθη. Eiusmodi magicas defixiones memorat Plato in Civitate II p. 364 C, Legibus XI p. 933

bus infernis sacrari. Simul missi a Pisone incusabantur ut
70 valitudinis adversa rimantes. Ea Germanico haud minus ira
quam per metum accepta. Si limen obsideretur, si effunden-
dus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miser-
rimae coniugi, quid infantibus liberis eventurum? Lenta videri
veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones
solus habeat. Sed non usque eo defectum Germanicum,
neque praemia caedis apud interfectorem mansura. Componit
epistulas quis amicitiam ei renuntiabat. Addunt plerique ius-
sum provincia decedere. Nec Piso moratus ultra navis solvit;
moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors
71 Germanici Syriam aperuisset. Caesar paulisper ad spem
erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes ami-
cos in hunc modum adloquitur: 'si fato concederem, iustus
mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus
liberis patriae intra iuventam praematuro exitu raperent.
Nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces
pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri quibus
acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miser-

8. *aput* M. 10. *Piso*] *ipso* M. *maratus* M. 11. *quo* Lipsius: M *qui*. 18. *fatri* M. 19. *accerb.* M.

A. Titulos ex tabulis sive laminis plumbeis, abiectae superstitionis documentis, descriptos legimus apud Boeckhium Corp. Inscript. Graec. tom. I n. 538 et 539; cf. Franzii Elem. Epigraphices Gr. p. 168 sq.

semusti cineres: 'intellige membra cadaverum ex igne rapta antequam comburerentur; hinc tabo oblita'. Waltherus.

tabo obliti: Lipsius vere commendavit *tabo; tabum* enim liquor corruptus est et infectus, veluti sanies et sanguis putrefactus, *tabes* morbus qui tabescere facit. H. II 70: *infecta tabo humus.* H. III 35: *noxia tabo humus. Tabem* morbum Tacitus habet I 53, XI 6, XII 50, H. I 26, IV 81, V 3. *aliaque maleficia:* h. e. aliaque male adhibita; vox *malefica*, ut est in codice, significaret tentamentis illis vim maleficam et perniciosam fuisse, idque Tacitum agnoscere non voluisse recte monuit Orellius.

Cap. 70. *haud minus ira quam per metum:* irascebatur ob ea quae Piso amicique in se ausi sunt, timebat coniugi et liberis, quos se extincto Pisonis superbiae expositos animo praevidebat.

moderabaturque cursui — Syriam aperuisset: hoc est tertium argumentum quoddam (vid. ad c. 69), unde suspicio veneno Pisonem in Germanicum grassatum esse. De *moderabaturque* scribit Ernestius: '*que* h. l. commode capias adversative, pro *sed*'. Adversandi vis non inest in coniunctione, inest in ipsa verbi notione.

Cap. 71. *parentibus:* parentes dicit Antoniam matrem et principem patrem adoptivum, quem statim

rimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrimabunt quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit, meminisse, quae mandaverit, exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque coniugem meam; numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit; fingentibusque scelesta mandata aut non credent homines aut non ignoscent.' Iuravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros. Tum ad uxorem versus per me- **72**
moriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores inritaret. Haec palam, et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum. Indoluere exterae nationes reges-

2. *propinquos* M. 4. *superstiten* M. 5. *aput* M. 6. *quaestu* M. 7. *exs.* Or. 15. *exsueret* M. 16. *saeulenti* M. *summ.* M. 18. *ostender* M. 19. *cumiacentium* M: correctum in Alciatina.

patrem nominat. *patri ac fratri:* ex ceteris propinquis unum Tiberium et Drusum appellat, ut qui ultionem exequi facillime possent, reticet Claudium fratrem qui privatus erat et imminuta mente. *aut non ignoscent:* ista mandata non eam vim habebunt, ut qui eis obsecuti sunt poenis non ulciscendi videantur. Est specimen Tacitinae brevitatis.

Cap. 72. *exueret ferociam — validiores inritaret:* quasi vates animo praesentit quae mox evenerunt: moribundi enim fere acrius vident res mortalium et vere loquuntur. Tacitus autem lectorem iam praeparat ad ea quae tristia acciderunt Agrippinae animi ferocia fatum provocanti et liberis eius imprudentia aetatis in insidias ruentibus.

invidiam et adrogantiam effugerat: iunge *visuque et auditu iuxta venerabilis invidiam et adrogantiam effugerat:* interpositum *cum* (= *quamvis*) *magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret* rarum temperamentum hominis excelsi boni que ostendit. Effigies Germanici et Agrippinae in Visconti Iconogr. Rom. tab. XXIV sq. Ceterum laus Germanici quamvis paucis verbis absoluta praeclarum huius libri ornamentum est. Eius casus gravitatem Tacitus ita expressit, ut quomodo provinciae et populi circumiacentes, exterae nationes regesque, tum Romanorum

que: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogan-
73 tiam effugerat. Funus sine imaginibus et pompa, per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant qui formam aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum in quibus interiit, magni Alexandri fatis adaequarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse, neque minus proeliatorem, etiamsi temeritas afuerit praepeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quodsi solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. Corpus antequam cremaretur nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa, parum constitit. Nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.

2. *venerabiles* M. 12. *afuerit praepuditusque* M. 13. *seritilio praemere* M. 20. *interpraetantur* M: correxit Beroaldus.

animi commoti sint, accurate exequatur. Cf. Germanici laudes apud Dionem LVII 18, Suetonium Calig. 3 sqq.

Cap. 73. *formam aetatem, genus mortis:* v. ad XI 6. Cf. quod statim sequitur *clementia temperantia, ceteris bonis artibus.*

qui locus sepulturae destinabatur: Germanicus in foro Antiochensium sepultus dicitur, quia ibi κενοτάφιον ei extructum erat. Cf. infra c. 83: *sepulcrum Antiochiae, ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat.* Cineres mariti Romam secum tulit Agrippina ibique condidit: III 1 et 4.

parum constitit: h. e. *non satis constitit.* Notae et argumenta nimis incerta fuere. Rumores ab accusatoribus in Pisonem sparsos non curavit providus hic rerum scriptor. Conf. Plin. XI 71: *cor negatur cremari posse in iis qui cardiaco morbo obierint, aut veneno interemptis. Certe extat oratio Vitellii, qua reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc usus argumento, palamque testatus non potuisse ob venenum cor Germanici Caesaris cremari.* Eo fonte usus Sueton. Calig. 1: *nam praeter livores qui toto corpore erant et spumas quae per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est; cuius ea natura existimatur, ut tinctum veneno confici nequeat.*

diversi interpretabantur: Waltherus Medicei scripturam defendere conatus est referendo verbum *in-*

Consultatum inde inter legatos quique alii senatorum 74
aderant, quisnam Syriae praeficeretur. Et ceteris modice ni-
sis, inter Vibium Marsum et Gnaeum Sentium diu quaesitum:
dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit. Isque
infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percaram,
nomine Martinam, in urbem misit, postulantibus Vitellio ac
Veranio ceterisque qui crimina et accusationem tamquam
adversus receptos iam reos instruebant. At Agrippina, quam- 75
quam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen quae
ultionem morarentur, intolerans, ascendit classem cum cineri-
bus Germanici et liberis, miserantibus cunctis quod femina
nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter vene-
rantis gratantisque aspici solita, tunc feralis reliquias sinu
ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate for-
tunae totiens obnoxia. Pisonem interim apud Coum insulam
nuntius adsequitur excessisse Germanicum. Quo intemperan-
ter accepto caedit victimas, adit templa, neque ipse gaudium
moderans, et magis insolescente Plancina, quae luctum amis-
sae sororis tum primum laeto cultu mutavit. Adfluebant 76
centuriones, monebantque prompta illi legionum studia: repe-
teret provinciam non iure ablatam et vacuam. Igitur quid
agendum consultanti Marcus Piso filius properandum in urbem
censebat: nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones
imbecillas aut inania famae pertimescenda. Discordiam erga

2. *modicensis* M: correxit Beroaldus. 3. *CN.* M. 7. *accussat.* M. 12. *venerantes gratantisque* M. 15. *aput* M. 21. *non*] *con* M. 22. *M.* M. 24. *inb.* M.

terpretantur ad scriptores, qui Germanici Tiberiique aevo eam rem commemoraverunt. Tacitum autem haec non de rerum scriptoribus sed de amicis et comitibus Germanici ac Pisonis intelligi velle cum sententiarum nexus tum praecedens *constitit* declarat. De locutione *diversi interpretabantur* dictum ad II 10.

Cap. 74. *inter legatos:* accipe singularum legionum duces ex ordine senatorio ac plerumque ex praetoriis a principe lectos. Inde pergit *quique alii senatorum aderant.* — *qui crimina et accusationem — instruebant:* vid. ad XIV 11.

Cap. 75. *infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia:* quae c. 72 significata sunt a Germanico moriente, ea ab amicis Agrippinae quodammodo confirmantur. Sed liberi matrem Agrippinam fortunae saepius obnoxiam fecerunt in tanta suspicacis Tiberii aemulatione, etiam ob fati casus ac mortes.

Germanicum odio fortasse dignam, non poena; et ademptione provinciae satisfactum inimicis. Quodsi regrederetur, obsistente Sentio civile bellum incipi; nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria et penitus infixus in Caesares amor praevaleret.

77 Contra Domitius Celer, ex intima eius amicitia, disseruit, utendum eventu: Pisonem, non Sentium Syriae praepositum; huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas. Si quid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum eo qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit? Relinquendum etiam rumoribus tempus quo senescant: plerumque innocentes recenti invidiae impares. At si teneat exercitum, augeat vires, multa, quae provideri non possint, fortuito in melius casura. 'An festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? Est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto; et perisse Germanicum

78 nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur.' Haud magna mole Piso, promptus ferocibus, in sententiam trahitur, missisque ad Tiberium epistulis incusat Germanicum luxus et superbiae; seque pulsum, ut locus rebus novis pateficret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse. Simul Domitium impositum triremi vitare litorum oram praeterque insulas lato mari pergere in Syriam iubet. Concurrentes de-

4. *aput* M. 9. *eo* editor: deest Mediceo. 10. *man* (in fine versus) *mandata* M. 16. *primorum ore* M. 23. *inp.* M.

Cap. 76. *adfluebant centuriones:* cogita ex legionibus Syriacis centuriones comperta Germanici morte ad Pisonem festinavisse.

Cap. 77. *ius praetoris:* dicit id iuris quod in urbe praetor exerceat, h. e. munus propraetoris. Conf. annot. ad I 74.

eo qui — acceperit: eo a me interpositum in libro M post *oppositurum* evanuit absorptum ab antegressa syllaba *rum*. Orellius dum huic voculae post *arma* locum concedere inclinat, non reputavit ibi parum Latine poni eam posse. Idem tamen suasit etiam Bezzenberger. Pichena *quam* scripsit pro *quem*, ante hunc erat *quam qui*, item ex correctione. Sic statim *quam qui maxime laetantur.* III 18: *quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.*

propria mandata: intelligas ipsius principis mandata: is enim suo arbitrio legatos mittebat in Caesaris provincias, et eiusmodi Syria erat. Ex contrario cogitatur Sentius a Germanici amicis destinatus.

Cap. 78. *litorum oram: litus* est terra mari proxima, *ora* margo

sertores per manipulos componit, armat lixas, traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium intercipit, regulis Cilicum ut se auxiliis iuvarent scribit, haud ignavo ad ministeria belli iuvene Pisone, quamquam suscipiendum bellum abnuisset. Igitur oram Lyciae ac Pamphyliae 79
praelegentes, obviis navibus quae Agrippinam vehebant, utrimque infensi arma primo expediere: dein mutua formidine non ultra iurgium processum est, Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. Ille eludens respondit adfuturum, ubi praetor, qui de veneficiis quaereret, reo atque accusatoribus diem praedixisset. Interim Domitius Laodiciam urbem Syriae adpulsus, cum hiberna sextae legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato praevenitur. Id Sentius Pisoni per litteras aperit, monetque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello temptet. Quosque Germanici memores aut inimicis eius adversos cognoverat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens, et rem publicam armis peti; ducitque validam manum et proelio paratam. Nec Piso, quamquam coepta 80

1. *conp.* M. 4. *ignovo* M. *minesteria* M. 8. *vibimus* M, *Vibinus* Beroaldus: correxit Rhenanus. *nutiavit* M. 11. *praedixisset* Beroaldus: M *prodixisset.* 12. *Laodiciam*, non *Laodiceam.* *Syriae* M, supra aliquoties *Suria.* *apulsus* M. *legiones* M.

quo terra ab aqua separatur (*Uferrand der Küste*). Huic opponitur *latum mare.* *vexillum tironum:* v. ad I 38.

Cap. 79. *praetor qui de veneficiis quaereret:* actio veneficii, si viri primarii eius criminis rei arcesserentur, non a praetore et iudicibus in foro, ut libera civitate, sed in curia apud patres praesente principe tractabatur. Conf. III 12, I 75. Piso igitur dum haec iactat eludens, et crimen ab accusatoribus iactatum vanum esse nec timendum sibi professus est et se probe scire significavit a praetore illam actionem sibi intendi non posse. Conf. Walchius ad Agricol. p. 158.

diem praedixisset: sive prudenter sive casu et invitus expressit Beroaldus vulgatam (*praedixisset*) ab Orellio infeliciter ad codicis fidem in *prodixisset* mutatam, vera est scriptura Beroaldi: nam *prodicere diem* in litibus est *diem dictam proferre*, idque ab hoc loco prorsus alienum. Cf. Liv. II 61: *ut diem ipsi* (Ap. Claudio) *sua voluntate prodicerent* (tribuni); — *ante tamen quam prodicta dies veniret, morbo moritur.* Idem III 57: *tribunus ei diem prodixit.* VI 20: *prodicta die in Poetelium lucum — concilium populi indictum est.* Cum primum *dicta dies* est, tribuni Manlii damnationem perficere non potuere; itaque reo *diem prodixerunt.* XXV 13: *alia prodicta dies.* XXXVIII 51: *orationibus in noctem perductis prodicta dies est.* Ubi est *ante*

secus cadebant, omisit tutissima e praesentibus, sed castellum Ciliciae munitum admodum, cui nomen Celenderis, occupat. Nam admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis, auxilia Cilicum, quae reguli miserant, in numerum legionis composuerat. Caesarisque se legatum testabatur provincia, quam is dedisset, arceri non a legionibus (earum quippe accitu venire) sed a Sentio privatum odium falsis criminibus tegente. Consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum, si iure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent. Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo et derupto; nam cetera mari cinguntur. Contra veterani ordinibus ac subsidiis instructi; hinc militum, inde locorum asperitas: sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia, ad subitum usum properata. Ut venere in manus, non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur: vertunt terga Cilices, seque castello claudunt.

81 Interim Piso classem haud procul opperientem adpugnare frustra temptavit; regressusque et pro muris, modo semet

1. *fecus* M. *tutissisima* M. 2. *Celenderis* Beroaldus: M *Celendris*. 6. *provinciam* M: correxit Rhenanus (non Beroaldus, ut narrat Orellius). *quam is* M, non *quamvis* admissum a Beroaldo, proprio iudicio correctum a Rhenano. 8. *aciae* M. 15. *ad*] *aut* M: correxit Beroaldus. *venire* M: tacite correxit Rhenanus. 17. *enim terentur* M: correxit Beroaldus. *scilices* M, *s* finale ex corr.; videtur fuisse *t*. 18. *operientem* M. *adp*. M, non *app*.

dicere, id quod in Taciti verbis manifeste requiritur, dies *praedicitur*, non *prodicitur;* Tacit. II 6: *insula Batavorum in quam convenirent praedicta.*

Cap. 80. *Celenderis*: apud Strabonem XIV 5 3 et Apollodorum III 14 3 et Iosephum Ant. XVII 5 §. 1 atque B. Iud. I 31 §. 3 et Ptolemaeum V 8 §. 3 *Κελένδερις*, apud Plinium H. N. V 22 (27) *regio Celenderitis cum oppido;* in nummo apud Pelerin. Asiae tab. 73 *KEΛENΔEPITων*; apud Melam I 13 *Celendris* legitur, idque non vere Iosepho tribuit Lipsius aliosque decepit.

pro munimentis castelli est *in primis munimentis castelli;* nam in munimentis ipse *collis arduus et deruptus*, in quo Pisonis milites, referendus est. Itaque *pro munimentis* idem est quod *in primis munimentis* vel *in prominenti munimentorum* (*vorn auf den Schanzen*). Cf. II 13, XII 33. Sic paulo post (c. 81) et XIV 25 et H. III 31 *pro muris* est *in muris* (*am Rande der Mauern*). Cf. XII 29 et XV 3 *pro ripa*, XIV 30 *pro litore*, H. I 36 et II 26 et Agr. 35 *pro vallo*.

Cap. 81. *adpugnare:* perapte Tacitus hoc verbo proprio ei, ut videtur, usus est, ut significaret

adflictando, modo singulos nomine ciens, praemiis vocans, seditionem coeptabat; adeoque commoverat ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubasque, et peti aggerem, erigi scalas iussit, ac promptissimum quemque succedere, alios tormentis hastas saxa et faces ingerere. Tandem victa pertinacia Piso oravit uti traditis armis maneret in castello, dum Caesar, cui Syriam permitteret, consulitur. Non receptae conditiones, nec aliud quam naves et tutum in urbem iter concessum est.

At Romae, postquam Germanici valitudo percrebruit, 82
cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor ira; et erumpebant questus. Ideo nimirum in extremas terras relegatum, ideo Pisoni permissam provinciam; hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones. Vera prorsus de Druso seniores locutos: displicere regnantibus civilia filiorum ingenia, neque ob aliud interceptos quam quia populum Romanum aequo iure complecti, reddita libertate, agitaverint. Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto

2. *legionis uocans sextae* M. 6. *pertinatia* M. 7. *utiraditis* M. *Syriam* M, non *Suriam*. 8. *aliut* M. 10. *percrebuit* M; cf. ad XII 6. 11. *cunctique* M. *adferaebantur* (litterae *a* et *ur* punctis subnotantur) M. 12. *quaestus* M. 16. *aliut* M.

pugnam non reapse et serio commissam sed experiendi gratia tentatam. Conf. IV 48: *igitur hostes incuria eorum comperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamori telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet.* XV 13: *eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum modo castellum, quo imbellis aetas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in proelium eliceret.*

peti aggerem: agger est corona munimentorum et murorum quibus castellum cinctum erat. Sic infra (XIV 25) *munimenta aggeris.* Freinshemius *aggerem* eodem modo dictum accipit quo I 65, ubi *petendus agger*, ut sit terra et caespites, quam explicationem Waltherus ita adoptavit, ut terrae materiam non ad extruendum aggerem sed ad explendam fossam muris circumdatam intelligeret.

dum Caesar — consulitur: haec dicta sunt extra sermonis pendentis et obliqui tenorem.

Cap. 82: *clauderentur domus:* intelliguntur domus potentium ac divitiis vigentium. Conf. ad I 73.

et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent: neque positum est pro *ne — quidem*, licentia apud scriptores post Augusti aetatem pervulgata. Conf. III 17: *patris quippe iussa nec potuisse filium*

iustitio desererentur fora, clauderentur domus. Passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem; et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant. Forte negotiatores, vivente adhuc Germanico Syria egressi, laetiora de valitudine eius attulere. Statim credita, statim vulgata sunt. Ut quisque obvius, quamvis leviter audita in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt. Cursant per urbem, moliuntur templorum fores. Iuverat credulitatem nox et promptior inter tenebras adfirmatio; nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent.
83 Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit. Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur; sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceae coronae statuerentur; ludos circenses eburna effigies praeiret; neve quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Iuliae, crearetur. Arcus additi Romae et apud ripam Rheni et in monte Syriae Amano, cum inscriptione rerum gestarum ac mortem ob rem publicam obisse; sepulcrum Antiochiae,

3. *merebant* M. 5. *eius*] *ius* M. 8. *templores* M. *fores* M, non *flores*. *iuverat* editor: M *iuvat*, Lipsius *iuvit*. 10. *falsi* M: correxit Beroaldus. 13. *saltari* M. 14. *austalium* M. 17. *aput* M. 18. *amono* M: correxit Beroaldus. 19. *sepulchrum* M.

detrectare. 29: *sed neque tum fuisse dubitaverim.* XII 43: *nec nunc infecunditate laboratur.* G. 6: *sed nec variare gyros in morem nostrum docentur.* V. Madvigii excurs. III ad Cic. de Fin. p. 816.

moliuntur templorum fores: non de ianuis effractis sed de conamine tantum dicta sunt (*sie legen Hand an die Thüren der Tempel*). Suetonius de hac re in Calig. 6: *passim cum luminibus et victimis in Capitolium concursum est, ac paene revulsae templi fores, ne quid gestientes vota reddere morarentur.*

iuverat credulitatem nox — nec obstitit: postquam laetitiam noctis et urbis motum descripsit, ad tempus proxime subsecutum delatus narrat *iuverat — nox*, tum *nec obstitit*, componens praeterita et consequentia. Recte igitur ex Medicei *iuvat* elicui *iuverat*: Lipsii *iuvit* etiam hinc minus habet commendationis, quod *a* et *i* non tam facile et saepe mutantur, quam mediae syllabae in M omittuntur.

Cap. 83. *honores — decreti:* eius senatus consulti aeneis tabulis insculpti reliquias Fea evulgavit in libro cui index Frammenti di fasti consolari e trionfali p. XVI. Conf. Niebuhrius Museo Rhen. t. I p. 349—354.

sedes curules: 'Germanico decretae eiusmodi [auratae] curules sedes per trina, ut opinor, theatra inter sacerdotum Augustalium [cf. I 54] sedes; et coronae in iis e quercu, ob cives scilicet servatos'.

ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. Cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, adseveravit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur. Equester ordo cuneum Germanici appellavit, qui iuniorum dicebatur; instituitque uti turmae Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. Pleraque manent: quaedam statim omissa sunt, aut vetustas oblitteravit. Ceterum recenti adhuc 84
maestitia soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virile secus simul enixa est. Quod rarum laetumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit quin iactaret apud patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam. Nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

1. *epidaphene* M. *locum* M. 2. *colerentur* M, non *coleretur*. 3. *clipeos* M. 4. *adseravit* M: correxit Iac. Gronovius, ante quem *adseruit*. 7. *cumeum* M. 10. *obliteravit* M. 11. *virile secus* Iac. Gronovius: M *viriles sexus*, Beroaldus *virilis sexus*, et ita vulgo. 14. *aput* M.

Lipsius. Conf. Liv. II 31. Dio XLIV 6, LIII 30, LVIII 4, et idem a Xiphilino excerptus LXXIV 4.

inter auctores eloquentiae: ipsius Germanici effigiem clipeo ornatam et in bibliotheca Palatina positam cogitare debemus. Cf. ad II 37. Suetonius (Calig. 3) Germanico tribuit *ingenium in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens*. Ac paulo post: *oravit causas etiam triumphalis*; *atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comoedias Graecas*. Hinc Ovidius in prooemio Fastorum ad Germanicum v. 21: *quae sit enim culti facundia sensimus oris, civica pro trepidis cum tulit arma reis. Scimus et, ad nostras cum se tulit impetus artes, ingenii currant flumina quanta tui.* Idem ex Ponto IV 8 67: *non potes officium vatis contemnere vates; iudicio pretium res habet ista tuo.* Interpretationem carminis Aratei Latinam non hic Germanicus, sed Domitianus cognomine Germanicus composuit. Sic vere statuit Rutgersius Var. Lect. III p. 276, ut mihi videtur, quamvis alii aliter iudicent, veluti M. Hertzius *de P. Nigidii Figuli studiis atque operibus* p. 39. Patrem Vespasianum in Arateis dicit Domitianus v. 2: *carminis at nobis, genitor, tu maximus auctor*, luculentius autem in his (v. 5 et 9—10): *quantum etenim possent anni certissima signa, si non parta quies, te praeside, puppibus aequor cultorique daret terras, procul arma silerent.* Haec Germanico, cui Drusus genitor, post Tiberius adoptione pater, non conveniunt. Conf. annot. ad H. IV 86.

85 Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coërcita, cautumque ne quaestum corpore faceret cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset. Nam Vistilia praetoria familia genita licentiam stupri apud aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Exactum et a Titidio Labeone Vistiliae marito, cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset. Atque illo praetendente sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse, satius visum de Vistilia statuere; eaque in insulam Seriphon abdita est. Actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis; factumque patrum consultum ut quattuor milia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis et, si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum; ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.

2. *questum* M. 4. *aput* M. 6. *inp.* M. *exacta* M: correxit Vertranius. 7. *uistilie* M. 8. *omississet* M. 10. *satius* editor: vulgo *satis*, M *sitis*. 16. *exsuissent* M.

Cap. 84. *duos virile secus simul enixa est:* unus ex his superfuit usque ad principatum Gai Caesaris, abs quo sublatus est. Vid. VI 46. Sueton. Calig. 15 et 23. Dio LIX 8. Alter ex geminis mortuus est Tiberio superstite: Tacit. IV 15. In scriptura libri M *viriles sexus* littera sibilans perperam repetita alterum vitium *sexus* pro *secus* procreavit. Conf. IV 62: *adfluxere avidi talium, — virile ac muliebre secus.* H. V 13: *multitudinem obsessorum —, virile ac muliebre secus, sexcenta milia fuisse accepimus.*

Cap. 85. *eodem anno:* ad finem anni accedit: v. annot. ad I 53, III 2. *ultionem legis:* maritus coniugem adulterii manifestam aut privato propinquorum iudicio punire aut ultionem legis Iuliae de adulteriis publico iudicio poscere potuit. Hoc alterum cur facere omiserit, Labeo interrogatur. De *necdum* posito pro *nondum* cf. ad H. I 31.

satius visum: cum Labeonis excusatio parum iusta videretur, patres de Vistilia adultera statuere quam hominis incuriosi ac tardi ultionem expectare malebant. Itaque non *satis visum*, ut vulgo legitur, sed *satius visum* esse debuit. Si quis existimaverit hoc dicere Tacitum, in responsione Labeonis *satis causae* agnovisse patres cur de Vistilia statuerent, moneo hoc efferendum fuisse *id satis visum ut de Vistilia statuerent.* Vitium ex compendio perperam resoluto natum est.

in insulam Seriphon abdita est: haec Iuliae legis poena fuit: v. ad II 50.

quattuor milia libertini generis: Ioseph. Ant. XVIII 3 §. 5. Sueton. Tiber. 36: *Iudaeorum iuventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris caeli distribuit.* Conf. Seneca Epist. 108 §. 21.

Post quae rettulit Caesar capiendam virginem in locum Occiae, 86
quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia
Vestalibus sacris praesederat; egitque grates Fonteio Agrippae
et Domitio Pollioni, quod offerendo filias de officio in rem
publicam certarent. Praelata est Pollionis filia, non ob aliud
quam quod mater eius in eodem coniugio manebat; nam
Agrippa discidio domum imminuerat. Et Caesar quamvis
posthabitam decies sestertii dote solatus est. Saevitiam an- 87
nonae incusante plebe, statuit frumento pretium quod emptor
penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in
singulos modios. Neque tamen ob ea parentis patriae dela-
tum et antea vocabulum adsumpsit, acerbeque increpuit eos
qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant. Unde
angusta et lubrica oratio sub principe qui libertatem metuebat,
adulationem oderat.

Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum 88
Adgandestrii principis Chattorum lectas in senatu litteras, qui-

4. *comicio* M. 5. *polionis* h. l. M. *aliut* M. 9. *praetium* M. 12. *adsumsit* M. 16. *aput* M.

Cap. 86. *capiendam virginem:* conf. Gell. I 12 13: *capi autem virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa ab eo parente in cuius potestate est, veluti bello capta, abducitur.* Tacit. XVI 22: *defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.* *decies sestertii dote:* v. ad II 33.

Cap. 87. *divinas occupationes:* Sueton. Tiber. 27: *alium dicentem 'sacras eius occupationes', et rursum alium auctore eo senatum se adisse, verba mutare et pro auctore suasorem, pro sacris laboriosas dicere coegit.* Vides, lector, antiquum esse fontem et originem eius mali, quo post Diocletianum et Constantinum omnia principum *sacra* et *divina* vocantur. Cf. I 72. Sueton. l. c. 26 et 67. Dio LVII 8, LVIII 12.

Cap. 88. *apud scriptores senatoresque:* adiuncto *senatoresque* ordo scriptorum declaratur. Theodisce converte: *ich lese bei Schriftstellern und zwar Senatoren.* Senatus acta significata esse non credo: ea enim ab uno senatore quem Caesar delegisset conficiebantur (V 4), eaque dilucidius XV 74 his verbis attulit: *reperio in commentariis senatus.*

priscis imperatoribus: C. Fabricio iterum consuli a. 476: Liv. Epitoma 13 et XXXIX 51. Cic. Off. III 22. Valer. Max. VI 5 1. Florus I 18. Plutarchus Pyrrho 21. Gellius III 8. Numerus multitudinis imperatores magno animo praecellentes generatim denotat.

liberator haud dubie Germaniae — recentium incuriosi: est clausula libri tam generosi spiritus scriptore dignissima, lumen inextinctum et clare splendens magni hominis et acerrimae gentis, nobis Germanis non gemmis venale nec auro.

bus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur; responsumque esse non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. Ceterum Arminius abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum adfectans libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniae, et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. Septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit, caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

1. *armenii* M. 5. *pyrrum* M. 6. *armenius* M. 9. *haudubie* M. 13. *aput* M. *FINIT LIBER II. P. CORNELY* ⁝ *INCIPIT LIBER III. FELICITER* M.

proeliis ambiguus, bello non victus: multo minor laus est, quam Pyrrho tribuit Livius: *Pyrrhus unicus bellandi artifex, magisque in proelio quam in bello bonus.* Conf. Niebuhrius in Historia Rom. III p. 539. *Bellum* et *proelium* perinde composita XII 39. G. 30. *celebris:* eadem nominis masculini forma XIII 47, XIV 19.

LIBER TERTIVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—30. Anni novi principio cum Germanici reliquiis Agrippina coeptum iter perficit, Brundusium, dein Romam venit. Germanico iusta persolvuntur, cineres Augusti tumulo inferuntur (1—6). Gnaeus Piso cum in urbem redisset, veneni accusatus est, et causa apud patres quaesita cum infesta et infensa offenderet omnia, sua manu iudicium praevenit. Uxor eius absoluta est, liberi ignominiae exempti (7—19).

Sequuntur res externae. Bellum in Africa renovatum a Tacfarinate, a L. Apronio repressum (20—21). Ad domestica reversus rerum scriptor Lepidae delationem exequitur, et quomodo Silanus Iuniae familiae redditus sit (21—24). Lex Papia Poppaea asperius exercita mollitur, qua occasione de legibus et legum latoribus in universum (25—28). De Neronis Germanici filii aetate maximi primis honoribus et favore apud plebem. Fine anni viri nobiles vita concedunt, Lucius Volesus et Crispus Sallustius (29—30).

Cap. 31—51. Annus a Christo nato vicesimus primus, imperatoris Tiberii octavus. Actum in senatu de irreverentia iuventutis, de itineribus Italiae interruptis et imperviis, de proconsule in Africam et Asiam mittendo, de sententia Caecinae, ut uxores eorum qui praeessent provinciis, intra Italiam cohiberentur (31—34). Proximo senatus die licentia coërcita est, qua probra et invidia in bonos impune excitabantur obiecta principis effigie, et delatores duo puniti, quibus rebus Drusus favorem adipiscitur: eo enim coram et patre absente haec decreta erant (35—37). Tiberius legem maiestatis severe exercet; Antistius Vetus in exilium pulsus, qua occasione de Thraciae post caedem Rhescuporidis statu (38—39). Tumultus a Treviris excitati et Aeduis: utrique mox oppressi, et finem Gallici belli Tiberius e Campania patribus nuntiat (40—47). Superest ad exponendum funus Sulpicii Quirini, accusatio Lutorii Prisci et supplicium (48—51).

Cap. 52—76. Annus a Chr. n. vicesimus secundus, Tiberii principis nonus. Disceptatum ab aedilibus de lege sumptuaria severius habenda. Principis ea de re sententia ubi cognita est, remissa aedilibus talis cura (52—54). Luxus ab Augusto usque ad mortem Neronis exerciti profusius a Galbae principatu exolescere coeperunt, cuius mutationis causae quaesitae (55). Tiberius missis ad senatum litteris Druso filio petit tribuniciam potestatem, summi fastigii vocabulum ab Augusto repertum; eam decreverunt patres non sine adulationibus indecoris (56—57). Africa Blaeso prorogata. Flamen Dialis ut Asiam sorte acciperet postulavit, sed more maiorum ab ea administratione prohibitus est (58—59 collato 71). Drusum epistola quamvis modesta et absentem adire tribuniciam potestatem graviter acceptum. Tiberius vim principatus sibi firmans imaginem antiquae potestatis senatui relinquit postulata provinciarum ad patres mittendo. Asyla per civitates Graecas immodice aucta minuuntur (60—63). Caesar in urbem festinat ob valitudinem atrocem Iuliae Augustae. Sententiae senatorum notabili dedecore; tempora illa adulatione sordida ideoque ab ipso Tiberio fastidita (64—65). Accusationes et damnationes (66—70). Donum quod pro valitudine Augustae voverant equites Romani, Antii statuitur (71). Lepidus basilicam Pauli propria pecunia ut firmaret petivit. Pompei theatrum igne haustum Caesar extruendum recipit; de Seiani apud Tiberium favore (72). Tacfarinas reparatis viribus Africam infestans pulsus a Blaeso et frater eius captus (73—74). Obeunt eodem anno Asinius Saloninus, Ateius Capito, Iunia, Cassii uxor et Bruti soror (75—76).

1 Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu et nescia tolerandi. Interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba et rogitantium inter se silentione an voce aliqua egredientem exciperent. Neque satis constabat quid pro tempore foret, cum classis paulatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus; neque discerneres proximos alienos,

1. *Ab excessu diui augusti. Nihil* M. 3. *conp.* M. 5. *quique* Beroaldus: M *cuique.* 9. *adpulsu* cum lin. M: *adpulsu* Beroaldus. *classes* M.

Cap. 1. *nihil intermissa — contra sitam:* in huius libri ac novi anni exordio solitam sibi alias narrandi viam ita reliquit, ut non a consulum commemoratione inchoaverit, sed eos quasi praeteriens c. 2 designaverit. Nimirum Agrippinae proficiscentis ex Asia in urbem iter iam in libro praegresso (c. 75 et 79) coepit referre, idque cum exequi nunc pergat, non apte scribere potuit *Marco Valerio Gaio Aurelio consulibus nihil intermissa — contra sitam.* Illo enim principio novum quoddam lectores afferri expectassent.

proxima maris sunt proxima maris loca, quae una cum portu cymbis ac navigiis occurrentium complebantur, ut est in H. III 42 *missis per proxima litorum Liburnicis*: pro locis mari proximis accepit Waltherus, sed tunc *mari* usus Taciti postularet, non *maris;* neque opportune *propiora fluminis* ex H. V 16 attulit Orellius: nam ibi est *laeva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere*, et genitivus praecipue ex *laeva* pendet; Sallustii autem (Iug. 48) *fluminis propinqua loca* ab eodem producta alius omnino generis sunt, cum genitivus ad substantivum referatur.

duobus cum liberis: cum Iulia et Caligula; v. II 54 et Sueton. Calig. 10. Ceteri Romae remanserant. *defixit oculos:* h. e. in terram demisit, sed additamentum *in terram* omitti potuit, quia per praepositionem verbi compositi satis indicatum est. Alia est ratio loci in Histor. IV 72: *fixis in terram oculis:* nam cum hic absit praepositio, accusativus *in terram* suppleri non potuit. Cf. Virg. Aen. VI 469: *illa solo fixos oculos aversa tenebat.*

proximos alienos, virorum feminarumque planctus: v. ad XI 6.

virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant. Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito ut magistratus 2
Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munia fungerentur. Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa, versi fasces; atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites pro opibus loci vestem odores aliaque funerum sollemnia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras dis manibus statuentes lacrimis

3. *addita* M: correxit Beroaldus. 4. *supraema* M. 5. *munia* editor: vulgo *munera*. *fungentur* M: correxit Beroaldus. 6. *umeris* M. 7. *uesi* M. *plebis* M. 9. *sollemnia* M, non *sollennia*.

Cap. 2. *ut magistratus Calabriae — suprema — munia fungerentur:* liber unicus *munera* exhibet ex vulgari librarii aberratione, sed repugnante consuetudine et usu Corneliano: Tacitus enim ubi de *officiis* et *laboribus* loquitur, in primo quartoque casu numeri multitudinis constanter *munia* ponit, forma *munera* denotandis *donis* reservata. Lege I 2: *munia senatus legum magistratuum*; 11: *munia rei publicae — executuros*; 16: *intermiserat solita munia*; 31: *per otium aut levia munia*; 69: *munia ducis — induit.* II 26: *cuius* (consulatus) *munia praesens obiret*; 35: *senatum et equites posse sua munia sustinere.* III 7: *reditum ad munia*; 31: *munia consulatus solus impleret*; 53: *ceteros quoque magistratus sua munia implere velim.* IV 39: *exuere imposita munia*; 41: *munia imperii*; 50: *sua quisque munia servarent.* VI 8: *urbis et militiae munia.* XI 5: *magistratuum munia*; 13: *munia censoria*; 18: *diurna nocturnaque munia*; 25: *laetaque haec in rem publicam munia* (censoria); 32: *munia fori.* XII 31: *peditum ad munia.* XIII 4: *antiqua munia.* 35: *munia armatorum.* XV 11: *militiae munia*; 69: *munia consulis.* XVI 27: *publica munia.* Cf. H. I 48 et 62 et 77, II 92, III 20 et 59, IV 39 et 49 et 68 et 86. Sed ubi de donis loquitur, statim formam *munera* admittit: IV 26: *antiqua patrum munera.* XIV 50: *venditata ab eo munera principis*; 55: *tua quidem erga me munera — aeterna erunt.* Translate Nero h. l. praecepta Senecae munera sive dona appellat respiciens cap. 53, ubi Seneca scripserat Neroni *muneribus tuis obniti non debui.* XVI 6: *fortunae munera pro virtutibus.* H. IV 84: *munera preces mandata — adlegant.* G. 18: *intersunt parentes et propinqui ac munera probant. Munera non ad delicias muliebres quaesita. — In haec munera uxor accipitur.* Quod ad casum attinet, accusativum Tacitus praetulit, ubi nomen generis neutrius numero multitudinis fungitur, ablativo singularis numeri nominibus delegato. Dixit igitur *munia fungi*, *officia fungi* IV 38, sed *consulatu functum* I 39, *praetura* II 33, *officio* III 3, *munere* III 17, *sumptu* XIV 20, *gaudio* H. II 55.

vestem: quam vestem honori Germanici in vero funere super rogum (vid. Cic. de Leg. II 23. Liv. XXXIV 7. Virg. Aen. VI 221) posituri fuissent cives coloniarum, eam, ubi cineres praevehebantur, cum aliis funerum sollemnibus cremabant.

et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam
progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui
in urbe fuerant. Consules Marcus Valerius et Gaius Aurelius
(iam enim magistratum occeperant) et senatus ac magna pars
populi viam complevere, disiecti et ut cuique libitum flentes;
aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Ger-
3 manici mortem male dissimulari. Tiberius atque Augusta
publico abstinuere, inferius maiestate sua rati, si palam lamen-
tarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus
falsi intellegerentur. Matrem Antoniam non apud auctores

1. *tarricinam* M: correxit Beroaldus. 3. *M.* et *C.* M. 4. *occeperant* M (non *occoeperant*). 10. *intellegentur* M: correxit Beroaldus. *aput* M.

C. Aurelius: in catalogo consulum libri LVII Dionis (ibi ex codicibus sumptus est, non ut alibi a Leunclavio concinnatus) et apud Cassiodorum praenomen Aurelii scribitur *M.*

iam enim magistratum occeperant: quam religiose Tacitus in componendis his libris annorum seriem (quippe *annales* esse eos volebat) plerumque secutus sit, prae ceteris tertii libri initium ostendit. Nam postquam de Agrippinae navigatione narratio sub finem libri secundi (II 79) abrupta, et in reliquis eius libri capitibus longe diversa, quae eodem anno evenere, enarrata sunt, in novi libri primordio exponit, quem in locum (in Corcyram) anno *ineunte* Agrippina venerit: nam hunc librum a novi anni rebus incipere et per se est credibile et ex his indiciis colligitur. Germanicus mortuus est mense Novembri vel paulo prius, ut patet ex Sueton. Calig. c. 6: *sed ut demum fato functum palam* (Romae) *factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos Decembris mensis dies.* Agrippina autem ad mariti corpus rite comburendum, ad colligendas res proficiscenti necessarias, ad iter ex Syria in Corcyram conficiendum facile duo menses, Novembrem ac Decembrem, potuit insumere. Iam paucis novi anni diebus ad animum componendum Corcyrae sumptis, navigatione ad oppidum Brundisium et itinere terrestri ex Calabriae oris usque ad urbem Romam perfecto, interim duo menses ac nonnullos dies effluxisse iudico: nam quo minus id temporis spatium ab illo in Corcyram adventu praeterisse accipiam, neque verba *iam enim magistratum occeperant* prohibent, et quae mox sequuntur *quia ludorum Megalesium spectaculum suberat,* ut ita statuam suadent. Cum enim Megalesia in Nonas Apriles inciderent, Tiberii edictum, paulo post reliquias Germanici sepositas factum, mense Martio propositum est. Sed unde luculente perspicitur, finito libro secundo etiam anni 19 post Chr. absolutam esse historiam, ea sunt quae II 85 — 88 narrantur. Nam postquam praecipuas eius anni res exposuit omnes, sua sibi formula (*eodem anno*) quasdam secundarias quasi in supplementum a capite 85 usque ad finem libri adiungit. Cf. ad I 53. Aliquotiens tamen finito libro res totius anni nondum absolutae sunt. Quod quando licere sibi putaverit, dicemus ad XII 1.

laetam Tiberio Germanici mortem: Dio LVII 18.

rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni
officio functam, cum super Agrippinam et Drusum et Claudium
ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint, seu
valitudine praepediebatur, seu victus luctu animus magnitu-
dinem mali perferre visu non toleravit. Facilius crediderim
Tiberio et Augustae, qui domo non excedebant, cohibitam,
ut par maeror, et matris exemplo avia quoque et patruus
attineri viderentur. Dies quo reliquiae tumulo Augusti infere- 4
bantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies;
plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces.
Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus
per tribus, concidisse rem publicam, nihil spei reliquum
clamitabant, promptius apertiusque quam ut meminisse imperi-
tantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit
quam studia hominum accensa in Agrippinam, cum decus

1. *ulli* M. 6. *Augusta* M: *Augustae* recepi a Doederlinio. 10. *conl.* M. 13. *inp.* M.

Cap. 3. *diurna actorum scriptura:* florente libero rei Romanae statu administratio imperii penes senatum, in legum rogandarum latione populi contionisque praecipuae partes fuere. Iam in utroque genere quae agerentur ut cives cognoscere melius possent, simul id suis rebus egregie conducere intelligens, Iulius Caesar a. 695 inito consulatus honore *primus omnium instituit* (Sueton. Caes. 20), *ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur.* Sed mox sub Augusto principe ceterisque Caesaribus cum populi potestas fracta esset, non tam quae in foro a comitiis tributis agebantur quam alia memoratu digna in populi diurnis referebantur, veluti miracula naturae (Plin. X 2), munia censoria (Tacit. XII 24), supplicia (Agr. 2), aedificia (XIII 31), nativitates (Sueton. Tiber. 5, Calig. 8), nuptiae (Iuvenal. II 136), dicta et voces hominum illustrium (Tacit. XVI 22. Sueton. Aug. 64), et quae sunt eius generis alia. Vid. Lips. Excurs. ad V 4. *De actis senatus* ad V 4 nonnulla dicentur.

Tiberio et Augustae — cohibitam: una ratio tuendi ablativum *Augusta* haec esset, ut vocibus *Tiberio et Augusta* idem denotari diceremus atque *Tiberii et Augustae exemplo*; sic enim ablativus *instrumenti* vim accepturus est: *durch Tiberius und Augusta.* Verum non modo exemplo, sed *verbis et exhortatione* usos esse Tiberium et Augustam ostendunt illa *ut par maeror — viderentur.* Iam *cohiberi aliquo* pro *ab aliquo* dici Latine nequit, *cohiberi* autem *alicui* Taciti Latinitati bene convenit. Conf. H. I 11: *quae aliae procuratoribus cohibentur.* Orellius ad tuendam vulgatam sinistre usus est VI 41 *urbes — Macedonibus sitae:* quippe dativum esse *Macedonibus* oblitus est. Vid. ad II 50.

Cap. 4. *tumulo Augusti:* in campo Martis; v. I 8. *per tribus:* vid. quae dixi ad H. III 58. *Per tribus* est congregatus per tribus, h. e. populi pars honesta et minus corrupta, publicae curae socia.

patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent, versique ad caelum ac deos integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur. Fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentque quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse; circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines; defletum in foro, laudatum pro Rostris, cuncta a maioribus reperta, aut quae posteri invenerint, cumulata. At Germanico ne solitos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse. Sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset. Non fratrem, nisi unius diei via, non patruum, saltem porta tenus, obvium. Ubi illa veterum instituta, propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, et laudationes et lacrimas, vel

4. *compararent quaeque* M: correxit Beroaldus. 10. *autq; posteri* M. *at* Beroaldus: M *aut.* 11. *deditos* M: correxit Beroaldus. 12. *itenerum* M. *terras* M. 16. *propositam* Muretus: M *praepositam.*

nihil tamen Tiberium — iniquorum precarentur: pergit pro arte sua Tacitus praeparare lectorem ad accipienda dira, quae tandem in Agrippinam et partem prolis patrata sunt. Conf. II 72 et 75. *Iniqui* perinde IV 68 et *iniquus Thraseae* XVI 21. Magis autem quam cetera haec *solum Augusti sanguinem* adversus se dictum Tiberius accipere debuit: quippe non nisi per adoptionem in Augusti domum ipse pervenerat, Agrippina autem, Iuliae filia et neptis Augusti, ex ipso sanguine Augusti originem duxit.

Cap. 5. *Ticinum usque:* conf. Valerius Max. V 5 3. *Claudiorum Iuliorumque imagines:* imagines Claudiae gentis propositae sunt, quia gentilis eius erat Claudius Drusus, adiectaeque Iuliorum, quod idem privignus Augusti in eius familiam quasi translatus videbatur. Lipsii coniectura *Liviorum* non opus est.

non fratrem: reprehensores unam Tiberii domum respicientes *non fratrem* (Drusum) et mox *non patruum* in oratione sua ponunt: principem scilicet vituperare et pungere volunt. Huius culpa videbatur quod funeri fratris non longius progressus est Drusus: quod Claudius frater item non nisi Tarracinam (c. 2) processit, id Tiberio patruo minus imputari posse credebant, quae causa cur de hoc reticerent. Lipsius *fratres* scribi voluit, Waltherus *fratrem* retinens *non fratrem* pro *nullum fratrem* positum accepit.

propositam toro effigiem: proponi spectantium oculis in ipso toro (*Paradebette*) solebat effigies, ut in lectisternio deorum imagines in lectis sternebantur. In codice quod est *praepositam*, id indicat

doloris imitamenta? Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret 6
vulgi sermones, monuit edicto multos inlustrium Romanorum ob rem publicam obisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiceretur. Non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus. Convenisse recenti dolori luctum et ex maerore solatia; sed referendum iam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Iulius amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis: quotiens populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. Principes mortales, rem publicam aeternam esse. Proin repeterent sollemnia, et quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

Tum exuto iustitio reditum ad munia, et Drusus Illyricos 7
ad exercitus profectus est, erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis, et crebro questu quod vagus interim per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. Nam vulgatum erat missam, ut dixi, a Gnaeo Sentio famosam veneficiis Martinam subita

6. *populo quae* M (non *populoque* Beroaldi). 7. *solacia* M. 13. *aeterna* M. 14. *sollemniae* M. *Megalesium* M (non *Megalensium* Lipsii). 16. *exsuto* M. 18. *quaestu* M. 21. *a Gnaeo*] *A. C. N.* M.

in prima parte tori positam et offert exilem diligentiam a Tacito alienam. Vitium ex male soluta compendii nota emersit.

Cap. 6. *monuit edicto* sqq.: cum Tacitus neque transcriptis ipsius edicti verbis Annales suos onerare et licenter variare neque suis substitutis liberius in tradendis rebus agere vellet, mediam viam ingressus *argumentum* edicti referre sua voce maluit, obliqua usus oratione. Sic enim solito suo loquendi tenore pergere et simul altitudinem animi principis callidissimi pingere potuit.

multos inlustrium Romanorum ob rem publicam obisse: Germanicus publica negotia sustinendo mortuus ob rem publicam obierat. Conf. II 83: *cum inscriptione rerum gestarum ac mortem ob rem publicam obisse.* Orellius loquitur de Tiberii malitia. *divus Iulius — Augustus:* lege Senecae Consol. ad Marciam c. 14.

ludorum Megalesium spectaculum suberat: Megalesia tunc celebrabantur pridie Nonas Apriles: Ovidii Fast. IV 179 sqq. Kalendar. Praenestin. apud Orellium Inscript. Lat. t. II p. 388.

Cap. 7. *petendae e Pisone ultionis:* *spe* ante *petendae* suo iudicio adiecit Freinshemius, sed eadem hoc loco est notionum per-

morte Brundisii extinctam, venenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta.

8 At Piso praemisso in urbem filio, datisque mandatis per quae principem molliret, ad Drusum pergit; quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat. Tiberius quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus Pisoni, si vera forent quae iacerentur, praecipuum in dolore suum locum respondit: sed malle falsa et inania nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse. Haec palam et vitato omni secreto; neque dubitabantur praescripta ei a Tiberio, cum incallidus alioqui et facilis iuventa senilibus tum

9 artibus uteretur. Piso, Delmatico mari tramisso relictisque apud Anconam navibus, per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem quae e Pannonia in urbem, dein praesidio Africae ducebatur: eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. Ab Narnia, vitandae suspicionis, an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus, auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum adpulerat; dieque et ripa frequenti, magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina, et vultu

1. *Brundisii* M (non Rhenani *Brundusii*). 7. *familiarium* Beroaldus. 11. *ei* Lipsius: M *et*. 13. *Dalmatico* Beroaldus. 14. *aput* M.

mutatio, quam supra II 59 notavimus. Scilicet finis, in quem hominum animi attenti sive erecti erant, tamquam causa cogitatur, cur erecti essent; et causae significatio hic ut II 59 genitivo continetur. Ad ellipsin haud confugiendum est. Finis notio expressa est adiecto participio in *ndus* desinente, ac propterea haec construendi venia sine illo participio admitti nequit. Conf. III 9 et 27 et 41, XIII 11.

Cap. 8. *trucem quam remoto aemulo aequiorem:* cf. ad XIII 6.

familiarum: vulgatam formam *familias* et recentem *familiae* iuxta declinavit et hoc loco et I 26, XI 13, exemplo Sallustii (Catil. 43 et 51). *Patres familiarum* etiam apud Suetonium Aug. 59 (conf. Reisigii de gramm. Latin. praelect. §. 88 n. 141), sed Cicero numerum multitudinis non admisit, nisi ubi vitare non poterat, veluti ad Att. VII 14: *gladiatores Caesaris qui Capuae sunt — commode Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum.*

Cap. 9. *ut — se militibus ostentavisset:* particula *ut* h. l. explicationi servit, quemadmodum H. I 79 *mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos.* Conf. ad IV 38.

dieque et ripa frequenti: particularum ratio videtur suadere ut *die* absolute positum accipiamus et *ripa frequenti* explicationis gratia

alacres incessere. Fuit inter inritamenta invidiae domus foro imminens, festa ornatu, conviviumque et epulae, et celebritate loci nihil occultum. Postera die Fulcinius Trio Pisonem apud 10
consules postulavit. Contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant, nullas esse partis Trioni; neque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturos. Ille dimissa eius causae delatione, ut priorem vitam accusaret obtinuit, petitumque est a principe, cognitionem exciperet. Quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae matris innexum esse: veraque aut in deterius credita iudice ab uno facilius discerni, odium et invidiam apud multos valere. Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur. Igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit, integramque causam ad senatum remittit. Atque interim Drusus rediens Illyrico, quamquam patres cen- 11
suissent ob receptum Maroboduum et res priore aestate gestas ut ovans iniret, prolato honore urbem intravit. Post quae reo Lucium Arruntium, Marcum Vinicium, Asinium Gallum,

3. *aput* M. 4. *Veranius* M: *Verannius* Beroaldus. 5. *partis* M: *partes* Beroaldus. 6. *accussatores* M. 7. *illa* M: correxit Beroaldus. 10. *patruum* M. 13. *aput* M. 14. *molis* M: tacite correxit Rhenanus. 20. *Lucium* Nic. Faber ad Senecam patrem: M *T.* *M. Vinicium* de Ernestii suspicione: *fulnicium* M.

additum existimemus: tempore enim diurno frequens ripa apud magnas urbes esse solet. Aliter et prudentius Agricola se gessit: is enim (Agr. 40) *noctu in urbem, noctu in Palatium — venit.*

Cap. 10. *Fulcinius Trio:* districtus accusator ingenii specimina et cupidinis iam ostenderat in accusatione Libonis (II 28).

Veranius: M quinque locis (hic et c. 13 et 17, etiam II 56 et 74) unam litteram liquidam praebet, apud Catullum in eodem nomine IX 1, XII 16 et 17, XXVIII 2 codices inter simplicem *n* et duplicem fluctuant, una scribitur etiam in titulis monente Orellio; v. Gruteri index inscript.

rerum indices et testes: scilicet Vitellius et Veranius *crimina et accusationem tamquam adversus receptos iam reos instruxerant:* II 74.

cognitionem exciperet: h. e. causam nosceret et poenam definiret.

Cap. 11. *Marcum Vinicium: T. Vinicium* Iac. Gronovius, sed magis placet quod Ernestius dubitanter proposuit, *Marcum Vinicium*: is enim *ortus* (VI 15) *patre atque avo consularibus, mitis ingenio et comptae facundiae*, ad suscipiendam defensionem in primis idoneus erat. Eo etiam codicis vestigia ducunt: nam in forma *fulnicium*

Aeserninum Marcellum, Sextum Pompeium patronos petenti, iisque diversa excusantibus, Marcus Lepidus et Lucius Piso et Livineius Regulus adfuere, adrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo, satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. Is haud alias intentior, populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis
12 silentii permisit. Die senatus Caesar orationem habuit meditato temperamento. Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse, adiutoremque Germanico datum a se, auctore senatu, rebus apud Orientem administrandis. Illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere extinxisset, integris animis diiudicandum. 'Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, eiusdemque morte et luctu meo laetatus est, odero, seponamque a domo mea, et privatas inimicitias non vi principis ulciscar. Sin facinus in cuiuscumque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici et nos parentes iustis solatiis adficite. Simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa

1. *Sex.* M. 2. *M. lepedus* M. *L.* M. 3. *liveneius* M. *arecta* M. 5. *praemeret* M. *is* editor: M *ac* (in marg. *an*) *praemeret is*, vulgo *iis* auctore Grutero. 8. *temperamenta* M: tacite correxit Rhenanus. 10. *aput* M. 14. *exsuit* M. *luctum eo* M. 15. *non vi*] *novi* M: correxit Lipsius. 18. *solaciis* M.

syllaba FVL pro VI ex prava recordatione nominis *Fulcinii* c. 10 scripti prodiit, nota *M.* autem post extremam litteram praecedentis nominis *Arruntium* extrusa est. De Arruntio sanctissimarum artium viro vide indicem historicum. Seneca Ep. 114 *rarae frugalitatis virum* dicit.

quae fiducia reo: h. e. quibus rebus reus fideret. Recte comparant Virgilii Aen. II 75: *memoret quae sit fiducia capto.*

is haud alias intentior: quod in libro M his verbis antecedit *ac praemeret*, id sine dubio ex prioribus *ac premeret sensus suos Tiberius* errore librarii repetitum est, et periculum Waltherianum procul habendum, quippe quod φράσιν et structuram parum Cornelianam praebeat et pronomine (*is*) sinistre locato multum displiceat. In ceteris nulla iam offensio. *Is* est princeps, cui mox populus opponitur. Tiberius *haud alias intentior* erat qua voce vultuve uteretur, populus *haud alias* (hoc etiam ad alterum praedicatum referri debet) *plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.*

Cap. 12. *integris animis:* h. e. animis neque suspicione aut odio neque favore infectis.

seditiose tractaverit exercitus Piso: addito nomine Pisonis imitatur

haec in maius vulgaverint accusatores; quorum ego nimiis studiis iure suscenseo. Nam quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos tamquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista et scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum semperque deflebo: sed neque reum prohibeo quo minus cuncta proferat quibus innocentia eius sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit; vosque oro ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, iuvate periclitantem. Ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud iudices de morte eius anquiritur. Cetera pari modestia tractentur. Nemo

1. *in*] *ĭ* ex corr. M. 2. *suscenseo* M, non *succenseo*. 3. *differrique* M (non *diferrique* Beroaldi). 9. *conexa* M. 14. *aput* bis M.

accuratam orationis in senatu et in quaestione publica habitae formam: ante enim liberos Germanici et parentes princeps nominaverat. Ceterum haec vera crimina, quibus ne ipse quidem ignoscebat, prae fictis vel in maius auctis praecipua intentione persequitur verbis illis *turbide et seditiose — repetita provincia.*

suscenseo: servavi formam a libro M oblatam et aliis etiam codicibus antiquioribus non raro confirmatam. Conf. Faërni annot. ad Terentii Andr. II 6 17. Parei Notae crit. ad Plaut. p. 64, quaeque ipse monui ad Terentii Andr. II 3 2. *aut fides sua:* oder eigenes *Vertrauen*, hoc est fides eloquentiae suae et ingenii. *apud iudices:* in causa veneficii a praetore et consilio eius iudicanda. Cf. II 79.

Cap. 13. *quod neque convictum noxae reo, — neque defensum absolutioni erat:* participiorum (*convictum* et *defensum*) ope vitavit nomina verbalia et significationis abstractae, ut nos dicimus. Qua forma sermonis cum nemo tam saepe utatur quam hic noster, aliquot exempla h. l. componenda reor. I 8: *qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis inprospere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum aliis pulcherrimum facinus videretur;* 16: *mutatus princeps licentiam turbarum — ostendebat;* 42: *neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat;* 59: *fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata;* ib: *rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus;* 69: *circumventi exercitus fama.* III 11: *ob receptum Maroboduum;* 24: *inlustrium domuum adversa — solatio adfecit Decimus Silanus Iuniae familiae redditus;* 50: *qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit;* 52: *quod — retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret;* 64: *festinati in urbem reditus;* 66: *obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii*

Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet, nec si qua
13 in nos adversa finguntur.' Exin biduum criminibus obiciendis statuitur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur. Tum Fulcinius vetera et inania orditur, ambitiose avareque habitam Hispaniam; quod neque convictum noxae reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. Post quem Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, obiecere odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum, per licentiam et sociorum iniurias, eo usque corrupisse ut parens legionum a deterrimis appellaretur; contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse; sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rem publicam, utque reus agi

2. *eximbiduum* M. 8. *sed* tacite Rhenanus: M *et*. 11. *conr.* M.

maiestatem. IV 1: *nonus Tiberio annus compositae rei publicae;* 6: *Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit;* 19: *conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus;* 21: *Pisonemque Granius secreti sermonis incusavit adversum maiestatem habiti;* 44: *Lentulo gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter partae et modeste habitae.* VI 27: *et non permissa provincia dignationem addiderat;* 35: *fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos.* XI 10: *paenitentia concessi regni.* XII 5: *nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae;* 9: *quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur;* 31: *servati civis decus;* 69: *ne antepositus filio privignus — animos vulgi turbaret.* Add. XIV 7 et 14 et 29, XV 10 et 12 et 23 et 59 et 62, XVI 16. II. I 16: *neque erat adhuc damnati principis exemplum;* 17: *Pisonem ferunt — nullum turbati aut exultantis animi motum prodidisse;* 18: *ne dissimulata seditio in maius crederetur;* 25: *desperatione dilati totiens donativi;* 37: *quam gloriam — attulit nisi occisi Obultronii Sabini* cet. II. II 76: *an excidit trucidatus Corbulo?* Add. II. III 32 et 59, IV 18.

devotionibus: devotiones supra (II 69) descriptas in illustrissimorum hominum consessu tamquam causam mortis illatae Germanico orator insignis asserere sustinet. Tolle hoc memor, mi lector, ut intelligas quam late sordidae superstitionis caligo Caesarum saeculis per orbem terrarum sparsa fuerit.

utque reus agi posset: h. e. ut ad dicendam causam in iudicium adduci posset. *Agi* (*διώκεσθαι*) hoc loco propriam suam significationem tenuit, quemadmodum apud Livium XXIV 25: *is tamquam reos ageret, ab anteacta vita orsus, quaecumque post Hieronis mortem sceleste atque impie facta essent, Andranodorum ac Themistum arguit fecisse.* Germanice convertas *belangen.*

posset, acie victum. Defensio in ceteris trepidavit. Nam 14
neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat. Solum veneni crimen visus est diluisse; quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. Quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum. Offerebatque familiam reus, et ministros in tormenta flagitabat. Sed iudices per diversa inplacabiles erant, Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interisse. * * scripsissent expostulantes; quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur: non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset. Effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac devellebant, ni iussu principis protectae repositaeque forent. Igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos saluti an mortis exactor sequeretur. Eadem Plancinae invidia, maior gratia; 15
eoque ambiguum habebatur quantum Caesari in eam liceret.

2. *cui obn.* M: tacite corr. Rhenanus. 4. *cremen* M. 10. *impl.* Or. 11. *numq.* M. 12. in M defectus nullum indicium. 16. *devellebant* Ernestius: M^{a} *divellebant.* *principiis* (alterum *i* punctis notatum) M. 18. *mortes* M.

Cap. 14. *in ceteris:* rariore loquendi usu rerum exceptarum enumeratio praegreditur rei ex alio genere sumptae et oppositae commemorationem, quae sequitur inde a verbis *solum veneni crimen visus est diluisse.*

scripsissent: ante plura interciderunt, quam ut ipsa scriptoris verba restitui possint. Quod tentare in huiusmodi loco cum temerarii hominis sit, tamen sententiae tenorem in universum divinare licet. Nam haec respiciunt ad litterarum commercium, a Pisone et Germanico paulo ante quam Piso Syria decederet habitum: v. II 70. Has litteras et quae responsa sint a Pisone cum senatu communicari nonnulli volebant. *Expostulantes* autem non pertinet ad amicos Germanici, accusatores Pisonis, sed ad ipsum Germanicum et Pisonem iurgiis per litteras *expostulantes,* h. e. opprobriis sese proscindentes. Conf. XIII 37: *mittebatque oratores qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur — depelleretur.* XV 5: *misit ad Vologesen qui expostularent vim provinciae inlatam.* Recitari has litteras a dignitate hominum et loci alienum videbatur.

in Gemonias: sunt scalae Gemoniae ex Capitolii monte, neque procul a Carcere et foro Romano, ad Tiberim ducentes. Conf. V 9, VI 25. H. III 74 et 85. Suetonius Tiber. 53 et 61 et 75, Vitell. 17.

Atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscumque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat. Ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. Quod reus postquam sibi exitiabile intellegit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursum ingreditur; redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. Relatus domum, tamquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit obsignatque et liberto tradit; tum solita curando corpori exequitur. Dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit; et coepta luce
16 perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est. Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos eius dictitavisse litteras Tiberii et mandata in Germanicum contineri, ac destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret; nec illum sponte

3. *auguste pcibus* cum lineola (*praecibus*) M. 7. *anfensas* M. 8. *vocis* M. 13. *exseq.* Or. 14. *cupiculo* M. 15. *refertus* M. 19. *aput* M.

Valerius Maximus VI 3 §. 3: *corpus* (M. Claudii) *contumelia carceris et detestanda Gemoniarum scalarum nota foedavit.* Ibidem c. 9 §. 13: *Q. Caepio — in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusque eius, funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis iacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est. Gradus Gemitorios* appellat Plinius VIII 61, cuius verba ascripta ad Taciti IV 68. Dio Cassius LVIII 5. Cf. Becker Enchirid. Antiq. Rom. t. I p. 415. Pisonis effigies eo tractas de scalarum gradibus *devellebant*, ut recte interpretatur Halmius, non a basibus revellebant, ut accepit Ernestius. *saluti:* vid. ad I 3.

Cap. 15. *quantum Caesari in eam liceret:* acerbe et cum quadam irrisione Tiberii haec dicta sunt, impotenti matris animo non facile obviam euntis; cf. IV 57, V 1. Cui tenori loquendi bene convenit nomen *Caesaris.* Theodisce converto: *wie weit der Kaiser gegen sie gehen dürfe.* Non perspexit Halmius l. c. pag. 9.

veniam obtinuit: veniam illi decerni et impunitatem in senatu matri obsecutus pollicitus est Tiberius et promisso stetit: c. 17. *Secretae preces* sunt quae in Palatio ad Caesarem dirigebantur, eaeque opponuntur publicae quaestioni et consultationi senatus.

Cap. 16. *ex senioribus:* h. e. ex iis qui rebus illis ipsi interfuerant. Iidem sunt de quibus statim *qui nostram ad iuventam duraverunt. mandata in Germanicum:* conf. Sueton. Tiber. 52.

extinctum, verum immisso percussore. Quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis qui nostram ad iuventam duraverunt. Caesar flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum * * crebrisque interrogationibus exquirit qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: ‘conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos immortales testor vixisse me, Caesar, cum fide adversum te, neque alia in matrem tuam pietate; vosque oro, liberis meis consulatis, ex quibus Gnaeus Piso qualicumque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit, Marcus Piso repetere Syriam dehortatus est. Atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset. Eo impensius pre-

1. *inm.* M. 3. *maestitia more* M. 4. *aput* M. 5. signum hiatus ab editore est. 10. *inm.* M. 13. *Gnaeus*] *C. N.* M. 14. *M.* M. 15. *Syriam* M, non *Suriam*. 16. *inp.* M.

apud senatum, Marco Pisone coram, queritur; crebrisque interrogationibus exquirit cet. Haec fere integra scriptoris verba videntur esse: nam qui locum non esse mutilum contendunt, magnis difficultatibus impliciti tenentur. Ex nostra loci restitutione apparet, quis ille sit, unde exquirit Tiberius, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset, apparet quo referatur pronomen *illo*, quique Pisonis litteras principi attulerit. Quod iuvenis Piso pleraque sapienter, quaedam inconsultius interroganti Tiberio respondisse dicitur, priora pertinent ad ea, quae filius a patre honora de Tiberio prolata, altera ad illa, quae ab eodem cum aliqua eiusdem insectatione et invidia pronuntiata refert. Et Marcum quidem Pisonem tunc in senatu fuisse, liquet ex c. 17: *Tiberius adulescentem crimine civilis belli purgavit.* Ibidem: *Marcus Piso exuta dignitate* (senatoria) — *relegaretur.* Cum de Plancina actum est, etiam Gnaeus adfuit, ut manifestum ex iis quae c. 17: *urgente Tiberio liberos Pisonis, matrem uti tuerentur.*

per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus et tibi amicus: collegium hoc consulatus ad annum 747 pertinet, quo Tiberius iterum et Piso consules erant. Sed Pisonem hoc anno *iterum* consulem fuisse error est interpretum auctore Lipsio late dispersus et in indicem consulum l. LV Dionis, etiam in Almeloveeni Fastos translatus. Scilicet qui anno 731 consul erat cum Augusto, pater fuit Gnaeus Calpurnius Piso, non filius. Conf. ad II 43. Obsequii tempus noster Piso non a suscepto consulatu sed a quaestura administrata numerat quinque et quadraginta annos.

cor, ne meae pravitatis poenas innoxius luat. Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus et tibi amicus, nec quicquam post haec rogaturus, salutem infelicis filii rogo.'

17 De Plancina nihil addidit. Post quae Tiberius adulescentem crimine civilis belli purgavit (patris quippe iussa nec potuisse filium detrectare), simul nobilitatem domus, etiam ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens, in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant. Id ergo fas aviae, interfectricem nepotis aspicere adloqui, eripere senatui. Quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse. Vitellii et Veranii voce defletum Caesarem, ab imperatore et Augusta defensam Plancinam. Proinde venena et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiamque aviam ac patruum

3. *divo*] *duo* M. *amicos* M. 15. *proinde* Rhenanus: M *perinde.*

Cap. 17. *aspicere adloqui, eripere senatui:* cf. ad XI 6.

proinde venena et artes — verteret in Agrippinam: contextus sermonis h. l. particulam conclusioni destinatam (*demgemäss*, *pro hoc eventu*) postulat atque talis est *proinde.* Particula comparationi serviens et huic forma persimilis est *perinde* (*eben so*, *eodem modo*). Quae cum in libris per compendium *pinde*, sed *proinde* per notam *‚pinde* exprimantur, a librariis persaepe commutantur. Tacitum utraque particula non iuxta usum esse, sed pro discrimine notionis modo declarato alterutram elegisse, id ego ex benigno numero locorum huic rationi faventium colligo. Habes igitur *proinde* vi concludendi praeditum I 11: *proinde — non ad unum omnia deferrent.* II 65: *proinde tradito Cotye veniret.* III 6: *proin repeterent sollemnia.* IV 38: *proinde socios, cives et deos ipsos precor.* XII 22: *proin publicatis bonis cederet Italia.* XV 49: *Scaevino dissoluta luxu mens, et proinde vita somno languida.* XVI 26: *proinde — peteret finem.* H. I 21: *proinde agendum.* 33: *proinde intuta quae indecora.* 56: *proinde aut bellandum* cet. H. II 48: *proinde erecto animo capesseret vitam.* Ad hanc normam *proinde* rescribendum, quamvis non addicentibus codicibus melioris notae, pro *perinde* XV 27: *proinde et Tiridati conducere — regnum dono accipere;* ibi in M[a] *perinde*, in G *proinde.* *Perinde* particulam inservientem comparationi legis, et quidem *haud* (*non*) *perinde quam* II 5 et 19, III 31, IV 61, VI 30 et 31 et 46, XI 10, XIII 49, XIV 48, XV 42; *haud perinde* XI 10, XII 12 et 41 H. I 89; *non perinde* XIV 58, XV 43; *perinde — ac* XII 12, XIV 41, XV 36; *perinde ac* XII 69; *ac perinde* VI 31, XII 41; *perinde et* XVI 13; *perinde — et* II 2, XIV 43; *perinde quam* XV 21, H. III 86; *perinde — quam* I 73, VI 30; *perinde quasi* XIII 47; *quod*

sanguine miserrimae domus exatiaret. Biduum super hac imagine cognitionis absumptum, urgente Tiberio liberos Pisonis, matrem uti tuerentur. Et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quam invidia augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur) nomen Pisonis radendum fastis censuit, partem bonorum publicandam, pars ut Gnaeo Pisoni filio concederetur, isque praenomen mutaret; Marcus Piso exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio in decem annos relegaretur, concessa Plancinae incolumitate ob preces Augustae. Multa 18
ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando Marci Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent. Et Marcum Pisonem ignominiae exemit, concessitque ei paterna bona, satis firmus, ut saepe memoravi, adversum pecuniam, et tum pudore absolutae Plancinae placabilior. Atque idem, cum Valerius Messalinus signum aureum in aede Martis Ultoris, Caecina Severus aram ultioni statuendam censuissent,

1. *exsat.* Or. *hac* Ryckius: M *haec; e* recentiore manu notatum puncto. 5. *cos.* cum lin. M. 6. *refente* M. 8. *Gnaeo*] *C. N.* M. 9. *M.* ter M. *exsuta* M. 10. *religatur* M: correxere Lipsius et Muretus. 14. *iulii* M. 15. *paterna* bis M, sed alterum septem punctis notatum. 17. *dum* M. *blancinae* M.

perinde creditum, quasi principis monitu IV 22; *perinde laetum* XV 37; *perinde innocens* XVI 29; *perinde offendit* I 13. Ad hanc rationem invitis codicibus aut plerisque aut melioribus *perinde* adsciscendum, non *proinde*, IV 17 et 20, VI 7, XII 40 et 60, XIII 21 et 47, XV 44, H. I 30, II 27 et 35 et 39 et 68 et 97, III 58, IV 36 et 72.

super hac imagine: scriptura *haec* iuste defendi nequit. Scilicet *super* quando idem valet quod *de*, motus intellectu remoto, constanter ablativum socialum sibi habet, ut II 35 *super eo negotio*, IV 74 *diversis super negotiis*, VI 21 *super tali negotio*, XI 15 *super collegio haruspicum*, XII 61 *super antiquitate*, XIV 43, *super omnibus negotiis*, XV 36 *super profectione*, 52 *super eo crimine*, H. II 63 *super tanta re.* Accusativus ei iungitur ubi valet *praeter*, ut III 3 *super Agrippinam*, aut *ultra*, ut III 74 *super aequalitatem*, H. V 1 *super fortunam*, III 48 *super vota*, aut ubi motus notio adiuncta est, ut XVI 35 *super humum spargens.* Alii scriptores, non tamen Tacitus, accusativum ponunt tum quoque, cum tempus duraturum designare volunt, ut *super cenam, super vinum et epulas.* Sed ne haec quidem significatio nostris verbis convenit, ut *super haec* vindicari possit, id quod conatus est Waltherus, plures sententiae socios nactus. Non enim id premit narrator, multum temporis effluxisse, dum haec agebantur, sed

prohibuit, ob externas ea victorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda. Addiderat Messalinus Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas, omiseratque Claudii mentionem. Et Messalinum quidem Lucius Asprenas senatu coram percontatus est an prudens praeterisset; ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. Quippe fama spe veneratione potius omnes destinabantur imperio quam quem futurum principem

19 fortuna in occulto tenebat. Paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi. Fulcinio suffragium ad honores pollicitus monuit ne facundiam violentia praecipitaret. Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. Adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritate. At Drusus urbe egressus repe-

1. *victoria* M: correxit Rhenanus et Victorius ad Cic. Epp. 1 19. 5. *L.* M. *aspernas* M. *percunct*. Or. 7. *quanto quanto plura* M. 10. *oms* cum lin. M. 15. *aput* M. 17. *audire* pr M, *audita* mg. et Lipsius. 18. *conp.* M. *contrariu* cum lin. super *u* M. 19. *gliscii* M.

super imagine actionis biduum absumptum esse. Ceterum quamquam licet dicere *super cenam, super epulas*, inde nondum consequitur licere eodem modo *super haec, super illud.*

miseratio quam invidia augebatur: v. ad XIII 6. *eo etiam munere:* proprium consulis munus in referendo constat. Praeter hoc secundarium aliud munus nunc indicatur. Ubi refert consul, primus sententiam rogatur consul designatus, et libera re publica, cum designatus non esset, princeps senatus.

isque praenomen mutaret: hanc sententiae partem acceptam esse patet ex ipsa Taciti narratione et confirmatur Dionis loco LIX 20, ubi L. Piso, Cn. Pisonis et Plancinae filius, Africam sub Caligula obtinuisse traditur. Inde rursus intelligitur, *L. Calpurnium*, consulem anni 27 (IV 62), eum esse qui nunc *Gnaei* nomine vocatur.

Cap. 18. *Iuli Antonii:* in M peccatum *iulii* assimilandi aberrationi tribuendum, ut I 10 *iulios* post praegressum ibidem nomen *Egnatios*, IV 44 *iulio* ante proximum *Antonio*. Omnibus his locis veram nominis formam tacite restituit Lipsius.

Cap. 19. *apud illos homines qui tum agebant:* antique haec scripsit. Conf. Ennii apud Cic. Brut c. 15 versus: *is dictus ollis popularibus olim, qui tum vivebant homines atque aevom agitabant, flos delibatus populi.*

urbe egressus: ʻquaeras quo haec egressio et reditio? Ad morem pri-

tendis auspiciis, mox ovans introiit. Paucosque post dies Vipsania mater eius excessit, una omnium Agrippae liberorum miti obitu. Nam ceteros manifestum ferro vel creditum est veneno aut fame extinctos.

20 Eodem anno Tacfarinas, quem priore aestate pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis, dein vicos excindere, trahere graves praedas; postremo, haud procul Pagyda flumine, cohortem Romanam circumsedit. Praeerat castello Decrius impiger manu, exercitus militia et illam obsidionem flagitii ratus. Is cohortatus milites ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit. Primoque impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret; simul excepta vulnera, et, quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit, neque proelium omisit,

2. *uipstania* M: correxit Beroaldus. 3. *milti* M. 6. *afria* M. 7. *exscincedere* M. 8. *Pagyda* M, non *Pagida*. 14. *incodicis* M: correxit Beroaldus. *romanis* M.

scum, quo obtinuit, ut qui e provinciis cum imperio redirent, illud ipsum amitterent, simul intrassent urbem. Ideo Livius XXVI 9: *Q. Fulvio ne minueretur imperium si in urbem venisset, decernit senatus.* Et magis ad lucem Taciti, quod Dio LIII 32 tradit, Augusto decretum perpetuum proconsulare imperium, ita ut nec si intra urbem venisset minueretur, neve necessum esset ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχήν, i. e. renovare sive repetere auspicia. Nam auspicii nomine etiam imperium hic cape. Sed cui rei Druso opus fuit repetito imperio? Ad ovationem. Nam qui triumphans ovansque urbem ingreditur, cum imperio id facit in illum diem: Drusus autem imperium amiserat, ingressus urbem ob fratris sui mortem. Debuit ergo repetere, ut ovaret. Eius sententiae sunt quae apud Ciceronem legis, spem triumphi abiicientem, ad Att. VII 7: *utar ea porta quam primum videro*, et apud Coelium ad Cic. ep. 6: *neque enim stulte Appius, qui, simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem triumphique postulationem abiecerat*; apud Ulpianum (l. ult. de off. proconsul.): *proconsul portam Romae ingressus deponit imperium*; iterum apud Cic. ad Att. VII 1: *mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid; extra urbem esse cum iustissima causa*'. Lipsius.

una omnium Agrippae liberorum miti obitu: 'i. e. citra vim et ex fato. Sed videamus. M. Agrippae tres uxores fuerunt. Prima Pomponia Attici filia, conciliante eas nuptias M. Antonio triumviro; ex ea genuit Vipsaniam, de qua hic, Drusi matrem. Altera Marcella Octaviae filia; ex ea quoque liberi, si Suetonio fides diserte id in Augusto tradenti, etsi nihil de iis postea reperias, et videatur ea

20-21 Tacfarinas in Africa

21 donec desertus suis caderet. Quae postquam Lucio Apronio (nam Camillo successerat) comperta, magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate et e vetere memoria facinore, decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat. Tantumque severitate profectum ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias praesidium cui Thala nomen adgressas fuderint. Quo proelio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus rettulit, donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. Caesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus. Sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans. Et dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludificabatur: postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda stativis castris adhaerebat,

1. *L.* M. 5. *eusti* M. 6. *ampl. quam genti* (*quam* in fine versus) M: correxit Beroaldus. 8. *proelio*] *pro* (per notam) *filio* M. *gragarius* M. 11. *quaestus* M. 16. *adherebat* M.

proles non fuisse vitalis. Tertia uxor Iulia; ex ea nati Gaius et Lucius Caesares, Postumus Agrippa, Agrippina et Iulia. In his plerisque vera Taciti nota. Gaius enim et Lucius veneno crediti periisse, Agrippina fame, Postumus ferro. Iuliam excipio, cuius mortem IV 71 ita narrat ipse Tacitus ut ex natura videatur, ferri aut veneni nulla mentione'. LIPSIUS.

Cap. 20. *trahere graves praedas:* proprie Tacfarinas trahit milites praeda graves, sed hoc ad ipsam praedam transferri potest, ut etiam IV 48. Alibi *agere praedas*, veluti H. IV 28.

cohortem Romanam: h. e. legionariam sive civium Romanorum. Cf. ad I 60. *signiferos:* signiferi sunt qui vexilla ordinum cohortis gestant: v. ad I 34 et II 17.

simul excepta vulnera: supple *sunt*, quod post *simul* omittitur, cum stilus aliqua festinatione nova et insolita describit. Cf. IV 25: *simulque coeptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant.* Paulum abit I 65: *simul haec* (dixit), *et cum delectis scindit agmen.* Aliam explicationem olim a me propositam, qua *vulnera* accusativo casu posita intelliguntur, non sequi debebant Doederlinius et Orellius.

Cap. 21. *vexillum veteranorum:* conf. annot. ad I 38. *inligatus:* ἀπόδοσιν inchoari a *missu patris*, hoc subsequentia praesentis temporis verba *pugnam facit pellitque*, post praeterita *deflexit* et *adhaerebat* illata, et ipsa diversitas rerum ostendit. Iam vero enuntiatum ab *inligatus* incipiens particula iungente carere vix potest: ea enim omissa, legentis animus inclinat ἀπόδοσιν inchoare ab *inligatus*, eoque lucidus ordo et structura labare incipit. Itaque *inligatusque* Tacitinum esse cum Walthero suspicor.

missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit pellitque in deserta.

At Romae Lepida, cui super Aemiliorum decus Lucius 22 Sulla et Gnaeus Pompeius proavi erant, defertur simulavisse partum ex Publio Quirino divite atque orbo. Adiciebantur adulteria, venena, quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinus post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa. Deprecatus primo senatum ne maiestatis crimina tractarentur, mox Marcum Servilium e consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda quae velut reticeri voluerat. Idemque servos Lepidae, cum militari custodia habe-

1. *acpronius* M. 4. *emiliorum* M. *L.* M. 5. *et* M, non *ac.* *Gnaeus*] *C. N.* M. 6. *P.* M. *Quirinio*, mox *Quirinius*, dein c. 23 *Quirinio* et *Quirinii* M; cf. ad 2 30. *adiecebantur* M. 8. *Manio* omnibus litteris M. 12. *depcatus* cum lin. (*depraecatus*) M. 13. *M.* M. 14. *profenda* M. *reticeri* Acidalius: M *reicere*, Beroaldus *reticere.* 15. *lapidae* M.

Cap. 22. *quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris:* capitale hoc erat. Cf. XVI 30—33 et XII 22. Tertull. Apolog. 35: *cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur et sustinetur?*

reticeri: cum senatum Tiberius deprecaretur, ne maiestatis crimina tractarentur, eo ipso ostendit se nolle proferri quae ad Caesaris domum pertinerent, sed mox sibi haud constans Servilium aliosque testes illexit, ut dicerent quae professione sua occultanda tacendaque designasset. *Velut* additum est, quia princeps ista indicia non quidem vetuerat, sed deprecatione improbaverat. Si *reticere* legamus, hoc non ad testes (debuit enim *reticere eos*), sed ad principem referetur, sane contra loci sententiam et scriptoris consilium.

militari custodia: h. e. in castrorum custodia catenis vincti. Qui cum ex uno loco in alterum transferrentur, reus dextrae catenam alligatam traxit, quae simul militis custodiae appositi manus vinciret. Conf. Athenaeus V 50 p. 213 B. Iosephus Ant. XVIII 6 7. Seneca de Tranq. 10. Epist. 5. Lipsius in excursu ad h. l. non apte existimavit reum in castris asservatum semper militi cuidam alligatum fuisse. Hoc non verum esse et rei natura probat et narratio Taciti VI 14.

neque enim cessurum nisi damnandi officio: opinabantur qui iniquius de principe sentiebant, damnandae Lepidae invidiam a filio suo patrem amoliri voluisse. Nam si absolvi illam optasset, non erat passurus, ut gratiam quam initurus erat clementiae primus auctor, alius occuparet. Sic recte I. Fr. Gronovius. Ceterum consul designatus

Lepida a descendant of Pompey & Sulla is banished

rentur, transtulit ad consules, neque per tormenta interrogari passus est de iis quae ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sententiae; quod alii civile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret, quidam ad saevitiam trahebant: neque enim

23 cessurum nisi damnandi officio. Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili maiores suos ciens ipsumque Pompeium, cuius ea monimenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiae permovit ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirino clamitarent, cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui destinata quondam uxor Lucio Caesari ac divo Augusto nurus dederetur. Dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. Huic Drusus adsensit,

2. *de iis*] *Diis* M. 4. *sentiae* M. 8. *sciens* M. 10. *misericordia* M: tacite correxit Lipsius. 12. *L.* M. 14. *flagitiatumque in* M. *Rubelli* M. 15. *adque* M.

in senatu sententiam primus rogabatur, ubi consul relationem sustinebat. Vid. III 49, XI 5, XIV 48. Sallustii Catil. 50. Appian. Civ. II 5.

Cap. 23. *ea monimenta:* dicit theatrum (idem templum *Veneris Victricis*, etiam templum *Victoriae*) *in Circo Flaminio* aedificatum a Pompeio et ab eo iterum consule (699) dedicatum. Vid. Dio XXXIX 38, XL 50. Plutarch. Pompeio c. 52. Tertull. de Spect. 10. Asconius in Ciceronis Pisonianam Argum. et ad c. 27. Cicero ad Famil. VII 1, de Off. II 16 et 17. Valerius Maximus II 4 6. Tacit. III 72, IV 7, XIV 20. Plinius VII 49, VIII 7, XXXIV 18. Velleius II 48. Cum tertium consul esset Pompeius (702), dedicatum esse Gellius et Varro tradunt: Gell. X 1. Ex novis rerum scriptoribus hunc antiquitatis locum diligenter pertractaverunt Drumannus. II. Rom. t. IV p. 520—523, Beckerus in Enchiridio Ant. Rom. tom. I p. 665 sqq. Falsa narravit Lipsius de anno, quo id monimentum a Pompeio conditum sit, in annot. ad XIV 20 et inde deceptus Waltherus ad h. l., Orellius ad XIV 20. Ludi qui memorantur magni sunt sive Romani, ut videtur, quorum initium pridie nonas Septembres, finis pridie idus eiusdem mensis.

obscurissimae domui: cf. III 48.

divo Augusto nurus: Lucius adoptione filius erat Augusti. Eo respicit titulus in basi statuae, quae est Bergomi Pudentis Grammatici, descriptus a Grutero 653 2 (apud quem perperam ATTEIVS inculcatum), Orellio n. 639.

aqua atque igni arcebatur: arcebatur posuit, non *interdicebatur*, evitaturus vocem solitam et iuridicam. Sic etiam c. 50 *aqua et igni arceatur.* Interdicendi verbum legimus in hac re III 38 et 68, IV 21, VI 18 et 30, XII 42, XIV 41. In ea formula semper *igni*, non *igne*, scribitur. Ipsa poena exilium est, sed ea varie aut leniri aut intendi potest.

quamquam alii mitius censuissent. Mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius compertum sibi etiam ex Publii Quirini servis veneno eum a Lepida petitum.

Inlustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti 24
tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant) solatio adfecit Decimus Silanus Iuniae familiae redditus. Casum eius paucis repetam. Ut valida divo Augusto in rem publicam fortuna, ita domi inprospera fuit ob impudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit adulterosque earum morte aut fuga punivit. Nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus, simul cetera illius aetatis, memorabo, si effectis in quae tetendi, plures ad curas vitam produxero. Decimus Silanus in nepti Augusti adulter, quamquam non

3. *conp.* M. *P.* M. 5. *etenim* Mercerus: M *adenim*, Beroaldus *At enim* (non in parenthesi, ut narrat Waltherus). 7. *D.* M. 9. *inpud.* M. 15. *tendi* M: correxit Ernestius; *intendi* Heinsius. 16. *D.* M.

Cap. 24. *in rem publicam:* apte comparavit Waltherus Eurip. Or. 533: *ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνήρ, πλὴν ἐς θυγατέρας.* Conf. VI 49: *aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda.* XIII 14: *ne cuiusque facti in praeteritum interrogaretur.*

filiae ac neptis: utrique nomen Iuliae. De maiore relatum I 53, de minore, quae filia Agrippae et Iuliae et soror Agrippinae, IV 71. De utraque Plinius VII 46 (45): *adulterium filiae et consilia parricidae palam facta: — aliud neptis adulterium.* *simul cetera illius aetatis memorabo:* de his verbis in Prooemio dictum est.

Marci Silani fretus potentia: sperabat exul senatum principemque precibus suis obsecuturos esse, quod Marcum Silanum fratrem gratia prosequi cuperent; hoc est illud *fretus potentia M. Silani.* Sed potentia alicuius deprecari aliquem Latine non dicimus: nam ad deprecandum potentia non opus est, sed voluntate et audacia. Iure igitur Bezzenberger in his verbis offendit, sed quod substituit *fratris fretus potentia* male sonat, neque opus est *fratris* vocabulo. Nam Decimum Silanum Marci fratrem esse interim lector sponte credit, mox luculente accipit illatis verbis *frater eius.* Quapropter nomen *fretq*, h. e. *fretus*, obscure scriptum transisse in *fratris* (frs) existimo.

Cap. 25. *quam senior Augustus post Iulias rogationes — sanxerat: Iulias rogationes* dicit quas Iulius Caesar a. 708 pertulit: Dio XLIII 25. Gell. II 15. *De maritandis ordinibus* legem Augustus sanciendam et asperandam curavit, et primum quidem ut videtur a. 736: Dio enim LIV 16 in huius anni actis inter cetera: *τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ*

ultra foret saevitum quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exilium sibi demonstrari intellexit, nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est Marci Silani fretus potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat. Sed Tiberius gratis agenti Silano, patribus coram, respondit se quoque laetari quod frater eius e peregrinatione longinqua revertisset; idque iure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret. Sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones, neque reditu Silani dissoluta quae Augustus voluisset. Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est.

25 Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus, post Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. Nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate: ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus

3. *depcari* cum lin. M. *M.* M. 4. *fretus* editor: M *fratris*, Bezzenberger *fratris fretus*. 5. *gratis* M.

ἐπιτίμια ἐπέταξε, καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν. Certe errat Lipsius, dum verbis *βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε* et *ἔμπαλιν ἔθηκεν* non recte acceptis fretus (in Excursu C) pronuntiat, etiam ante id tempus Augusto hanc curam fuisse. Sed legem illam *cum aliquanto* (Sueton. Aug. 34) *severius quam ceteras emendasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum lenitave parte poenarum, et vacatione triennii data, auctisque praemiis.* De hac retractatione Propertius II 7 1: *gavisa est certe sublatam Cynthia legem, qua quondam edicta flemus uterque diu, ni nos divideret.* Anno tamen 737 perlata iam videtur, siquidem tunc Horatius cecinit Carm. sec. v. 17: *diva, producas subolem patrumque prosperes decreta super iugandis feminis prolisque novae feraci lege marita.* Horatius *patrum decreta* cum dicit, consultationem senatus moderante principe de lege populo suadenda respicit. Postremum Augustus legem Papiam Poppaeam in senatu quinquennio ante mortem (hinc ab *seniore Augusto* latam dicit Tacitus) Papio Mutilo Poppaeo Sabino consulibus (762) sanciendam curavit. Dio LVI 10. De hoc tempore intelligenda verba Suetonii Aug. c. 34: *sic quoque abolitionem eius* (legis Papiae Poppaeae) *publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos receptosque partim ad se partim in patris gremium ostentavit, manu vultuque significans, ne gravarentur imitari iuvenis exemplum.*

praevalida orbitate: dicit vim et potentiam, quae orbis accrescebat ab iis qui hereditates captabant ideoque orbos prae ceteris colebant. Eiusdem rei mentionem iniecit Tacitus XIII 52: *valuitque pecuniosa orbitate et senecta* (Silvanus). XV 19: *satis pretii esse orbis quod — nullis oneribus gratiam honores, cuncta prompta et obvia haberent.*

delatorum interpretationibus subverteretur; utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.
Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro **26**
scelere, eoque sine poena aut coërcitionibus agebant. Neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas, et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Hac primo rudibus hominum animis simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium quas Minos, Spartanorum quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solo perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat; dein Numa religio-

1. *interpraet.* M. *utquae* M. 6. *coercitationibus* (syllaba *ta* punctis notata) M. 7. *premiis* M. 8. *mortem* M: emendavit Beroaldus. 9. *exsui* M. 10. *incidebat* M: tacite correxit Lipsius. *provenire* M: correxit idem. 11. *aput* M. 12. *ae*, non *hae*, M. 14. *minus* M. 15. *Solo* M, non *Solon*.

H. I 73: *Galvia Crispinilla — potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent.* Conf. O. 6, G. 20. Seneca Consol. ad Marciam 19: *in civitate nostra plus gratiae orbitas confert quam eripit; adeoque senectutem solitudo ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent et liberos eiurent et orbitatem manu faciant.* Plinius XIV 1: *postquam coepere orbitas in auctoritate summa et potentia esse, captatio in quaestu fertilissimo.* Rident exagitantve hanc conditionem Horatius Serm. II 5, Petronius c. 106, Iuvenalis XII 98—130.

Cap. 26. *sine probro scelere:* v. annot. ad XI 6. *suopte ingenio:* 'refertur ad *honesta*, non ad *vetustissimi*; sic. Liv. II 10: *sed curae fuit consulibus et senioribus patrum, ut imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio'.* Gronovius.

at postquam exui aequalitas: conf. annot. ad II 31. *ac mox — perscripsit:* structurae variandae gratia reliquit tenorem per relativa pronomina hoc tertium membrum sermonis annectendi. Non opus est Bezzenbergeri coniectura *quas quaesitiores.*

Cap. 27. *pulso Tarquinio — compositae duodecim tabulae:* quae populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae, iis continentur omnes leges et plebiscita, quae post reges exactos usque ad rogationes Licinias (387) sancita sunt ad plebis iura cum patribus exaequanda. Ex genere una species electa est, quae vi sua praecelleret, his verbis *creatique decemviri — finis aequi iuris.*

nibus et divino iure populum devinxit, repertaque quaedam
a Tullo et Anco. Sed praecipuus Servius Tullius sanctor
27 legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. Pulso Tarquinio,
adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae
libertatis et firmandae concordiae; creatique decemviri, et
accitis quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae,
finis aequi iuris. Nam secutae leges etsi aliquando in male-
ficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et api-
scendi inlicitos honores aut pellendi claros viros, aliaque ob
prava, per vim latae sunt. Hinc Gracchi et Saturnini turba-
tores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus;
corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii. Ac ne bello
quidem Italico, mox civili omissum quin multa et diversa
sciscerentur, donec Lucius Sulla dictator abolitis vel con-
versis prioribus, cum plura addidisset, otium eius rei haud
in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque

2. *ango* M. *precipuus* M. 6. *tabule* M. 14. *L.* M. 15. *eius* M (non *ei* Rhenani).

finis aequi iuris: commentarii loco Livii III 34 verba erunt: *se, quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus, summis infimisque, iura aequasse.* Hic enim legibus summus propositus est finis, ut aequalitas dominationibus amissa restituatur. Illud minus huc pertinet, quod leges decemvirorum etiam hoc praestare debebant, ut plebeiorum hominum et patriciorum iura, quantum fieri posset, aequarentur, de quo v. Niebuhrii Histor. Rom. t. II p. 349—405. Nomen *finis* continet consummationis notionem, *das Höchste gleichen Rechtes.*

nam secutae leges — per vim latae sunt: verba *in maleficos ex delicto* praecipue spectant legem Calpurniam (605) et Serviliam (654), *de pecuniis repetundis;* quae sequuntur *dissensione ordinum* refer ad ea quae Gracchi et Saturninus et Drusus suasere, *apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros* ad leges quibus Gracchorum fautores, dein C. Marius in exilium pulsi, Cinna et mox Sulla illicitis honoribus ornati sunt.

corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii: corrupti sunt, spe apiscendae civitatis a Gracchis et Druso in animis eorum excitata. Intercessio quae memoratur est *tribunicia*, qua plebiscita eorum qui sociis favebant elusa sunt.

cum plura addidisset: haec dicta sunt de Corneliis legibus.

turbidis Lepidi rogationibus: conf. Liv. Epit. 90. Sueton. Caes. 3 et 5. Eutrop. VI 5. Florus III 23 2 et 3. Plutarch. Pompeio 16. Veterum testimoniis diligenter, ut solet, usus Lepidi conamina et fata narravit Drumannus Hist. Rom. t. IV p. 339—346. Idem de Corneliis legibus a L. Sulla dictatore latis accurate exposuit t. II pag. 477—494, de legibus a Pompeio tertium consule (702) sancitis, quarum Tacitus mox meminit, t. II p. 349 sqq., IV p. 530—531. Cf. de Orator. dialog. c. 38.

multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. Iamque non modo in commune sed in singulos homines latae quaestiones; et corruptissima re publica plurimae leges. Tum Gnaeus Pompeius tertium consul, corri- 28
gendis moribus delectus, et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non ius; deterrima quaeque impune, ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat abolevit, deditque iura quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, utque, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant, urbemque et Italiam, et quod usquam civium, corripuerant;

4. *Gnaeus*] *C. N.* M. 5. *delecta* M. 8. *inp.* M. 13. *utque, si* editor: M *uisi*, Lipsius *ut, si*.

reddita licentia: reddita est lege illa tribunicia, quam Pompeius consul a. 684 tulit. *in singulos homines latae quaestiones:* breviter hoc elatum est pro *leges latae ut in singulos homines quaestiones haberentur.* Eiusmodi leges vocantur *privilegia.* Conf. Cic. Dom. 10 et 17 et 42, post Red. ad Sen. 11, Sest. 30, Brut. 23, Legg. III 19.

Cap. 28. *per viginti annos:* 'rotundus numerus, non verus. Nam a Pompeii tertio' (ipse scripsit II. pro III. calami vitio) 'consulatu ad Augusti sextum intersunt anni 24'. Lipsius. Pompeius tertium consul erat a. 702, Augustus sextum a. 726. *sexto demum consulatu:* de legibus tunc latis et abolitis vid. Dio LIII 2.

inditi custodes — praemiis inducti: sunt accusatores sive delatores, eos qui legibus non obsequerentur ad iudicem trahentes. Qui ut alacriores agerent in defendis reis, postea lege Papia Poppaea praemiis inducti sunt. Ea Nero princeps coërcuit: Sueton. Ner. 10: *praemia delatorum Papiae legis ad quartas* (h. e. ad quartam partem praemiorum quae ante ceperant) *redegit.*

utque, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret: in vulgata lectione *ut — teneret*, quae profecta est a Lipsio, haec est sententia, praemiis inductos esse delatores adversus Papiam legem peccantium eum in finem, ut aerarium augeretur. Sed praemia illa et accusatores cur instituerentur, causa praecipua fuit ut a caelibe vita abstinerent ordines, secundaria ut aerarium augeretur, bonis *vacantibus* sive *caducis* post mortem caelibum publicatis. Itaque non unum, sed duo ab Augusto spectata tunc esse dicere voluit hic noster, ideoque *utque* debuit esse, non *ut*, quo vera scriptoris sententia pessumdatur.

Cap. 29. *utque munere capessendi vigintiviratus — quaesturam peteret:* animadvertas velim vigintiviratus ab Augusto reformati et

29-30. N. son of Germanicus - his popularity -

multorumque excisi status. Et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

29 Per idem tempus Neronem e liberis Germanici, iam ingressum iuventam, commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quaesturam peteret, non sine inrisu audientium postulavit. Praetendebat sibi atque fratri decreta eadem petente Augusto. Sed neque tum fuisse dubitaverim qui eiusmodi preces occulti inluderent: ac tamen initia fastigii Caesaribus erant, magisque in oculis vetus mos, et privignis cum vitrico levior necessitudo quam avo adversum nepotem. Additur pontificatus et, quo primum die forum ingressus est,

3. *aput* M. 4. *exsol.* Or. 9. *quaesituram* M. 12. *fastidii* M: correxit Beroaldus.

constituti (Dio LIV 26) administrationem ad honores adipiscendos tam necessariam fuisse, ut Augusti privigni Drusus ac Tiberius, Tiberiique principis nepos Nero eo munere postulante principe a senatu solverentur. Privato igitur, nisi ante vigintivir factus esset, capessere quaesturam non licuit. Qua de causa Tacitum, qui dignitatem suam, h. e. senatoriam ad quam ex quaestura gradus, a Vespasiano inchoatam scribit H. I 1, aut ante eius principatum in vigintiviris fuisse, aut eodem principe quinque ferme annis ante quam quaesturam gereret illi muneri satisfecisse credo. Id ex ipso hoc loco liquet viginti annorum iuvenes ad vigintiviratum successisse: legitimum enim quaesturae tempus anni viginti quattuor. Cf. Prooem. c. 2. Vigintiviri fuere *triumviri monetales, triumviri capitales, quattuorviri viales, decemviri stlitibus.* Dio l. c. Festus s. *Praefectura.*

Formam *quaesituram*, delicatae ac negligenti pronuntiationi Italorum tribuendam, vere correxit Ernestius.

sibi atque fr.: Dio LIII 28, LIV 10. *ac tamen initia — adversus nepotem:* si Augustus princeps a senatu petebat quae negari non poterant, irridendi causa non tam iusta erat, quam cum Tiberius idem coeptabat: nam primum Augusti aetate principis potentia nondum adulta erat (h. e. illud *initia fastigii Caesaribus erant*), magisque in oculis vetus mos, tum Drusi Tiberiique cum Augusto vitrico levior necessitudo quam Neronis cum avo Tiberio. Disce etiam hoc exemplo, ut accerrimus humani ingenii explorator nullum simulationis Tiberio innatae indicium notare omiserit.

quo primum die forum ingressus est: h. e. die quo togam virilem sumpsit: v. Sueton. Calig. 10, Ner. 7, et quae Lipsius ad h. l. collegit.

congiarium plebi admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem aspiciebat. Auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae. Utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum quod filio Claudii socer Seianus destinaretur. Polluisse nobilitatem familiae videbatur, suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse.

Fine anni concessere vita insignes viri Lucius Volusius 30
et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque quis domus illa immensum viguit, primus accumulator. Crispum equestri ortum loco Gaius Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. Atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et adfluentia luxu propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit. Idque et Maecenati acciderat, fato poten-

1. *conglarium* M. *laete* M. 3. *utquae* M. *secundorum more* M. 5. *videbantur* M: correxit I. Fr. Gronovius. 7. *L.* M. 11. *inm.* M. *adc.* M. 12. *equestrior. tum* M. *G.* M. *romanorum* M: tacite correxit Rhenanus. 17. *afluentia* M.

nuptiis Neronis: 'quod igitur supra est II 42, *Silani filiam Neroni vetustissimo liberum Germanici pactam*, pactam desponsamque fuisse credimus, nuptam deductamque non fuisse; aut si fuit, fatum abstulit et locum huic fecit'. Lipsius.

socer Seianus destinaretur: IV 7 et 39. Dio LVIII 11, LX 32. Vere scribit *destinaretur:* nam Drusus Claudii filius ante celebratas nuptias obiit; Sueton. Claud. 27: *Drusum Pompeiis impuberem amisit, piro per lusum in sublime iactato et hiatu oris excepto strangulatum, cui et ante paucos dies filiam Seiani despondisset.*

Cap. 30. *consulatum intulit:* intulit anno 756, kalendis Iuliis cum P. Silio suffectus in locum Aelii Lamiae et Marci Servilii; cf. Orellii Inscript. n. 644. Recentiores Fastorum confectores, veluti E. Guil. Fischer (Römische Zeittafeln

tiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est quod cupiant.

31 Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. Nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam connexus fuerat. Eius anni principio Tiberius, quasi firmandae valitudini, in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo praetura functus de Lucio Sulla nobili iuvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. Pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et Lucius Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. Certabantque orationibus; et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et impervia

3. *tiberi* M. 6. *conexus* M. 12. *L.* M. *aput* M. 15. *L.* M. 16. *certabant* M. 18. *notavisset* M. 20. *ea* om M, inseruit Ferretus. 22. *inp.* M.

ad a. 742 et 756), dum L. Volusium a. 742 consulem suffectum et anni 756 consulem eius filium fuisse narrant, nullo teste monumentove nituntur. Fidem illis habuit Orellius. Divitiae Volusii memorantur etiam XIV 56.

sine dignitate senatoria: ob eam moderationem Horatius ad Sallustium Carm. II 2 8 scribit: *latius regnes avidum domando spiritum* cet. Sallustius rerum scriptor decesserat a. 720. *per cultum et munditias:* Horatius praedicat Sallustium *inimicum lamnae, nisi temperato splendeat usu.*

idque et Maecenati acciderat: cf. XIV 53.

Cap. 31. *patris atque filii collegio insignis:* quod narrante Dione LVII 20 ex eo collegio perniciem Druso vaticinati sunt homines, hoc ex reliqua Tiberii vita sumptum et a posteris ad priores relatum est. Nam post mortem vel sub id tempus observatum est, omnes qui cum Tiberio consulatu functi erant, morte praematura aut violenta occidisse, Quintilium Varum, Cn. Pisonem, Germanicum, Drusum, Seianum.

clamitando, executionem eius negotii libens suscepit; quod
haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis,
quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta
saeviebat.

Neque multo post missis ad senatum litteris Tiberius 32
motam rursum Africam incursu Tacfarinatis docuit, iudicio-
que patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore
validum et bello suffecturum. Quod initium Sextus Pompeius
agitandi adversus Manium Lepidum odii nanctus, ut socordem
inopem et maioribus suis dedecorum, eoque etiam Asiae
sorte depellendum incusavit, adverso senatu, qui Lepidum
mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobili-
tatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam
ducebat. Igitur missus in Asiam. Et de Africa decretum
ut Caesar legeret cui mandanda foret. Inter quae Severus 33
Caecina censuit ne quem magistratum, cui provincia obve-

1. *exsec.* Or. 8. *Sex.* M. 9. *Manium* Ryckius et ante hunc Lipsius adc. 35: M *Marcum*. *nanctus* M, non *nactus*. 11. *lepidum*. 12. *Item* M: correxit Beroaldus. 16. *neq; magistratum* M.

quorum in pecuniam atque famam: mancipes et curatores viarum intelligendi, qui interceptae pecuniae publicae a Corbulone damnati et parte bonorum multati sunt, non possessores qui agros haberent viis vicinos, ut accepit Lipsius cum pedisequis. Eadem severitate eodemque praetextu indecore grassatus est vir ille alioqui insignis Gaio Caesare principe: Dio LIX 15.

Cap. 32. *missis ad senatum litteris:* miserat quaestorem sive candidatum principis qui suas litteras in senatu recitaret; cf. annot. ad XVI 34.

Manium Lepidum: Lepidum nunc memoratum non esse illud aetatis suae decus Marcum Lepidum, de quo I 13, III 11 et 35 et 50, IV 20 et 56, VI 5 et 27, per se liquet, atque ille demum a. 26 Asiam sortitus est: vid. IV 56. Iam si alius M. Lepidus eodem praenomine et consularis fuisset, ab illustri nota addita distinguendus erat; quod cum secus sit, nihil reliquum nisi ut *Manium Lepidum*, fratrem (III 22) et defensorem Aemiliae Lepidae, a Tacito designatum putemus: de tertio enim Lepido senatore et consulari aetatis Tiberianae nihil inaudivimus.

nanctus: servanda erat codicis forma; haec enim communis fuit, altera doctis nonnullis placuit. V. Priscian. X 4 21 (p. 888 P.): *nanciscor etiam nactum facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet.*

eoque etiam Asiae sorte depellendum: in ea consultatione ab aliis dictum videtur Lepidum, quamquam vetustissimum ex consularibus, ob aetatem et corpus non validum Africae turbatae imparem esse. Hoc initium agitandi adversus Lepidum odii nactus Pompeius disseruit *etiam* Asiae sorte eundem depellendum esse. Ceterum *Asiae sors* h. l. eadem quae administratio. Conf. III 71: *sors Asiae in eum*

nisset, uxor comitaretur, multum ante repetito concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque quae in publicum statueret domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset. Haud enim frustra placitum olim ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui quae pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, saevum ambitiosum, potestatis avidum; incedere inter milites, habere ad manum centuriones; praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari; his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium, ab his negotia suscipi transigi; duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et impotentibus

1. *comiteretur* M. 4. *quadraginti* M. 5. *haut* M. 6. *que* M. 8. *inb.* M. 9. *licencia* M. 14. *adher.* M. 16. *inp.* M.

qui consularium Maluginensi proximus erat collata.

honori quam ignominiae: conf. ad XIII 6. *ut Caesar legeret:* hoc extra ordinem decretum nunc est: alias enim vetustissimi consularium Africam et Asiam sortiebantur: vid. ad I 75, III 58 et 71.

Cap. 33. *multum ante repetito:* significatur virum militarem paulo iactantiorem sui fuisse. *quadraginta stipendia:* vid. I 64: *quadragesimum id stipendium Caecina — habebat.* Hoc in actis anni post Chr. 15, sed etiam anno 16 inferioris Germaniae legatus Caecina (II 6) erat, ut hic rotundum numerum posuerit uno anno vel altero neglecto. Cum Germanico Romam rediit, successore *Visellio Varrone:* III 41.

barbari incessus: incessus est ea ingrediendi ratio, in qua sive gravitas ac dignitas sive negligentia et mollities apparet; posteriorem vocis significationem Caecina nunc mente concepit: Romanum enim militem in itinere non molliter incedere sed agmine coërcitum progredi ille expostulat. Converto Theodisce: *welche einen Römischen Heereszug einem barbarischen Aufzuge ähnlich umgestalteten.*

saevum ambitiosum, potestatis avidum: v. ad XI 6. *praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum:* invidiose Caecina auget quae supra (II 55) de Plancina Pisonis uxore iuxta veritatem tradita sunt. *Decursu* est contracta dativi forma ut modo (30) *luxu proprior* itemque c. 34 *exponi suo luxu,* VI 23 *nuru ac nepoti,* XI 32 *dissimulando metu.*

duo esse praetoria: praetorium in castris tabernaculum ducis sive legati, in terris pacatis aedificium rectoris provinciae. Utrumque unum erat, sed dum et maritus et coniux ibi aditur coliturque, ex uno quasi duo fiunt. Hoc dicit Caecina. *Impotentia mulierum iussa* interpretare intemperantis animi muliebris mandata (*leidenschaftliche Befehle*).

mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae, nunc vinclis exolutis domos fora, iam et exercitus regerent. Paucorum haec adsensu audita: plures obturbabant, **34**
neque relatum de negotio neque Caecinam dignum tantae rei censorem. Mox Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae, respondit multa duritiae veterum in melius et laetius mutata; neque enim, ut olim, obsideri urbem bellis aut provincias hostilis esse. Et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promisca cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. Quid? Ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? Non tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnis caelibes integros? Placuisse quondam Oppias leges sic temporibus rei publicae postulantibus: remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. Porro ob unius aut alterius imbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis.

2. *exsol.* Or. 6. *patenae* M. *duritiae* M, non *duritie*. 7. *in* om M: insertum a Mureto et Acidalio. 8. *absidere* M: correxit Beroaldus. *esset* M. 10. *pinates* M. 12. *accinctus* superscr. *i* M. 13. *at*] *ad* M. 17. *omnis* M, non *omnes*. 19. *aliquit* M. 22. *inb.* M.

Oppiis — legibus: de lege Oppia a Gaio Oppio tribuno plebis *medio ardore Punici belli* (541 a. u.) lata conf. Liv. XXXIV 1—8.

Cap. 34. *censorem:* nomen *censoris* sive ridicule sive invidiose h. l. denotat *eum qui censet*, h. e. qui sententiae loco promit quod in commune conducere arbitratur: cf. II 33 et 38. *bella plane accinctis obeunda: plane* est quod Germani dicimus *jedenfalls*: sic O. 26: *ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum.* XIII 50: *temperandas plane publicanorum libidines.* Saepius Tacitus in eiusmodi sententiis *sane* dedit, sed paulo fortius est *plane*.

Cap. 35. *aetatem liberum, nubilem filiam:* contraria componit, filiam nubilem, ceteros liberos aetate imbecillos. *et consensu adulantium haud tutus est:* adulantes eius recusationi non, ut in Lepido, consentiebant.

Vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur? Sic obviam irent iis quae alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. Addidit pauca Drusus de matrimonio suo. Nam principibus adeunda saepius longinqua imperii. Quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia. Se quoque in Illyricum profectum, et si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente

35 divelleretur. Sic Caecinae sententia elusa. Et proximi senatus die Tiberius per litteras, castigatis oblique patribus quod cuncta curarum ad principem reicerent, Marcum Lepidum et Iunium Blaesum nominavit, ex quis pro consule Africae legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum valitudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intellegereturque etiam quod silebat, avunculum esse Seiani Blaesum atque eo praevalidum. Respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium haud iutus est.

36 Exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur Gaius

2. *discidii* M, non *dissidii.* *oblilerentur* M. 5. *princibus* M. 10. *sentia* M. 12. *M.* M. 13. *pro consule* M, non *proconsul.* 17. *Seiani* Beroaldus: M *se iam.* 19. *haut iustus* M: correxit Iac. Gronovius. Beroaldus *adul. auditus est.* 20. *Eximpromptum* M. *quaestibus* M. 24. *C.* M.

Cap. 36. *quod multorum intimis quaestibus tegebatur:* intellige querelas de pravo more apud familiares prolatas sed metu adhuc invicem tectas. *deterrimo cuique licentia:* dativus pendet a nomine *licentia:* non a verbo *incedebat* (*die zügellose Freiheit eines jeden Niederträchtigen*); conf. ad I 3. *Boni* qui statim nominantur, optimates sunt et proceres, sed iidem bonis moribus laudabiles.

Gaius Cestius senator: Cestius praetura aut consulatu nondum functus addito nomine *senatoris* ut unus de multis in senatus consilio ostenditur. Conf. I 75, II 27, IV 31, VI 7 et 38, XI 35, XII 42, XIII 10. Liv. V 12: *vir nullis ante honoribus usus*, *vetus tantum senator.* Sine causa offendit Lipsius, item Pichena in eandem dubitationem de veritate additi nominis *senator* tractus.

Cestius senator disseruit principes quidem instar deorum esse: sed neque a dis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem imperatoris oppositam. Haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant; precabanturque Drusum, daret ultionis exemplum, donec accitam convictamque attineri publica custodia iussit.

37 Et Considius Aequus et Caelius Cursor equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari. Neque luxus in iuvene adeo displicebat: huc potius inten-

2. *diis* h. l. M. 8. *haudissimilia* M. 11. *Caelius* M, non *Coelius*. 14. *trabatur* M.

in foro, in limine curiae: verbis *in limine curiae* antecedentia *in foro* accuratius definiuntur. Uti hoc loco Beckerus potuisset in Enchirid. A. R. I p. 333, ubi coniecturam Bunsenii curiam Iuliam ex foro Romano ad Palatinum montem transferentis recte oppugnavit.

ius experiri: mulierem ad praetorem ducere et iniuriarum accusatam legis poenae tradere.

Cap. 37. *aedificationibus: editionibus* a Lipsio commendatum iure reprobavit Waltherus. Ostendit locus Drusum privatis aedificationibus immodicum fuisse. Alia ac diversa patri, cui filius hoc loco opponitur, in aedificiis privatis extruendis morum via, de qua VI 45: *milies sestertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenamPompeiani theatri.* Membro *diem aedificationibus* respondet statim tamquam contrarium *solus,* quemadmodum prioribus *noctem conviviis* subsequentia *nullis voluptatibus avocatus.* In aedificando cogita iuvenem ea turba circumdatum, qualem descripsit Horatius Carm. III 1 33—37: *contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum molibus; huc frequens caementa demittit redemptor cum famulis, dominusque terrae fastidiosus.*

traheret: si infinitivus *trahere* libri M tenetur ac refertur ad verbum *intenderet,* populus significaret iuvenem nondum aedificationibus et conviviis dies noctesque trahere, sed in eo esse ut tale quid committat: at contrarium populo satis persuasum notumque erat: Dio LVII 14: *τῇ τε μέθῃ καταχορὴς ἐγίγνετο.*

Cap. 38. *increpitis iudicibus:* non iudicium in provincia constitutum sed Romae a praetore datum intelligi videtur, ut Antistius Vetus aut in urbe habitaverit aut a Macedoniae rectore ad dicendam causam Romam missus sit.

deret, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et
38 malas curas exerceret. Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Caesium Cordum pro consule Cretae postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem e primoribus Macedoniae, absolutum adulterii, increpitis iudicibus ad dicendam maiestatis causam retraxit, ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye [fratre] interfecto bellum adversus nos volverat. Igitur aqua et igni interdictum reo, adpositumque ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraciae opportuna. Nam Thracia diviso imperio in Rhoemetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat, neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans, popularium iniurias inultas sinere. Coelaletae Odrusae-

1. *trahere* M: corr. Lipsius. 4. *cordium* M: tacite corr. Rhenanus. 7. *ueterime prim.* M. 12. *Threciae* M, mox *Thraecia.* 13. *divisio* pr M. *cothyis* M. 16. *Coelaletae* M, non *Coeletae* Ryckii et Ernestii.

Cotye [*fratre*] *interfecto*: Cotys non frater sed nepos (fratris filius) erat Rhescuporidi, ut et Velleius II 129 et Tacitus ipse II 64 distincte tradidit. Idem igitur nunc sui oblivisci ita non potuit, ut nepotem Rhescuporidis nominaret fratrem, neque causa aderat cur in re nota cognatio utriusque adderetur. Itaque levi recordatione a librario nomen *fratre* ascriptum esse certum videtur. Muretus FR. F., h. e. *fratris filio*, scribendum suasit, sed cognationis inter Cotyn et Rhescuporidem definiendae post ea quae narrata sunt II 64 iusta causa non aderat. *insolentia nostri*: h. e. non assueti nostro imperio; cf. VI 34: *contumeliarum insolentes*, XV 67: *audiendi quae faceret insolens erat;* H. III 53: *obsequii insolens.* Add. H. I 87, II 88.

Coelaletae: forma nominis obnoxia suspicioni: apud Plinium IV 18 (11) *Coeletae* (*Coeletae maiores Haemo, minores Rhodopae subditi*), apud Ptolemaeum III 11 §. 9 *Κοιλητικὴ στρατηγία*, apud Dionem LIV 34 *Σιαλέται.* Livius XXXVIII 40 neque *Coeletas* neque *Coelaletas* habet, sed *Corelos* et *Caenos.* Apud Tacitum fuisse aut *Coeletae* aut *Calybetae* videntur. Utrique sub monte Haemo, quem Thraces seditiosi transgrediuntur, Calybetae etiam vicini Odrusis, sociis suis ad flumen Hebrum agitantibus. Strabo VII 6 2: *ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Καλύβη.* Stephan. Byz. *Καλύβη, πόλις Θρᾴκης, ἄποικος Μακεδόνων· τὸ ἐθνικὸν Καλυβῖται* (*Καλυβῆται*) *ἢ Καλυβεῖς, ὡς τῆς Ἀλύβης Ἀλυβεῖς.* Plinius l. c. *Odrysarum gens fundit Hebrum accolentibus Cabyletis* (lege *Calybetis*). Ptol. III 11 §. 12. De vero huius urbis nomine, quae interdum *Καβύλη* perperam scribitur, cf. Groskurd ad Strabonis interpretationem Theodiscam l. c. De *Diis*, Thracibus montanis, Thucyd. II 96.

que et Dii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem; quae causa fuit ne in bellum atrox coalescerent. Pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime compositi regem urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo sitam, circumsidunt. Quae ubi cognita 39
Publio Vellaeo (is proximum exercitum praesidebat), alarios equites ac levis cohortium mittit in eos qui praedabundi aut adsumendis auxiliis vagabantur, ipse robur peditum ad exolvendum obsidium ducit. Simulque cuncta prospere acta, caesis populatoribus, et dissensione orta apud obsidentes regisque opportuna eruptione et adventu legionis. Neque aciem aut proelium dici decuerit, in quo semermi ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine.

Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris 40
alieni rebellionem coeptavere, cuius extimulator acerrimus inter Treviros Iulius Florus, apud Aeduos Iulius Sacrovir. Nobilitas ambobus et maiorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset.

1. *Dii* Lipsius: M *alii*. 5. *maximae* M. *urbem qui* M. 7. *P.* M. *Vellaeo* M, non *Velleio*. 8. *levis* M, non *leves*. *pred.* M. 9. *exsolv.* Or. 10. *prosperae* M. 12. *opportunae ruptione* M. 13. *aut* Beroaldus: M *apud. prael.* Or. *semermi* Bekkerus: M *semerme*, Beroaldus *semermes*; cf. 1 68, 3 45. 16. *exst.* Or. 17. vulgo *Treveros.* cf. annot. ad c. 42. *apud* M.

Cap. 39. *is proximum exercitum praesidebat:* Moesiae videtur praesedisse pro praetore, post Pomponium Flaccum a. 19 Moesiae rectorem (II 66), ei provinciae a Caesare, credo, impositus. *Praesidere exercitum* nunc dictum est ad similitudinem *praesidere provinciam* IV 5 et 72, XII 29: alioqui dicit praesidere *exercitui* I 58, *legionibus* H. IV 74. *Leves cohortes* quae statim dicuntur, item *alarii equites* sociorum auxilia sunt: cf. ad I 60. *Publium* hunc *Vellaeum* rerum esse scriptorem, ut suspicati sunt nonnulli, vix credibile videtur: nihil ipse, alioqui minime sui detractor, de provincia a se administrata, nihil de hostibus a se fugatis; et eius praenomen *Marcus* est apud Priscian. VI 11 63 (pag. 706 ed. Putsch.), neque *Gaium* in pagina prima editionis principis positum ex codice Murbacensi sumpsit Rhenanus, sed hoc perinde ac *Publium* in titulo scriptum ex coniectura suggessit. Conf. Kritzii Prolegom. ad Velleium Paterc. p. II.

Cap. 40. *ob magnitudinem aeris alieni:* hoc aes alienum ab equitibus Romanis per provincias Galliarum dispersis et intentis fenori Galli contraxerant. Cf. Sallust. Cat. 40.

componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire: componunt est communi consilio statuunt, *συντίθενται:* per attractionem nominativus cum infinitivo pro accusativo positus est, more

40–46 rising in Gaul among the Aedui & Treviri — led by Julius Florus & Jul. Sacrovir — suppressed by G. Silius

Ii secretis colloquiis, ferocissimo quoque adsumpto, aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et coetus seditiosa disserebant de continuatione tributorum, gravitate fenoris, saevitia ac superbia praesidentium. Et discordare militem audito Germanici exitio. Egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes quam inops Italia, quam imbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus nisi quod externum, cogitarent.

41 Haud ferme ulla civitas intacta seminibus eius motus fuit: sed erupere primi Andecavi ac Turoni. Quorum Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte quae Lugduni praesidium agitabat, coërcuit. Turoni legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniae legatus miserat, oppressi eodem Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent. Spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, ostentandae, ut ferebat, virtutis: sed captivi, ne incesseretur telis, adgnoscendum se praebuisse

1. *conl.* M. 5. *faenoris* M. 8. *inb.* M. *plebes* Rhenanus, ante quem erat *plebis:* M *blebis.* 10. *haut firme* M. 11. *Turoni,* non *Turonii,* M. *andicavos* h. l. M. 17. *sacro uiri tecto* M. 18. *romani sciens* M.

Graeco; conf. IV 39: *non enim exuere imposita munia, satis aestimare* cet. XI 3: *remittere beneficium Asiaticus ait.* 9: *pepigere* (Vardanes et Gotarzes) *fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere.* In hoc exemplo quod est *ipsi,* veram structurae naturam ostendit. XIII 4: *nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis afferre;* 20: *refugitare tenebras et vigilatam convivio noctem.* Add. XIII 38 et 52, XIV 6, XV 27 et 55 et 61 et 62. Falso existimant in eiusmodi locis pronomen *se* omissum esse; immo nulla subiecti nota adest propterea quod pronominis reciproci nullus est nominativus. Alius generis sunt loci ad IV 59 allati.

per conciliabula et coetus: est ἓν διὰ δυοῖν pro *conciliabulorum coetus,* priore nomine locum denotante, altero rem ibi peractam. Orellius pro conciliis *conciliabula* esse putat, sed haec significatio bonis ex auctoribus probari nequit.

Cap. 41. *Andecavi ac Turoni:* utrique ad Ligerem (Loire) inferiorem, ac Turoni ripam sinistram, Andecavi dextram accolunt. Andecavos Plinius IV 32 *Andegavos* nominat. *Acilius Aviola:* Plinius VII 53 (52): *Aviola consularis in rogo revixit, et quoniam subveniri non poterat praevalente flamma, vivus crematus est.* Idem copiosius exequitur Valerius Maximus, Tiberiani aevi scriptor, I 8 12.

arguebant. Consultus super eo Tiberius aspernatus est indi-
cium, aluitque dubitatione bellum. Interim Florus insistere 42
destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta e Treviris
militia disciplinaque nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus
Romanis bellum inciperet; paucique equitum corrupti, plures
in officio mansere. Aliud vulgus obaeratorum aut clientium
arma cepit; petebantque saltus quibus nomen Arduenna, cum
legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et Gaius Silius
adversis itineribus obiecerant, arcuerunt. Praemissusque cum
delecta manu Iulius Indus e civitate eadem, discors Floro
et ob id navandae operae avidior, inconditam multitudinem
adhuc disiecit. Florus incertis latebris victores frustratus
postremo, visis militibus qui effugia insederant, sua manu
cecidit. Isque Trevirici tumultus finis. Apud Aeduos maior 43
moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi pro-

2. *aliutque* M. 3. *conscriptae treveris* M: correxit Bekkerus, ante quem *conscr. Treveris.* idem tamen c. 40 et 44 et 46 *Treveros* toleravit. 6. *aliut* M. 8. *C.* M. 14. *cecid.* (sic) M. *Treverici* vulgo. *aput* M.

Cap. 42. *e Treviris:* sprevi nominis formam *Treverorum* h. l. et c. 44 et 46 a M oblatam, dum idem I 41 *Treviros* bis offert. Perinde M[a] in Historiis inter utramque formam fluctuat incertus. Sed Tacitus cum numerum singularem H. III 35, IV 55 *Trevir* posuerit, necessario scripsit *Treviros*, non *Treveros.* Consentit forma Graeca *Τριούηροι* (h. e. *Trevĭri*, non *Trevīri* neque *Trevēri*) apud Dionem pluribus locis, item *Τριβηροι* Ptolemaei II 9 § 12; confirmat iocus Ciceronis ad Fam. VII 13 suadentis Trebatio: *Treviros vites censeo; audio capitales esse* (ut Romae *tresviros*).

quibus nomen Arduenna: Arduenna non ii tantum montes sunt, quos nunc *Ardennen* vocamus, sed etiam Eifliae iuga Treviris vicina a parte septentrionali. Caes. B. G. V 3: *quae* (silva Arduenna) *ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum a flumine Rheno ad initium Remorum pertinet;* cf. ibidem VI 29: *quae* (Arduenna) *est totius Galliae maxima atque ab ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios pertinet.*

Cap. 43. *Augustodunum:* olim Bibracte nomen erat; hodie *Autun* in provincia *Bourgogne.* Conf. d'Anville in Notitia Galliae antiquae p. 156 sqq.

nobilissimamque Galliarum subolem: nemo facile probabit rationem ad defendendam desperatam libri Medicei (*nobilissimarum*) scripturam a Walthero confidentius commendatam: nimirum ille *Augustodunum caput gentis* per se constare fecit puncto post *gentis* posito, ac *nobilissimarum Galliarum subolem* interpretatur *nobilissimarum Galliae familiarum subolem.* Et de hac quidem interpretatione non est quod dicam; sed quod attinet ad illam sententiae divisionem, ne ea quidem potest admitti, propterea quod tum enuntiata nimis disparata prodeunt, quodque in secundo

cul praesidium. Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat nobilissimamque Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret. Simul arma occulte fabricata iuventuti dispertit. Quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis et cultris, quaeque alia venantibus tela sunt. Adduntur e servitiis gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: cruppellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Augebantur eae copiae vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis, et certamine ducum Romanorum; quos inter ambigebatur utroque bellum sibi poscente. Mox Varro invalidus senecta
44 vigenti Silio concessit. At Romae non Treviros modo et Aeduos sed quattuor et sexaginta Galliarum civitates desci-

2. *occulpaverat* M. *nobilissimamque* Pichena: M *nobilissimarum*, Lipsius *et nobilissimam*. *subolem* M, non *sobolem* Beroaldi. 3. *studii sibi* M: emendavit Rhenanus, ante quem erat *studiis sibi*. 6. *religionariis* M: correxit Beroaldus. 9. *cruppellarios* M, non *crupellarios* Lipsii. 10. *inp*. M. *eae* M, non *hae*. 14. *viginti* M. 15. *quattuor* M, non *quatuor*.

non solum particula *ibi* sed etiam verba *armatis cohortibus* perverse collocata sunt. Ceterum Pichenae loci restitutionem praeferendam duximus Lipsii coniecturae a Bekkero probatae *et nobilissimam:* nam cum Sacrovir urbe potitus simul subolem liberalibus studiis ibi operatam traditam sibi haberet, alterum obiectum per particulam adaugentem (*que*), non per copulantem (*et*) adiungendum erat, et *que* ante *Galliarum* (Q' G) in *ἀρχετύπῳ* oblitterari facile potuit. Vitium *nobilissimarum* ob continuum nomen *Galliarum* natum est, quo peccandi genere vix ullum frequentius in libro M et M[a].

cruppellarios: pedites continuo ferro tecti et ex vulgo aut servis lecti *cruppellarii* Gallica voce vocantur; cf. c. 46. Alii sunt *clibanarii* sive *cataphractarii:* ex equis enim pugnant, et nobilissimus quisque cataphractarum tegmine et ad sua et equorum corpora munienda utuntur. Vid. H. I 79. Arrian. Tact. pag. 13 ed. Blancard. Ammian. XVI 2 §. 5 et 10 §. 8 et 12 §. 63. Lampridius Alex. Sever. 56. Nazarius Laud. Constantini 22. Servius ad Virgil. Aen. XI 770. Claudianus in Rufin. II 357, idem in sext. consul. Honorii 569. Lydus de Magistrat. I 46. Notitia dignitatum sola inter *clibanarios* et *cataphractarios* pluribus locis distinguit.

Cap. 44. *quattuor et sexaginta Galliarum civitates:* Strabo IV 3 2 sexaginta Galliarum nationes (*ἔθνη*) habet, earumque nomina in ara Lugdunensi Augusti subscripta esse tradit. Ab eo inde tempore quattuor civitates accesserant, ut patet ex his verbis. *cruentas epistulas:* eiusmodi litteras ex Campania Tiberius ad patres miserat; cf. c. 38.

visse, adsumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, ut mos famae, in maius credita, optumus quisque rei publicae cura maerebat: multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur, increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam. An et Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? Extitisse tandem viros, qui cruentas epistulas armis cohiberent. Miseram pacem vel bello bene mutari. Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed ut solitum, per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse et vulgatis leviora.
Interim Silius cum legionibus duabus incedens, praemissa 45
auxiliari manu vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Aeduis contermini sociique in armis erant. Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur;

1. *hisparias* M. 3. *cupidinē*, i. e. *cupidinem*, M. 6. *an. Isacrouirum* M, superscripto a recenti manu *et*. in margine *Iulium* rec. manu. 7. *extisset* M. 9. *inp.* M. *conp.* M. 14. *eduis* M.

Cap. 45. *memorare veteres Gallorum glorias:* dicit veteres Gallorum viros gloria eminentes. Sic Marcianus Capella IV §. 335: *ni Varronis mei inter Latiares glorias celebrati mihi eruditio industriaque suppeteret.* Sic II 41 *populi Romani amores*, de quibus cf. annot. et IV 40 *consilia* pro *consultoribus*, II 13 *matrimonia* pro *uxoribus*. Orellius interpretatur *gloriosa facinora* et Rupertium imprudenter secutus comparat Ciceronis Planc. 24: *honorum gradus — sunt pares, gloriae dispares*, sed ibi nomen *gloriae* genitivus est et vulgari significatione positum. Iidem editores ex Forcellinio proferunt Sallustii Iug. 41: *penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant*, sed illic *gloriae* breviter dictum pro *gloriae fructibus et possessione*. Pro iactationibus *gloriae* Plauto Mil. I 1 22 *gloriarum pleniorem*, Trucul. IV 4 36 *gloriae meretricum*, eumque imitatus Gellius I 2 6 *inanes cum flaret glorias*, II 27 extr. *quaestu atque compendio gloriarum.*

intolerantior: hoc nomen nunc vi passiva praeditum, ut XI 10 *regreditur ingens gloria, atque eo ferocior et subiectis intolerantior.* Vis activa est XII 1 *caelibis vitae intoleranti, et coniugum imperiis obnoxio*; perinde I 31, II 75, IV 1. H. IV 80.

Cap. 46. *competebant:* i. e. compotes erant. conf. H. III 73: *non lingua, non auribus competere.* Nonius p. 276 15: *competere — constanter valere. Sallustius Histor. lib. I: 'sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere'.*

imbelles Aeduos esse evincite: hoc periculo vetus offensio tollenda erat. Nimirum quod vulgo legitur

id satis ad victoriam. Duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaeque patentibus locis apparuere. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos. Ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent; quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis.
46 Non diu haec, nec apud laetos: etenim propinquabat legionum acies, inconditique ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis competebant. Contra Silius, etsi praesumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen pudendum ipsis quod Germaniarum victores adversum Gallos tamquam in hostem ducerentur. 'Una nuper cohors rebellem Turonum, una ala Trevirum, paucae huius ipsius exercitus turmae profligavere Sequanos. Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Aeduos esse evincite et fugientibus consulite.' Ingens ad ea clamor, et circumfudit eques, frontemque pedites invasere; nec cunctatum

2. *fronte* tacite Lipsius: *fronte̅*, i. e. *frontem*, M. 7. *letos* M. 9. *conp.* M. 13. *Turonum*, non *Turonium*, M. 15. *inb.* M. *esse* additum ab editore. 16. *cosulite* (pro *cōsulite*) M..

imbelles Aeduos evincite, id contra dicentis sententiam pronuntiat, nonnisi magna difficultate vinci Aeduos posse. Nam *evincere* est superatis variis difficultatibus victoriam impetrare. Sin de vincenda opinione Aeduorum accipias, sententia prodit haec, imbelles Aeduos ad aliam sentiendi agendive rationem traducite (*stimmet die unkriegerischen Aeduer um*). Hoc enim intellectu eo verbo usus est hic noster XI 37, XII 25 et 49, XV 64. H. II 64. Minime vero etiam haec adhortatio congruit ceteris consiliove dicentis. Aliter autem res se habet, si verbo *evincere* iungitur infinitivus, veluti apud Horatium Serm. II 3 250: *si puerilius his ratio esse evincit amare* (*wenn Vernunft erzwingt, kindischer als dieses sei Verliebtsein*). Tunc *evincere* perinde ut *cogendi* verbum, quod ipsum sic positum infinitivo carere nequit, aliquid esse vel non esse ut omnes tandem concedant, efficere dicitur (*erzwingen*), hoc est persuasionem necessariam afferre. Simulatque igitur verbum *esse* ceteris adiectum est, exit sententia quam plures recte desiderant, sed vulgatis inesse probare nemo potest, 'efficite ut Aedui pro imbellibus habeantur'. Hoc *esse* in libro ἀρχετύπῳ compendio *ee* exaratum fuisse et tamquam inertem repetitionem ante *evincite* a proximo librario omissum esse puto.

fugientibus consulite: h. e. parcite; fugientes capere, non trucidare contendite. Hoc addit non tam humani animi ductus affectu quam lucri cupidine: ad eam enim Silius nimium proclivis; v. IV 19: *victoria per avaritiam foedata et uxor Sosia arguebantur. Nec dubie repetundarum criminibus haerebant.* Cf. H. III 82.

apud latera. Paulum morae attulere ferrati restantibus laminis adversum pila et gladios; sed miles correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, caedere tegmina et corpora; quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere; iacentesque, nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. Illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. Incensa super villa omnes cremavit. Tum demum Tiberius ortum patratumque 47 bellum senatui scripsit; neque dempsit aut addidit vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. Simul causas cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen, * * * Nunc quia non metu ducatur, iturum, ut praesentia spectaret componeretque. Decrevere patres vota pro reditu eius supplicationesque et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in

1. *lamminis* M. 2. *set* M. 8. *incensa*] *ingressa* M: tacite emend. Rhenanus. 10. *senatus* M. *tempsit* M. 15. hiatus signa ab editore.

restantibus laminis adversum pila: antique hoc dictum pro *resistentibus*. Lucretius II 450: *aeraque quae claustris restantia vociferantur.*

nullo ad resurgendum nisu: deficiente nitendi vi ad resurgendum.

Cap. 47. *omissa urbe, unde in omnia regimen, unam sua cura amplecti provinciam:* haec fere integra fuerit Taciti sententia, sed in contextu operis hiatum indicare debui, cum ipsa scriptoris verba restituere non nisi is arrogare sibi possit, qui vano studio ducatur. Alii haec tentavere: Pichena ex antecedentibus *ad bellum proficisci* cogitatione repetendum existimavit, quod fieri nequit, vel eam ob causam quod ante est *ad id bellum*, nunc autem non iam de bello Gallico sermo est, sed in universum de turbis provinciarum princeps loquitur; Ryckius ex proximo *ducatur* suppleri voluit *duci* (= *trahi*, *evocari*), quod minime approbandum: nam illud *ducatur* alia significatione praeditum est quam Ryckianum *evocari*. Aurelius et Freinshemius *omisisse urbem* legendum suasere pro verbis sanis et non suspectis *omissa urbe*.

Cap. 48. *sub idem tempus:* ad complendam huius anni historiam duo referenda restant, quorum unum verbis *sub idem tempus*, alterum *fine anni* prioribus quodammodo connectitur. Vid. ad I 53.

Homonadensium: Strabo XII 6 5 p. 569: *ʽΟμοναδέας — δὲ Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ, καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις.* Plin. V 23 (27). Consulatu functus est Quirinus a. 742; conf. ad II 30. *datusque rector Gaio Caesari:* id accidit a. 755; vid. Norisii Cenotaph. Pisan. p. 251 sqq.

Executed
death of Germanicus – & a poem anticipating the death of Drusus

adulationem progressus, censuit ut ovans e Campania urbem introiret. Igitur secutae Caesaris litterae, quibus se non tam vacuum gloria praedicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.

48 Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirini publicis exequiis frequentaretur, petivit a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque rector Gaio Caesari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit in senatu, laudatis in se officiis et incusato Marco Lollio, quem auctorem Gaio Caesari pravitatis et discordiarum arguebat. Sed ceteris haud laeta memoria Quirini erat ob intenta, ut memoravi, Lepidae pericula sordidamque et praepotentem senectam.

49 Fine anni Lutorium Priscum equitem Romanum, post

6. *Quirini* M: idem mox *Quirinius*, tum rursus *Quirini*. cf. annot. ad 2 30. *exseq*. Or. 8. *aput* M. 11. *onomadensium* M. 12. *G*. M. *opt*. M. 14. *M*. M. *folio* M: correxit Lipsius. 15. *G*. M. 16. *haut* M. 17. *lepedae* M. 18. *Lutorium* editor: M *clutorium*, Lipsius *C. Lutorium*.

incusato Marco Lollio: Velleius II 102 in eo notat *perfida et plene subdoli ac versuti animi consilia*. Cf. Sueton. Tiber. 12 et 13. Plinius IX 58 (35): *hoc fuit quare M. Lollius, infamatus regum muneribus in toto oriente, interdicta amicitia a Gaio Caesare Augusti filio, venenum biberet, ut neptis eius quadringenties H—S operta spectaretur ad lucernas*. Ad eum Horatii Carm. IV 9. Cladis Lollianae mentio facta a Tacito I 10.

Cap. 49. *Lutorium Priscum*: si nominis formam, quae inest M (*clutorium*), non pro aberratione librarii mediae aetatis (illi libenter *c* adiungebant ad *l*, ut in *Ludwig* et *Clodwig* cet.) accipiamus, sed *c* pro nota praenominis *Gai*, ut Lipsius fecit et vulgo fit, habeamus, Tacitus insolitam sibi vel in hominibus nobilissimis diligentiam vano huic et parum illustri mire impendit, ut tribus nominibus denotaret hic et mox c. 50. Idem cum alias hominem aliquem duobus nominibus consignatum dedit ac mox iterum nominandum habet, uno nomine, ut decet, contentus est. Etiam ab hac norma defecit, si sequimur Lipsium, et erit statim *Gaius Lutorius* (c. 49), mox *Gaius Lutorius Priscus*, tum *Gai Lutorii* (c. 50). Quae inconstantia plane incredibilis cum Tacito imputari nullo modo possit, ego illud *c* pronuntiantis vitio cum *l* iunctum quater sustuli et perpetuam Taciti consuetudinem vindicavi. Cf. annot. ad XIII 30. Apud Dionem LVII 20 est *Γάϊος Λουτώριος Πρίσκος*,

celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse quod, si extinctus foret, maiore praemio vulgaretur. Id Lutorius in domo Publii Petronii, socru eius Vitellia coram multisque inlustribus feminis, per vaniloquentiam legerat. Ut delator extitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit. Sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit, sententiaque Haterii Agrippae consulis designati indictum reo ultimum supplicium. Contra 50
Marcus Lepidus in hunc modum exorsus est: 'si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint. Sin flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis moderatio maiorumque et vestra exempla temperant, et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt, est locus sententiae per quam neque huic delictum impune sit, et nos clementiae simul ac severitatis non paeniteat. Saepe audivi principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset. Vita Lutorii in integro est; qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit. Studia illi, ut plena vecordiae, ita inania

4. *Lutorius* editor: M *clutorius*, vulgo *C. Lutorius;* perinde 11. *P.* M. 7. *adseuarit* M: correxit Beroaldus. 8. *permitiem* M. 9. *designanti* M. 10. *M.* M. *P. C.* M. 12. *hominus* M. 18. *pen.* M. 20. *Lutorii* editor et sic h. l. etiam Lipsius: M *clutorii*, Iac. Gronovius primus *C. Lutorii.* 22. *vaec.* M.

certe in editis exemplaribus. Plin. VII 40 (39): *sed hoc pretium belli, non hominis fuit, tam Hercule quam libidinis, non formae, Paezontem e spadonibus Seiani II — S D. mercante Lutorio Prisco.* Ibi codices *Sutorio Prisco*, editores non bene *C. Lutorio Prisco.*

Cap. 50. *quam nefaria voce Lutorius Priscus — polluerit:* Tacitus ipse uno nomine *Lutorius* aut *Priscus* contentus esset, sed orator Lepidus cum nunc illum primum nominet, pro more solito duo ponit, atque id Tacito imitandum erat: tertium enim (*Gaius*) editorum culpa additum est. Lutorius mentem suam polluit foeda cogitatione concepta, aures hominum eo quod prave cogitatum cum aliis communicavit.

vita Lutorii in integro est: Lutorius non praevenit misericordiam principis sumpta morte, et adest occasio parcendi tali principi grata. Sententiam non perspexit Lipsius, cum coniecit *esto.*

et fluxa sunt; nec quicquam grave ac serium ex eo metuas,
qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis sed
muliercularum adrepit. Cedat tamen urbe, et bonis amissis
aqua et igni arceatur. Quod perinde censeo ac si lege ma-
51 iestatis teneretur'. Solus Lepido Rubellius Blandus e consu-
laribus adsensit: ceteri sententiam Agrippae secuti, ductusque
in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis
sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pieta-
tem quamvis modicas principis iniurias acriter ulciscentium,
deprecaretur tam praecipitis verborum poenas; laudaret Le-
pidum, neque Agrippam argueret. Igitur factum senatus
consultum ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium
deferrentur, idque vitae spatium damnatis prorogaretur. Sed
non senatui libertas ad paenitendum erat, neque Tiberius in-
teriectu temporis mitigabatur.

52 Gaius Sulpicius Decimus Haterius consules sequuntur;
inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate
adversum luxum, qui immensum proruperat ad cuncta quis
pecunia prodigitur. Sed alia sumptuum, quamvis graviora,
dissimulatis plerumque pretiis occultabantur; ventris et ganeae
paratus adsiduis sermonibus vulgati fecerant curam ne princeps
antiquae parsimoniae durius adverteret. Nam incipiente Gaio

3. *caedat*. M. 5. *rebellius* M. 12. *diem ad* M: *decimum* inseruit Lipsius. 16. *G.* M. *D.* M. *harius* M: tacite correxit Rhenanus. 18 *inm.* M. 20. *dissimilatis* M. *praetiis* M. 22. *parsimoniae* M, non *parcimoniae*. C. M.

Cap. 51. *Priscus*: si Tacitus hoc loco gentile nomen *Lutorius* posuisset, pro illa libri Medicei aberratione in hoc *clutorius*, in editis *C. Lutorius* legeremus. Familiae nomen immune fuit ab ista corruptione. Agnosce vero Taciti morem et constantiam.

apud senatum incusavit: hoc fecit epistola per quaestorem suum missa et in senatu recitata: nam cum Lutorius damnatus est, absens Tiberius erat in Campania, ubi etiam post haec aliquantum temporis permansit. Vid. Dio l. c. et hic noster III 31 et 47 et 52—56 et 59 et 64.

ad aerarium deferrentur: 'in aerario tabulae publicae et acta senatus. Livius XXXIX 4: *verum cum sint notissimae sibi cum consule inimicitiae, quid ab eo posse quemquam aequi expectare, qui per infrequentiam furtim factum SC ad aerarium detulerit?* Nec ante rata, donec delata. Interea auctoritas dicebatur, non SC, ut ex Cic. ep. ad Divers. VIII 8 et Dione LV 3 iam alii notarunt. Vide similem in Tacito locum XIII 28, de multis aedilium'. Lipsius.

Bibulo ceteri quoque aediles disseruerant sperni sumptuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remediis sisti posse. Et consulti patres integrum id negotium ad principem distulerant. Sed Tiberius saepe apud se pensitato an coërceri tam profusae cupidines possent, num coërcitio plus damni in rem publicam ferret, quam indecorum adtrectare quod non obtineret, vel retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret, postremo litteras ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit. 'Ceteris forsitan in rebus, patres conscripti, magis 53
expediat me coram interrogari et dicere quid e re publica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem. Quodsi mecum ante viri strenui, aediles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potius praevalida et adulta vitia, quam hoc adsequi ut palam fieret quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere

2. *praetia* M. 3. *remedii isti* M; correxit Pichena, Beroaldus *remed. resisti.* 4. *distulaerant* M. 6. *plicam* M. 10. *p. c.* M. 11. *quid re* M: *de* inserit margo, *e* Beroaldus. 14. *deprenderem* M (non *deprehenderem*).

Cap. 52. *ceteri quoque aediles:* id ex his verbis non liquet, utrum aedilis curulis fuerit Bibulus an plebei: sed exemplo dato utrumque aedilium genus ad illam curam successit.

vetita utensilium pretia: narravit ante (II 33) vasa auro solida senatus decreto vetita esse, traditque Suetonius Tiber. 34 Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, ut modum adhibendum supellectili princeps censuerit: sed Tacitus cum alias *utensilia* semper pro penu cibariisque, nunquam pro supellectile posuerit (v. ad I 70), etiam hoc loco ventris gulaeque delenimenta, non vasorum ex auro aut Corinthiorum pretia, intelligenda sunt. Ac sane apud Suetonium l. c. legimus graviter principem conqueri, *tres mullos triginta milibus nummum venisse,* eundemque censere, *annonam macelli senatus arbitratu quotannis temperandam.* De lege sumptuaria v. Gell. II 24. Sueton. Caes. 43, August. 34. Dio LIV 2 et 16.

litteras ad senatum: cf. ad c. 51. Ceterum Tiberii mentem summis rebus parem atque virilem eloquentiam et aculeos in animis audientium relinquentem egregie nunc imitatus est summus auctorum. Sententiam principis, non verba se referre ipse indicavit verbis *quarum sententia in hunc modum fuit.*

Cap. 53. *sua munia:* cf. ad III 2.

et cum — trahant: particula *cum* valet *quamvis*, ut patet ex subiunctivo *trahant;* in proximis *unius invidia* vocis *tamen* notio a

velim: mihi autem neque honestum silere neque proloqui expeditum, quia non aedilis aut praetoris aut consulis partis sustineo. Maius aliquid et excelsius a principe postulatur; et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? Villarumne infinita spatia? Familiarum numerum et nationes? Argenti et auri pondus? Aeris tabularumque miracula? Promiscas viris et feminis vestes? Atque illa feminarum propria, quis lapidum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostilis gentes transferuntur?

54 Nec ignoro in conviviis et circulis incusari ista et modum posci: sed si quis legem sanciat, poenas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. Atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos nisi per dura et aspera coërceas: corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus haud levioribus remediis restinguendus est quam libidinibus ardescit. Tot a maioribus repertae leges, tot quas divus Augustus tulit, illae oblivione, hae, quod flagitiosius est,

2. *partis* M, non *partes*. 3. *excelsus* superscr. *i*. M, ut Beroaldus in ed. 10. *pecunie* M. 12. *poscis*. *et* M: correxit Beroaldus. *Idem* M, h. e. *iidem*. 13. *spelnd*. M. 14. *expartem* M. *clamitabant* M: correxit Beroaldus. 17. *haut* M. 19. *flagitiosus* M: correctum a Beroaldo.

legente supplenda. *unius — peccatur:* quae ab omnibus civibus peccantur, uni principi vitio vertuntur tamquam remedia non adhibenti. Proxime enumerat imperator in quibus vulgo peccetur. Tacitus praepositionum parcus *unius invidia* dedit pro *cum invidia unius* vel *in invidiam unius*.

et nationes: queritur de servitiis ex diversis et longinquis terris Romam translatis. Vid. XIV 44. De multitudine servorum in domibus Romanorum loquuntur Plinius XXXIII 6 et 47, Athenaeus VI 103—105 p. 272 sq., Seneca de Tranq. 8, de Benef. VII 10.

aeris — miracula: vasa Corinthia, de quibus questum esse Tiberium narrat Suetonius Tiber. 34.

ad externas aut hostiles gentes: ad Arabes et Indos. Plinius IX 54, XXXVI 9.

Cap. 54. *corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus:* Theodisce interpretor: (das Gemüth) *verführt zugleich und Verführer, krankhaft und entzündend.* Scilicet in oratione exquisite composita et rara audacia eminenti verbum *flagrare* vi activa ponere Tacitus ausus est, ut aequalis poeta Statius in Silvis V 2 120: *miseramque patri* (Aeneae) *flagrabat Elisam* (Ascanius), h. e. *flagrare faciebat* vel *accendebat*. Ad Statii versum frustra offendit Marklandus, apud Tacitum contraria membra verum ostendunt ab interpretibus non animadversum.

contemptu abolitae securiorem luxum fecere. Nam si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est. Cur ergo olim parsimonia pollebat? Quia sibi quisque moderabatur, quia unius urbis cives eramus; ne inritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est de quo aediles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At Hercule nemo refert quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur. Ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur. Hanc, patres conscripti, curam sustinet princeps; haec omissa funditus rem publicam trahet. Reliquis intra animum medendum est: nos pudor, pauperes necessitas, divites satias in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur ut ire obviam queat, hunc ego et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor. Sin accusare vitia volunt, dein, cum gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt, credite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum avidum; quas cum graves et plerumque iniquas pro re publica suscipiam, inanes et inritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.'

1. *facere* M: correxit idem. 4. *parsimonia* M, non *parcimonia*. *sibi quisque*] *sibique* M. 5. *qua* M: utrumque correxit Beroaldus. *urbes* M. 8. *edeles* M. 9. *adhercule* M. 10. *populi R.* M. 14. *p. c.* M. 16. *sacias* M. 17. *tantum* M. 18. M *hunc ego et*, non *hunc et* Beroaldi. 19. *exonorari* M. 20. *gloria* M. 21. *p. c.* M. 23. *pro re*] *prope* M. 24. *iurae depcor* cum lin. M.

per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur: populi Romani vita frumento ex Aegypto, Africa, Sicilia classibus advecto sustentabatur. Quodsi illae classes tempestatibus vel alia vi aut retinerentur aut mergerentur, Romae saeva annonae gravitas oriebatur; conf. II 59, IV 6, XII 43.

et agris, h. e. paucitati Italiae agrorum: hi enim nemoribus et villis occupati voluptati possidentium lenocinabantur exempti segeti. Id aegre tulere iam Augustus et Maecenas ac disertus utriusque amicus et interpres Horatius Carm. II 15.

satias: eadem brevior haec nominativi forma III 30, VI 38, XVI 16. Ceteri casus a *satietas* descendunt. *simultates:* sunt aegri animi affectus ad inimicitiam accedentes (*Verstimmungen*).

of celebrities – Senators from the municipia – Vespasian parsimony –

55 Auditis Caesaris litteris remissa aedilibus talis cura; luxusque mensae, a fine Actiaci belli ad ea arma quis Servius Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolevere. Causas eius mutationis quaerere libet. Dites olim familiae nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiae prolabebantur. Nam etiam tum plebem socios regna colere et coli licitum; ut quisque opibus domo paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur. Postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. Simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parsimoniam intulerunt; et quamquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus. Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur; nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Verum haec nobis *adversus* maiores certamina ex honesto maneant.

6. *magnificentie* M. 9. *sevitum* M. 12. *parsimoniam* M, non *parcimoniam*. 19. *aput* M. 21. *adversus* ab editore est.

Cap. 55. *remissa aedilibus talis cura:* v. annot. ad II. III 5. Remissa est (h. e. derogata) cura non mediocribus remediis sistendi ventris et ganeae paratus: id enim ut fieret aediles intenderant; v. cap. 52. *ut quisque opibus domo paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur:* haud dubie protasis et apodosis his verbis continetur, quamvis negante Doederlinio. Opes enim et domus (Palais) subsequenti *nomini* respondent, paratus *clientelis*. Scilicet *per nomen et clientelas* idem est quod *per eas res* (per opes domum paratum). Orellius Doederlinium laudat et tamen veterem interpungendi rationem tenet.

adversus maiores certamina: adversus abest a Mediceo sine hiatus indicio; sed praepositionem deesse patet, quae autem fuerit ambigitur. Et Lipsius quidem coniecit *in maiores*, sed *in maiores certamina* neque Latine dicitur neque Tacitinum est. Ubi comparaveris II 36 *certamen Gallo adversus Caesarem ortum*, O. 36 *senatus adversus plebem certamina*, A. 9 *procul ab aemulatione adversus collegas*, *procul a contentione adversus procuratores*, vix dubitabis quin *adversus* recte sit insertum.

Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis accu- 56 satores represserat, mittit litteras ad senatum quis potestatem tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. Sed principio litterarum veneratus deos ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de moribus adulescentis neque in falsum aucta rettulit. Esse illi coniugem et tres liberos, eamque aetatem qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem, noti laboris participem sumi.

1. *accussatores* M. 3. *tribunitiam* M: sed *c* est 1 2 et 3 et 7 et 9 et 13. *vocabulū* M. 14. *retulit* M.

Cap. 56. *summi fastigii vocabulum:* conf. I 3 et annot. ad I 2. Rem ipsam, non titulum, Caesar iam usurpaverat: v. Dio XLII 20.

eamque aetatem, qua ipse: Drusum aetatis annum 36 assecutum esse hinc intelligimus: cf. ad I 3.

Cap. 57. *praeceperant animis orationem patres:* est principis oratio per quaestorem eius de scripto recitata. Cf. XVI 27: *et oratio principis per quaestorem eius audita est.* Freinshemius probante Orellio hanc *orationem* accipit pro patrum verbis ante meditatis, sed aperte *oratio* Caesaris modo audita et subsequens *adulatio* patrum sibi opponuntur, Orellius autem, qui putabat absentis principis litteras *orationis* nomine designari non potuisse, redarguitur exemplo a nobis allato.

foedissimae adulationis tantum infamia usurus: h. e. nihil nisi infamiam pro praemio adulationis relaturus. Nimirum dives honoratusque *senex* vix quidquam a potentibus sperare amplius potuit. Ex nomine *senex* sententiae acumen pendet.

Cap. 58. *ut Asiam sorte haberet:* Iunius Blaesus ex vetustissimis consularibus cum Africae etiam in annum sequentem praeficeretur, Asiae sorti sponte exemptus erat. Quapropter alter consularis qui aspirare ad Asiam aut Africam ob aetatem posset, Asiae sortem sibi deferendam postulavit. Sed is cum flamen Dialis esset, *sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata* (III 71).

non licere Dialibus egredi Italia: certiora de hoc iure docentur III 71. Liv. V 52, ubi Camillus: *flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas est.*

57 Praeceperant animis orationem patres; quo quaesitior adulatio fuit, nec tamen repertum nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent; nisi quod Marcus Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit, dixitque pro sententia ut publicis privatisve monimentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent. At Quintus Haterius cum eius diei senatus consulta aureis litteris figenda in curia censuisset, deridiculo fuit senex foe-
58 dissimae adulationis tantum infamia usurus. Inter quae provincia Africa Iunio Blaeso prorogata, Servius Maluginensis flamen Dialis ut Asiam sorte haberet postulavit, frustra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum quam Martialium Quirinaliumque flaminum: porro, si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? Nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri. Saepe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valitudine aut munere publico impediretur. Quinque et septuaginta annis post Cor-

1. *quoque sitior* M. 3. *cesserent* M. 4. *M.* M. 5. *sentia* M. 7. *tribunitiam* M. 8. *Atque haterius* M: correxit Lipsius. 9. *foedissime* M. 10. *interq; prov.* M. 11. *maligineñsis* M. 13. *aliud ius sum (ius* est in fine versus) M: correxit Rhenanus. 15. *si hij sibi* M. *curdiabus* M: utrumque correxit Beroaldus. 16. *repperiri. sepe pontificis* M. 18. *quinque* accepi a Lachmanno ad Gaium I §. 136: M *duobus*.

quam Martialium Quirinaliumque flaminum: non tam ius publicum sacrumque respicit haec dicens, quam id quod interdum usu venerat, eoque ius flaminum contineri cupide arbitratur. Scilicet ne Martialibus quidem et Quirinalibus egredi Italia iure concessum erat: v. Cic. Philipp. XI 8. Liv. XXXVII 51, in epitoma l. 19 et 59. Valer. Max. I 1 2.

populi scita: nove haec posuit pro *plebiscitis.* Ceterum non mirum, si nulla plebiscita, nihil in iure sacro de hac re reperiebatur, cum ipsa eius sacerdotii natura illud postulare videretur. Flamines enim templorum primariis numinibus dicatorum antistites erant et curatores (*Tempelpriester*).

post Cornelii Merulae caedem: cecidit sua manu a. 667, cum Gaius Marius e ruinis Carthaginis in urbem reversus optimates trucidavit: v. Appianus de Bellis civ. I 74. Velleius II 22. Valerius Max. IX 12 5. Florus III 21 16. Restituit flaminium Iovis Augustus a. 743, ut tradit Dio LIV 36. Cf. Sueton. Aug. 31: *nonnulla ex antiquissimis caerimoniis paulatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium.* Si Dio annum restituti flaminii recte definivit, ut sane videbitur comparanti mutila Gai verba I §. 136: *Maximi et Tuberonis* (sunt consules a. 743) . . . *haec quod ad sacra tantum videatur in manu esse, quod vero ad cetera perinde habeatur atque si*

nelii Merulae caedem neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones. Quodsi per tot annos possit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius afuturum ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi, non odio aut privatis adfectionibus obnoxium. Adversus quae cum augur Lentulus aliique 59
varie dissererent, eo decursum est ut pontificis maximi sententiam opperirentur. Tiberius dilata notione de iure flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureasque litteras contra patrium morem. Recitatae et Drusi epistulae, quamquam ad modestiam flexae, pro superbissimis accipiuntur. Huc decidisse cuncta ut ne iuvenis quidem tanto honore accepto adiret urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet. Bellum scilicet, aut diverso terrarum distineri, litora et lacus Campaniae cum maxime peragrantem. Sic imbui rectorem generis humani; id primum e paternis consiliis discere. Sane gravaretur aspectum civium senex imperator, fessamque aetatem et

3. *afuturum* M, non *abfuturum*. 7. *aemulatione* M: correxit Muretus. 10. *delata notitione* M: correxit Beroaldus. 11. *tribunitiam* M. *cerimonias* M. 13. *epistulae* M, non *epistolae*. 15. *decidisse se cuncta* M: correxit Beroaldus. 18. *cum* M, non *tum* Beroaldi.

in manum non convenisset, cum Lachmanno ad Gaium pro *duobus* reponendum erit *quinque* potius (quippe commutatae sunt LXXu et LXXII) quam obsequendum Vossio qui *sex* ad Vell. II 43 commendavit. Nam inter a. 667 et 743 anni intersunt 75, et annus 743 quo id flaminium restitutum a computatione excludendus est. Iulius Caesar in Merulae locum successor creatus sed non inauguratus erat. V. Sueton. Caes. 1. Vellei. II 43. Conf. Drumanni H. R. t. III p. 130 sq.

Cap. 59. *notione:* quemadmodum Tacitus saepe verbis *simplicibus* utitur, ubi composita usus vulgo probavit, ita in nomine verbali *notione* pro *cognitione* eandem consuetudinem tenuit et hoc loco et VI 12, eo magis quod in antiquis sacerdotum formulis *notionem* pro *cognitione* fuisse colligitur etiam ex Ciceronis (Ciceronis enim est ista oratio) pro Dom. 13: *quae omnis notio pontificum — esse debuit.* Cf. ad Attic. XI 20: *etiam Sallustio ignovit. Omnino dicitur nemini negare; quod ipsum est suspectum notionem eius differri.* Cicero h. l. Caesaris, qui pontifex maximus erat, *notionem* sive cognitionem non iuris pontificii, sed de adversariis habendam *differri* cum

actos labores praetenderet: Druso quod nisi ex adrogantia impedimentum?

60 Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; complebantur templa pessimis servitiorum; eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis. Igitur placitum ut mitterent civitates iura atque legatos. Et quaedam quod falso usurpaverant sponte omisere; multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipsorumque numinum religiones introspexit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve.

61 Primi omnium Ephesii adiere, memorantes non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae, quae tum etiam maneat, adnisam edidisse

6. *conpl.* M. 10. *protegentes* M. 11. *civitatis* M. 19. *aput* M. 20. *cenchreum* M: correxit Beroaldus. *locum* M: correxit Lipsius. *ortigiam* M.

ioco quodam opinatur timetque. Itaque *differre notionem* pontifex maximus dicebatur, ubi ante collegii sententiam vel responsum experiri volebat; v. infr. c. 71.

bellum scilicet: intellige *esse;* imitatur indignationis dissecta membra et parum coniuncta. Non opus est Lipsii *bello*, neque Pichenae *bello eum*, quod vix Tacitinum est.

Cap. 60. *Sed Tiberius — mittendo:* ex his clarum cur hoc ipso loco quae iam sequuntur inseruerit Tacitus: nam ante relatum est quomodo vim principatus Tiberius sibi firmaverit etiam successore designato, nunc quomodo imaginem moris antiqui patribus concesserit, ne imperii administratio nimis cruda videretur.

Graecas per urbes: sunt urbes provinciae Asiae, sed in quibus Graeca lingua et mores Graecorum obtinebant.

Cap. 61. *Cenchrium amnem:* Graece est ὁ *Κέγχριος*, et perfluit lucum Ortygiam prope Ephesum urbem. Strabo XIV 1 20: *ἐν δὲ τῇ αὐτῇ παραλίᾳ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐστὶ καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ τῆς πλείστης. διαρρεῖ δὲ ὁ Κέγχριος ποταμός, οὗ φασι νίψασθαι τὴν Λητὼ μετὰ τὰς ὠδῖνας. ἐνταῦθα γὰρ μυθεύουσι τὴν λοχείαν καὶ τὴν τροφὸν*

ea numina; deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem, bello victorem, supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse. Auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia poteretur, caerimoniam templo; neque Persarum ditione deminutum ius. Post Macedonas, dein nos servavisse. Proximi Magnetes Lucii Scipionis et Lucii Sullae 62
constitutis nitebantur, quorum ille Antiocho hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae

4. *hinc con* (syllaba haec in folii fine scripta punctis notatur) *concessu* M. 5. *poteretur* M, non *potiretur*. *cerimoniam* M. 6. *dicione deminutum* M. 7. *proximo* M: correxit Freinshemius; cf. 2 47. *snagnetes* M: correxit Beroaldus. *L.* bis M.

τὴν Ὀρτυγίαν, καὶ τὸ ἄδυτον ἐν ᾧ ἡ λοχεία, καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων. Pausan. VII 5 5. Alexander Aetolus apud Macrob. Saturn. V 22 (Meinekium p. 225 et 229): *ἥ τ' ἐπὶ Κεγχρείῳ τίμιον οἶκον ἔχει.*

Apollinem — iram vitavisse: Euripides Alcest. 3—6. Apollodor. III 10 4. Diodor. IV 71. Valerius Flaccus I 445. Hygin. Fab. 49. Servius ad Aen. VI 398.

Amazonum: apud Pausaniam IV 31 6 Amazones dicasse statuam Dianae Ephesiae feruntur, idemque VII 2 4 de Amazonibus erga Liberum supplicibus mentionem iniecit.

Persarum ditione: sequi nolui librum M offerentem *dicione*, cum perpetua sit litterarum *c* et *t* mutatio pronuntiantium vitio nata, cumque nomen *ditio* simplex forma sit compositi *deditio*, quod in bono et diligente scriptore nemo sustinebit scriptum exhibere *dedicio*.

post Macedonas, dein nos: uberius haec persequitur Strabo XIV 1 23 p. 641: *ἄσυλον δὲ μένει τὸ ἱερὸν καὶ νῦν καὶ πρότερον, τῆς δ' ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις, Ἀλεξάνδρου μὲν ἐπὶ στάδιον ἐκτείναντος, Μιθριδάτου δὲ τόξευμα ἀφέντος ἀπὸ τῆς γωνίας τοῦ κεράμου καὶ δόξαντος ὑπερβαλέσθαι μικρὰ τὸ στάδιον, Ἀντωνίου δὲ διπλασιάσαντος τοῦτο καὶ συμπεριβαλόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως. ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν, ὥστ' ἠκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ.*

Cap. 62. *Magnetes:* incolae Magnesiae ad Meandrum vel potius ad Lethaeum in campo Meandrio; v. Strab. XIV 1 §. 39 et 40. Plinius N. H. V 31. De Leucophryene Diana Magnetum Strabo haec profert §. 40 p. 647: *ἐν δὲ τῇ νῦν πόλει τὸ τῆς Λευκοφρυηνῆς ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος, ὃ τῷ μὲν μεγέθει τοῦ ναοῦ καὶ τῷ πλήθει τῶν ἀναθεμάτων λείπεται τοῦ ἐν Ἐφέσῳ καὶ τοῦ ἐν Διδύμοις. Λευκοφρυηνή* cognominata dea est a virgine *Λευκοφρύη*, quae capta amore Leucippi, ducis Magnetum ex Creta in Asiam proficiscentium, huic prodidit civitatem, ante, ut videtur, Mandrolytiam a rege Mandrolyto patre Leucophryes, post Magnesiam ad Maeandrum appellatam (v. Boeckh. Corp. inscript. t. II p. 580 et 582), quaeque in illo Dianae templo sepulta erat: v. Parthenii Erotica c. 5. Clementis Protrept. 3 p. 29 C ed. Sylb.

Leucophryinae perfugium inviolabile foret. Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris, ob vetusta in partis merita, et recens divi Augusti decretum attulere, laudati quod Parthorum inruptionem nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent. Sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. Altius Hierocaesarienses exposuere, Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum; et memorabantur Perpernae, Isaurici multaque alia imperatorum nomina, qui

1. *Leucophryinae* editor: M *leucophine*, vulgo praeeunte Lipsio *Leucophrynae*. *invol.* M. 3. *partis* M, non *partes*. *adulere* M. 5. *Romanum*] *R.* M. 7. *aput* M. 9. *perpennae* M: tacite correxit Lipsius.

Arnobius I 6. Cf. Boeckh. Corp. inscript. t. II pag. 582. Dianam Leucophryenen Mileti memorat Appianus B. C. V 9. Nummi Leucophryenen Magnetum exhibentes apud Eckhelium D. N. II p. 525.

Dianae Leucophryinae perfugium: in Medicei *leucophine* (h. e. *leucophinę* sive *leucophinae*) restituenda est media syllaba omissa ante vocalem, quo facto prodit 'Leucophr*yi*nae', quae Latina pronuntiatio est Graecae nominis formae *Λευκοφρυηνῆς*: hanc enim veram esse, non *Λευκοφρυνήν*, praeter Strabonem planissime docet titulus apud Boeckhium 2914.

Aphrodisienses posthac et Stratonicenses — decretum: Aphrodisienses decretum Caesaris, Stratonicenses Augusti attulerunt; atque ipsae Caesaris litterae in ea causa a dictatore Caesare scriptae iam non extant, sed superest decretum accessorium (*ἐπίκριμα*) Antonii triumviri, quo concessa Aphrodisiensibus beneficia Caesaris confirmantur, editum a Boeckhio Corp. inscript. n. 2737 a, id quod nunc silentio premitur a legatis Aphrodisiensium, quia acta Antonii rescissa erant. Decretum Augusti Stratonicensibus datum memoratur in titulo Stratonicensi publico apud Boeckhium n. 2715 v. 3. Strabo XIV 2 25 p. 660: *ἔστι δ' ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων δύο ἱερά, ἐν μὲν Λαγίνοις τὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιφανέστατον, πανηγύρεις μεγάλας συνάγον κατ' ἐνιαυτόν· ἐγγὺς δὲ τῆς πόλεως τὸ τοῦ Χρυσαορέως Διὸς κοινὸν ἁπάντων Καρῶν.* Stratonicea Carum sedes, Aphrodisias magnae Phrygiae civitas fuit; de hac Strabo XII 8 13 p. 576 et XIII 4 15 p. 630. Pausan. V 21.

Parthorum inruptionem: hoc ad unos Stratonicenses pertinet, non etiam ad Aphrodisienses; vid. Dio XLVIII 26.

Hierocaesarienses: cf. Pausan. V 27 3. Lydiae urbem incolebant.

delubrum rege Cyro dicatum. *rege Cyro* idem est atque Cyro regnante: nam si esset iussu et ex praescripto Cyri, debuit scribi aut *a rege* aut *regi*.

Perpernae: est *M. Perperna*, consul a. 624, qui Aristonicum acie victum Stratoniceae fame ad deditionem compulit. Cf. Eutrop. IV 20. Vellei. II 4. Iustin. XXXVI 4: Forma nominis Perperna in fastis consularibus.

Isaurici: P. Servilius Vatia, qui consul a. 675, pro consule a. 676 Lyciam et Isauros subegit. Liv. Epit. 90 et 93. Eutrop. VI 6. Orosius V 23.

non modo templo sed duobus milibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aërias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae, et Iovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, posuissent. 63 Auditae aliarum quoque civitatium legationes. Quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere ut perspecto iure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent. Consules super eas civitates quas memoravi, apud Pergamum Aesculapii compertum asylum rettulerunt: ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. Nam Zmyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint, Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint. Propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum. Neque minus Milesios Dareo rege niti. Sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi. Petere et Cretenses simulacro divi Augusti. Factaque senatus consulta quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.

1. *passu* cum lin. M. 2. *exim* M. *cypri* M. 4. *amatus* M. *amatusiae* M. 6. *civitatium* M, non *civitatum*. 10. *aput* M. *conp*. M. *retulerunt* M. 11. *iniciis* M. *zmyrnetis* M. 12. *strato nicidiuae ueneri* M, in quibus *uae* ex geminata prima syllaba nominis *ueneri* natum: tacite correxit Rhenanus. 13. *carnem* M. 16. *Dareo* M, non *Dario*. *regi utiset* M: correxit Lipsius. 19. *fiere aera* M: correxit Pichena, ante quem in edd. *facere aras*.

exin Cyprii tribus delubris: interpretare Theodisce 'demnächst die Cyprier mit drei Tempeln', h. e. Cypriorum pro tribus delubris preces. In ablativo significatio *comitatus* inest et praepositio *cum* abesse potest propter additum *tribus*. Non placet inventum Bezzenbergeri *tribus de delubris*, intellecto ex prioribus *exposuere*.

Cap. 63. *quorum* est *eorum quae* audiverant a legationibus civitatium. *et quia studiis certabatur*: ea studia et partes in ipso senatu fuere; Theodisce interpretare 'und weil der Wetteifer Parteien hervorrief'. XI 23: *studiis diversis certabatur*. II. I 90: *studiis votisque certabant*. H. IV 4: *et studiis senatus attollebatur*.

Stratonicidi Veneri: Stratonice mater Antiochi Dei, Seleuci Nicatoris et mox Antiochi Soteris uxor fuit; cuius honori cultus Ἀφροδίτης τῆς Στρατονικίδος institutus est a Smyrnaeis, commemoratus in titulis apud Boeckhium n. 3137 v. 70 (cf. v. 9) et n. 3156.

Tenios: de his et Neptuni templo Strabo X 4 11 p. 487.

64 Sub idem tempus Iuliae Augustae valitudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, sive occultis odiis. Neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque ille credebatur, ut inferius maiestate principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse. Sed tum supplicia dis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat Lucius Apronius ut fetiales quoque iis ludis praesiderent. Contradixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam fetialibus hoc maiestatis fuisse. Ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset pro
65 qua vota persolverentur. Exequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore; quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum qui

5. *tiberi* M. 7. *sed tum*] *sectum* M. 9. *quidecemviri* M. 10. *L.* M. 11. *fetialis* M, et 4. *fetialibus*, non *fecial.* 13. *umq.* M. 16. *onestum* M. *precip.* M.

propiora: est *minus a nostra memoria remota.* O. 21: *Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit.* Contrarium est *altius* de Hierocaesariensibus ante dictum.

neu specie religionis in ambitionem delaberentur: provinciarum legati singulos senatores ambiendo plures eorum sibi conciliaverant, ac propterea consulente de cultu numinum senatu *studiis certabatur.* Qua in re cum multi senatores offendissent, in senatus consulto moniti sunt provinciales, ne specie religionis iuvandae senatores ambitione (*durch Gunstbuhlerei*) in partes suas trahere contenderent.

Cap. 64. *abdidisse:* h. e. altitudine animi recondidisse; conf. ad I 7 extr. Arrogantiae Liviae meminit etiam Dio LVII 12.

septemviris simul: *simul* nove dictum eodem intellectu quo *una cum.* Conf. IV 55: *Laodicenis et Magnetibus simul.* VI 9: *Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio.* Haec e sermone poetarum in Annalibus ausus est, non in ceteris scriptis suis.

Cap. 65. *exequi sententias:* hoc aliquotiens cum ante (c. 64 et 57) fecisset, nunc admonet quo consilio et quo adhibito temperamento id instituisset.

quod praecipuum munus annalium reor: de hoc loco v. Praefationem.

adeo infecta et adulatione sordida: Theodisce *so sehr angesteckt*

praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia censerent. Memoriae proditur Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum 'o homines ad servitutem paratos!' Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat.

Paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebantur. **66**
Gaium Silanum proconsulem Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Brutidius Niger aedilis simul corripiunt, obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem, Mamercus antiqua exempla iaciens, Lucium Cottam a Scipione Africano, Servium Galbam a Catone censorio, Publium Rutilium a Marco Scauro accusatos. Videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum oppro-

1. *pedariis* pr M. 3. *quociens* M. *gracis* M. 5. *prolectae* M. 8. *C.* M. *Silanum* M, non *Sillanum* Beroaldi. *procos.* cum lin. M. 10. *bruttedius* ac mox *bruttedium* M: correxit Rhenanus. 12. *L. coitam* M. 13. *P.* M. 14. *M. Scauro* M. 15. *obpr.* M.

und durch Schmeichelei beschmutzt. Infici et *infectus* de quacumque contagione dicitur; ut igitur contagio illa luculentius indicaretur, additum est *et adulatione sordida fuere.*

Cap. 66. *opprobrium maiorum:* h. e. qui maioribus suis infamiae et opprobrio fuit (*ein Schandfleck seiner Vorfahren*). Catullus XXVIII 15: *at vobis mala multa di deaeque dent, opprobria Romuli Remique.* Hor. Carm. II 13 4, IV 12 7. Aristophanes in Acharnensibus 855: *Λυσίστρατός τ' ἐν τἀγορᾷ, Χολαργέων ὄνειδος.*

Iunio Othoni — vetus ars fuit: 'declamator fuit eo aevo notus. Seneca pater et ipsum et genus eius dicendi describit, non sine nota, Controv. 9; ait illum usum tecto genere dicendi et suspicioso, ubi minime opus et cum aperte liceret agere: *bene,* inquit, *de hoc vitio illius Scaurus aiebat, illum acta in aurem legere.* Acumen ioci reddo scriboque *legere.* Acta publica sunt, nec aliud tam vulgo promptum notumque, adeo ut proverbii loco Seneca filius alibi dixerit *beneficia in acta non mitto,* i. e. non publico, non divulgo. Quid autem magis ridiculum quam acta publica alicui recitare in aurem? Subtilis ergo in id vitium hominis iocus; quem belle aemulatus est Martialis I 90: *garris in aurem semper omnibus Cinna, garris et illud, teste quod licet turba. Adeone penitus sedit hic tibi morbus, ut saepe in aurem Cinna Caesarem laudes?* Nec enim dubito quin oculos habuerit ad breve illud Scauri acutumque dictum'. Lipsius.

obscura initia impudentibus ausis ultro polluebat: cum Otho ad altiorem statum evectus bonis factis illustrare deberet obscura sua initia, ab hoc officio tantum ille abfuit, ut *ultro pollueret* humilem prioris vitae statum impudentibus ausis. Particula *ultro* (*noch dazu*)

Gaius Silanus proConsul of Asia is impeached [illegible]

brium maiorum Mamercus infami opera dehonestabat. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis ultro polluebat. Brutidium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio extimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes antire parat; quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum securitate, praematura vel

67 cum exitio properant. Auxere numerum accusatorum Gellius Publicola et Marcus Paconius, ille quaestor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa, cum super tot senatores adversos facundissimis totius Asiae eoque ad accusandum delectis responderet solus et orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque elo-

1. *malorum* M. 2. *litterarium* M, non *litterarum*. 3. *ultro polluebat* editor: M *propolluebat*. 5. *pergeret* Rhenanus: M *perageret*. *quaemque* (*m* puncto not.) M. *exst*. Or. 7. *ante reparat* M: *antire p.* Bachius, *anteire p.* priores. 9. *accussat*. M. 10. *Publicola* M, non Lipsii *Poplicola*. *M*. M. 14. *accussandum* M. 15. *eloquende belitat* M.

oppositam sententiam (egregio facinore veterem et sordidum statum illustrare) more Tacitino respicit. Iam diversa remedia discutienda restant. Ac primum *propolluebat*, ut est in M, neque analogiae linguae Latinae neque sententiae convenire clarum est. Groslotii *propellebat* falsam sententiam infert: impudentibus enim ausis minime omnium obscura initia oblitterare iste potuit. Idem hoc et usus obstat Waltheriano *proluebat:* nam *proluere* est luendo purgare aut satiare (*ausspülen* vel *bespülen*), ut apud Persium Prolog. v. 1. Neque Seyfferti *prope polluebat* sufficit: quippe non prope sed planissime Otho obscura initia *polluebat*. Alii *praetor polluebat* (Pichena), *porro polluebat* (Lipsius), *protollebat*, *praepollebat*, *praepolluebat*, *provolvebat*, *propagabat*.

Brutidium: hominis ut diserti doctique mentionem facit Seneca Suasor. 7. Add. Iuvenal. X 82. Vera nominis forma est Brutidius: nam a *Bruto* fit *Brutius*, inde *Brutidius*.

si rectum iter pergeret: h. e. si rectum iter ingressus esset. Iter *peragere* (in M *perageret*) est perficere et ad finem tolerare, quemadmodum apud Ovid. Fast. I 188 (*et peragat coeptum dulcis ut annus iter*) et Virg. Aen. IV 653 (*vixi et quem dederat cursum fortuna peregi*), id quod alienum a ceteris Taciti verbis. Non bene Orellius Rhenani emendationem sprevit. Cf. IV 20 *pergere iter*, XV 27 *iter — pergit*.

Cap. 67. *Marcus Paconius:* damnatum et interfectum esse in deperdita quinti libri parte, opinor, Tacitus narravit. Cf. Sueton. Filius enim eius *paterni in principes odii heres* a Marcello delatore XVI 28 vocatur.

quentiam debilitat, non temperante Tiberio quin premeret voce vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat. Et ne quis necessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierum interiectu defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.

Tiberius quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo 68
acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messala eiusdem Asiae proconsule factumque in eum senatus consultum recitari iubet. Tum Lucium Pisonem sententiam rogat. Ille multum de clementia principis praefatus, aqua atque igni Silano interdicendum censuit, ipsumque in insulam Gyarum relegandum. Eadem ceteri, nisi quod Gnaeus Lentulus separanda * Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit, adnuente Tiberio. At Cornelius Dolabella dum adula- 69
tionem longius sequitur, increpitis Gai Silani moribus addidit

5. *interrogarentur* Lipsio auctore Pichena: M *interrogentur*. 13. *L.* M. 16. *Gnaeus*] *C. N.* M. hiatus signum ab editore est, non ex M. 18. *Ad* M. 19. *C.* M.

actor publicus mancipio acceperat: v. ad II 30. *vinclum et necessitas silendi:* conf. II 29.

Cap. 68. *Voleso Messala:* saevitiae documentum huius sub Augusto proconsulis Asiae narrat Seneca de Ira II 5: *Volesus nuper sub divo Augusto proconsul Asiae, cum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Graece proclamavit: 'O rem regiam'!* * *Silani materna bona, quippe alia parente geniti:* quod in huius loci explicatione interpretes adhuc haeserunt, ea causa quod praenomen *filii* Silani excidisse nemo vidit: nam de hoc sermo est, non de reo Silano, idque praenomine addito, ut par erat, Tacitus haud dubie indicavit. Additur *quippe alia parente geniti*, ut matrem filii Silani iam mortuam culpae a Silano eiusque coniuge altera in provincia contractae expertem esse, tum neminem esse, qui post patrem iustius ea bona vindicare sibi possit, perspicuum fiat. Similis in damnati Suillii filium et neptem clementiae exemplum habemus XIII 43. Praenomen oblitteratum Decimi (*D.*) fuisse puto et eundem hunc esse, qui nomine *Decimi Iunii* consul anni 806 = 53 memoratur a Tacito XII 58.

Cap. 69. *Gai Silani:* cur non *Silani* simpliciter et ex more Taciti, qui in hominibus semel duobus nominibus designatis post uno contentus est, quod in hoc ipso Silano usu venit: v. c. 66 — 69,

ne quis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur, idque princeps diiudicaret. Nam a legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri ne peccaretur? Adversum quae disseruit Caesar: non quidem sibi ignara quae de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum. Multos in provinciis contra quam spes aut metus de illis fuerit egisse. Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios. Neque posse principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire ut ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. Sic a maioribus institutum ut, si antissent delicta, poenae sequerentur. Ne verterent sapienter reperta et semper placita. Satis onerum principibus, satis etiam potentiae. Minui iura, quotiens gliscat potestas, nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse: darent Iuniae familiae et viro quondam ordinis eiusdem ut Cytheram potius conce-

8. *habescere* M. 9. *cunta* M. 13. *minutura* M: correxit Lipsius. 15. *aput* M. 17. *impellerentur* M. 19. *Cytheram* Beroaldus: M *cythenum*, Lipsius coni. *Cythnum*.

ubi primum *Gaium Silanum*, tum *quaestor Silani*, dein *servos quoque Silani*, mox *in Silanum*, tandem (c. 69) *de Silano* et *Silani*. Num interturbat hoc nostro loco praenomen *Gai*? Non est ita, sed paulo ante cum filius Silani alio praenomine nominatus esset, iam ubi sermo ad patrem redit, eius praenomen repetendum erat. Quo novo probatur argumento paulo ante praenomen filii excidisse.

quae de Silano vulgabantur: haec ex cetera oratione obliqua quasi segregata sunt, quo nihil apud hunc nostrum frequentius. Ea venia nunc inde excusationem habet, quod enuntiatum relativum loco subiecti nominis est, siquidem *quae de Silano vulgabantur* idem est atque *vulgata de Silano*. Ceterum tota oratio sapiente principe digna, in qua imitanda observavit Tacitus illud quod IV 31 de Tiberio rettulit: *ipse, compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret.*

Cytheram: in scriptura codicis Florentini (*cythenum*) *a* semiapertum cum *u* et *n* cum *r* commutatum est, quod utrumque in eodem libro saepe accidit. Hoc autem me iudice facilius evenire potuit, quam ut littera aliena *e* accederet, ut Lipsius statuit *Cythnum* coniiciendo. Cythera vero quamvis grata esset insula, satis tamen poenae videbatur hominem illustrem arceri ab urbe et Italia.

deret. Id sororem quoque Silani Torquatam, priscae sanctimoniae virginem, expetere. In hanc sententiam facta discessio. Post auditi Cyrenenses, et accusante Anchario Prisco Caesius 70
Cordus repetundarum damnatur. Lucium Ennium equitem Romanum, maiestatis postulatum quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim statuendi, neque tantum maleficium impune habendum. Sane lentus in suo dolore esset: rei publicae iniurias ne largiretur. Intellexit haec Tiberius ut erant magis quam ut dicebantur, perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret 71
donum quod pro valitudine Augustae equites Romani voverant equestri Fortunae: nam etsi delubra eius deae multa

1. *prisce* M. 3. *prischo* M. 4. *L. Ennium* Beroaldus: M *Lennium*. 6. *Caesari* pr M. 16. *valetudine* M, mox *valit.* cf. annot. ad 1 5.

Cap. 70. *et accusante:* accusatio anno proximo (a. Chr. 21) coepta sed non ad finem perducta erat; v. III 38. Illic *Cretae proconsul* Cordus nominatur: quippe Cyrenenses et Cretenses in unam provinciam senatoriam sive proconsularem iuncti erant: v. Strab. XVII extr. Sueton. Vespas. 2.

egregium publicum: pro sua nova eloquendi consuetudine *egregium publicum* dixit honorem et dignitatem publici consilii (senatus) ad similitudinem vocis *bonum publicum*, quod ipsum legimus VI 16, XIV 38, ut *malum publicum* XII 5, et *summam rem publicam* ibidem. *Bonae* Capitonis *domi artes* sunt eius studia iuris civilis: cf. c. 75, VI 7; *domi* opponitur nomini *publicum;* IV 6 *inlustres domi artes.*

Cap. 71. *equestri Fortunae:* 'inscriptiones *Fortunae Equestris* Gruteri 75 4, Fabrettii 752 591 (Murat. 81 4) subditiciae sunt et a scelerato illo Ligorio ex hoc ipso Taciti loco confictae'. Orellius.

nullum tamen tali cognomento erat: in difficultatem quandam videmur incidere, eo quod Tacitus h. l. tradit nullum fuisse in urbe equestris Fortunae templum, Livius autem XL 40 et Valerius Maximus I 1 20 Quintum Fulvium anno 574 ab u. Fortunae equestri aedem vovisse scribunt. Adde Vitruvii III 2, Lactantii II 8. Et illud templum non modo votum sed etiam aedificatum esse Livius XLII 3 et 10 narrat et confirmat Vitruvius, idemque anno 662 stetisse verba Iulii Obsequentis argumento sunt §. 113: *C. Claudio M Perperna consulibus bubo in aede Fortunae equestris comprehensus inter manus expiravit.* Quod addit Lipsius a P. Victore id templum collocari in nona regione urbis suo etiam aevo, error est ex interpolato quodam

in urbe, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est aedem esse apud Antium quae sic nuncuparetur, cunctasque caerimonias Italicis in oppidis, templaque et numinum effigies, iuris atque imperii Romani esse. Ita donum apud Antium statuitur. Et quoniam de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem flaminem Dialem prompsit Caesar, recitavitque decretum pontificum, quotiens valitudo adversa flaminem Dialem incessisset, utque pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset, dumne diebus publici sacrificii, neu saepius quam bis eundem in annum; quae principe Augusto constituta satis ostendebant annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi. Memorabaturque Lucii Metelli pontificis maximi exemplum, qui Aulum Postumium flaminem attinuisset. Ita sors Asiae in eum qui consularium Maluginensi proximus erat collata.

2. *aput* M. *nuncuperetur* M. 3. *cerim.* M. 4. *aput* M. 5. *quo* M cum lin., quae est part. *quoniam* nota. *releg.* M. 6. *Malluginensem* M, sed idem supra atque infra simplici *l* scribit, ut Fast. Capitol. 7. *promisit* M. 8. *utque* editor: M *ut.* Waltherus coni. *aut*, Halmius *et ut.* 9. vulgo scribunt *dum ne*, et sic videtur in M esse, sed conf. *necne* et *nedum.* 10. *publicii* M. 13. *L.* M. 16. *conl.* M.

edito exemplo *Curiosi Urbis* et *Notitiae* susceptus: verus enim eorum libellorum, qui ad P. Victorem aut Sex. Rufum falso referuntur, contextus, iam a Prellero multis mendis repurgatus, equestrem Fortunam non agnoscit, sed habet in regione X *Fortunam Respicientem*, in XI *Fortunium* (hoc sola *Notitia*), in XII *Fortunam Mammosam*, in XIV *Fortem Fortunam.* Neque Cicero (Leg. II 11 28) *equestrem* recenset scribens: *Fortunaeque sit* (nomen) *vel 'huiusce diei' (nam valet im omnes dies), vel Respiciens ad opem ferendam, vel Fors, in quo incerti casus significantur magis, vel Primigenia a gignendo.* Idem dicendum de Frontone, qui ad *Antoninum Aug. de Orationibus* IV §. 10 p. 125 ed. Nieb.: *dicendum est de Fortuna aliquid: omnis ibi Fortunas Antiatis, Praenestinas, Respicientis, balnearum etiam Fortunas, omnis cum pennis, cum rotis, cum gubernaculis reperias* (in Senecae libris). Itaque Fulvii equestris Fortunae templum in urbe conditum inter annum 662 et hunc 775 incendio consumptum esse aut alio casu deletum statuemus. Olim ipse haec verba argutius quam verius explicavi.

utque abesset: licet flamini Diali plus quam binoctium abesse ab urbe, quotiens valitudo adversa eum incessit; idem ei licet aliis de causis non definitis, sed nonnisi arbitrio pontificis maximi, quo non opus est in valitudine adversa. Iam cum ad solitam absentiae causam accedant nonnullae a pontifice diiudicandae, particula requiritur *augendi* vi praedita, eamque adieci.

Isdem diebus Lepidus ab senatu petivit ut basilicam 72
Pauli, Aemilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque.
Erat etiam tum in more publica munificentia: nec Augustus
arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut
exundantis opes ornatum ad urbis et posterum gloriam con-
ferre. Quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniae mo-
dicus, avitum decus recoluit. At Pompei theatrum igne for-
tuito haustum Caesar extructurum pollicitus est, eo quod
nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine
Pompei. Simul laudibus Seianum extulit, tamquam labore
vigilantiaque eius tanta vis unum intra damnum stetisset.
Et censuere patres effigiem Seiano, quae apud theatrum
Pompei locaretur. Neque multo post Caesar, cum Iunium
Blaesum proconsulem Africae triumphi insignibus attolleret,
dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat.
Ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere. Nam Tacfa- 73
rinas, quamquam saepius depulsus, reparatis per intima Africae
auxiliis huc adrogantiae venerat ut legatos ad Tiberium mit-
teret, sedemque ultro sibi atque exercitui suo postularet, aut
bellum inexplicabile minitaretur. Non alias magis sua popu-

4. *arguerat* M: correxit Lipsius. *filippum* M. *exsuvias* M. 7. *ad* M. *pompei* ter M. 14. *procos.* cum lin. M. 17. *reparatus* M: correxit Beroaldus. 18. *attiberium* M. 20. *inexplicabilem initaretur* M.

Cap. 72. *basilicam Pauli, Aemilia monimenta:* aedificata haec basilica est a. 574 M. Fulvio et Aemilio Lepido censoribus: Liv. XL 51. Varro L. L. VI 4. Instaurata est anno 700 a *Lucio Aemilio Paulo*, fratre Lepidi qui post triumvir: Cicero ad Atticum IV 16 14: *Paulus in medio foro basilicam iam paene texuit, iisdem antiquis columnis. Illam autem quam locavit* (Caesar), *facit magnificentissimam. Quid quaeris? Nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Caesaris* nomen inserere in epistola *librarii manu scripta* (cf. §. 1), et in loco qui excepta Pauli memoria totus est de Caesare, ipse oblitus est Cicero: nimirum Attico scribit de re huic non incognita. Hac ratione omnium simplicissima dubitationes tollendae sunt, quae in hac causa ortae, de quibus v. Beckeri Enchirid A. Rom. t. I p. 302—306. Copiosius de ea re disputavi in Museo Rhenano a. 1846 p. 108—112. Iterum refecta est eadem basilica anno 720 a L. Aemilio Paulo nepote Lepidi triumviri: Dio XLIX 42; incendio absumptam idem suo nomine, pecunia Augusti rursum aedificavit a. 740: Dio LIV 24. Qui nunc firmat (h. e. novis columnis instruit) ornatque, Marcus Lepidus est, Aemiliorum sua aetate decus: VI 27. Ceterum pluralem *monimenta* similiter positum legimus III 23, IV 7. Meminit huius basilicae etiam Plinius XXXVI 24 (15).

lique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret. Ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. Dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo poteretur. Et recepti ea venia plerique. Mox adversum artes Tacfarinatis
74 haud dissimili modo belligeratum. Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, pluris per globos incursaret eluderetque et insidias simul temptaret, tres incessus, totidem agmina parantur. Ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit qua praedatio in Leptitanos et suffugia Garamantum; alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit. Medio cum delectis, castella et munitiones idoneis locis imponens, dux ipse arta et infensa hostibus cuncta fecerat, quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere et saepe a tergo erat; multi-

6. *po* (in fine versus) *populi* M. 8. *caet.* M. 9. *aut* cum lin. M. 11. *haudissimili* M. 12. *inpar* M. *pluris* M, non *plures*. 15. *Leptitanos* Freinshemius: M *lepcinos* M; cf. H. 4 50. Sallust. Iug. 77 et 79. 16. *necertensium* M. 18. *inp.* M.

nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum — conferre: Statilius Taurus amphitheatrum in campo Martio, Marcius Philippus aedem Herculis Musarum, Cornelius Balbus theatrum fecerunt: Dio LI 23, LIV 25. Velleius II 89. Suetonius Aug. 29: *sed et ceteros principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis vel refectis et excultis urbem adornarent. Multaque a multis extructa sunt: sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Musarum, a L. Cornificio aedes Dianae, ab Asinio Pollione atrium Libertatis, a Munatio Planco aedes Saturni, a Cornelio Balbo theatrum, a Statilio Tauro amphitheatrum, a M. vero Agrippa complura et egregia.*

Cap. 73. *indoluisse Caesarem ferunt:* indolescere est *graviter* vel *vehementer dolere*. Cf. II 72: *indoluere exterae nationes regesque.* IV 17: *Tiberius — aequari adulescentes senectae suae impatienter indoluit.* Etiam hoc, lector, noli negligere, quanta diligentia rerum scriptor sub finem huius libri decorum in omnibus publicis rebus habitum Tiberii depinxerit. Quippe hoc anno florentis Caesaris gloria concluditur: sequens initium est in peius inclinantis: utrumque, iustum et iniquum, trinis libris Tacitus complexus est.

que eo modo caesi aut circumventi. Tunc tripertitum exercitum plures in manus dispergit, praeponitque centuriones virtutis expertae. Nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed ut in limine belli, dispositis castellis, per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat, donec fratre eius capto regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blaeso tribuit ut imperator a legionibus salutaretur prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur; erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum aequalitatem. Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blaeso postremum.

Obiere eo anno viri inlustres Asinius Saloninus, Marco 75
Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, Caesarique progener destinatus, et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus,

1. *tripertitum* M, non *tripartitum*. 6. *proturbabat* M, non *proturbat*. 7. *captor* M. 9. *interptatus* cum lin. M, i. e. *interpraetatus*. *blaestribuit* M. 16. *Saloninus* M, non *Salonius* Beroaldi. 17. *asineo* M.

Cap. 74. *veteris provinciae:* v. ad I 58.

prisco erga duces honore: 'olim et libera re publica multi imperatores dicti, ut quisque rem suis auspiciis bene gessisset. Displicuit Augusto, et ut reliquos honores in se, sic et hoc nomen traxit; quod communicatum postea cum paucis, et fere nonnisi ex gente Augusta. Tiberius tamen hic Blaesum imperatoris nomine insignit; eumque e privatis postremum; id est, ut postinde soli principes eo titulo sint usi, nemini ultra concesso subditorum. Velleius II 125: *Iunius Blaesus proconsul in Africa ornamenta triumphalia cum appellatione imperatoria meruit.* Neque etiam indignum nota, quod observamus in nummis et inscriptionibus, imperatoris titulum, cum principis est, praeponi, cum victoris, subiungi; hoc modo: *imp. Caesar Augustus*, contra *Iunius Blaesus imp.*, *M. Tullius Cicero imp.* Quod etiam e Suetonii Iulio 76 colligas, cuius id inventum'. Lipsius.

Cap. 75. *Marco Agrippa et Pollione Asinio avis:* parentes erant Vipsania Agrippae filia et Asinius Gallus Saloninus, Asinii oratoris filius qui Vipsaniam dimissam a Tiberio sibi matrimonio iunxit: I 12. Frater Drusus est Drusus Caesar, Tiberii e Vipsania filius. Ducturus Asinius erat aliquam ex filiabus Germanici: hoc est illud *Caesarique* (Tiberio) *progener destinatus.*

studiis civilibus: iuris civilis studiis: cf. supra c. 70.

consulatum: 'quem cepit inter suffectos a. u. 759; lapis priscus

sed avo centurione Sullano, patre praetorio. Consulatum ei acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium isdem artibus praecellentem dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria, huic, quod consulatum adeptus

76 est, odium ex invidia oriebatur. Et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, Gai Cassii uxor, Marci Bruti soror. Testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit. Quod civiliter acceptum, neque prohibuit quo minus laudatione pro Rostris ceterisque sollemnibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii, Quinctii aliaque eiusdem nobilitatis nomina. Sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso quod effigies eorum non visebantur.

1. *praetoria* superscr. *o* M. 2. *adc.* M. *istem* M. 3. *magistratibus* M: correxit Beroaldus. 6. *preturam* M. 9. *philipensem* M. 10. *C.* M. *M.* M. 12. *operibus* M, in margine "quid si *opibus?*" videtur Beroaldi correctio: idem enim in annot.: 'quamquam in codice vetusto ita legatur' (*operibus*), arbitror tamen corrigendum: opibus.' 16. *Quinctii* M, non *Quintii.* 17. *ipso*] *piso* M. 18. *P. CORNELI LIBER .III. FINIT* || *INCIPIT LIBER .IIII.* M.

Romae: *C. Ateio Capitone C. Vibio Postumo cos*'. Lipsius.

duo pacis decora: de his videndus Pomponius l. 2 §. 47 D. *de orgine iuris* (I 2); de Labeone Gell. I 12, IV 2, VII 15, XIII 10 et 12, de Capitone I 12, II 24, IV 6 et 10 et 14. Sueton. de Ill. gramm. 22.

Cap. 76. *Catone avunculo genita:* Iuniae mater Servilia soror erat Marci Catonis, uxor Decimi Iunii Silani. Haec Iunia et Marcus Brutus eadem matre Servilia geniti sunt, sed patribus diversis: Bruto enim pater erat M. Iunius Brutus. Quod Iunia post Cassium nupsit Lepido triumviro, hoc Tacitus ut minus memorabile praeteriit. Cf. Velleius II 88: *dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepidus forma quam mente melior, Lepidi eius qui triumvir fuerat rei publicae constituendae filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Caesaris consilia inierat.*

viginti clarissimarum familiarum imagines — quod effigies eorum non visebantur: sententiae in aeternum splendentis lumine librum concludere voluit. Idem fecit in fine libri secundi ac primi, hoc est in iis libris omnibus qui florentis Tiberii rebus destinati sunt. Contra factum est in fine trium librorum, qui sequuntur quique Caesarem in peius mutatum ostendunt, id quod stilo in adversis rei publicae demisso bene convenit. Observent talia elegantiores.

LIBER QVARTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—16. Sequitur annus a Chr. vicesimus tertius, qui rebus in urbe actis totus insumitur. Caesar saevire incipit aut saevientibus vires praebere. Initium et causa penes Aelium Seianum, de cuius patria, moribus, consiliis. Qui ut destinata perficeret imperiique compos fieret, cohortes praetorias in una castra ducit, mox Liviam stuprat Drusi coniugem, ipsum veneno intercipere intendit (1—3). Drusus Germanici filius togam virilem sumit, Tiberius iter in provincias simulat (4). Ab hoc tempore lapsa est imperii dignitas, eoque rerum scriptor percenset quae tunc Romana militia in armis, qui socii regesque potentia Romana protecti, item de ceteris rei publicae partibus exponit, de rebus Caesaris, plebis Romanae statu, postremum de provinciis (5—7). Drusum Seianus tollit, senatum ea clade maerentem oratione Caesar erigit, Germanici liberos ei commendat imperii heredes (7—8). Drusi funus, et de obitu eius falsi rumores (9—11). Seianus coeptis insistens Agrippinam criminibus apud principem insectatur. (12). Is ius civium tractat, preces sociorum (13). Legationes Graecarum civitatum asyla petentium, item Caesaris relatio de immodestia histrionum, qui Italia pulsi sunt (14). Alter ex geminis Drusi liberis extinguitur, item Lucilius Longus Caesaris amicus; Capito procurator damnatus (15). Flamen Dialis legitur; de iure Dialium nova lex decreta (16).

Cap. 17—33. Annus a Chr. vicesimus quartus, Tiberii principis undecimus. Cuius initio pontifices ac ceteri sacerdotes cum pro incolumitate principis vota susciperent et Neronem Drusumque eisdem numinibus commendarent, graviter offenderunt. Quam causam nactus Seianus instat apud Tiberium ut unus alterve maxime prompti subverterentur. Igitur Gaius Silius, Germanici olim amicus et legatus, maiestatis postulatus est, qui imminentem damnationem voluntario fine praevertit. Uxor eius exilio multatur, liberis maior pars bonorum servatur sapientia et temperantia M. Lepidi (17—20). Actum de Calpurnio Pisone neque peractum ob mortem opportunam. Cassius Severus ex Creta in insulam Seriphum translatus est (21). Plautius Silvanus, qui coniugem in praeceps iecerat, accusatus vitae finem imponit (22). Tacfarinas, cum Africam rursus raptaret, a Dolabella proconsule coërcitus et caesus (23—26). In Italia belli servilis semina suppressa, in urbe reus pater, accusator filius. Gaium Cominium accusatum fratris precibus Caesar concessit, Suillium in insulam amoveri instat, Catum Firmium periculo eximit (27—31). Quae capita narrationis cum obvia rerum similitudine et satietate displicere possent, auctor ipse maluit profiteri sibi in arto esse et

inglorium laborem, suos annales non comparari se velle cum scriptura eorum, qui veteres populi Romani res composuere: nihilo minus haec quoque conquiri tradique conducere (32—33).

Cap. 34—45. Annus a Chr. vicesimus quintus, Tiberii principis duodecimus. Cremutius Cordus defertur apud patres, quod laudato M. Bruto C. Cassium ultimum Romanorum dixisset: ipse habita oratione vitam inedia finivit (34—35). Reorum multitudo. Cyzicenis adempta libertas. Templi honorem ab Hispania ulteriore oblatum Tiberius sprevit; ea de re principis ad patres oratio (36—38). Promissum matrimonium flagitante Livia, hanc sibi petit Seianus uxorem per epistolam; princeps modeste negat (39—40). Seianus secessum ab urbe Tiberio suadet, et habita de Montano cognitio cunctantem perpulit Caesarem, ut vitandos crederet patrum coetus vocesque (41—42). Legationes Graecorum; aedes Veneris in monte Eryco restaurata; Massiliensium preces (43). Mortes virorum illustrium (44—45).

Cap. 46—61. Annus a Christo vicesimus sextus, principis Tiberii decimus tertius. Decreta triumphi ornamenta Poppaeo Sabino ob Thraces pari fortitudine et prudentia devictos (46—51). In urbe series futuri in Agrippinam exitii incipit: Claudia Pulchra Agrippinae sobrina adulterii postulatur et damnatur; Agrippinae questus adversus Tiberium, sed irriti; maerentem Seianus altius percellit et Tiberium acrius in eam stimulat (52—54). In senatu legati Asiae audiuntur; ex undecim civitatibus de templo Tiberio statuendo certantibus praelati Smyrnaei (55—56). Tiberius in Campaniam abiit non regressurus in urbem; in eo itinere periculum principis et Seiani in eum amicitia probata, quae res huic addit praesidium et fiduciam. Iam struit insidias in Neronem Germanici filium, proximum successioni, et Drusum fratrem in partes trahit, etiam huic praemeditatus exitii futuri semina (57—60). Fine anni Asinius Agrippa et Quintus Haterius vita concedunt (61).

Cap. 62—67. Annus a Chr. vicesimus septimus, Tiberii decimus quartus, sterilis rerum gestarum, cladibus malisque non inops. Amphitheatri ruina Fidenis immensa vis spectantium obtrita aut lacerata; urbs incendio vastata et mons Caelius deustus. Quibus casibus et proceres Romani et princeps solita liberalitate subveniunt (62—65). Accusatorum in dies maior et infestior multitudo sine levamento grassatur. Tiberius in insulam Capreas transiit eamque duodecim villis insedit. In urbe Nero et Agrippina milite custodiuntur (66—67).

Cap. 68—75. Annus a Chr. vicesimus octavus, domi tristis, foris inglorius. Titius Sabinus, ob amicitiam Germanici et Agrippinae invisus Caesari, a falsis amicis foede circumventus accusatur, damnatusque ipso principio anni trahitur in carcerem, magno civium pavore et optimi cuiusque maerore ac misericordia erga Germanici coniugem et liberos. Iulia neptis Augusti moritur (68—72). Frisii pacem exuunt et parum prospere a L. Apronio legato Germaniae inferioris coërcentur, dissimulante principe damna, ne cui bellum permitteret, patribus autem interno

pavore occupatis. Tiberius et Seianus omisso paulisper insulae secessu transcendunt in Campaniae litus ad officia senatus, studia equitum plebisque accipienda. Aucta hinc arrogantia Seiano. Agrippinam Germanici filiam uxorem accipit Gnaeus Domitius (*73—75*).

Gaio Asinio Gaio Antistio consulibus nonus Tiberio annus 1
erat compositae rei publicae, florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat), cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere. Initium et causa penes Aelium Seianum cohortibus praetoriis praefectum, cuius de potentia supra memoravi: nunc originem mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. Genitus Vulsiniis, patre Seio Strabone equite Romano, et prima iuventa Gaium Caesarem divi Augusti nepotem sectatus, non sine rumore Apicio diviti et prodigo stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit adeo ut obscurum

M praemittit *AB EXCESSV DIVI AVGVSTI.* 5. *G. Asino* M. *C.* M. *cos.* cum lin. M. 9. *pene saelium* M. 11. *ierit*] *perit* M: emendavit Pichena, ante quem auctore Beroaldo *dom. captarerit.* 12. *vulgussinis* M: correxit Beroaldus. 13. *C.* M.

Cap. 1. *compositae rei publicae:* v. ad III 13. *cuius de potentia supra memoravi:* I 24, III 29 et 35 et 72. *raptum ierit:* H. II 6: *ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire vulgatum est.* Cf. annot. ad H. I 37.

Vulsiniis patre Seio Strabone: Vulsiniis *Nurtia* vel *Nortia* (Liv. VII 3. Reines. Inscript. class. I 131, interpretes Iuvenalis X 74) eadem quae Romae *Fortuna.* Inde Iuvenalis X 74: *idem populus, si Nurtia Tusco favisset, si oppressa foret secura senectus principis, hac ipsa Seianum diceret hora Augustum.* Adoptatus est Seianus ab aliquo ex Aelia gente aut nomen cognati cuiusdam materni (idem fecit Poppaea Sabina XIII 45) sumpsit: maternum enim genus ei illustre fuisse tradit Velleius adulator II 127: *Tiberius Caesar Seianum Aelium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere* (Iunio Tac. III 72) *clarissimas veteresque et insignes honoribus complexum familias, — singularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet.* Anno a Chr. 14 patri Seio in praefectura collega datus est (I 24, VI 8), sed illo Aegypti administrationi praeposito, solus iam cohortes praetorias rexit: Dio LVII 19. De Apicio qui statim memoratur videndus est Dio l. c., Seneca Consol. ad Helviam 10: *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe ex qua aliquando philosophi ut corruptores iuventutis abire iussi sunt, scientiam popinae professus disciplina sua seculum infecit.* Plinius X 68 (48): *Phoenicopteri linguam praecipui saporis esse Apicius docuit, nepotum omnium altissimus gurges.* Athenaeus I p. 7 A, IV p. 168 E, VII p. 294 F.

quippe isdem artibus victus est: victus sive oppressus est Seianus, cum Tiberius de eius potentia anxius hominem *sui obtegentem* sibi

adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia (quippe isdem artibus victus est) quam deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud
2 minus noxiae, quotiens parando regno finguntur. Vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus oreretur. Praetendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis inlecebris. Ut perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos

2. *sollertia* M (non *solertia*). 8. *praefecture* M. 12. *oreretur*] M *credetur*, Faërnus *oriretur*, Anquetil *adderetur*, Savilius *crearetur*, Beroaldus *crederetur*, Baden *acueretur*, Doederlein *accenderetur*, Muretus et Grotius *cresceret*. *deductum* M, perinde c. 17.

uni incautum intectumque efficeret, quod illi non accidisset, si sollertia principis amicitiam et fidem sibi conciliavisset. Artes ad Seianum paulatim opprimendum a Tiberio adhibitas exposuit Dio LVIII 4—10. Cf. Sueton. Tiber. 65. *corpus illi laborum tolerans, animus audax:* Sallust. Cat. 5: *corpus patiens inediae vigiliae algoris, supra quam cuiquam credibile est; animus audax* cet.

Cap. 2. *dispersas — conducendo:* imperante Augusto dispersae praetoriae cohortes erant per urbem et oppida vicina: Sueton. Aug. 49. De mutatione a Tiberio Seianoque facta conf. Dio LVII 19. Aurel. Victor de Caesar. 2 §. 4.

in ceteros metus oreretur: ad codicis vestigia *credetur* proxime accedit *oreretur*. Nimirum simulatque in media littera peccatum aliquod admissum erat substituta D pro R, ut esset *oredetur*, hinc qui proxime excribebat paene necessario facere coactus est *credetur*, praesertim cum *o* ad dextram aperta et *c* eandem figuram exhibeant, unde I 49 *cremari* in *ore mari* abiit. Ceterae coniecturae ab eo quod in codice est longius recedunt, Faërnus unus verum invenit, nisi quod eius *oriretur* ad consuetudinem Taciti et auctoritatem Medicei paulum mutandum erat, ut vidit Haasius annot. 293 ad Reisigii Praelectiones de arte grammatica Lat. sermonis.

procul urbis inlecebris: h. e. non inter urbis illecebras: nam *procul* quodcumque loci intervallum designat, et maximum et minimum, ac minimum quidem hoc loco, cum castra praetoria ad portam Viminalem et Collinam posita essent, item apud Virgil. Eclog. VI 16: *serta procul tantum capiti delapsa iacebant.*

adeundo appellando; simul centuriones ac tribunos ipse deligere. Neque senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus aut provinciis ornandi, facili Tiberio atque ita prono ut socium laborum non modo in sermonibus sed apud patres et populum celebraret, colique per theatra et fora effigies eius interque principia legionum sineret. 3 Ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant; et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat. Placuit tamen occultiore via et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus impatiens aemuli et animo commotior orto forte iurgio intenderat Seiano manus, et contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta temptanti promptissimum visum ad uxorem eius Liviam convertere; quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. Hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit; et postquam primi flagitii potitus est (neque femina amissa pudicitia alia abnuerit), ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit. Atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat,

3. *ornandi* M, non *ornando* Beroaldi. 7. *nepotis* M. 8. *corpipere* M. 9. *occultiore* editor: M *occultior.* 10. *inpaciens* M. 12. *seseiano* (prius *se* punctis notatum) M. 20. *foedebat* M.

neque senatorio ambitu abstinebat: i. e. neque senatorum gratiam ambire eosque sibi devincire omittebat: cf. *municipali ambitione* c. 62. Dio LVIII 4. *interque principia legionum:* inter aquilas et signa in castris provinciarum. Sueton. Tiber. 48: *quaedam munera Syriacis legionibus* (largitus est Tiberius), *quod solae nullam Seiani imaginem inter signa coluissent.* Cf. H. I 55 et 56.

Cap. 3. *placuit tamen occultiore via et a Druso incipere:* vulgata *placuit tamen occultior via, et a Druso incipere* ferri nequit: nulla enim oppositio est occultae viae et apertae, neque *vis* modo posita alia accipienda est nisi *occulta,* sed id agitur utrum Seianus scelerum seriem statim aggrediatur necne. *Moram* et *intervalla* rerum conditio suadebat, sed nihilo minus iste *incipere* ausus est, delecta tamen occultiore via. Hanc sententiam mea correctio suppeditat. Non bene Orellius a v. *placuit* apodosin inchoavit.

contra tendentis: unum hoc narrat Dio LVIII 22, qui Seiani arrogantiam dum pingit, Drusi intemperantiam aut ignoravit aut tradere omisit. Verba eius sunt: *καί ποτε πὺξ αὐτῷ* (Seianus Druso) *ἐνέτεινε.* Dionis verba recte accepit I. Palmerius Exercit. ad auctores Graec. p. 263, Reimarus ad Dionis locum laudatum, unde sua hausit Waltherus, qui post Reimarum, vere monet Lipsium errare,

ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta expectaret. Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis. Pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. Sed magnitudo facinoris metum prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

4 Interim anni principio Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit; quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus, repetita. Addidit orationem Caesar, multa cum laude filii sui, quod patria benivolentia in fratris liberos foret. Nam Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, aequus adulescentibus aut certe non adversus habebatur. Exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur. Multitudinem veteranorum praetexebat imperator, et delectibus supplendos exercitus: nam voluntarium militem deesse, ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant. Percensuitque cursim numerum legionum, et quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque exequendum reor, quae tunc Romana copia in armis, qui

1. *exsp.* Or. 3. *domos* (*s* puncto notatum) M. 4. *paelici* M. 8. *senatu* M. 15. *dilect.* M.

dum in annotatione ad hunc Taciti locum narret, secundum Dionem et Zonoram (X 2 πὺξ αὐτῷ ποτε ἐντείνας) Seianum Druso colaphum inflixisse.

adulterio pellexit: idem quod adulterio corrupit; *adulterio* est casus instrumenti. Conf. XIII 45: *agentem eam in matrimonio Rufii Crispini — Otho pellexit iuventa et luxu.* *avunculus Augustus:* Augustus frater Octaviae, quae mater erat Antoniae minoris atque avia Liviae sive Livillae (sic Suetonius eam vocat, Tacitus formas deminutivorum fugit), *avunculus magnus* (non *maior* ut Ernestius dicit) Liviae fuit. V. annot. ad II 43.

Eudemus: et hominis et criminis meminit Plinius XXIX 8: *iam vero et adulteria, etiam in principum domibus, ut Eudemi in Livia Drusi Caesaris.* *suspectaretur:* v. ad I 5.

Cap. 4. *quaeque fratri — decreverat senatus:* v. III 29.

saepe simulatum: I 47, III 47.

tunc: quod Mediceus praebet et Bekkerus primus recepit, *tunc* pro *tum*, vel coniectura restituendum fuisset: nam *tum* dicitur de re quae aliam sequitur, *tunc* de ea quae cum alia eodem tempore extat; id autem huius loci sententia postulat. Idem discrimen intercedit inter particulas *iam* et *nunc.* *Romana copia* ut II 52 *levi cum copia*, 27 *classiariorum copia*, 47 *praesenti copia*, 56 *navali copia.*

socii reges, quanto sit angustius imperitatum. Italiam utroque 5
mari duae classes, Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat, valido cum remige. Sed praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani. Cetera Africae per duas legiones, parique numero Aegyptus. Dehinc initio ab Syriae usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti ter-

2. *aput* M. 5. *remitae* (superscripta littera *g*) M: correxit Beroaldus. *precip.* M. 10. *Syriae* Muretus: M. *Suria.* *eufraten* M.

quanto sit angustius imperitatum: haec scripsit respiciens imperii Romani fines sua aetate a Traiano nuper insigniter prolatos. Cf. II 61 et Prooemii caput 15.

Cap. 5. *Misenum — Ravennam*: Sueton. Aug. 49. *in oppidum Foroiuliense:* H. III 43: *Foroiuliensem coloniam, claustra maris.* A. 4: *vetere et inlustri Foroiuliensium colonia ortus.* II 63: *Forum Iulium Narbonensis Galliae coloniam mittitur.* Conf. Strabo IV 1 §. 9 et 10. *Hispaniae recens perdomitae:* subactis Cantabris *perdomita* Hispania erat, h. e. tota ditionis Romanorum facta, ab Augusto (728—729) et eius ducibus, postremum a M. Agrippa a. 735. Sueton. Aug. 21 et 26 et 81. Dio LI 20, LIII 22 et 25 et 29, LIV 5 et 11. Orosius VI 21. Hor. Carm. III 14. Liv. Epitoma 135. Idem XXVIII 12: *itaque ergo prima Romanis inita provinciarum, quae quidem continentis sint, postrema omnium, nostra demum aetate, ductu auspicioque Augusti Caesaris, perdomita est.* Cf. Agric. 10: *quia tum primum perdomita est* (Britannia). H. V 1: *perdomandae Iudaeae delectus.*

Mauros Iuba rex acc.: acceperat ab Augusto a. 729: Dio LIII 26. Plinius V 1. Iubae eius qui a Caesare devictus filius erat, idemque pater Ptolemaei tunc regnantis, cuius c. 23 mentio, quemque Gaius Caesar interfecit: Dio LI 15. Sueton. Calig. 26 et 35. Plin. V 1. Posthac Mauretania in duas provincias a Gaio et Claudio redacta est, in Tingitanam et Caesariensem: Dio LX 9. Plin. l. c. Cf. annot. ad H. I 11. *per duas legiones:* alias una legio Africam provinciam tuebatur: II 52. H. II 97, IV 48. Sed propter bellum Tacfarinatis ex Pannonia nona legio abducta et in Africam transmissa (III 9) erat, ut bene Lipsius monuit. Eadem legio anno post (a. Chr. 24) in Pannoniam reportata est (IV 23), sed Tacitus praesentis anni 23 statum describit. Eandem ob causam in Pannonia statim non tres legiones, quas ibi inveniebamus I 16, sed duae recensentur.

dehinc initio ab Syriae: ex Hispania meridiem versus mare transgressus scriptor ad *Mauros* venit, tum ultra tendens Orientem versus ad Africam provinciam, dein ad terram Aegyptiorum. Iam ex meridie ad septentrionem pergendo et Asiam aggressus Palaestinam obviam habet, sed ibi cum ea aetate exercitus Romani non essent, Syriam, et quidem meridionalem Syriae tractum, primo loco commemorandum habet, cum inde usque ad flumen Euphraten quattuor le-

rarum sinu ambitur, quattuor legionibus coërcita, accolis Hibero Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. Et Thraciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis, ripamque Danuvii legionum duae in Pannonia, duae in Moesia attinebant, totidem apud Delmatiam locatis, quae positu regionis a tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur, quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes, Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. At apud idonea

1. *coërcita* M, non Rhenani *coërcitum.* 2. *hibero* M, non *Ibero,* et sic semper; perinde M[a]. 3. *Thraeciam* Or. cf. annot. ad 2 54. 4. *danuuii* M; cf. 2 63. 5. *aput* M. 5. *Delmatiam*, non *Dalmatiam*, M. 6. *locatisq; positu* M. 10. *colonis* M: emendavit Lipsius.

giones per intervalla locatae essent. Ceterum fontes Euphratis Tacitum intelligere clarum ex additis *accolis Hibero Albanoque.* Quod liber unicus praebet *initio ab Suria*, libenter eo acquiescerem, si tam facile approbare possem, intelligi *facto*, ac promptum fuit Walthero Orellioque id pronuntiare. Nunc video manifestum vitium irrepsisse vel potius illatum esse a librario qui praepositionem *ad* cum ablativo iungi et ante casum eum collocari sciens *Syriae* continuo in *Syria* mutaret, scilicet ne *ab Syriae* soloece dictum lectores offenderet. Non enim ille vidit *initio ab Syriae* nove positum esse, quemadmodum III 72 *ornatum ad urbis*, IV 16 *sedes inter Vestalium,* VI 31 *ripam apud Euphratis*, 37 et XII 11 *ripam ad Euphratis*, XII 51 *ripam ad Araxis.* Item nova est structura verborum, sed tamen huic contraria II 3 *Arsacidarum e sanguine*, IV *annalium ad testimonia*, VI 14 *Parthorum ad misericordiam*, XII 14 *Arabum cum exercitu*, 31 *peditum ad munia*, XIII 6 *militiae ad labores.*

Rhoemetalces ac liberi Cotyis: II 67, III 38; cf. IV 47. *tres urbanae — cohortes:* sub dispositione praefecti urbis civium saluti et quieti prospiciunt. H. III 64: *esse illi* (Sabino praefecto urbis) *proprium militem cohortium urbanarum.* 69: *omnisque miles urbanus et vigiles domum — complevere.* H. I 20: *exauctorati per eos dies tribuni, — ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis.*

novem praetoriae: 'vigilum autem cur omittit, quae numero et robore supra urbanas? Septem enim cohortes erant, institutae iam inde ab Augusto. Causa haec, quia id aevi inter legitimos iustosque milites vigiles non censebantur. Itaque in omnibus bellis civilibus Galbae Othonis Vitellii rara eorum mentio, nullus usus. E libertinis lecti erant, vile genus, et Vulcani potius ministri quam Martis. Itaque nec praefecti vigilum inter illustres dignitates mentio Tacito usquam; cuius auctoritas tamen adolevit, sicut et militum ipsorum, uti ex Pandectis aliisque scriptoribus clarum'. Lipsius.

aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis: coloniae antiquitus Romanae sunt antiquo tempore in Italia conditae, opponunturque iis Transpadanae regionis oppidis, quae lege Pompei Strabonis (a. 89 ante Chr.) Latinitate donata et nullis colonis deductis

provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium: sed persequi incertum fuerit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, et aliquando minuerentur. Congruens crediderim recensere 6
ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur, dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. Sua consulibus, sua praetoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. At frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur. Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur prorsus sine modo, cum pleri-

1. *alaequae* M. *cohortim* (superscripta littera *v*) M. 2. *fuerit* Lipsius: M *fuit.* 3. *cum sexusu* M. *huic* M. 6. *quoniam* (*quo* cum lin.) M: *quando* Beroaldus. 8. *aput* M. 14. *at*] *Ad* M.

in coloniarum nomen ascita sunt, tum iis quae in provinciis constitutae sunt coloniae civium militares. Conf. Madvigii Opuscula acad. t. I pag. 289.

sociae triremes alaeque et auxilia cohortium: tria socialium copiarum genera, primum *remiges* militesque in classibus militantes, quorum duces *praefecti remigum*, XIII 30, H. IV 55. Sequuntur *alae*, h. e. numeri equitum, quorum singuli quingentis hominibus compositi *praefecto* parebant; vid. H. II 14 et 22 et 59, IV 49 et 70. Tertio loco succedunt *cohortes auxiliares* sive *leves*, oppositae gravibus sive Romanis (v. ad I 60) legionum cohortibus. Dux cohortis socialis et ipse *praefectus* vocatur; v. XII 17. H. II 15 et 92, III 19 et 35, IV 31 et 32. A. 37.

sed persequi incertum fuerit: plena sententia foret: *sed persequi quamvis voluissem, tamen incertum fuerit.* Inest modestiae significatio perinde atque IV 32: *non tamen sine usu fuerit.* 33: *haec conquiri tradique in rem fuerit.* Cf. XIV 56, XV 41. H. II 2. Vitium *fuit* non vere defensum est ab Orellio.

Cap. 6. *mutati in deterius principatus:* v. ad III 13. *inlustres domi artes*: intellige artes ab hominibus privatis (*domi*) exercitatas; cf. annot. ad III 70. *species:* species est dignitatis et auctoritatis; *potestatem* dicere noluit, quod illi plerumque obnoxii voluntati principis erant. *frumenta et pecuniae vectigales:* voce *frumenta* eas provincias significat quae decumas deferrent, (frumentariae), veluti Sicilia. *Pecuniae vectigales* quae

que isdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. Corporum verbera, ademptiones
7 bonorum aberant. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus; ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius.

Quae cuncta, non quidem comi via sed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam dum superfuit, mansere, quia Seianus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat, et ultor metuebatur non occultus odii, sed crebro querens incolumi filio adiutorem imperii alium vocari. Et quantum superesse ut collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. Extructa iam sponte praefecti castra, datos in manum milites; cerni effigiem eius

1. *plebis agri* M: *plebes* Beroaldus, *acri* Rhenanus. 14. *odii, sed* ex suspicione Doederlinii receptum: M *odiis et*, Lipsius *odii, et.* 17. *exstr.* Or.

sint ad I 11 dictum est et intelligitur ex XIII 50. *Cetera publicorum fructuum* sunt tributa, numeranda a provinciis stipendiariis, in quibus Gallia et Hispania.

res suas Caesar spectatissimo cuique: significat scriptor procuratores Caesaris, tam in provinciis proconsularibus quam in Caesareis quae ad fiscum pertinerent administrantes. Vid. IV 15, ubi Tiberius asseverat sese procuratori Asiae Lucilio Capitoni ius *non nisi in servitia et pecunias familiares dedisse.* Mali principes e libertis et pessimis quibusque procuratores suos legebant. Tiberium in hac re laudavit etiam Philo Legat. ad Gaium 2. *tenebanturque prorsus sine modo:* cf. I 80.

Cap. 7. *modesta servitia:* intellige servitia in principis per Italiam agris colendis se continentia, non molesta civibus, non insolentia adversus vicinos.

quantum superesse ut collega dicatur: intellige *collegam imperii. Socium laborum* ipse princeps iam diu Seianum appellaverat; v. IV 2. Dio LVIII 4. *in monimentis Gnaei Pompei:* cf. ad III 23. Dio LVII 21. *communes illi cum familia Drusorum fore nepotes.* Drusus haec questus est non eo anno, cuius res gestas iam Tacitus tradit, sed biennio ante (sub finem anni a Chr. 20), cum Drusus Claudii filius Seiani filiae desponderetur: v. III 29. Sueton. Claud. 27. Sed Drusus ille paucis diebus post Pompeiis extinctus est, ut narrat Suetonius. Videmus igitur questus a Druso Tiberii filio in Seianum diversis temporibus iactos a Tacito coniungi. Sine causa haeserunt Lipsius et Orellius.

in monimentis Gnaei Pompei; communes illi cum familia Drusorum fore nepotes. Precandam post haec modestiam, ut contentus esset. Neque raro neque apud paucos talia iaciebat; et secreta quoque eius corrupta uxore prodebantur.
Igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum quo paula- 8
tim inrepente fortuitus morbus adsimularetur. Id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. Ceterum Tiberius per omnes valitudinis eius dies, nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est. Consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes honoris locique admonuit; et effusum in lacrimas senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit: non quidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium. Neque illos imbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse. Miseratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aetatem suam, ut Germanici liberi, unica praesentium malorum levamenta, inducerentur petivit. Egressi consules firmatos adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt. Quibus adprensis 'patres conscripti, hos' inquit 'orbatos parente tradidi patruo ipsorum, precatusque sum, quamquam esset

1. *C. N.* M. *Pompeii* Or. 4. *iacebat* M. 5. *maturam dum* M. 8. *oms* cum lin. M. *valitudines* M. 12. *victu* M. 15. *aspici* M, non *adsp.* 16. *inbecillitatis* M. 22. *adprensis* M, non *apprehensis*. *parenti* M. 23. *pcatusque* cum lin. M, id est *praecatusque*.

precandam post haec modestiam: intellige *ei*, h. e. Seiano: *erbitten müsse man ihm für die Zukunft Mässigung, damit er zufrieden sei.* Alii de *Modestia* tamquam divina persona non recte cogitaverunt.

Cap. 8. *octo post annos:* cf. Dio LVIII 11. Eius temporis historia quinto Annalium libro narrata a Tacito temporum iniuria intercidit: v. ad V 5. *sede vulgari:* ubi ceteri senatores sedem ceperant consules, non praecipuam et signis ornatam altamque ac sibi destinatam, cuius meminit Ovidius ex Pont. IV 5 18 et 9 28, Lucanus V 15. *rudem adhuc nepotum — aetatem:* Drusi Liviaeque liberos dicit pueritiae annos nondum egressos: conf. II 84, III 34, VI 46.

Cap. 9. *eadem quae in Germanicum:* II 83. *plerisque:* et hic et multis aliis Taciti locis *pleraque* et *plerique* non τὰ πολλὰ et οἱ πολλοί, sed πολλὰ et πολλοὶ valet. Res nota est. *Sabina*

illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret sibique et posteris conformaret. Erepto Druso preces ad vos converto, disque et patria coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis maioribus genitos, suscipite regite, vestram meamque vicem explete. Hi vobis, Nero et Druse, parentum loco. Ita nati estis ut bona malaque vestra
9 ad rem publicam pertineant.' Magno ea fletu, et mox precationibus faustis audita; ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus, de reddenda re publica, utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas, omnesque Albanorum reges, et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus, ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.

10 In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, rettuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo ut nondum exolescat. Corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is aetate atque forma carus

1. *foveret attolleret* M: correxit Beroaldus. 7. *pcat.* cum lin. M. 11. *susciperint* M. 13. *decernantur* M. 14. *maximae* M. 15. *omsque* cum lin. M. 17. *caeteraeque* M. 19. *fideis* M. 20. *retuli* M. 22. *lycdi* M, mox *is lygdus aetate.*

nobilitas: h. e. nobilium Claudiae gentis, cui origo ex Sabinis (cf. Livius II 16), imagines. Verba continuo sequentia *Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies* explicandi gratia adiiciuntur.

Cap. 10. *quod is — erat*: libri M glossema (*is Lygdus*) a Walthero infauste reductum Ernestius delendum esse recte iudicavit: quippe quis pronomine indicetur, non solum liquide patet, sed post spadonis istius nomen iam positum tam pauca interiecta sunt, ut nominis repetitio, vix Livio quamvis talium repetitionum amatori condonanda, Tacito imputari plane nequeat. Alia autem loci XII 49 est ratio, ubi nomen *Pelignus* post pronomen *is* falso a Freinshemio et Ernestio expunctum puto: ibi enim post magnum intervallum *in novi enuntiati initio* apte nomen iam prolatum una cum pronomine (*is Pelignus*) ita repetitur, ut insit aliqua contemptus significatio.

domino interque primores ministros erat; deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sint, eo audaciae provectum ut verteret et, occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium vitandam potionem quae prima ei apud filium epulanti offerretur. Ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem, tamquam metu et pudore sibimet inrogaret mortem quam patri struxerat. Haec vulgo iactata, super id quod **11** nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad paenitendum regressu? Quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur. Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est. Neque quisquam scriptor

2. *locos* M. *conp.* M. *sint* M, non Beroaldi *sunt.* *audacie* M. 5. *ei*] *et* M: correxit Rhenanus. *aput* M. *offeretur* M. *cum* M, *tum* mg. M. 13. *penit.* M. 16. *conp.* M. 18. *immania* M, non *inania.*

ut verteret: hoc loco, ut saepe alias apud Tacitum, *verteret* intransitive positum est, quo factum ut uno verbo haec denotare posset rerum narrator, 'ut partes noxiorum innocentisque commutaret'. Theodisce: *dass er die umgekehrte Richtung nahm.*

Cap. 11. *iactata:* hinc Orosius VII 3 tradit Drusum a Tiberio veneno extinctum esse. *quin potius ministrum veneno excruciaret:* contrarium quod vir tantis rebus exercitus faceret, iam ab rerum scriptore proponitur; *quin* est fere quod *immo.*

per Apicatam Seiani: Apicatam Seiani *uxorem* esse cum legentibus ex c. 3 cognitum existimaret, hoc loco matrimonii coniunctionem casu genitivo significavit, ellipsi apud poetas et scriptores aetatis argenteae usitata. Ennius apud Gellium XIII 22 18 *Nerienem Mavortis.* Virgil. Aen. III 319 *Hectoris Andromache.* Plin. N. H. XXIX 5 *Messalina Claudii Caesaris,* XXXV 58 *Agrippina Claudii Caesaris.* Apud eundem IX 19 *Antonia Drusi,* XXIX 8 *Livia Drusi Caesaris;* VII 49 *Livia Rutilii, Terentia Ciceronis, Clodia Ofilii.* Alter Plin. Epist. II 20 *Verania Pisonis,* VI 16 *Rectina Caesii Bassi.* *Antonia Drusi* in titulis ap. Orellium 2445 et 2911. Consimilis est usus apud

tam infensus extitit ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis quorum in manus cura nostra venerit, divulgata atque incredibilia ne avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

12 Ceterum laudante filium pro Rostris Tiberio, senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur. Quod principium favoris, et mater Agrippina spem male tegens, perniciem acceleravere. Nam Seianus ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. Neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae impenetrabili. Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent. Atque haec callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum, per adulterium Mutiliae

1. *oma* cum lin. M. 5. *ne* additum ab editore: vulgo *ne* suppletur auctore Rhenano ante *divulgata*. *incredibili* M. 11. *adc.* M. 12. *multam* M: correxit Beroaldus. 16. *egregi* M. *inp.* M. 18. *superbiam* M: correxit Muretus. 21. *postunum* M.

Tacitum XII 1: *Lolliam Paulinam Marci Lollii consularis* (filiam). De re conf. Dio LVIII 11.

cura nostra: est opus ingenii viribus confectum (*unsere Arbeit*); cf. III 24. O. 3. *ne avide accepta:* Muretus aliique eum secuti particulam *ne* ante v. *divulgata* suo iudicio adiecerunt. Quae cum alterutro loco manifesto interciderit, ego tamen hic inserendam eam putavi, quoniam sic melius liquet, quomodo *ne* a subsequente voce *avide* absorberi potuerit.

Cap. 12. *laudante filium:* cum pontifex maximus esset Tiberius, velo pro more maiorum interposito laudavit filium, ut oculi aspectu cadaveris arcerentur. Senec. Consol. ad Marc. 15: *Tiberius Caesar — pro Rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento quod pontificis oculos a funere arceret.* Non consentit Dio LIV 28.

atque haec: est Livia Seiani adultera et iam fidissima eius in nefariis facinoribus socia. Huius *recentem conscientiam* exagitare pronum erat ipsi adultero, sed ad vetus Augustae in Agrippinam odium suscitandum Liviae opera idem utebatur. Iunge *atque haec*

Priscae inter intimos aviae, et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida, anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro 13
solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat; factaque auctore eo senatus consulta ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam, motu terrae labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. Et Vibius Serenus, proconsul ulterioris Hispaniae, de vi publica damnatus, ob atrocitatem morum in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos, reus tamquam frumento hostem Tacfarinatem

3. *agrippine* M. 4. *inlicebantur* M. 5. *sps* cum lin. M. 7. *solaciis* M. 8. *ciutati* M. 9. *aput* M. *Aegiensi* M, superscr. a recenti manu *n: Aeginensi* Beroaldus, *Aegirensi* Rhenanus, *Aegiensi* Ernestius auctore Iac. Gronovio. 11. *procons.* cum lin. M: *proconsule* Beroaldus. *ulteriores* M. 12. *ob*] *ab* M. *morum* Lipsius: M *temporum*. *carsius* M: correxit Reinesius ex titulo (Grut. 767 10); cf. 6 48.

(Livia) *callidis criminatoribus* — *anum* (Augustam) — *insociabilem nurui* (Agrippinae) *efficiebat*. Media interiecta sunt *inter quos delegerat* (Livia) — *in animo Augustae valida* (erat). Vere igitur et proprie *avia* Augusta appellatur. Nam Livia, coniux Drusi, Tiberii *filia* (nurus) erat, Augusta et Druso et uxori *avia*. Acidalius de Seiano sermonem esse existimans *adque haec* (*ἐπὶ τούτοις*) scribendum suasit: sed sic sufficiebat *ad haec* vel *ad hoc*, ut XIV 31: et *adque* unus quisque Romanorum pro coniunctione *atque* habiturus erat: scilicet promiscue scribebant *atque* et *adque*. Miram ellipsin Orellius excogitavit, *atque haec* accipiens pro 'et haec quidem perfecit Seianus'.

nurui: Augusta mater Tiberii et Drusi Germanico Drusi filio *avia* erat, et sic appellatur II 14, III 3 et 17, Agrippinae autem *socrus magna* et haec illi *pronurus*. Verum *nurus quoque appellatione non tantum filii uxor sed et nepotis et pronepotis continetur, licet quidam has pronurus appellent:* l. 14 Dig. *de ritu nupt.* (XXIII 2). Cf. ad II 43, IV 3.

Cap. 13. *civitati Cibyraticae* — *subveniretur*: cf. annot. ad II 47. *Vibius Serenus:* cf. II 30 et annot. ad IV 29 et 30.

ob atrocitatem morum: si *temporum* a codice pro *morum* oblatum tenemus, Tacito iniquam illius aetatis vituperationem donamus. Nam Vibio Sereno de vi publica damnato secundum legem Iuliam aqua et igni interdicendum erat. Cf. l. 10 §. 2 Dig. *ad legem Iul. de vi publ.* (XLVIII 6). Postea gravior criminis poena ultimum supplicium aut deportatio constituta est. Conf. l. 2 §. 1 Dig. *de poenis* (XLVIII 19). Paulus Recept. Sentent. V 26 1: *lege Iulia de vi publica damnatur qui aliqua potestate praeditus civem Romanum antea ad populum, nunc ad imperatorem appellantem necarit neca-*

iuvisset, absolvitur, eiusdemque criminis Gaius Gracchus. Hunc comitem exilii admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres et liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur; neque tamen effugit magnae fortunae pericula. Ac ni Aelius Lamia et Lucius Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

14 Is quoque annus legationes Graecarum civitatium habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur.

1. *C.* M. 5. *neque* M, non Rhenani *nec*. 6. *lamina* M. *L.* M. 7. *claritudini* M. 10. *cois* cum lin. M. *vetustus tum* M: correxit Beroaldus. 12. *ea qua tempestate* M. 13. *conditus* M.

rive iusserit, torserit, verberaverit, condemnaverit, inve publica vincula duci iusserit. Cuius rei poena in humiliores capitis, in honestiores insulae deportatione coërcetur. Ilis cum locis si conferuntur quae infra c. 30 de Amorgi temperie haud immiti referuntur, Sereno poenam paulo quidem graviorem, quam Tiberii temporibus lex praescribebat, irrogatam fuisse patet, sed non adeo intentam, ut inde temporum atrocitas agnosci posset. Iam verba *ob atrocitatem morum* et propter locum quem obtinent et ipsam rei naturam, reus enim non ob *mores* sed ob *facta* damnatur, non ad antecedentia, ut olim, sed ad sequentia (*in insulam Amorgum deportatur*) referenda sunt, et idem fere significant atque ob atrocitatem morum, quae facinus ab eo commissum intendebat. Poenae legitimae certas ob causas auctae exempla habemus III 38, IV 42. II. IV 45. Codicis vitium *temporum* ex ultima syllaba vocis antecedentis *atrocitatem* perperam repetita originem duxit. Non bene ad veteres sordes rediit Orellius.

pater Sempronius: v. I 53.

foret abstractus: Theodisce converte *so wäre er zum Falle gekommen.* Locutio translata est a tempestate, quae correptum a se abstrahit, iuste protectum evertere nequit.

Cap. 14. *is quoque annus:* cf. III 62. *qua tempestate:* cum in M *ea qua tempestate* scriptum compareat, quaeritur utrum *ea* vox tamquam per dittographiam nata delenda sit an scribendum cum Rhenano *ea tempestate qua.* Hoc alterum cum Doederlinio et Orellio equidem non probaverim, qui Tacitum uno pronomine fere contentum esse sciam. II 60: *condidere id Spartani, — qua tempestate* cet. III 38: *qua tempestate — bellum adversus nos volverat.* VI 34: *qua tempestate Iaso — Colchos repetivit.* Simile est II 63: *fide qua venisset,* 67: *exemplo quo maiores.* II 78 legimus quidem *eadem fide qua* (ita etiam IV 9 *eadem quae in Germanicum*), non tamen *ea fide qua*, quod nimium exile prae Taciti gravitate. Rursus I 3, XII 11 *ea tempestate*, sed nullo subsequente

Neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco: nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur. Variis dehinc et saepius inritis praetorum questibus, postremo Caesar de immodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos temptari; Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse ut auctoritate patrum coërcendum sit. Pulsi tum histriones Italia.

Idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit, alterum 15
ex geminis Drusi liberis extinguendo, neque minus morte amici. Is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. Ita, quamquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere, apud quos etiamtum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit, magna cum adseveratione principis non se ius nisi in servitia et pecunias

5. *quaest.* M. *inm.* M. 7. *os cum* M. *levissime* M. 8. *ut* om M: supplevere Victorius et Lipsius. 9. *dum* M. 10. malim *adfecit.* 15. *aput* M. 17. *dixerat* M. 18. *pecunia* M.

pronomine relativo. Unum exemplum quo duplex pronomen ascivit est VI 8, *nam ea tempestate, qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est*, non tamen in enuntiato secundario, quale est hoc nostrum, sed in sententiae haud pendentis initio.

cum iussu regis Mithridatis: v. Velleius II 18, Livius Epit. 78. Appianus Mithridaticis 22 et 23.

foeda per domos: sunt domus familiarum illustrium; cf. ad I 73.

Oscum quondam ludicrum: ludicrum ab Oscis Atellam Campaniae urbem incolentibus olim a Romanis acceptum temporis decursu ita immutatum est, ut aetate Caesaris Augusti pantomimorum ars et deliciae inde orirentur. Cf. ad I 54. Errant qui fabulas Atellanas Romae editas lingua Osca scriptas esse credunt, Strabonis loco perperam intellecto decepti. Ille quippe V 3 6 pag. 233: *ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσονίων ἔθνει συμβέβηκε· τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων ἡ διάλεκτος* (intelligit linguam Latinam vocabulis Oscis quibusdam mixtam) *μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις, ὥστε καὶ ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον καὶ μιμολογεῖσθαι.*

Cap. 15. *adficit:* praesens historicum in hoc tenore narrationis minime assurgentis non satis aptum videtur. Sic ante est (14) *is quoque annus — habuit*, et paulo post (16) *sub idem tempus — disseruit Caesar*. Inde etiam hic fuisse *adfecit* a veri similitudine non abhorret. *alterum ex geminis Drusi liberis:* cf. ad II 84.

censorium funus: est funus duci solitum eis qui summis honoribus

familiares dedisse: quodsi vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios. Ita reus cognito negotio damnatur. Ob quam ultionem, et quia priore anno in Gaium Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui. Et permissum statuere; egitque Nero grates ea causa patribus atque avo, laetas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici illum aspici, illum audiri rebantur. Aderantque iuveni modestia ac forma principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob periculum gratiora.

16 Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar. Nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta. Pluresque eius rei causas adferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque: accedere et ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto

1. *pret.* M. 4. *C.* M. *Silanum* M, non Beroaldi *Syllanum.* 11. *servi* M. 18. *accedere et* Iac. Gronovius: M *accederet.*

functi et ad culmen dignitatis, h. e. ad censuram, pervenerant: v. Polyb. VI 53. Tacit. A. XIII 2: *decretum Claudio censorium funus et mox consecratio.* H. IV 47: *funusque censorium Flavio Sabino* (fratri Vespasiani principis) *ductum.* Eiusdemmodi haud dubie Drusi funus paulo ante (c. 9) descriptum fuit, nec diversum videtur fuisse *publicum funus* Pisonis (VI 10) praefecti urbis (etenim VI 27 legimus Aelii Lamiae, qui item urbi praefectus, mortem funere *censorio* celebrari), et *publicae* Quirini *exequiae*, de quibus relatum est III 48.

effigiem apud forum Augusti: Sueton. Aug. 31: *proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cuiusque manentibus titulis restituit, et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus edicto, commentum id se, ut illorum velut ad exemplar et ipse, dum viveret, et insequentium aetatum principes exigerentur a civibus.* De foro Augusti v. Sueton. Aug. 29. Beckeri Enchirid. Antiq. Rom. I p. 370 sqq.

Lucilius Capito: Dio LVII 23.

vim praetoris: conf. ad I 74. Eandem rem Tacitum auctorem secutus Dio narrat LVII 23.

Cap. 16. *confarreatis parentibus:* quorum nuptiae farreo libo adhibito pontifice coram et flamine Diali sancitae sunt (*geistlich eingesegnete Ehe*). Cf. Dionys. A. R. II 25. Gaius I 112. Ulpian. tit. 9. Plin. XVIII 3. Servius ad Virgil. G. I 31, Aen. IV 104 et 374. Arnobius adv. Gentes IV 20. Boeth. in Top. 3 §. 14. Paulus ex Festo s. v. *Farreum.* Orellii Inscript. n. 2650 et 2648.

accedere et ipsius caerimoniae difficultates: et particula a I. Gro-

vitarentur, et quod exiret e iure patrio qui id flaminium apisceretur quaeque in manum flaminis conveniret. Ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset. Igitur tractatis religionibus placitum instituto flaminum nihil demutari: sed lata lex qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promisco feminarum iure ageret. Et filius Maluginensis patri suffectus. Utque glisceret dignatio sacerdotum, atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, sestertium vicies, et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

Cornelio Cethego Visellio Varrone consulibus pontifices, **17**
eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum isdem dis commendavere, non tam caritate iuvenum quam adulatione; quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est. Nam Tiberius haud unquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae impatienter indoluit; accitosque pontifices percontatus est, num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent. Et illi quidem, quamquam

1. *quod* editor: M *quo* cum lineola, Orellius *quoniam*, Beroaldus *quando*. *flamonium* M. 7. *promisco* M, non *promiscuo*. 8. *utquae* M. 10. *scantie* M. 11. *cupiebatur* M. *HS. XX.* M. 13. *cos.* cum lin. M. 17. *proinde* per compendium M. 18. *umquam* M. 19. *inp.* M. 20. *pontificis* M. *praecibus* M.

novio ex forma tradita *accederet* vere restituta respondet alteri *et*, quae subsequitur *et quod* sqq.

et quod exiret: Tiberius plures eius rei causas percensens unam potissimam affert ac duas secundarias; has a priore distinguit verbo *accedere*: sed cum neque *accedere quoniam* neque *accedere quando* Latine dici possit, cum etiam novum et liberius adiunctum sermonis membrum a *quoniam* inchoari propter particulas *et* — *et* statui nequeat, nihil reliquum videtur, nisi ut *quod* ex tradito *quo* eliciamus, quamquam eo compendio alias *quoniam* exprimitur. Pro *quod* in eodem libro *quo* scriptum est IV 39.

ut sedes inter Vestalium: Sueton. Aug. 44: *virginibus Vestalibus locum in theatro separatim et contra praetoris tribunal dedit.*

Cap. 17. *cum — susciperent:* ea vota susceperunt pontifices ob decennium principatus a Tiberio peractum: Dio LVII 24. Gaius ad legem duodecim tabularum §. 1 l. 233 Dig. *de verb. signif.* (L 16): *post kalendas Ianuarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.* Plutarch. Cic. 2. Capitolin. Pertin. 6. *indoluit:* v. ad III 73.

Seianus calumniates the nobles of formerly a party for Agrippina –

abnuerent, modice perstricti (etenim pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis erant): ceterum in senatu oratione monuit in posterum ne quis mobiles adulescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret. Instabat quippe Seianus, incusabatque diductam civitatem, ut civili bello; esse qui se partium Agrippinae vocent, ac ni resistatur; fore pluris; neque aliud gliscentis discordiae remedium

18 quam si unus alterve maxime prompti subverterentur. Qua causa Gaium Silium et Titium Sabinum adgreditur. Amicitia Germanici perniciosa utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice iactantis suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur; neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. Destrui per haec fortunam suam Caesar, imparemque tanto merito rebatur. Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exolvi posse:

19 ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinae invisa principi. Hos

5. *deductam* M. 7. *aliut* M. 9. *G.* M. 13. *procederet* M: tacite correxit Rhenanus. 18. *inparemque* M. 19. *ueneficia* M. *exs.* Or.

percontatus: hanc verbi formam in M esse h. l. testimonio Baiteri constat, item in M[a] *percontaretur* XI 2. Quo utriusque codicis consensu idem alibi restitui, ut II 40 *percontanti*, XV 58 *percontationes*, ubi Orellius *percunctanti* et *percunctationes*, incertum an ex codice.

ne quis mobiles — extolleret: Sueton. Tiber. 54: *egit cum senatu, non debere talia praemia tribui nisi expertis et aetate provectis.*

Cap. 18. *Silio et:* post causam praecipuam nova et secundaria profertur, omisso verbo ex antecedentibus petendo (*perniciosum erat*): hoc autem ubi fit, simplex *et* pro *etiam* alibi apud Tacitum non inveni, ac sane vocis vis in illo *et* acquiescere vix satis potest. Itaque *etiam* fuisse suspicor. Cf. ad II 44. Singulos Annalium locos, ubi de C. Silio, index historicus monstrabit. *quod—dispergebatur:* haec iungenda. Inde rursus pendent *quanto maiore mole procideret*, et haec addita causa explicantur verbis *ingentis exercitus septem per annos moderator — belli victor.*

destrui per haec fortunam suam: i. e. fortunam sibi a dis concessam et adhuc ab hominibus creditam per haec ostendi tamquam vanam ac nullam. Cf. annot. ad II. I 6.

pro gratia odium redditur: Seneca Ep. 19: *quidam quo plus debent, magis oderunt. Leve aes alienum debitorem facit, grave inimicum.*

corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum; immissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur. Precante reo brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar: solitum quippe magistratibus diem privatis dicere; nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur ne quod res publica detrimentum caperet. Proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul aut illud res publica esset, coguntur patres, silente reo, vel si defensionem coeptaret, non occultante cuius ira premeretur. Conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam foedata, et uxor Sosia arguebantur. Nec dubie repetundarum criminibus haerebant: sed cuncta quaestione maiestatis exercita, et Silius imminentem damnationem voluntario fine praevertit. Saevitum tamen in bona, non ut stipendiariis 20
pecuniae redderentur, quorum nemo repetebat: sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim quae fisco petebantur.

1. *inmissusque* M. 2. *cons.* cum lin. M. 3. *suum*] *sum* M. *praec.* M. 7. *quo prium* M: correxit Beroaldus. 10. *illut* M. 13. *socia* M, ante et post *sosia*. 18. *conp.* M.

Cap. 19. *dilato ad tempus Sabino:* differtur ad initium anni 28: v. c. 68. *immissusque:* dixi nonnulla de hoc verbo ad XI 1.

priscis verbis obtegere: cf. I 72, IV 70, VI 24. De vi priscae formulae, *darent operam consules, ne quid res publica detrimenti capiat,* conf. Sallust. Cat. 29. Caes. B. C. I 5.

aut Varro consul: Varro non consulis officio functus veteris aevi, sed Seiano gratificandi cupidine impulsus accusationem susceperat. Itaque hac in re iste non consul erat sed cliens ac servus Seiani.

res publica: h. e. quae ad populum omnesque cives pertineret, *eine Staats-Angelegenheit.*

Cap. 20. *non ut* cet: quae iam sequuntur declarant quomodo in bona Silii saevitum sit: scilicet ex illis avulsa quae ab Augusto dono data erant, ex ceteris quarta pars accusatoribus tradita; quae reliqua, liberis concessa. Sine causa *partem bonorum* non Silii sed Sosiae intelligit Waltherus. *Stipendiarii* sunt provinciales Galli, quos spoliaverat Silius. Cf. ad III 46.

secundum necessitudinem legis: legis Iuliae de maiestate. Ea tamen in universum delatoribus maiestatis praemia videtur promisisse, ut in singulis causis constitueretur, quantum persolvi istis conveniat. Cf. c. 30, VI 47, XVI 33. H. IV 42. Sueton. Tiber. 61. Si ita res se habuit, Lepidus ad praemia accusatoribus iuxta legem danda quartam bonorum partem destinavit, veritus ne plus tribueretur.

comperior: hanc rariorem verbi formam et priscam, ut videtur (Terent. Andr. V 3 31), ascivit exemplo Sallustii Iugurth. 45 et 108.

Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, censuerat. Contra Marcus Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior: nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit. Neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messalinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus, censuit cavendum senatus consulto ut quamquam insontes magistratus et culpae alienae nescii provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.

4. *M.* M. 6. *comperior* M, non *comperio*. 7. *sevis* M. 9. *aput* M. 11. *illo* M. 12. *contumatiam* M. 13. *at*] *Ad* M. 17. *proinde* (per notam) M.

fato: equidem *fatone* Tacitum dedisse coniecerim, quod et vis enuntiatorum oppositorum et ambitus eorum requirere videtur: alias enim ubi particula *ne* subsequente *an* ab hoc scriptore omittitur, minimo intervallo quae contraria sunt discreta reperimus. II 42: *finem vitae sponte an fato implevit.* IV 40: *posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus isdem manendum haberet.* VI 2: *privatos an e magistratibus?* XI 36: *sponte an coactus — peccavisset, nihil referre.* XII 52: *morte fortuita an per venenum extinctus esset.* XIIII 12: *fato quodam an quia praevalent inlicita.* XIV 51: *incertum valitudine an veneno.* H. I 7: *mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur.* 37: *imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis.* 47: *omisisset offensas an distulisset.* Germ. 5: *propitii an irati di.* Ac sane particulam non omisit in loco simillimo VI 22: *sed mihi — in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur.* Sed haec magis sentiri quam diiudicari possunt, ideoque in contextu verborum nihil ausus sum.

Messalinus Cotta — censuit: nominis similitudine deceptus haec ad consulatum M. Valerii Messalae et M. Aurelii Cottae, h. e. ad annum 20 a Chr., rettulit Ulpianus l. 4 Dig. *de officio proconsulis* (I 16): *proficisci autem proconsulem melius quidem est sine uxore, sed et cum uxore potest, dummodo sciat senatum Cotta et Messala consulibus censuisse, futurum ut, si quid uxores eorum qui ad officia proficiscuntur deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur.*

Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro. 21
Is namque, ut rettuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat, et spreta potentia Augustae trahere in ius Urgulaniam domoque principis excire ausus erat. Quae in praesens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonemque Granius secreti sermonis incusavit adversum maiestatem habiti, adiecitque in domo eius venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam. Quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus; neque peractus ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo exule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur effecerat; atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seripho consenuit.
Per idem tempus Plautius Silvanus praetor, incertis causis, 22
Aproniam coniugem in praeceps iecit; tractusque ad Caesarem ab Lucio Apronio socero turbata mente respondit, tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem

2. *retuli* M. *accussatorum* M. 7. *Pisonemque Granius* editor: M *pisonemque Gravius*, Lipsius *Pisonem Q. Granius*, et sic vulgo. *secretis* M. 9. *accingtum* M. 10. *ceterorumque multa* M. 11. *oport.* M. 14. *efficerat* M. 16. *exsutus* M. *Seripho* M, non *Seriphio*. 18. *aproniem* M. 19. *L.* M.

Cap. 21. *ut rettuli:* refert II 34.
Pisonemque Granius — incusavit: post causas expositas cur irasceretur Tiberius Pisoni, novo enuntiato et augente particula primo vocabulo adnexa narratur quid accesserit, ut Tiberius iram suam explere facilius posset. Nos dicimus: *auch beschuldigte den Piso Granius.* I 65: *ducemque terruit dira quies.* II 37: *census que quorundam senatorum iuvit.* 52: *divisusque exercitus* (est). 57: *cunctaque — non ideo laetum Germanicum habebant.* IV 49: *rebusque turbatis — discordia accessit.* Interdum ea particula non modo novum aliquid indicat, sed inest simul transitionem et conclusionem parandi vis. Cf. IV 74, VI 19, XI 11 et 13 et 38, XII 11 et 16 et 24 et 42 et 58, XIII 2 et 37, XIV 6 et 14 et 28 et 32 et 64. H. III 48. G. 7. Granius tamquam parum notus et vilis accusator uno nomine a Tacito vocatur. Sic XIII 23: *eius accusationis auctor extitit Paetus quidam. Granius Marcellus* est I 74, *Granius Marcianus* VI 38; de utroque non certum an ad hunc pertineat. *Q. Granius* quem Lipsius cum ceteris editoribus intulit, a Tacito nusquam memoratur, particula autem post Pisonem carere vix possumus.

sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum; in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque iudicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum quasi principis monitu, ob amicitiam Augustae cum Urgulania. Reus frustra temptato ferro venas praebuit exolvendas. Mox Numantina, prior uxor eius, accusata iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur.

23 Is demum annus populum Romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. Nam priores duces ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant; iamque tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui, Ptolemaeo Iubae filio iuventa incurioso, libertos regios et servilia imperia bello mutaverant. Erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quae ex longinquo in maius audiebantur; ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Caesar post res a Blaeso gestas, quasi nullis iam in

4. *pugione* M. *perinde* M, non *proinde*. *principes* M. 6. *exsolv.* Or. 8. *insons siiudicatur* M. 11. *ubi*] *sub* M: correxit Lipsius, ante quem *sibi*. 13. *raptabat* M, non Alciatinae *reptabat*. 14. *ptolemeo* M. 19. *fortune* M.

gladio accinctum introire curiam: conf. XI 22.

orandi validus: ipse accurate huius eloquentiam descripsit in Or. 19 et 26, copiose ac suaviter Seneca in Excerptis Controv. l. III praef. Conf. annot. ad I 72.

ut iudicio — effecerat: hoc supra repetitum ex principatu Augusti: is enim Cassium relegaverat. *Iuratus* iudicabat senatus de rebus gravioribus et atrocibus.

consenuit: hoc proprie dictum, ut patet ex verbis Hieronymi ad I 72 transcriptis.

Cap. 22. *in praeceps iecit:* ex cubiculo editaque domus parte iecit (de scalis ego credo, per fenestram Orellius), ut praecipitaretur. *ob amicitiam Augustae cum Urgulania:* cf. II 34.

Cap. 23. *iamque tres laureatae in urbe statuae:* iam Furius Camillus et Lucius Apronius atque Iunius Blaesus (II 52, III 21 et 72) ob victum Tacfarinatem triumphalia ornamenta rettulerant, h. e. coronam lauream, trabeam triumphalem, statuam illustrem sive triumphalem, quae hoc loco *laureata* appellatur. Ceteris insignibus omissis unum statuae ornamentum hic nominatur ut praecipuum atque loco publico (in foro Augusti) omnium oculis expositum.

Africa hostibus, reportari nonam legionem iusserat, nec pro consule eius anni Publius Dolabella retinere ausus erat, iussa principis magis quam incerta belli metuens. Igitur Tacfarinas, 24
disperso rumore rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari, eoque paulatim Africa decedere, ac posse reliquos circumveniri, si cuncti quibus libertas servitio potior incubuissent, auget vires, positisque castris Thubuscum oppidum circumsidet. At Dolabella contracto quod erat militum, terrore nominis Romani, et quia Numidae peditum aciem ferre nequeunt, primo sui incessu solvit obsidium, locorumque opportuna permunivit; simul principes Musulamiorum defectionem coeptantes securi percutit. Dein quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum non gravi nec uno incursu consectandum hostem vagum, excito cum popularibus rege Ptolemaeo quattuor agmina parat, quae legatis aut tribunis data; et praedatorias manus delecti Maurorum duxere: ipse consultor aderat omnibus. Nec multo post ad- 25
fertur Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse, fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. Tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae,

2. *P.* M. 8. *ad* M. 12. *ceptates* M. 14. *popularibus recepto leameo* M: correxit Beroaldus. 16. *aut* M, non *ac*, ut edebant ante Iac. Gronovium. 18. *aput* M. 21. *ignare* M.

reportari nonam legionem iusserat: reportata est in Pannoniam unde excita (III 9). Conf. annot. ad IV 5.

Cap. 24. *Thubuscum:* oppidum Mauritaniae; quae postquam a C. Caesare et Claudio in provinciam Tingitanam et Caesariensem divisa est, hoc oppidum in Caesariensi fuit. Nomen ei apud Plinium N. H. V 1 (2) *Tubusuptus;* perinde Ptolem. IV 2 §. 31 (*Τουβούσουπτος*). Ammian. Marcell. XXIX 5 11: *Tubusuptum progressus, oppidum Ferrato contiguum monti.* Id nominis etiam Tacito restituendum videtur, ut media syllaba interciderit, tertia a fine littera mutata sit.

Musulamiorum: v. annot. ad II 52. *non gravi nec uno incursu:* hoc est non incursu a *gravi* militia atque in unum iuncta faciendo.

Cap. 25. *Auzea:* apud Ptolemaeum IV 2 §. 31 est *Αὐζία*.

expeditae cohortes alaeque: v. ad I 60. *praepeditis:* compedibus ante a Numidis impositis impediti erant. Idem mos apud Assyrios et Persas: vid. Xenoph. Cyropaed. III 3, Anabas. III 21.

trahi, occidi, capi: ne credas esse hysterologiam, memineris tractos ad captivitatem, oblatis aliis quos capere retentis prioribus ob numerum non possent, occisos esse a victoribus. Cf. Agr. 37: *sequi*

cito agmine rapiuntur. Simulque coeptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros, praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa; hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi. Infensus miles memoria laborum et adversum eludentes optatae totiens pugnae, se quisque ultione et sanguine explebant. Differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis, consectentur; nonnisi duce interfecto requiem belli fore. At ille deiectis circum stipatoribus vinctoque iam filio et effusis undique Romanis, ruendo in tela, captivitatem haud

26 inulta morte effugit. Isque finis armis impositus. Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens, ne Blaesi avunculi eius laus obsolesceret. Sed neque Blaesus ideo inlustrior, et huic negatus honor gloriam intendit: quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat. Sequebantur et Garamantum legati, raro in urbe visi, quos Tacfarinate caeso perculsa gens et culpae *haud* nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat. Cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum studiis,

4. *turamae* M. 7. *eludentis* M. 8. *si quis* M: *se quisque* Beroaldus. 9. *oms* cum lin. M. 10. *ducei* M. 11. *delectis* M: correxit I. Fr. Gronovius. 13. *multa* M: *inulta* Beroaldus. *inp.* M. 14. *potenti* M. *trumphalia* M. 17. *exercitum* M. *insignis* M, non *insignes.* 20. *haud* ab editore est. Iac. Gronovius *non nescia*, Ryckius *nec culpae nescia,* Lipsius *culpae conscia.* *P. R.* M. 21. *ptolomei* M.

vulnerare capere, *atque eosdem oblatis aliis trucidare.* *adversum eludentes optatae totiens pugnae:* quod est in M *eludentis*, id a librario subsequenti genitivo assimilatum esse iudico, non a Tacito scriptum pro *eludentes*, quae forma nunc sermoni dilucido melius convenit, ut *incipientes* I 19.

Cap. 26. *ne Blaesi avunculi eius laus obsolesceret:* v. III 72 sqq. *et culpae haud nescia:* particulam negativam excidisse clarum ex c. 23, neque sufficit ad tuendam traditam scripturam quod olim excogitavi iamque omitto. Quod Iac. Gronovius suggessit *non nescia*, probatum Bezzenbergero et Heraeo, mihi non placet; quippe *non* particula in eiusmodi formulis fortior est, ubi *nescius* cum vocula negante valet *conscius*, atque alteri *haud* tunc cedere apud hunc nostrum solet. Cf. II 55: *adsequitur Germanicum —, haud nescium quibus insectationibus petitus foret.* IV 50: *haud nescio duce nostro.* XV 68: *haud nescius inter adulteros eius et Caesarem esse.* Idem adhibet *non* et *neque*, ubi post

repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque et socium atque amicum appellaret.

Eadem aestate mota per Italiam servilis belli semina 27
fors oppressit. Auctor tumultus Titus Curtisius, quondam praetoriae cohortis miles, primo coetibus clandestinis apud Brundisium et circumiecta oppida, mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. Et erat isdem regioni-

1. *mos, missusque* Lipsius: M *more omissusque.* 5. *oppresit* M. *T.* M. *quodam* cum lin. M. 6. *aput* M. 9. *feroricia* M: correxit Beroaldus.

nescius sequitur verbum, et in sententia haud pendente a praegressa, veluti IV 32 *non nescius sum,* XVI 14 *neque nescium habebat.* Praeterea *haud* etiam eo nomine praeplacet, quod facile absorberi potuit post voc. *culpae.*

ex vetusto mos, missusque: vitium libri M (*more omissusque*) inde provenit, quod moris nomen librarius praecedenti *vetusto* assimilavit et *o* litteram sive ex *vetusto* sive ex suo *more* in auribus tinnientem voci *missusque* adiunxit. Longius abit coniectura Doederlinii *ex vetusto more honos missusque,* quae admodum placuit Heraeo p. 149. De more illo Dionys A. R. III 35. Liv. XXX 15.

Cap. 27. *agrestia per longinquos saltus — servitia: longinquos* saltus dicit longe remotos a Brundusio et maris locis, ubi coetus clandestinos Curtisius celebraverat.

cui provincia vetere ex more Cales evenerat: converte *dem zum Verwaltungsbezirk — Cales geworden war.* Iam liberae civitatis temporibus duo quaestores vectigalia et rem frumentariam aliaque officia ad utramque Italiae oram procurabant, alter mare inferum, alter superum proximumque litus obtinendo. Eae provinciae vulgari sermone *aquariae,* et altera fere Ostiensis, altera *Gallica* vocabatur. Qui *Ostiensem* (id nomen inde ductum videtur, quod classes frumentariae Ostiam et inde in flumine Tiberis Romam subvehebantur) praesidebat, modo *Ostiae* versari, modo *Calibus,* modo *Puteolis* poterat, ut quoque tempore usus poscebat. Sic Vatinius quaestor, cum ei *aquaria* sorte obtigisset, a Cicerone consule *Puteolos* ad magistratum suum ibi gerendum missus est. Cic. in Vatin. 5: *quaero ex te, — missusne sis a me consule Puteolos, ut inde aurum exportari argentumque prohiberes?* Cf. pro Muren. 8: *tu illam* (habuisti quaesturam), *cui, cum quaestores sortiuntur, etiam adclamari solet, Ostiensem, non tam gratiosam et illustrem quam negotiosam et molestam;* pro Sest. 17: *nec mihi res erat cum Saturnino, qui, quod a se quaestore Ostiensi — rem frumentariam translatam sciebat* cet. Velleius II 94: (Tiberius) *quaestor — difficultatem annonae ac rei frumentariae inopiam ita Ostiae atque in urbe moderatus est* cet. Ostiae ob custodiam litoris cohors locata erat: H. I 80, II 63. Utraque Italiae provincia quaestoria memoratur a Suetonio in Claud. 24: *detracta quaestoribus Ostiensi et Gallica provincia, cu-*

bus Cutius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more Cales evenerat. Is disposita classiariorum copia coeptantem cum maxime coniurationem disiecit. Missusque a Caesare propere Staius tribunus cum valida manu ducem ipsum et proximos audacia in urbem traxit iam trepidam ob multitudinem familiarum, quae gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua.

28 Isdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in senatum inducti sunt, ab exilio retractus inluvieque ac

1. *Cutius* M: *Curtius* Beroaldus; cf. index Gruteri Thes. 2. *calles* M: *Cales* Lipsius. 3. *cum* (non *tum* Beroaldi) M. *coniuratione* M. *cesare* M. 5. *audatia* M. *trepida op* M: *trepidam* Rhenanus, *ob* Beroald. 6. *familiarumque gl.* M. *inm.* M. 8. *cos.* cum lin. M. *sevitiae* M. 9. *accussator* M. *nomen uirique uibius* M (non ut Furia *nomenque viri q. vibius*): correxit Lipsius.

ram aerarii Saturni reddidit. Dio LV 4: καὶ ταμίας ἔν τε τῇ παραλίᾳ τῇ πρὸς τῇ πόλει καὶ ἐν ἑτέροις τισὶ τῆς Ἰταλίας χωρίοις ἄρχειν ἐποίησε (Augustus). LX 24: τοῖς μὲν οὖν ταμίαις τὴν διοίκησιν (aerarii) ἀντὶ τῶν ἀρχῶν τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἔξω τῆς πόλεως ἀντέδωκε, πάσας γὰρ αὐτὰς ἔπαυσε (Claudius). Dionis πάσας αὐτὰς ne plures provincias credas esse quam Ostiensem et Gallicam, verba ex Suetonio transcripta suadent, sed indefinite Dio loquitur, quod sedes quaestorum in duabus Italiae oris pro tempore et usu mutabatur. Neque Cales civitas sola erat quae Lupo evenerat, immo tota ora maris inferi, sed illam Tacitus nominat, quod Calibus tunc Lupus versabatur atque inde in *via Appia* (ad eam id Campaniae oppidum situm est) facile ad regionem Brundusinam pervenire poterat. Lipsius in erudita ad h. l. disputatione duobus erroribus seque et alios interpretes implicuit: primum enim praeter Ostiensem *Cales* sive *Calenam* provinciam ille statuit, cuius quaestor tractui Campano Sidicinoque praefuerit Brundisium usque, non meliore iure quam si tu ob Ciceronis verba provinciam *Puteolanam* facere velis; deinde quartam adeo quaestoriam provinciam quaesivit, quam cum invenire in Italia non posset, ad Siculos et Lilybaeum confugit. *Calles* h. l. vitium est nimis manifestum. Illud Suet. (Caes. 19) *provinciae — minimi negotii, id est silvae callesque*, vox est invidiosa, in optimates iacta a Caesare et eius amicis. Scilicet questi sunt fore ut ab iniquo senatu in provincias mitterentur, quae non viis sed callibus adiri possent.

Cap. 28. *ab exilio retractus — postulante filio*: haec per appositionem addita sunt verbis *reus pater;* perinde proxima *accusator filius* explicantur sequentibus, *praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu.* Itaque pronomine *ille*, quod Bezzenberger ante *inluvieque* inserturus erat, supersedere possumus, neque aptum est nomen *pater*, quod additur a pluribus editoribus auctore Frehero. Sed et *perorante filio*, ut est in codice, et *orante filio* plane intolerabilia sunt, quia perorare est *orationem ad finem adducere* vel *postremum dicere* (II 30, III 13, VI 40. O. 38),

squalore obsitus et tum catena vinctus postulante filio, praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu. Structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam; qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto animo, obversus in filium quatere vincla, vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. Adseverabatque innocentem Cornutum et falso exterritum; idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse. Tum accusator Gnaeum Lentulum et Seium Tuberonem 29
nominat, magno pudore Caesaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis et turbandae rei publicae

1. *postulante* editor: M *peroranti*, Memmius *perorante*, Freherus *pater orante*, Seyffertus *imperante*. *praeparatur* M: correxit Venturius. 3. *missos* M, non *missosque* Lipsii. 5. *tedio* M. 9. *tale* M. 11. *falso* Ursinus et Muretus: M *falsa*. 13. *accussator* M. *C. N.* M. 16. *publice* M.

orare aut *habere orationem* (III 67, IV 21. H. I 90) aut *precari* (IV 37). Sed filius neque orationem habuit neque eam ad finem perduxit, cum pater ingressus est in senatum, immo ipse cum patre inductus est. Omnino orationis mentio demum in subsequente enuntiato facta est: neque rursus *orante* significatione precandi praeditum ceteris convenit: nam de accusatore non *orare* vel *precari* sed *postulare* et *petere* dicitur. Ipsum filium *postulasse*, ut pater ad cognitionem maiestatis ab exilio retractus in senatum induceretur, hoc loco commemorandum erat. Verbum *postulante* ex compendio *p'ulante* in *p'orante*, h. e. *perorante* corruptum videtur. Serenus pater anno ante de vi publica damnatus et ob atrocitatem morum Amorgum relegatus erat; v. 13.

praeparatus — multis munditiis: haec externum habitum filii describunt paterno squalori contrarium, munditias capillorum, amictus cet. Cf. III 30. Eis adiungitur *vultus alacritas*. *falso exterritum:* h. e. sine iusta causa exterritum. *Falsa exterritum*, ut legitur in M, dici posse multi opinantur ad similitudinem Graeci sermonis ἐκπλήττεσθαί τι, sed ne Graeci quidem ψευδῆ ἐκπληχθέντα aut ἐκπληχθῆναι, sed ψευδέσι dicunt aut ψευδῶν. Tum Tacitus non ita nova sectatur, ut haec minuta amplecti gestiat, sed idem in talibus ab usu minime recedere solet. *Falso* constanter III 60, VI 8, XI 18. G. 36.

si proderentur alii: scilicet patri innocenti certum erat alios coniurationis socios nominari non posse aut nullo argumento convinci posse quos mendax filius

accerserentur. Sed hi quidem statim exempti: in patrem ex servis quaesitum, et quaestio adversa accusatori fuit. Qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium, cessit urbe. Ac retractus Ravenna exequi accusationem adigitur, non occultante Tiberio vetus odium adversum exulem Serenum. Nam post damnatum Libonem missis ad Caesarem litteris exprobraverat suum tantum studium sine fructu fuisse, addideratque quaedam contumacius quam tutum apud aures superbas et offensioni proniores. Ea Caesar octo post annos rettulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum
30 contra evenissent. Dictis dein sententiis ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius Gyaro aut Donusa claudendum cum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquae utramque insulam referens, dandosque vitae usus cui vita concederetur. Ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus sua manu ceciderat,

1. *accerserentur* M, non *arcesserentur*. cf. annot. ad H. 1 14. 3. *scaelere* M. 5. *exs*. Or. *non cultante* M. 6. *adversum* M, non *adversus*. 9. *contumatius* M. *aput* M. 11. *variae* M. *pervicatia* M. 14. *cum* supplevit Muretus. *censeret* M, non Lipsii *censere*. 15. *referrens* M. 17. *amor cum* M.

proditurus esset, immo tum eius vanitatem et Cornuti suamque innocentiam omnibus fore perspicuam Verbo *prodi* per irrisionem utitur. Non assecutus est loci vim Neuius, qui *ni proderentur alii* scribendum, et Seyffertus, qui *nisi* reponendum commendavit.

Cap. 29. *Lentulum:* conf. Dio LVII 24. Mortem viri Tacitus tradit c. 44. *Tubero defecto corpore:* is olim legatus Germanici fuerat: II 21.

robur et saxum: alii strangulatum iri accusatorem in robore Tulliano, h. e. infimo carceris Romani loco, alii deiiciendum esse de saxo Tarpeio clamitabant. Tullianum describit Sallustius Catil. 55. Paulus Excerpt. ex Fest. s. v. *Robus*. Plautus in Poen. V 3 33 iocose vocat *puteum atque robustum codicem*. Utrumque nomen (robur et saxum) nudum ponere debuit rerum scriptor, cum ipsas voces vulgi minitantis proferret. *Saxum* etiam II 32 pro saxo Tarpeio. De poenis parricidarum v. Cic. pro Roscio Amer. 25: *insui voluerunt in culeum viros atque ita in flumen deiici*. De prisca parricidii poena Modestinus l. 9 Dig. *de parricidiis* (XLVIII 9).

suum tantum studium: itaque C. Vibius II 30 in Libonis accusatoribus memoratus idem fuit atque is, cuius h. l. accusatio traditur. Nunc (c. 28) *Vibium Serenum* vocavit, quia haec nomina ei cum filio suo communia fuerunt, cui praenomen aliud nobis ignotum.

Cap. 30. *Amorgum reportatur:* hinc liberatum urbique restitutum Serenum esse Tacitus in amissa

actum de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset. Ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum, palam pro accusatoribus, Caesar inritas leges, rem publicam in praecipiti conquestus esset: subverterent potius iura quam custodes eorum amoverent. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et ne poenis quidem unquam satis coërcitum, per praemia eliciebantur.

His tam adsiduis tamque maestis modica laetitia intericitur, quod Gaium Cominium equitem Romanum, probrosi in se carminis convictum, Caesar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur gnarum meliorum, et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle. Neque enim socordia peccabat; nec occultum est quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur. Quin ipse, compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At Publium Suillium quaestorem quondam Germanici, cum Italia arceretur convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amovendum in insulam censuit, tanta contentione 31

1. *premiis* M. 3. *ni durius* Beroaldus: M *medurius*. 4. *accussat*. M. 7. *ne poenis quidem unquam* de Bekkeri suspicione: *poenis quidem umquam* M, *poenis quidem nunquam* Beroaldus. 8. *premia elicebantur* M. 10. *C.* M. 11. *praecibus* M. 15. *cael.* M. 16. *conp.* M. 17. *solucius* M. 18. *P.* M. *Suillium* M, non *Suilium* Lipsii. 20. *cepisse* M, non Beroaldi *coepisse*. *amovendum* M, non Beroaldi *ammovendum*.

quinti libri parte narravit. Nam paulo ante Seianum eversum princeps Sereno ignovit. De hoc enim intelligenda sunt verba Dionis LVIII 8: *Τιβέριος ἐχθρόν τινα αὐτοῦ (Σηϊανοῦ), ᾐρημένον μὲν πρὸ δέκα ἐτῶν Ἰβηρίας ἄρξαι, κρινόμενον δὲ ἐπί τισιν, ἐξ ἐκείνου ἀφῆκε.* *de praemiis accusatorum abolendis:* conf. annot. ad IV 20.

Cap. 31. *eluctantium verborum:* i. e. cum difficultate et molimine exeuntium ex ore verborum. Illis vinculis verba eius soluta erant, quotiens subveniret. *amovendum in insulam censuit:* poenam a iudicibus Suillio irrogatam, ut Italia prohiberetur, senatus decreto intendendam eo censuit Tiberius, ut damnatus in insulam amoveretur.

ut iure iurando obstringeret: in illo Medicei *uteiurando* post *ut* supplevi *iur* a vocis subsequentis (*iur* — *ando*) initio haud dubie haustum, cuius rei certum indicium est residuum istud *e*. Hinc vulgo faciunt *et*, sed contra mentem Taciti: nam contentionem animi Tiberius uno *iure iurando* prodidit, ut Tacitus tradit, non etiam aliis

animi ut iure iurando obstringeret e re publica id esse. Quod aspere acceptum ad praesens, mox in laudem vertit regresso Suillio; quem vidit sequens aetas praepotentem venalem, et Claudii principis amicitia diu prospere, nunquam bene usum. Eadem poena in Catum Firmium senatorem statuitur, tamquam falsis maiestatis criminibus sororem petivisset. Catus, ut rettuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat. Eius operae memor Tiberius, sed alia praetendens, exilium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

32 Pleraque eorum quae rettuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant. Nobis in arto et inglorius labor: immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res; et princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen

1. *ut iure iurando* editor: M *uteiurando*, Beroaldus et vulgo *ut et iurando*. *e r. p.* M. 4. *numquam* M. 7. *tibonem* M. *iudicio* M: correxit Vertranius. 9. *depc.* cum lin. M. 14. *copossiuere* (cum lin. super priore litt. *o*) M. 18. *arto* M, non Beroaldi *arcto*. 19. *immo ita quippe* M. 20. *imperi* M.

rebus. Praeterea *iurando obstringere* a Latinitate dubitationem movet, certe Tacitinum non est. Cf. I 14: *iure iurando obstrinxit, se non excessurum.*

quem vidit sequens aetas: conf. XI 1 et 4 et 5, XIII 42 et 43. Filius erat Vestiliae: Plin. N. H. VII 4 (5), amicus quondam Ovidii: Epistol. ex Ponto IV 8. 'Per duplex *l* est etiam Grut. 104 6'. Orellius. *ut rettuli:* vid. II 27 et 28 et 30.

Cap. 32. *si quando ad interna praeverterent:* h. e. si quando sepositis aliquantisper externis ad interna se converterent. *in arto et inglorius labor:* apte comparavit Muretus Virg. G. IV 6: *in tenui labor, at tenuis non gloria.*

et princeps proferendi imperii incuriosus erat: Theodisce *auch war der Kaiser auf Erweiterung des Reiches nicht bedacht.* Observare velis, lector, hoc tertium orationis membrum a duobus praecedentibus differre et tamquam novam admonitionem accedere. Id nisi esset, non solum particula *et*, sed etiam verbum *erat* abundaret. Hanc ob causam post *maestae urbis res* pro commate posui paulo gravioris distinctionis notam.

sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis
magnarum saepe rerum motus oriuntur. Nam cunctas natio- 33
nes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta
ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam
evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut
olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi
natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et
optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi tempo-
rum et sapientes credebantur, sic converso statu, neque alia
re Romana quam si unus imperitet, haec conquiri tradique
in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus,
utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur.
Ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt.
Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus

2. *sepe* M. 4. *iis* M, non *his* Beroaldi. *consciata* M: correxit Ernestius, ante quem edebant *constituta.* 6. *noscendi* M: correxit Beroaldus. 10. *re Romana* Lipsius: M *rerum.* 13. *oblectationes* M.

Cap. 33. *delecta ex iis — quam evenire — potest:* Tacitus haec scribens Ciceronis de Re publica libros respexit. Cf. ex illis praecipue I 29 45: *itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse censeo, quod ex his quae prima dixi moderatum et permixtum tribus.* I 35 54: *tum Laelius: Quid tu, inquit, Scipio? e tribus istis quid maxime probas? — Recte quaeris quod maxime e tribus, quoniam eorum nullum ipsum per se separatum probo, anteponoque singulis illud quod conflatum fuerit ex omnibus.* I 45 69: *quod cum ita sit, ex tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium: regio autem ipsi praestabit id quod erit aequatum et temperatum ex tribus omnibus rerum publicarum modis.* Probavit haec pridem a me scripta Doederlinius et inde sumpsit Orellius.

ita minimum oblectationis adferunt: Thucyd. I 22: *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται.*

easdem exitii causas: dicit saevitiam principis, delatorum insolentiam et cupidinem, senatorum obsequium et patientiam. Ceterum *exitu* sollerter a Pichena correctum esse vere agnoscunt Bezzenberger et Heraeus p. 122. Cf. IV 52 et 58. H. II 38. Orellius *exitu* tenet intelligitque accusationes et iudicia eundem semper exitum nacta, sed haec quis *easdem exitu causas* dixerit? Immo componuntur ipsa pernicies innocentium et causae cur ea consecuta sit, ibique *exitii* scripsit Tacitus, ne iterum eodem vocabulo *perniciei* uteretur.

tum quod cet.: novam causam affert cur sibi in arto labor et inglorius. Lectores enim non solum obvia rerum similitudo offendit, sed multi aliena malefacta sibi exprobari credunt. *infamiam subiere:* insolito numero *infamias* nihil praesidii a forma *glorias* III 45, ut auctore Rothio (ad Agr. p. 114) credidere Waltherus et Orellius: nam ad eius analogiam *infamiae* forent aut *homines infa-*

retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitii causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum qui Tiberio regente poenam vel infamiam subiere, posteri manent. Utque familiae ipsae iam extinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Sed ad inceptum redeo.

34 Cornelio Cosso Asinio Agrippa consulibus Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque Marco Bruto Gaium Cassium

2. *permitiem* M. 3. *exitii* Pichena: M *exitu.* 4. *sac.* M. 6. *at*] *ad* M. 7. *infamias* (in fine versus) M: *infamiam* Lipsius. *utquae* M. 10. *utanimis* M: correxit Lipsius. 11. *sed ancepto*, (h. e. *sed inceptō* sive *inceptum*): Beroaldus *sed ad incepta.* 12. *cos.* cum lin. M. 14. *M.* M. *C.* M.

mati aut *verba infamantia*, repugnante loci sententia. Cf. annot. ad III 45. *Infamias* pro infamiae generibus nemo Latinus ausus est.

sed ad inceptum redeo: Halmius, in Antiquit. diurnis Marburg. a. 1847 suo iure commendans *inceptum*, apte comparavit VI 22: *ne nunc incepto longius abierim;* item Sallustii Catil. 7, Iug. 4 et 42. Conf. Tacit. XV 36: *deseruit inceptum.*

Cap. 34. *Cremutius Cordus* cet.: eandem rem narrant Dio LVII 24, Suetonius Tiber. 61, in primis Seneca in Consolatione ad Marciam Cordi filiam c. 22 coll. 1. Bellorum civilium quae interfecto Iulio Caesare gesta sunt historiam contexuerat. Apud Senecam (c. 26) ipse post mortem ad filiam haec dicens inducitur: *iuvabat unius seculi me facta componere, in parte ultima mundi et inter paucissimos gesta.* Si verum est quod Dio narrat et Suetonius, Cordus Augusto superstite libros suos ediderat et illo audiente recitaverat. Sed hoc incertum est ac dubium, cum apud Tacitum ea res, quae ad defensionem in primis valuisset, non memoretur.

novo ac tunc primum audito crimine: novum erat ac primum auditum illius aetatis (*tunc*) hominibus, non Tacito eiusque aequalibus: Domitiano enim principe eodem crimine Arulenus Rusticus et Herennius Senecio ceciderant: Agr. 2. Quae saevitiae documenta cum recens in animo scribentis haererent, is prioris aetatis in eodem genere exemplum singulari diligentia executus est.

laudatoque Marco Bruto Gaium Cassium Romanorum ultimum dixisset: videtur ipsius Bruti de Cassio elogium (vid. Plutarch. Brut. 44) memorasse suoque assensu comprobasse. Minus accurate Taciti verba reddidit Sueton. l. c. *obiectum et historico quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset.*

Cremutius Cordus. - Majesty. - C calls Cassius the last of the Romans.

Romanorum ultimum dixisset. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes. Id perniciabile reo, et Caesar truci vultu defensionem accipiens; quam Cremutius, relinquendae vitae certus, in hunc modum exorsus est: 'verba mea, patres conscripti, arguuntur; adeo factorum innocens sum. Sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Gnaeum Pompeium tantis laudibus tulit ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt; Messala Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat:

2. *permitiabile* M. 5. *P. C.* M. 8. *cum posuerint* M. 10. *C. N.* M. 13. *prutum* M. *vocabulum ponuntur* M: correxit Beroaldus. 14. *insigni* M. 16. *Messalla* M.

latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur: conf. Valerii Maximi qui vixit his ipsis temporibus I 6 13: *erupit deinde eorum parricidium, qui dum te* (Caesarem) *hominum numero subtrahere volunt, deorum concilio adiecerunt.* I 5 7: *Marci etiam Bruti dignus admisso parricidio eventus omine designatus est.* VI 4 5: *Marcus Brutus suarum prius virtutum quam patriae parentis parricida.* I 8 8: *quem* (Caesarem) *C. Cassius, nunquam sine praefatione publici parricidii nominandus, — vidit humano habitu augustiorem.* Adde I 7 2, III 1 3. Ex eiusmodi fontibus Florus II 7: *Brutus et Cassius — libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdiderunt.*

rescripta oratione: duos libros dicit quos Caesar de vitiis Catonis Uticensis scripsit et nomine *Anticatonis* edidit. Vid. Quintil. I 5 68, Sueton. Caes. 56, Gell. IV 16, Plutarch. Caes. 54, Dio XLIII 13. Priscian. VI p. 694 et 717 et 740 et 960. Cic. ad Attic. XIII 50.

Antonii epistulae — in Augustum probra: epistolas Antonii et contumelias in Augustum commemorat Suetonius Aug. 7 et 16 et 63. Et stili insolentis et lascivi argumenti specimen transcripsit idem 69.

Bibaculi: Quintil. X I 96: *iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus, quibusdam interpositus; cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo: in Horatio, quamquam illi epodos intervenit, non reperietur.* Diomedes III 6 p. 482: *cuius* (iambi) *praecipui scriptores apud Graecos Archilochus, Hipponax, apud Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus.* De Bibaculo copiose disputavit Weichertus in Poetarum Latinorum Reliquiis p. 331 sqq. *et Catulli:*

et uterque opibusque atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit? Antonii epistulae, Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. Namque
35 spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur. Non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere de iis quos mors odio aut gratiae exemisset. Num cum armatis Cassio et Bruto, ac Philippenses campos obtinentibus, belli civilis causa, populum per contiones incendo? An illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas ne victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud

3. *Iudices* M. 5. *set* M. 7. *relinquere* M. 9. *spraeta* M. *exsol.* M, *adgn.* M, non *agn.* 13. *gratiae* M, non Beroaldi *gratia.* *cum*] *eum* M. 14. *philipensens* M. *opt.* M. 16. *peremti* M. 17. *ne* I. Fr. Gronovius; M *nec.* *adolevit* M.

vid. Catull. Carm. 29 et 54 et 57 et 93. Sueton. Caes. 73. Ut Catullus Caesarem, sic Bibaculus aequalis ei et diu superstes Octavianum versibus videtur lacessivisse.

Cap. 35. *quas ne victor quidem abolevit:* vitium libri M *nec victor quidem* praeeunte Gronovio removi, quamvis cupide retentum ab aliis, veluti a Walthero et Bachio. Quippe dicunt *nec victor quidem* idem esse quod *etiam ne victor quidem*, sed in his ipsis *etiam* plane redundat neque tolerari ullo modo potest. Idem dicendum est de H. I 66: *ut ne legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur*, ubi *nec legati quidem* a libris oblatum iidem nimium tenaces tuentur, explicantes *etiam ne legati quidem;* sed in his *etiam* quis desideraret aut ferret? Vide Madvigii ad Ciceronis de Fin. Excurs. III p. 826 sq. Nimirum ea particulae *ne* natura est, ut copulativam particulam in se recipere non possit. Unde fit, ut in enumeratione variarum rerum postrema, quae per *ne — quidem* prae ceteris effertur, aut addita aut suppressa copula adiungatur. Plerumque copula supprimitur, ut III 14: *nam neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat.* 50: *neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint.* VI 44: *disiectos — ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse.* XIV 35: *ut non corpora, ne senectam quidem — impollutam relinquant:* sic enim scribendum, quamvis M[a] *nec* h. l. praebeat. H. II 76: *non*

scriptores retinent? Suum cuique decus posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti sed etiam mei meminerint.' Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. Libros per aediles cremandos censuere patres: sed manserunt, occultati et editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

1. *rependit* Beroaldus: M *rependunt.* 2. *derunt* M. 3. *sed et etiam* M. 5. *sed*] *et* M. *socordia* M. 7. *sequentes* M. 8. *aliut* M. 9. *saeviti ausi* M.

adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Gai quidem — domum exurgimus. III 66: *nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos.* G. 7: *ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum.* 44: *enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.* Eo in genere si nova sententia ceteris coniungitur, ipsa copula additur, veluti XV 19: *factum ex eo senatus consultum, ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.* H. I 83: *tumultus proximi initium non cupiditate vel odio — ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum.* Duobus tamen Taciti locis ego quoque *nec — quidem* codicibus addicentibus tolerandum puto, sed ita ut non pro *etiam ne — quidem* vel *ac ne — quidem* positum id ducam, sed ut simplicem particulam *nec* per proximam *quidem* fortius elatam existimem, dico H. II 82: *donativum militi neque Mucianus prima contione nisi modice ostenderat, nec Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace.* H. IV 38: *augentibus famam Vitellianis —, nec victoribus quidem ingrato rumore.*

posteritas rependit: *rependunt* in M assimilandi vitio et errore huic librario admodum frequente ex proximo *deerunt* prodiit. Nominum collectivorum, ut *pars, vulgus, populus, quisque*, excitare exempla nihil prodest tuendo *rependunt:* nam *posteritas* (*die Nachwelt*) si pro *posteris* accipiatur, neque tamquam divina persona cogitetur, iusta cuique dispertiens, perit gravitas et vis orationis. Adde quod *posteritati* nunquam alias verbum multitudinis Tacitus iungere ausus est.

per aediles cremandos censuere patres: ipsi aediles eius negotii executionem triumviris capitalibus demandabant: scilicet tres viri quae supplicium postulabat ipsi parabant (vid. Sallust. Catil. 55), aediles vel alii magistratus parare eos iubebant. Cf. XIV 50, Agr. 2: *delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.*

occultati et editi: filia Marcia in primis occultavit et mox edidit. Senec. Consol. ad Marc. 1: *ut*

36 Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium, quod a Caesare palam increpitum causa exilii Salviano fuit. Obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. Et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. At Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolvitur, comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. Neque tamen id Sereno noxae fuit,

1. *reistam* M. 5. *publicae* M. 7. *quem* M. 10. *conperto* M.

vero aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium (irridet istam librorum combustionem), *in usum hominum reduxisti, et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat.*

Cap. 36. *auspicandi gratia:* 'moris, ut quicunque munus aut magistratum caperent, primo eius die leviter aliquid delibarent, auspicii saltem causa'. Lipsius. Ad firmandam hanc explicationem attulit vir eruditus Pseudo-Asconium ad Cic. in Verr. lib. I 40, Panegyristen Maximiani 6, Sueton. Ner. 7 et 46, Ovid. Fast. I 167, Senec. Epist. 84 (83). Illa Sexti Marii postulatio pro malo omine erat, ideoque Tiberius pontifex maximus increpuisse eam videtur. De praefectura urbis conf. VI 11. *Drusus* est filius Germanici.

publice Cyzicenis: h. e. populo Cyziceno, *τῷ κοινῷ τῶν Κυζικηνῶν.* Suetonius in Tiber. 37 Taciti verba nonnulla (vid. ad I 5) expressit: *Cyzicenis in 'cives Romanos violentius' quaedam ausis 'publice' libertatem ademit, 'quam Mithridatico bello meruerant'.* Cf. Dio LVII 24.

amisere libertatem: nondum amiserant, cum Strabo Geographicorum suorum librum duodecimum scripsit, ubi c. 8 §. 11: *Ῥωμαῖοι δ' ἐτίμησαν τὴν πόλιν, καὶ ἔστιν ἐλευθέρα μέχρι νῦν,* cet. Non mirum: Strabonem enim decessisse a. 24 a Chr. admodum verisimile est; v. Groskurd in prooemio Strabonis Theodisce conversi §. 4. Augustus quoque Cyzicenis olim libertatem ademerat, sed mox restituerat: vid. Dio LIV 7 et 23.

Fonteius Capito: is consulatu functus erat anno 765 = 12 a Chr. *Gai* praenomen Fasti consulares exhibent. Eius filius, ut videtur, nominatur XIV 1 et H. I 7 et 37 et 52 et III 62. *districtior accusator:* est is cui animus et cupido ad accusandum ita distenta vel districta sunt, ut nulla plica restiterit, imagine sumpta a tunica vel toga. Apte Freinshemius comparavit Valerii Maximi VIII 2 2 *districtam feneratricem. Destrictus* accusator foret is cui tamquam gladio vagina detracta est, sed ea notio talis est quae comparationem (destrictior) subire nequeat, neque minus insolitus Latine *destrictus accusator* est quam foret Germanis *ein gezückter* sive *gezogener Ankläger.*

quem odium publicum tutiorem faciebat. Nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles poenis adficiebantur.

Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum 37
legatis oravit ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius extrueret. Qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus, et respondendum ratus iis quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit: 'scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non sim adversatus. Ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictaque eius vice legis observem, placitum iam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur. Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnis provincias effigie numinum sacrari ambitiosum superbum; et vanescet Augusti honor, si promiscis adulationibus vulgatur. Ego me, 38
patres conscripti, mortalem esse et hominum officia fungi, satisque habere si locum principem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo; qui satis superque memoriae

1. *destrictior* M: correxit Beroaldus. 6. *exstr.* Or. 9. *P. C.* M. 14. *oma* cum lin. M. *facta* Beroaldus: M *ficta.* 17. *per oms* (cum lin.) *per* (comp.) *prouincias* M. 18. *sacra* (in fine versus) M: tacite correxit Lipsius. 20. *P. C.* M. *esse et* (versus finis) *et hominum* M.

Cap. 37. *nuper idem istud petentibus:* petiverant et impetraverant biennio ante: vid. c. 15.

sibi atque urbi Romae: v. Sueton. Aug. 52, Dio LI 20, Inscript. Lat. Orellii n. 606. Eckhelii D. N. II p. 466.

qui omnia facta — observem: hinc apud Strabonem (VI 4 3) Tiberius dicitur κανόνα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προσταγμάτων ποιούμενος ἐκεῖνον (Augustum). Cf. A. 13.

Cap. 38. *hominum officia fungi:* cf. ad III 2 fin. *ut — credant:* *ut* particula nunc ambigua pendet inter consecutivam et explicativam; plenius dixisset *ita tribuent, ut — credant.* Conf. c. 41: *huc flexit, ut Tiberium impelleret.* Cf. ad III 9.

pro sepulcris spernuntur: plene dicas *pro sepulcris accipiuntur et spernuntur*, h. e. non magis in animis hominum valent quam mortuorum monumenta et sepulcra, neque pro deorum immortalium aedibus habentur.

socios cives et deos ipsos: cf. ad XI 6. Tacitum *socios* et *cives* ἀσυνδέτως sive uno tenore pronuntiari voluisse ex subiectis patet, dico *hos ut — illos ut* cet.

meae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Haec mihi in animis vestris templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae. Nam quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios cives et deos ipsos precor, hos ut mihi ad finem usque vitae quietam et intellegentem humani divinique iuris mentem duint, illos ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.' Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. Quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. Optumos quippe mortalium altissima cupere: sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos. Melius Augustum, qui speraverit. Cetera principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. Nam contemptu famae contemni virtutes.

39 At Seianus nimia fortuna socors, et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos: moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire. Eius talis forma fuit:

6. *sepulchris* M. *et deos et deos ipsos* M: geminationem imprudenter admissam sustulit Pichena. 8. *quandoque* M, non Beroaldi *quandocunque*. 13. *interpraet.* M. 14. *grecos* M.

quandoque concessero: cf. annot. ad H. II 55.

Augustum, qui speraverit: ipse ad Tiberium scripsit (Suelon. Aug. 71): *benignitas enim mea me ad caelestem gloriam efferet.* Horatius Carm. III 3 12: *quos inter* (Pollucem et Herculem) *Augustus recumbens purpureo bibet ore nectar.* Ibi perperam in nonnullis codicibus et editionibus scribitur *bibit.*

Cap. 39. *socors*: quemadmodum *cor* modo pro sede mentis ac sapientiae accipitur, modo affectus animi continere creditur, ita *socors* (h. e. sine corde) modo stultum ac dementem significat, modo securum ac tardum. Hoc loco prior significatio admissa est: nam *socors* positum pro *animo occaecatus* (*verblendet*). Sine causa *vecors* in margine Lipsianae editionis adscriptum.

muliebri insuper cupidine incensus: non sua Liviae possidendae cupidine, sed Liviae promissum matrimonium petentis cupidine incensus. *moris quippe tum erat — adire*: morem a Caesare usurpatum (Plutarch. Caes. 17), Augusto probatum (Sueton. Aug. 84), Tiberius, Augusti secutus et imitatus exemplum, tenuit.

benivolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum aures conferret. Neque fulgorem honorum unquam precatum: excubias ac labores, ut unum e militibus, pro incolumitate imperatoris malle. Attamen quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur. Hinc initium spei. Et quoniam audiverit Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum. Non enim exuere imposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa. Nam sibi multum superque vitae fore, quod tali cum principe explevisset.

Ad ea Tiberius laudata pietate Seiani suisque in eum bene- 40
ficiis modice percursis, cum tempus tamquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit ceteris mortalibus in eo stare consilia quid sibi conducere putent, principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda. Ideo se non illuc decurrere quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus isdem tolerandum haberet; esse illi matrem et aviam, propiora consilia. Simplicius acturum. De inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae

3. *principe* cum lin. M. 4. *umquam* M. *pcatum* cum lin. M. 5. *incolimitate* M. *quo* M. 7. *conl.* M. 9. *haberet ianimo* M. 10. *exsuere* M. *inp.* M. 14. *ueneficiis* M. 18. *derig.* M.

iudiciis: h. e. honorificis iudiciis. Cf. Agr. 43: *satis constabat — laetatum eum velut honore iudicioque.* H. I 15: *iudicii mei documentum.* ***coniunctione Caesaris***: respicit quod Claudii filio socer ipse destinatus erat; v. III 29, IV 7.

nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse: Sueton. Aug. 63: *Agrippa defuncto, multis ac diu etiam ex equestri ordine circumspectis conditionibus, Tiberium privignum suum elegit.* Eques, de quo cogitavit Augustus, C. Proculeius fuit, ut edocemur c. 40.

non enim exuere: v. ad III 40. Dicit munia praefecturae praetorii.

liberorum causa: suggerit tres liberos cum Apicata genitos inimicitiis Agrippinae quandoque infestari, nisi domum illustri coniuge firmasset.

Cap. 40. ***in eodem ordine:*** in ordinis equestris gradu, unde praefecti praetoriarum cohortium. Respiciunt haec illa: *non enim exuere imposita munia.* ***qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus consulunt:*** h. e. qui te invito

velut in partes domum Caesarum distraxisset. Sic quoque erumpere aemulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali coniugio? 'Falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quae Gaio Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum Hercule, si cum in omnis curas distraheretur, immensumque attolli provideret quem coniunctione tali super alios extulisset, Gaium Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est quod Marco Agrippae, mox mihi collocavit? Atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre.

5. *C.* M. 7. *maioreque* M. 10. *invite* M. 11. *peridem* M: correctum a Beroaldo. *longeque* tacite Rhenanus: M *legeque*. 12. *perquem* M. 15. *destraheretur* M. 16. *C.* M. 20. *conl.* M. 22. *nessitudinibus* M. 23. *inm.* M.

perrumpunt locum intra quem tu vis consistere, teque tamquam potentem in senatu omnibus de rebus consulunt. Occulte ac modeste Seiano potentiae fastigium exprobrat.

excessisse iam pridem — non occulti ferunt: non est cauto Tiberii ingenio consentaneum, ut ipse concedat et aperte fateatur excessisse Seianum iam pridem equestre fastigium longeque antisse Augusti amicitias. Sed hoc ille facit, si *ferunt* accipitur pro *tolerant*, ac tum *fremunt* et homini et stilo aptius videtur esse, sed videtur tantum. Nimirum *non occulti ferunt* idem valet atque *aperte profitentur*, ut ferre sit prae se ferre sive eloqui. Cf. III 41: *ostentandae, ut ferebat, virtutis.*

Gaium Proculeium: est vir ille moribus sanctissimus, de quo videndi Horatius Carm. II 2 5—8, Dio LIV 3. Frater is erat Terentii Varronis Murenae et Terentiae, Maecenatis coniugis. Eundem *Thaliarchum* alloquitur Horatius Carm. I 9 8.

Id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum quod non virtutes
istae tuusque in me animus mereantur; datoque tempore vel in
senatu vel in contione non reticebo.' Rursum Seianus, non iam 41
de matrimonio, sed altius metuens, tacita suspicionum, vulgi
rumorem, ingruentem invidiam deprecatur. Ac ne adsiduos
in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando
facultatem criminantibus praeberet, huc flexit ut Tiberium ad
vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. Multa
quippe providebat: sua in manu aditus, litterarumque magna
ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent; mox
Caesarem vergente iam senecta, secretoque loci mollitum,
munia imperii facilius tramissurum; et minui sibi invidiam
adempta salutantium turba, sublatisque inanibus vera potentia
augescere. Igitur paulatim negotia urbis, populi accursus,
multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem
et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones, ac praecipua
rerum maxime agitari. Ac forte habita per illos dies de 42

1. *virtutis* M. 3. *tam* M: correxit Muretus. 5. *depcatur* cum lin. M. 7. *praberet* M. *elexit* M. 13. *manibus* M. 14. *augescere* editor: M *augere*, Rhenanus *augeri;* Muretus *veram potentiam augere.* *adc.* M. 16. *tedia* M. 17. *maximae* M.

Cap. 41. *tacita suspicionum — deprecatur:* precatur ne princeps suspicionibus alta mente conceptis quicquam tribuat.

cum per milites commearent: 'observa litteras per milites solere transmitti, et quidem per eos qui speculatores dicti. Plutarchus in Galba p. 1056 Nymphidium praefectum praetorio valde offensum scribit, quod consules litteras et diplomata μὴ παρ' αὐτοῦ καὶ σφραγῖδα καὶ στρατιώτας λαβόντες ἀνέπεμψαν. Nec alius sententiae illud Taciti H. II 73 *vix credibile memoratu est, quantum superbiae Vitellio accesserit, postquam speculatores e Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiavere.* Haec clara, et firmandae Suetonii scripturae, quae in omnibus fere mss. Calig. 44: *magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent.* Depravarunt vulgo *saepe latoribus*'. Lipsius.

vera potentia augescere: quamquam ad tuendam neutram temporis praeteriti *auxisse* significationem satis certa exempla ex Catone et Sallustio Plinioque (cf. Duker ad Liv. III 6 2, Ernestius ad hunc Taciti locum) allata sunt, inde tamen nondum probatum est eisdem licuisse *augere* pro *augescere*. Quippe *auxi* ea notione praeditum verbi *augescere* forma est temporis perfecti, ex ipsa radice *aug* derivata, ut, quantum ad formam, *auxisse* simul verbi *augere* et *augescere* tempus praeteritum sit, diversa significatione; qui autem ad demonstrandam verbi *augere* vim passivam proferuntur loci ex Catullo (LXIV 323) et Lucretio (II 1163), in iis *augere* pro *augescere* venia poetarum et prisca libertate

Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit ut vitandos crederet patrum coetus vocesque quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. Nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius e militaribus viris dum studio probandi cuncta refert et, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Gaetulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exilio punivit, Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

4. *postulatio* M: correctum in annot. Beroaldi. 8. *seuel vel* M. 14. *caetulicus* M.

admissum est. Verum ostendi nequit sive Tacitum sive ullum sermonis pedestris scriptorem *augere* praesenti tempore significatione neutra vel passiva admisisse: immo Tacitus ad eam exprimendam constanter usus est forma *augescere*. Conf. I 79. II. II 34, IV I et 61, V 14. Agr. 3. Illa igitur etiam huic loco vindicanda erit statuendumque, mediam syllabam in augescere hic, ut sexcentis aliis locis, oblitteratam esse. Pro *augeri* irrepsisse formam *augere*, quod Rhenanus statuebat, vel *augere* pro *vigere*, ut voluit Bezzenberger, id longius a veri similitudine recedit.

Cap. 42. *maiestatis poenis*: Hieronymus in Euseb. Chron.: *Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus.* Meminit Montani poetae et oratoris etiam Ovidius ex Pont. IV 16 11, Seneca Controv. 20 et 28 et in praefatione libri 4, Controv. Excerpt. IX 5. Quae accusatio a Seneca Controv. 20 memoratur, non haec est, sed prioris alicuius anni. Verba eius sunt: *erat autem* (Vinicius) *non aequus ipsi Montano. Accusaverat illum apud Caesarem, a Colonia Narbonensi rogatus. At Montanus adeo toto animo scholasticus erat, ut eodem die quo accusatus a Vinicio decertavit, in Vinicii actionem sententias suas referret.*

lege Iulia damnasset: de adulterii poena legis Iuliae vid. ad II 50. *Damnasset* pro *damnandam censuisset*; cf. ad XI 3. Sed quomodo differebat Tiberii poena a Lentuli sententia? Lentulus ream interdici Italia et Africa, ut Manlium II 50, censuerat, Tiberius exilium decrevit, h. e. ut removeretur ultra imperii terminos aut insula includeretur.

albo senatorio: Dio LV 3: *τά τε ὀνόματα συμπάντων τῶν βουλευόντων ἐς λεύκωμα ἀναγράψας ἐξέθηκε* (Augustus a 745), *καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ' ἔτος οὕτω ποιεῖται.*

43 Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus, sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum, ac post Gai Caesaris et Marci Antonii sententia redditum. Contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere, suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse; monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco manere. Quodsi vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. Neque Philippum potentia sed ex vero statuisse. Idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii iudicium. Sic Milesios permisso publice arbitrio, postremo

1. *audite* M. 2. *liminatidis* M: correxit Lipsius. 4. *cumque b.* M: correxit Beroaldus. 5. *adeptum* M. *C.* M. 6. *M.* M. *messeni* M. 7. *hercules* M. *Peloponnesi* M, non Beroaldi *Peloponessi.* 8. *recident heliatem* M: correxit Lipsius. 9. *reis culpa* M: correctum in Beroaldina. 11. *locupletioris* M. 12. *Mummii* M, non Beroaldi *Mumii.* 13. *iuditium* M. *publicae* M. *postrem* M.

Cap. 43. *Limnatis* Diana ἀπὸ τῶν λιμνῶν cognominata est; v. Pausan. IV 31 3: ἔστι δὲ ἐν τῇ μεσογαίῳ κώμη Καλάμαι καὶ Λίμναι χωρίον· ἐν δὲ αὐτῷ Λιμνάτιδος ἱερόν ἐστι Ἀρτέμιδος. Praeter hoc Messenicum aliud Dianae Limnatidis Achaicum templum Pausanias memorat VII 20 4; conf. Strabo VIII 4 9 pag. 362, VI 1 6 pag. 257.

Dentheliatem agrum: in exhibenda hac forma Lipsius codicis M vestigia presse secutus est: nam in *reci* pro *regi* commutatio litterarum G et C ex antiqua specie earum orta est. In nominis *Dentheliatem* parte altera promptum est agnoscere ἕλη sive *paludes*, in quibus culta Diana *Palustris:* de priore mihi non liquet. Stephanus: Δελθάνιοι, πόλις, μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων. Quod dicunt nonnulli postulare seriem alphabeticam, ut scribatur Δενθάνιοι, non verum est.

Erycum: forma Latina est pro Graeca *Erycem.* Eadem utitur Cicero in Verr. lib. II 8 et 47. Etiam apud Florum II 2 12 bonae notae codices *Eryco* praebent, non *Eryce.* *laeta Tiberio:* Iulus enim filius Aeneae, cui mater Venus, auctor gentis Iuliae, in quam Tiberius adoptione transierat. Conf. Strab. XIV 2 19: ἦν δὲ καὶ ἡ ἀναδυομένη Ἀφροδίτη (in urbe Coorum), ἣ νῦν ἀνάκειται τῷ θεῷ Καίσαρι ἐν Ῥώμῃ, τοῦ Σεβαστοῦ ἀναθέντος τῷ πατρὶ τὴν ἀρχηγέτιν τοῦ γένους αὐτοῦ. Inde Tiberius Veneris consanguineus statim appellatur, sed non sine aliqua irrisione.

Cap. 44. *super consulatum:* gessit consulatum a. 736. Dio LIV 12. Idem laudatur I 27.

opes innocenter partae: sive sponte sua sive imprudenter *partae* pro *paratae* a Lipsio contra codicis auctoritatem profectum est (in Rhenaniana a. 1544 *patae* est), certe verum ille reposuit. Sed

Atidium Geminum praetorem Achaiae decrevisse. Ita secundum Messenios datum. Et Segestani aedem Veneris, montem apud Erycum, vetustate dilapsam restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et laeta Tiberio. Suscepit curam libens ut consanguineus. Tunc tractatae Massiliensium preces, probatumque Publii Rutilii exemplum. Namque eum legibus pulsum civem sibi Zmyrnaei addiderant. Quo iure Vulcatius Moschus exul in Massilienses receptus bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

44 Obiere eo anno viri nobiles Gnaeus Lentulus et Lucius Domitius. Lentulo, super consulatum et triumphalia de Gaetulis, gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae

3. *aput* M. *delapsam* M: correxit Ernestius. 6. *P.* M. *rutillii* M. 7. *zmyrnei* M. 8. *exs.* Or. *receptos* M. *bonasuarie publicae* M. 10. *C. N.* M. *L.* M. 11. de *Gaetulis* ed. Lips. 1607, de *Getulis* Rhenanus: M *degetes*, margo et Beroaldus *de Getis.*

editores post Lipsium hic tolerarunt vitium aliis locis vere correctum, velut a Rhenano H. V 10, a me H. V 24. Nimirum *parare* opes pro *acquirere* recte dici nemo negat, sed *opes paratae* iuxta certum et constantem usum sermonis Latini opes sunt, quae *promptae* et *expeditae* et *instructae* (*vorbereitete*, *in Bereitschaft liegende*). Ea vi praeditum Tacitus persaepe nomen *paratus* posuit, ut II 79: *ducitque validam manum et proelio paratam.* III 65: *o homines ad servitutem paratos.* IV 54: *paratum ei venenum.* XI 35: *parata contione.* XIII 39: *hostem vagum neque paci aut proelio paratum.* XIV 2: *incesto paratam.* XV 5: *et aliae* (legiones) *pro Syria paratae ultro inrumpere.* 37: *quas* (epulas) *a Tigellino paratas ut exemplar referam.* 55: *telum quoque in necem eius paratum ostendit.* H. I 26: *parata apud malos seditio.* 27: *significatio coeuntium iam militum et paratae coniurationis.* 51: *paratis utrimque corruptoribus.* H. II 9: *parati animi.* 14: *classis — pugnae parata.* 19: *parataque non arma modo.* 27: *proelio paratum.* 74: *miles ipsi adeo paratus.* 75: *paratum ex diverso praemium.* 79: *non parata contione, non coniunctis legionibus.* H. IV 2: *paratus servitio.* 32: *paratus in res novas.* Agr. 6: *provincia dives ac parata peccantibus.* G. 44: *utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit.* O. 31: *parato omni instrumento.* De exercitu pecunia congregato dicitur I 10: *paratum* (esse) *ab adolescente privato exercitum.* Contra *acquisitus* non est *paratus*, sed *partus.* I 9: *nomen imperatoris — partum.* IV 51: *partae victoriae.* 66: *parto nuper praemio.* VI 18: *parta apud principem gratia.* XI 10: *tributa illis de gentibus parta* (M[a] perperam *parata*). 34: *parta olim a Lucullo.* XII 37: *parti a maioribus suis imperii.* XIII 42: *domi partam dignationem.* XIV 29: *nisi parta retinuerat.* 36: *parta victoria.* 37: *par ea die laus parta.* XV 2: *parta maioribus.* 8: *praedae nonnihil partum.* XVI 2: *velut partam praedam.* H. I 57: *parta victoria magna spes.* G. 42: *sedes — virtute parta* (nonnulli codices in iisque Leidensis *parata*).

opes innocenter partae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur. Avus Pharsalica acie pro optumatibus ceciderat. Ipse delectus cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur, post exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum, easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et Lucius Antonius, multa claritudine generis, sed inprospera. Nam patre eius Iulo Antonio ob adulterium Iuliae morte punito hunc admodum adulescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur. Habitus tamen supremis honor, ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum senatus.

Isdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania ad- 45
missum a quodam agresti nationis Termestinae. Is praetorem provinciae Lucium Pisonem, pace incuriosum, ex inproviso in itinere adortus uno vulnere in mortem adfecit; ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, di-

3. *pharssalica* M. 4. *deiectus* M. 6. *transcendit* M, non *transscendit*. 8. *L.* M. 9. *iulio* M. cf. annot. ad 3 18. *mortae* M. 11. *spetie* M. 14. *istem* M. *facimus* M. 15. *termaestinae* M. 16. *L.* M.

decoravit pater: v. Sueton. Ner. 3. Vellei. II 72. Appian. B. C. V 55 et 61. *avus:* conf. Sueton. l. c. 2. Caesar B. C. III 99.

minor Antonia: in alia abit Suetonius, qui *maiorem* Antoniam Domitio, *minorem* Druso patri Germanici coniugem fuisse narrat in Nerone c. 5 et in Caligula c. 1, rectius, ut videtur. Tacitus tamen eandem hanc Antoniam etiam XII 64 vocavit *minorem.*

exercitu flumen Albim transcendit: Dio LV 11 (ed. Sturz. t. III p. 362). Sueton. Ner. 4.

sororis nepotem: mater ei Marcella erat Octaviae filia.

Cap. 45. *nationis Termestinae:* vocata est ab oppido *Termes* (*Tiermes*). Plin. III 4: *Arevacis nomen dedit fluvius Areva. Horum sex oppida: Saguntia et Uxama, — praeterea Segovia et Nova Augusta, Termes ipsaque Clúnia.* Cf. Liv. Epit. LIV. *praetorem provinciae:* L. Piso pro praetore fuit in Hispania Tarraconensi sive citeriore, quae cum Lusitania Caesari tradita erat (v. Strabo III 4 §. 19—20, XVII 3 §. 25. Dio LIII 12), cum Baetica senatoria sive popularis provincia esset. De praetore provinciae v. annot. ad I 74 extr.

in mortem: ut inde moreretur, ut 62: *in mortem adflixerat.* XV 55: *telum quoque in necem eius paratum ostendit.* *ad quaestionem*, forma *quaesitio*, ut est in M, priscum redolet, sed ab ea cum hic noster alias constanter abstinuerit (II 30: *quaestio in caput domini*, IV 19: *quaestione maiestatis*, 29: *et quaestio adversa accusatori fuit*, XIV 60: *de ancillis quaestiones*), nunc a librario per-

misso equo per derupta et avia sequentis frustratus est. Neque diu fefellit: nam prenso ductoque per proximos pagos equo, cuius foret cognitum. Et repertus cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna, sermone patrio frustra se interrogari clamitavit: adsisterent socii ac spectarent; nullam vim tantam doloris fore ut veritatem eliceret. Idemque cum postero ad quaestionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus saxoque caput adflixit ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur; qui pecunias e publico interceptas acrius quam ut tolerarent barbari cogebat.

46 Lentulo Gaetulico Gaio Calvisio consulibus decreta triumphi insignia Poppaeo Sabino contusis Thracum gentibus, qui montium editis sine cultu atque eo ferocius agitabant. Causa motus, super hominum ingenium, quod pati delectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernabantur, ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti, aut si mitterent auxilia, suos ductores praeficere nec nisi adversum accolas belligerare. Ac tum rumor incesserat fore ut disiecti

4. se] *si* M. 7. *quaestionem* editor: M et vulgo *quaesitionem*. 8. *examinaretur* M. 9. *permestinorum* M. *qui*] *quippe* sollerter Bezzenberger. 11. *C.* M. *co* cum lin. M. 12. *Thraecum* Or. 13. *sine cultu* Bezzenberger: M *incultu*, Beroaldus et vulgo *inculti*. 14. *dilectus* M.

inde peccatum est ac supra III 29, ubi scripsit *quaesituram*, non *quaesturam*. Inconstanter agunt qui hoc spernunt, illud adoptant.

Cap. 46. *Lentulo Gaetulico*: filius est viri illustris, cuius mentio facta IV 29 et 44. Cf. annot. ad VI 30 et index h. *contusis Thracum gentibus:* hoc poetici sermonis est. Horat. Epist. II 1 10: *diram qui contudit hydram.* Carm. III 6 10: *non auspicatos contudit impetus.* Ibid. IV 3 8: *quod regum tumidas contuderit minas.* Hic noster XII 31: *proeliis contusi.* H. II 19: *is labor — contudit animos.* H. IV 28: *contusis Ubiis.*

sine cultu: hoc eliciendum erat ex Medicei vestigiis *incultu:* nimirum *s* haustum est ab extrema littera vocis antecedentis *editis*, quo oblitterato *inecultu* sponte corruptum est *incultu.* Hoc ipsum frustra tueri voluit Doederlinius exemplis II 73 *uno — matrimonio egisse* et XIII 32 *cultu lugubri agere.* Scilicet ut Latino homini dicere non licet *matrimonio agere* vel *cultu agere*, omisso adiectivo vel pronomine, sic *incultu agere* merus est soloecismus. Iam si Beroaldum sequimur, neque codicis vestigia ex arte legimus, neque iusta oppositione componuntur *inculti atque eo ferocius agitare.* *Sine cultu* praeclare respondet subsequenti *eo ferocius*: est autem sine solito corporis humani cultu; sic III 30 *per cultum et munditias;* VI 32 *omisso cultu Romano;* XI 16 *infectum — cultu* (externo); Agr. 40: *cultu modicus.*

aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur. Sed antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos, et mansura haec, si nullo novo onere temptarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum et iuventutem et promptum libertati aut ad mortem animum. Simul castella rupibus indita collatosque illuc parentes et coniuges ostentabant, bellumque impeditum arduum cruentum minitabantur. At Sabinus, donec exercitus in unum 47
conduceret, datis mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e Moesia cum legione, rex Rhoemetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venere, addita praesenti copia ad hostem pergit compositum iam per angustias saltuum. Quidam audentius apertis in collibus visebantur; quos dux Romanus acie suggressus haud aegre pepulit, sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis valida manu montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur. Simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. Ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere: propius incedentes eruptione subita turbati sunt, receptique subsidio

2. *miserere* M. 6. *conl.* M. 7. *impedituum* M. 9. *postquam* Iac. Gronovius: M *quam. post* excidit in fine versus praecedentis, ut animadvertit Baiterus. 11. *venire* M: correxit Iac. Gronovius. 21. *proprius* M.

inciperent: incipere arma dixit, ut bellum incipere, *mandata* XII 10, *crimina* XIII 43. Similis locutio XII 32 *qui arma coeptabant.*

amicitiam — memoraturos: cf. II 58; *miserat* (Artabanus) *amicitiam ac foedus memoraturos.*

Cap. 47. *praesenti copia:* copia militum quae ei Macedoniam pro praetore curanti aderat; v. I 80, V 10, VI 39. *armata aut incondita:* qui armati castello inerant suis numeris et armorum genere descripti erant atque dispositi: cetera multitudo indiscreta agitabat, h. e. incondita.

Cap. 48. *in castris tutam et vigilem:* specimen breviloquentiae Tacitinae. Quippe dux praecipit auxiliaribus ut nocturno tempore munimentis (haec sunt *castra*) se continerent eaque stationibus vigiliisque contra subitos incursus tutarentur.

clamori telis, suo quisque periculo intentus: forma *clamore* mutanda erat in *clamori;* nam *clamore intentus* (*durch Rufen in Spannung versetzt*) minime impeditur, quo minus alium sonorem accipiat, immo ita fit, ut facilius accipiat. Sed qui *intentus* est *cla-*

Sugambrae cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum et armorum tumultu trucem, haud procul
48 instruxerat. Translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuisse memoravi. Iisque permissum vastare urere, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur noctemque in castris tutam et vigilem capesserent. Id primo servatum: mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes, lascivia epularum aut somno et vino procumbere. Igitur hostes incuria eorum comperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamori telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet. Tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum temptabant, facile pelluntur; Thracum auxilia repentino incursu territa, cum pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius caesi quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur.
49 Postera die Sabinus exercitum aequo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres proelium auderent. Et postquam castello aut coniunctis tumulis non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune iam muniebat; dein

1. *sugranbrae* M. 4. *aput* M. *theecibus* M. 7. *versun l.* M. 8. *raptis opulenti* M, non *rapti opulentia* Beroaldi. *statione* M. 10. *conp.* M. 12. *clamori* editor: M et vulgo *clamore.* 14. *deiectae* M. 15. *threcum* M. 19. *sibinus* M.

mori, is ab alia re accipienda avertitur. Ablativum habes VI 50: *sermone ac vultu intentus — defectionem tegebat.* XVI 8: *Silanus intentior metu et exitio patrui ad praecavendum exterritus erat.* Sed ubi animum ad rem convertere dicimus, constanter Tacitus dativum ponit aut accusativum cum praepositione *ad* vel *in.* Sic V 10: *is Macedoniae tum intentus.* XVI 34: *intentus Demetrio — doctori.* H. I 79: *praedae magis quam pugnae intenta.* H. II 41: *operi pontis intentum.* H. III 69: *laboribus et vigiliis parum intentus.* H. IV 82: *intentusque numini.* O. 7: *rebus intentos.* Sic *intentus ad curas* IV 67, H. II 67, IV 2; *ad iussa* XIV 24; *in Italiam resque urbis* H. IV 51. Si quis dicat *suo — periculo* quidem dativum esse, sed tela et clamorem ablativo posita esse instrumentali, respondeo id non concedere concinnitatem Tacitini sermonis. Nimirum duo nomina ἀσυνδέτως iuncta (*clamori telis*) accurate respondent subsequenti *suo quisque periculo.* Cf. annot. ad XI 6.

fossam loricamque contexens quattuor milia passuum ambitu amplexus est; tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra artaque circumdare; et struebatur agger, unde saxa hastae ignes propinquum iam in hostem iacerentur. Sed nihil aeque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium uno reliquo fonte uterentur. Simulque armenta, ut mos barbaris, iuxta clausa, egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat; pollui cuncta sanie odore contactu. Rebusque turbatis malum extremum discordia accessit, his deditionem, aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus. Et erant qui non inultum exitium sed eruptionem suaderent [,neque ignobiles, quamvis diversi sententiis]. Verum e ducibus 50
Dinis provectus senecta et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, unum adflictis id remedium disserebat, primusque se cum coniuge et liberis victori permisit. Secuti aetate aut sexu imbecilli, et quibus maior vitae quam gloriae cupido. At iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur. Utrique destinatum cum libertate occidere: sed Tarsa properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro. Nec de-

3. *artaque* M, non Beroaldi *arctaque.* 6. *inbellium* M. *simuleque* M: correxit Lipsius, ante quem *simul aeque.* 12. *neque sententiis* obelo notavit editor. 17. *inb.* M.

Cap. 49. *fossam loricamque contexens:* postquam *praesidia*, h. e. turres vel parva castella, iustis intervallis munivit, iam (*dein*) *fossam loricamque* contexere pergit, ut totum illud spatium inter praesidia relictum munimentis amplecteretur. *Lorica* vallum est quod cingit obsessos, ut militem lorica. Ea vulgo appellata est *loricula* (Caes. B.G. VIII 9. Veget. IV 28), sed Tacitus a deminutivis abstinet. Fossam adversus hostes ac tum vallum vel loricam ductam esse ordo nominum (*fossam loricamque*), manifestius autem quae initio capitis 51 legimus docent: ibi enim barbari castello decurrentes primum *complere fossas*, tum pontes scalasque *inferre propugnaculis* (h. e. *loricae* sive vallo) conantur.

neque ignobiles, quamvis diversi sententiis: Theodisce *und nicht Gemeine (von gemeiner Denkungsart), wenn auch entgegengesetzt in ihrer Meinung.* Ut haec verba leguntur, in tertia classe obsessorum diversitas sententiarum obtinuit, ut cetera Taciti narratio, in eadem egregius consensus fuit. Praeterea non paulum laborat oppositorum ratio: quippe significatur plerumque ignobiles esse qui diversi sint sententiis. Quod cum

fuere qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro. Igitur firmatae stationes densioribus globis. Et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis.

51 Interea barbari catervis decurrentes nunc in vallum manualia saxa, praeustas sudes, decisa robora iacere, nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas, quidam pontis et scalas ante fabricati inferre propugnaculis, eaque prensare, detrahere, et adversum resistentis comminus niti. Miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvere. His partae victoriae spes et, si cedant, insignitius flagitium, illis extrema iam salus et adsistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos. Nox aliis in audaciam aliis ad formidinem opportuna, incerti ictus, vulnera inprovisa, suorum atque hostium ignoratio, et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omi-

5. *absinus* M. 6. *cassum* M. 12. *eaquae* M. 18. *oportuna* M.

minime verum sit et totum additamentum ceteris repugnet, hoc a Tacito esse nequit. Profectum illud est ab eo qui admonere voluit, Thraces tertio loco memoratos non minus nobili animo fuisse quam de quibus ante expositum erat, quamvis aliam agendi viam elegerint; sed hanc sententiam auctor eius iustis verbis eloqui non potuit: nam illud *diversi sententiis* nonnisi de ipsa tertia classe dictum accipi potest. Est igitur admonitio negligenter concepta et ex margine codicis ἀρχετύπου perperam in contextum verborum illata. Neuius Observat. in Tacit. I p. 6 coniecit: *suaderent. Neque ignobiles quivis diversi sententiis, verum e ducibus Dinis* cet. Sed a verbis *verum e ducibus* haud dubie novum enuntiatum inchoatur: iam enim exponendum restabat quo discordia ante narrata evaserit.

Cap. 50. *firmatae stationes:* cf. ad I 28. *cum Sabinus circumire hortari:* v. ad II 31. Ob formam *munia* quae sequitur v. ad III 2.

Cap. 51. *muralia pila:* haec solitis pilis, quae miles secum in itinere et in proelium ferebat, haud dubie maiora. *insignitius flagitium:* cf. III 70: *Capito insignitior infamia fuit. Insignius flagitium et insigniorem infamia* dicere prudens Tacitus abstinuit: insignes enim non nisi virtute quadam aut nobilitate appellavit.

serint. Neque tamen pervasere hostes nisi admodum pauci: ceteros, deleto promptissimo quoque aut saucio, adpetente iam luce trusere in summa castelli, ubi tandem coacta deditio. Et proxima sponte incolarum recepta. Reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiems subvenit.

52 At Romae, commota principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra sobrina eius postulatur, accusante Domitio Afro. Is recens praetura, modicus dignationis et quoque facinore properus clarescere, crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones obiectabat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium, ac forte sacrificantem patri reperit. Quo initio invidiae non eiusdem ait mactare divo Augusto victimas et posteros eius insectari. Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum; sed imaginem veram, caelesti sanguine ortam intellegere discrimen, suscipere sordes. Frustra Pulchram praescribi,

1. *nisadmodum* M. 2. *deleto* Beroaldus: M *delecto*. 4. *incolarum* in annot. Beroaldus: M *incorum*. 6. *hiemps* M. 11. *inp*. M. 13. *propinq;* M. 14. *repperit* M. 17. *maginem* M. *sanguine* cum lin. M. *intellegere* M, non *intelligere*.

deleto promptissimo quoque aut saucio: quamquam ad Medicei libri vestigia paulo propius accedit quod reposuit Orellius *deiecto*, quam Beroaldus qui *deleto* dedit, ego tamen alterum sequi volui. Nam *deiectum* eodem intellectu quo *prostratum* Tacitus non admisit nisi in *equite*, veluti IV 25 *deiectis circum stipatoribus*. Etiam oppositum *saucio* vocem plane perspicuam poscit et de morte accipiendam: *deiecto* autem h. l. etiam de eo dici potuit, qui munimentis tantum deiectus erat.

Cap. 52. *At Romae:* externis eius anni rebus absolutis ad domestica conversus sic ea Cornelius executus est, ut primum de principis domo, tum de senatus actionibus, dein iterum de principis rebus exponeret. *modicus dignationis:* nomen *dignatio* passivo significatu positum in sedem *dignitatis* ut novum ac minus vulgari usu tritum migravit: cf. XIII 20 et 42. H. I 52, III 80, G. 13 et 26.

non in effigies mutas — intellegere discrimen: sensus est, spiritum Augusti divinum non in mutas effigies a Tiberio cultas transfusum esse, easque nihil sentire, sed se, quae vera sit Augusti imago, sentire atque intelligere perniciem a Tiberio sibi imminentem. Haec de se directa oratione cum dixit Agrippina, aliquo modestiae sensu pronomine (*ego*) non usa erat, sed de se tamquam de tertia persona loquebatur: hinc Tacitus in obliqua oratione item *se* suppressit.

cui sola exitii causa sit quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiae ob eadem adflictae. Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret. Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua 'suo iure disertum' eum appellavit. Mox capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.

53 At Agrippina pervicax irae et morbo corporis inplicata, cum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum; habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probris quam ex matrimonio solatium; esse in civitate * * * Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. Sed Caesar non ignarus quantum ex re publica peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quam-

7. *desertum* M. 8. *accussat.* M. 9. *extremam* M. 10. *inp.* M. 11. *implic.* Or. 14. *aliut* M. *probris* Petersen: M *probis.* 15. *solacium* M. in fine versus exciderunt circiter tredecim litterae. quae desunt, fortasse haec fuere: *Germanici qui meminisse, Germanici coniugem* cet.

correptamque: ipsa correptio (*Zurechtweisung*) versu illo inerat, eaque potissimum intelligebatur ex voce et pronuntiatione mirantis principis et nurui cupidinem regnandi obiicientis et impetum, quo principis voluntatem irritam reddere vellet. Waltherus non recte interpretatur *manu apprehensam.*

non ideo — regnaret: Tacitus Graeci versus nobis ignoti sententiam suis verbis rettulit, Suetonius eundem ad verbum interpretatus est Latine in Tiber. 53: *si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere existimas?* Ceterum accusationem Claudiae obiter meminit Dio LIX 19, ubi plura etiam de accusatore Domitio Gai Caesaris iram et insaniam vafre et feliciter effugiente. Mortuus is est Nerone principe a. 59: XIV 19. Conf. Quintil. V 7 7, X 1 118, XII 11 3. Plin. Epist. II 14, VIII 18.

Cap. 53. *neque aliud probris quam ex matrimonio solatium:* hoc est specimen *invidiae* quam precibus miscuisse Agrippina paulo ante dicitur. Nam probra Agrippina dicit contumelias a principe illatas condemnatione Sosiae et Pulchrae. *Probis*, ut est in codice, neque vere dictum est et a Latinitate videtur laborare. Certe exspectamus *probis feminis* vel aliud eiusmodi.

ex re publica: 'cui illo coniugio cum Augusti nepte velut alterum caput dabatur. Ideo de *metu* sequitur, quem silentio dissimulavit'. Lipsius.

quam instantem reliquit. Id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit. Ceterum Seianus maerentem et inprovidam altius 54
perculit, immissis qui per speciem amicitiae monerent paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. Atque illa simulationum nescia, cum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos attingere cibos, donec advertit Tiberius, forte, an quia audiverat; idque quo acrius experiretur, poma, ut erant adposita, laudans nurui sua manu tradidit. Aucta ex eo suspicio Agrippinae, et intacta ore servis tramisit. Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem non mirum ait, si quid severius in eam statuisset a qua veneficii insimularetur. Inde rumor parari exitium, neque id imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quaeri.

Sed Caesar quo famam averteret, adesse frequens senatui, 55
legatosque Asiae, ambigentes quanam in civitate templum statueretur, pluris per dies audivit. Undecim urbes certabant,

10. *suae* M: tacite correxit Rhenanus. 13 *quit* M. *ueneficia* M.

Agrippinae filiae: conf. Plin. index libri VII ubi in auctoribus Plinii *Agrippina Claudii*, et VII 6: *Neronem quoque — pedibus genitum scribit parens eius Agrippina.*

Cap. 54. *altius perculit: gab ihr einen noch tiefer dringenden Stoss. Improvidam* adiecit quo appareret, quomodo Seiani consilium et dolus facile perpatrari posset.
non vultu aut sermone flecti: 'rigido vultu et constanti silentio accubabat'. Doederlinivs.
idque quo acrius experiretur: proprie *acrius scrutari, percontari* dicimus, h. e. *acrioribus instrumentis* quaerere; hinc ad experiendum id translatum est: converte *und um dies bestimmter zu erfahren. obversus ad matrem:* Liviam Tiberius iniquam Agrippinae esse compertum habebat; hinc arcana mentis ei liberius promit.

Cap. 55. *templum:* simpliciter ponit hoc nomen, cum templi ab Asiae urbibus Tiberio decreti ante mentionem fecisset IV 15 et 37. Itaque *templum* h. l. est *τὸ ἱερόν*.
Persi: diphthongum *ei* Romani plane ut *i* productum pronuntiabant, ac propterea Nigidius Figulus reprehendit Romanos duabus notis idem exprimentes. Nigidii verba haec sunt (Gell. XIX 14): *Graecos non tantae inscitiae arcesso qui* ου *ex* ο *et* υ *scripserunt, quantae qui* ei *ex* e *et* i: *illud enim inopia fecerunt* (Graeci), *hoc nulla re subacti* (Latini). Iam vero cum prius, tum Taciti aetate genitivi Graecorum nominum in *eï* desinentes contra rationem et usum meliorem syllabis duabus extremis in unam coactis saepe proferebantur, ut *Pelei* pro *Peleï*, *Atrei* pro *Atreï*. Id docemur a Quintiliano I 5 22—24. Ex hac immutata pronuntiatione forma *Persi* nata est, quae iam invenitur apud Sallustium et Livium. Cf. Gronov. ad Liv. XLII 25.

pari ambitione, viribus diversae. Neque multum distantia inter se memorabant de vetustate generis, studio in populum Romanum per bella Persi et Aristonici aliorumque regum. Verum Hypaepeni Trallianique Laodicenis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi. Ne Ilienses quidem, cum parentem urbis Romae Troiam referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant. Paulum addubitatum, quod Halicarnassii mille et ducentos per annos nullo motu terrae nutavisse sedes suas, vivoque in saxo fundamenta templi adseveraverant. Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede Augusto ibi sita satis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia occupavisse civitates visi. Ita Sardianos inter Zmyrnaeosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriae recitavere ut consanguinei: nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem; Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum novas ut conderet sedes; et ducum e nominibus indita vocabula illis per Asiam, his in Italia;

4. *hypae penitrali tanique* (non Furiae *peni tralitanique*) M. 5. *nellienses* M. 7. *alicarnasii* M. 8. *nutavisse*, non Oberlini *mutavisse*. 10. *aede* cum lin. M. *sitam* M: correxit Lipsius. 11. *cerim*. M. 15. *divise* M: explevit Beroaldus. 16. *novos* M. 17. *Italia* M, non Beroaldi *Italiam*.

Hypaepeni: incolae urbis Lydiae Hypaepae, de qua Strabo XIII 4 §. 7 p. 627. Stephan. Byzant. s. v. Magnetes proxime nominatos esse Magnetes a Sipylo (II 47) existimaverim: nam Magnetes ad Maeandrum, a Scipione et Sulla propter eximiam fidem et virtutem adversus Antiochum et Mithridatem populo Romano probatam publice decorati (III 62), *ut parum validi* non satis recte designarentur. Incertus est Boeckhius Corp. inscript. t. II p. 581.

mille et ducentos per annos: complectuntur totum tempus quod civitas Halicarnassiorum adhuc steterat; Halicarnassus enim ad Eratosthenis calculos anno a. Chr. 1194 vel 1214 a Telamone condita est: v. Boeckhii annot. ad titulum 2655 in Corp. inscript. t. II p. 451.

vivoque in saxo, h. e. nativo, hominum opera haud congesto. Virg. Aen. I 167: *intus aquae dulces vivoque sedilia saxo*. Nimirum dixere legati Halicarnassiorum templi ponendi fundamenta ut terra laboriose effossa iacerentur apud ipsos non requiri, sed vivum saxum fundamentorum vice fungi posse.

Tyrrhenum Lydumque: conf. Strabo V 2 §. 2 et 4 p. 219 et 221. Dionys. I 27. Vellei. I 1. Tertull. de Spectac. 5: *Lydos ex Asia transvectos in Etruria consedisse Timaeus refert duce Tyrrheno, qui fratri successerat* (legendum cum Lipsio *cesserat*) *regni contentione*. *a Pelope:* Sardiani Lydum esse et popularem suum Pelopem statuunt, ut Pausanias V 1 5, non in Phrygia ortum (Strabo VII 7 §. 1).

auctamque adhuc Lydorum opulentiam missis in Graeciam populis, cui mox a Pelope nomen. Simul litteras imperatorum et icta nobiscum foedera bello Macedonum, ubertatemque fluminum suorum, temperiem caeli ac dites circum terras memorabant. At Zmyrnaei repetita vetustate, seu Tantalus **56** Iove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset, transcendere ad ea quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur; seque primos templum urbis Romae statuisse, Marco Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus. Simul Lucium Sullam testem adferebant, gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, cum id Zmyrnam in contionem nuntiatum foret, omnis qui adstabant detraxisse corpori tegmina nostrisque legionibus misisse. Ita rogati sententiam patres Zmyrnaeos praetulere. Censuitque Vibius Marsus ut Marco Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet. Et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso e praetoriis sorte missus est.

Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio, **57** tandem Caesar in Campaniam *, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul

3. *dicta* M: tacite correxit Rhenanus. 10. *M.* M. 13. *L.* M. 16. *oms* cum lin. M. 18. *uibius marcus* M. *M.* M. 22. *interq;* M. 23. defectus signum est ab editore; *abiit* olim fuisse puto. *templa* M, non Beroaldi *templum*.

Cap. 56. *sive Theseus — sive una Amazonum:* cf. *Γένος Ὁμήρου* (Vitarum scriptores minores ed. Westermann p. 27), ubi Pisistratus de Homero: *ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης, εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἐπῳκίσαμεν.* Strabo XIV 1 §. 4. Plin. V 31.
navali copia: cf. annot. ad IV 4 extr. *M. Porcio consule*, h. e. 559 a. u. *M. Lepido:* v. ad III 32; *legaretur* est *legatus decerneretur.*

Cap. 57. *Caesar in Campaniam:* post haec deesse verbum liquet. Lipsii coniectura *Caesar iit Campaniam* non sapit stilum Cornelianum. Ellipsin qui putant admissam esse, non reputaverunt eam ab huius loci tenore alienam esse.
rettuli: v. c. 41. *plerumque permoveor:* quid Tacitus voluerit, clarum est, sed ipsa locutio insolita, vix Latina. Equidem e medio verbum *ambigere* excidisse suspicor, omissum a librario qui con-

urbe degere. Causam abscessus quamquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen caede eius patrata sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumque permoveor num ad ipsum referri verius sit, saevitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi praegracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta. Et Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur, neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum eius accepisset. Nam dubitaverat Augustus Germanicum, sororis nepotem et cunctis laudatum, rei Romanae imponere: sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. Idque Augusta
58 exprobrabat, reposcebat. Profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia, eques Romanus, praeter Seianum, ex inlustribus Curtius Atticus; ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur. Ferebant periti caelestium iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium ut reditus illi negaretur. Unde exitii causa multis fuit properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque. Neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret.

3. post *plerumque* verbum videtur excidisse, veluti *ambigere*. 5. *occultantis* M: tacite correxit Rhenanus. 6. *corporis quoque* M, non Beroaldi *quoque corporis*. 10. *inp.* M. 12. *dubutaverat* M. 14. *pcibus* cum lin. (*praecibus*) M. 16. *arto* M, non Beroaldi *arcto*. 18. *curcius* M.

iunxit vocabula ab eadem littera (*p*) incipientia.

praegracilis et incurva proceritas: senis haec statura fuit. Virum describit Suetonius Tiber. 68: *corpore fuit amplo atque robusto, statura quae iustam excederet. Latus ab humeris et pectore, ceteris quoque membris usque ad imos pedes aequalis et congruens.* Iuvenem Velleius II 94 dicit *forma* et *celsitudine corporis instructissimum.*

traditur etiam: vid. Dio LVII 12. Sueton. Tiber. 51. *sororis nepotem:* mater Germanici Antonia erat, Octaviae et M. Antonii filia; cf. ad II 43. *Dubitaverat* breviter dictum pro *dubitando agitaverat.*

Cap. 58. *ex inlustribus:* v. ad II 59. Curtium Atticum Seiani artibus eversum esse VI 10 a Tacito traditum.

Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam ob-
scuris tegerentur. Nam in urbem non regressurum haud
forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure
aut litore, et saepe moenia urbis adsidens, extremam sene-
ctam compleverit. Ac forte illis diebus oblatum Caesari an- 59
ceps periculum auxit vana rumoris, praebuitque ipsi materiem
cur amicitiae constantiaeque Seiani magis fideret. Vesceban-
tur in villa cui vocabulum Speluncae, mare Amuclanum inter
Fundanosque montes, nativo in specu. Eius os lapsis repente
saxis obruit quosdam ministros: hinc metus in omnis et fuga
eorum qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque et
manibus super Caesarem suspensus opposuit sese incidentibus,
atque habitu tali repertus est a militibus qui subsidio venerant.
Maior ex eo; et quamquam exitiosa suaderet, ut non sui
anxius, cum fide audiebatur. Adsimulabatque iudicis partes
adversum Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina

8. *amunclanum* M, non Furiae *amundanum:* tacite correxit Rhenanus. 9. *Fundanosque* Beroaldus: M *fundanos.* 10. *oms* cum lin. M. 16. *adversum* M, non *adversus* Beroaldi, ab hoc saepe invectum.

ceterorum nescii egere: nonnihil Tacitus arti mathematicorum ipse tribuit: nimirum aliquam veritatis scintillam arti quam casui ascribere inclinat, dum ingentem errorem ad imprudentiam vulgi refert.

Cap. 59. *oblatum Caesari anceps periculum:* eiusdem casus meminit Suetonius Tiber. 39, qui villam appellat *praetorium*, h. e. villam magnificam. *anceps periculum* quo efficitur ut vita sit in ancipiti.

mare Amuclanum: a priscis Amyclis (Plin. III 9, XIV 8) prope Tarracinam sitis id nomen. Speluncae mentio etiam apud Plinium III 9. Nunc inde dicitur *mare di Sperlonga.* Pro *Fundanosque* in M *fundanos;* id ex compendio obscure notato (*fundanosq;*) originem duxit. Bezzenberger maluit *et Fundanos*, idque recepit Orellius. Cf. H. II 78: *Iudaeam inter Syriamque.* H. IV 77: *viam inter Mosellamque flumen.* H. V 19: *insulam inter Germanosque.* Contra VI 33: *mare inter et extremos Albanorum montes.* Rursus A. 31: *verbera inter ac contumelias.*

iudicis partes: iudicis partes eiusmodi Seianus apud Tiberium adversus Germanici stirpem assimulabat, quas Narcissus apud Claudium contra Messalinam suscepit his verbis (XI 30): *nec nunc adulteria obiecturum ait, nedum servitia et ceteros fortunae paratus reposceret. Frueretur immo iis, et redderet uxorem rumperetque tabulas nuptiales.* Simili artificio Seianus, percurrens quae de Germanici liberis afferebantur iniqua coram Tiberio, alia excusabat eoque ipso premebat, alia reprehensione digna esse pronuntiabat, et quibus aliis principis odium aut suspicionem irritari sperabat. Mureti *indicis* non opus iam mihi videtur.

sustinerent, maximeque insectarentur Neronem proximum successioni et, quamquam modesta iuventa, plerumque tamen quid in praesentia conduceret oblitum, dum a libertis et clientibus, apiscendae potentiae properis, extimulatur ut erectum et fidentem animi ostenderet: velle id populum Romanum, cupere exercitus, neque ausurum contra Seianum, qui nunc patien-
60 tiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet. Haec atque talia audienti nihil quidem pravae cogitationis: sed interdum voces procedebant contumaces et inconsultae, quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur. Nam alius occursum eius vitare; quidam salutatione reddita statim averti; plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra inridentibusque qui Seiano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus aut falsum renidens [vultu]: seu loqueretur seu taceret iuvenis, crimen ex silentio,

3. *in praesentia* editor: M *in presentia rum*, Beroaldus *in praesentiarum*, et ita vulgo. 3. *conducet* M: emendavit Beroaldus. 4. *exst.* Or. 8. *prave* M. 15. *aberant* M. 16. glossam *vultu* seclusit editor.

in praesentia: in Medicei *in presentia rum* ego *rum* ex praegresso *plerumque*, id quod auribus scribentis nimium inhaeserat, resedisse putaverim. Sic in M[a] XVI 20 *deditum* pro *dedit*, syllaba *um* ex praegresso *functum* ascita. Qui cum Beroaldo etiamnum priscas illas sive delicias sive sordes malunt, iis suadeo ut saltem nova adhibita correctione scribant *inpraesentiarum:* nam *in praesentiarum* soloecismus est non minus foedus, quam si quis pro *depraesentiarum*, ut apud Petronium legitur, *de praesentiarum* exhibere velit. Elegantissimus quisque auctorum Latinorum ab hoc vocabulo (*impraesentiarum*) abstinuit (conf. Forcellinius s. v.), apud paucos raro invenitur: *in praesentia* autem a Tacito similiter positum Agr. 31 et 39.

ut erectum et fidentem animi ostenderet: pronomen *se* omisit, ut I 35 *promptos ostentavere*, IV 18 *imparemque tanto merito* (se Caesar) *rebatur*, V 5 *sed paratos ad ultionem vi principis impediri testarentur*, XIII 49 *non praesentium ignarum respondebat eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare*, XIV 1 *ituram quoquo terrarum*, 35 *non ut tantis maioribus ortam — ulcisci*, XVI 25 *securos esse de constantia eius dixerunt.*

Cap. 60. *torvus aut falsum renidens* [*vultu*]: *renidere* de hominibus dictum semper est *ridere*, ac modo de risu grato et amoeno (*μειδιᾶν*) dicitur, modo de simulato falsoque, veluti a Tacito XV 66: *renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam ipsum.* H. IV 43: *Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens.* Iam edoceri velim quid sit *renidere vultu:* scilicet ridemus ore, non vultu. At vero hoc nomen haud dubie in margine ascriptum est adversus torvus et

ex voce. Ne nox quidem secura, cum uxor vigilias somnos suspiria matri Liviae atque illa Seiano patefaceret; qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe obiecta principis loci, si priorem aetate et iam labefactum demovisset. Atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiae et solita fratribus odia, accendebatur invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat. Neque tamen Seianus ita Drusum fovebat ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur, gnarus praeferocem et insidiis magis opportunum.

Fine anni excessere insignes viri Asinius Agrippa, claris 61
maioribus quam vetustis, vitaque non degener, et Quintus Haterius, familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae: monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis quam cura vigebat; utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul extinctum est.

Marco Licinio Lucio Calpurnio consulibus ingentium bel- 62
lorum cladem aequavit malum inprovisum. Eius initium simul et finis extitit. Nam coepto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum

9. *oport.* M. 10. *insignis* M. 11. *quae haterius* M: *Q. Haterius* Beroaldus. 12. *qua ad* M. 13. *ingeni* M. 16. *illut* M. 17. *M.* M. *L.* M. *cos.* cum lin. M. 19. *exst.* Or. *amphitheatru* cum lin. M. 20. *gladiatorom* M.

inde versui extremo adhaesit. Comparant interpretes Appuleii Met. VI p. 310: *renidens exitiabile risu maligno.* Horat. Carm. III 27 67: *perfidum ridens.* Sil. Ital. I 398: *saevum arridens.*

uxor: est Iulia, Drusi Caesaris et Liviae filia: III 29. Pravam matris indolem filia refert.

Cap. 61. *Fine anni:* v. ad I 53.

Haterius: de eo accurate et diligenter rettulit Seneca in Excerptis Controv. praefat. libri IV. Cf. Seneca philosophus Epist. 40. Hieronymus in Eusebii Chronico: *Haterius, promptus et popularis orator, usque ad 90 prope annum in summo honore consenescit.*

Cap. 62. *malum inprovisum:* cf. Suetonius Tiber. 40. Orosius VII 4. *apud Fidenam:* multis annis ante vulgarem formam in II. III 79 posuerat: nunc, si recte se habet scriptura, Virgilium sequitur, qui Aen. VI 773 *urbemque Fidenam.* Ibi Servius: *Fidenae dicuntur, ut Thebae: sed dixit ut Iuvenalis* (XV 6) '*atque vetus Thebe centum iacet obruta portis*': *nam varietati studet.* Virgilium hac in re imitatus est etiam Silius XV 91.

in sordida mercede: h. e. *in sordida mercede versatus* (ὤν); *in sordidam mercedem* dum corrigit Pichena, quod est rarum et insolitum atque ideo a Tacito quaesitum, in vulgarem formam redegit. Pichenae verba finem quem secutus

celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit, ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordida mercede in negotium quaesivisset. Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius; unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus aut in exteriora effunditur, immensamque vim mortalium, spectaculo intentos aut qui circum adstabant, praeceps trahit atque operit. Et illi quidem quos principium stragis in mortem adflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere. Miserandi magis quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant. Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. Etiam quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant, pavere tamen; nequedum comperto quos illa vis perculisset,
63 latior ex incerto metus. Ut coepere dimoveri obruta, concursus ad exanimos complectentium, osculantium; et saepe certamen, si confusior facies, sed par forma aut aetas errorem

3. *habundantia* M. 5. *virile ac muliebre secus* M, non Beroaldi *virilis ac muliebris sexus.* 6. *effusus* M: correxit Lipsius. 17. *periculis sed latior* M: emendavit Beroaldus. 20. *sed* M: Beroaldus *et.*

sit in amphitheatro aedificando Fidenas, indicant, Taciti omnem istius hominis agendi et munera edendi rationem describunt. Mutationem dissuadet quoque additum nomen adiectivum (*sordida*), neque iuste comparatur a Walthero *in nullius mercedem* XI 6, *non in quaestum tamen aut mercedem* G. 24.

avidi talium — virile ac muliebre secus: accusativus *virile ac muliebre secus* pendet a praegresso *avidi talium.* Fallitur Orellius, cum nominativum esse narrat: immo haec formula non nisi casu accusativo legitur. Cf. II 84. H. V 13.

imperitante Tiberio — habiti: Sueton. Tib. 47.

ut tali sorte: hoc restringitur quodammodo cetera sententia; Theodisce: *so weit dies bei solchem Loose gelten kann.* *noscebant,* h. e. noscere conabantur. Cf. ad II 34. Plin. Epist. VI 20: *alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant.* Neuius Observat. ad Tacit. spec. I p. VI *poscebant* reponendum coniecit.

Cap. 63. *sed par forma:* quod Beroaldus exprimendum dedit *et,* sane habet cur placeat, et placuit Heraeo p. 41: quippe error hominum tum confusiore facie, tum pari forma aut aetate iuvatur. Verum Tacitus qui sequitur contraria, suo more coniunxit primum id quo veri intellectus impediebatur, tum quae errorem fecerunt. Suppressit igitur *erat* post *facies.*

adgnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominum milia eo casu debilitata vel obtrita sunt; cautumque in posterum senatus consulto ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum milium res, neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae. Atilius in exilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti; fuitque urbs per illos dies, quamquam maesta facie, veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant.

64 Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia urbem ultra solitum adfecit, deusto monte Caelio; feralemque annum ferebant, et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiae, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Caesar obviam isset tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actaeque ei grates apud senatum ab inlustribus famaque apud populum, quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat. Adduntur sen-

1. *adgn.* M, non *agn.* 3. *gladiatorium* M, non Furiae *gladiatorum*. *manus* M. 7. *prebeti* M. 8. *instituti* M: correxit Beroaldus. 10. *namdum* M. *exsol.* M. 12. *omnibus* M: correxit Beroaldus. 15. *gratis* M. 16. *praec.* M.

quinquaginta hominum milia —vel obtrita sunt: Suetonius qui tantum extinctos numerat l. c. scribit: *supra viginti hominum milia gladiatorio munere amphitheatri ruina perierant.*

Cap. 64. *deusto monte Caelio:* incendii huius et liberalitatis Tiberii meminerunt etiam Suetonius Tiber. 48 et Velleius II 130.

ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur: falso et inique Suetonius l. c.: *quod tamen beneficium tanti aestimavit, ut montem Caelium appellatione mutata vocari Augustum iusserit.* Nimirum ea res non ultra sententias blandientium processit.

Claudiae Quintae: filiae Romanorum nominibus ita designabantur, ut quae prima nasceretur simpliciter nomen gentile sumeret, v. c. *Claudia*, *Antonia*, ceterae *minor*, *tertia*, *quarta*, *quinta* vocarentur. Itaque haec Quinta ex filiabus Appii Claudii natu minima: nam *quattuor* (Cic. Catone m. 11) *robustos filios, quinque filias — Appius regebat.* Cf. Valer. Max. I 8 11: *possunt et illa miraculorum loco poni — quod Q. Claudiae statua in vestibulo templi matris deum posita, bis ea aede incendio consumpta, prius P. Nasica Scipione L. Bestia, item M. Servilio et L. Lamia consulibus* (a. 643 et 756), *in sua basi flammis intacta stetit.* De Claudia Quinta, quae matrem Idaeam a Pessinunte Romam advectam accepit a. 550, v. Liv. XXIX 14. Ovid. Fast. IV 305—327. Virginem Vestalem perperam dicit Orellius. *Navis Salvia* in titulis antiquis (v. Orellii Inscript. 1905. 1906. 2403) minime ipsa Claudia est, sed navis a Claudia subducta.

tentiae ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies, sita in domo Iunii senatoris, inviolata mansisset. Evenisse id olim Claudiae Quintae, eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem matris deum consecravisse. Sanctos acceptosque numinibus Claudios, et augendam caerimoniam loco in quo tantum in principem honorem di ostenderent.

65 Haud fuerit absurdum tradere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat, mox Caelium appellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae cum auxilium tulisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. Cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.

66 Sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium tulerant, ita accusatorum maior in dies et

4. *Quintae* M (non Beroaldi *Quintiae*). 5. *consegravisse* M. 11. *tulisset* Lipsius: M *appellatum tauisset*. 15. *advenabum* M. 17. *casum* M: correxit Heinsius. *solacium* M. *telerant* M. *accussat.* M.

Cap. 65. *tulisset: appellatum tauisset* M. Hoc *appellatum* ex versu antecedente repetitum esse vere observavit Lipsius; quod qui non agnoscunt sordes puri sermonis amatori obtrudunt. Ex *tauisset* quod fecere *ductavisset* vel *adductavisset*, aliis fortasse placeat, non mihi: ita enim non *auxilium* sed *auxilia* (copias auxiliares) scriptum oportuit. Neque Taciti stilum sapit Bezzenbergeri *oblatum adventavisset.* Quanto melius Lipsius corruptae scripturae ductus et vestigia pressit: nam ex antiqua scriptura TVLISSET natum est TAVISSET. De Caele Vibenna exposuit Niebuhrius in Histor. Rom. I p. 422 ed. 3. Claudii Caesaris de duce Tusco narratio, hausta ex Tuscis annalibus (v. additam. t. II), a Tacitina discrepans non ipsum Caelem sed eius amicum Mastarnam sive Servium Tullium Romam venisse tradit: *Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes. Postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitatus* (legendum cum Niebuhrio *appellitavit*). Varro L. L. V § 46: *Caelius mons, a Caelio Vibenno* (sic) *Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Tatium regem.* Apud Festum v. *Tuscus vicus* sunt fratres *Caeles et Vibena.* Caelium sine cognomine vocat Dionysius II 36.

Tuscum vicum: de nominis causa alii alia narrant: Liv. II 14. Varro L. L. V 46. Fest. v. *Tuscus vicus.*

infestior vis sine levamento grassabatur; corripueratque Varum Quintilium, divitem et Caesari propinquum, Domitius Afer, Claudiae Pulchrae matris eius condemnator, nullo mirante quod diu egens et parto nuper praemio male usus plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis extitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo connexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus et opperiendum imperatorem censuit; quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.

At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam 67
edicto monuisset ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit trium milium freto ab extremis Surrentini promuntorii diiunctam. Solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia: neque adpulerit quisquam nisi gnaro

2. *Quintilium* M, non *Quinctilium*. 4. *maliusus* M. 6. *conixius* M. 9. *molorum* M. 14. *addidit* M. 15. *promuntirii* M. cf. 2 39. 16. *inp.* M. 17. *grano* M.

Cap. 66. *divitem et Caesari propinquum:* Seneca Controv. 3: *declamaverat apud illum* (Cestium) *hanc ipsam controversiam Varus Quintilius, tunc Germanici gener, ut praetextatus.* *condemnator:* h. e. qui accusando condemnationem perfecerat; lege IV 52.

Cap. 67. *oppidanorum:* intellige cives ex oppidis Capua et Nola: IV 57. *quoniam importuosum — subsidia:* Sueton. Tiber. 40: *delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, saepta undique praeruptis immensae altitudinis rupibus et profundo maris.* Conf. Iuvenal. X 93.

nisi gnaro custode: custodem intelligit Orellius speculatorem Tiberii, sed Tacitus nunc de insulae nondum a principe occupatae natura et ingenio loquitur. Quapropter ego id nomen dictum puto de gubernatore locorum gnaro in navigium assumendo, qui custodis vicem implendo ad pauca subsidia Caprearum appellat.

saeva ventorum: dicit tempestates ingruentes ex septentrione.

Vesuvius — verteret: significat incendium anni 79 a Chr., a se in deperdita parte Historiarum enarratum: Plin. Epist. VI 16 et 20.

fama tradit: cf. Virgil. Aen. VII 735: *Teleboum Capreas cum regna teneret* (Telon). Augustus eam insulam sibi suisque paraverat a re publica Neapolitanorum; v. Sueton. Aug. 92 et 98. Dio LII 43. Strabo V 4 §. 9 p. 248.

duodecim villarum nominibus et molibus insederat: ubicumque oculorum visus ferebat, villae nomen et molem conspiciebant a Tiberio coeptae. *Insederat* est *occupaverat.*

occultos in luxus: vitium libri M *occultior*, ad quod admittendum scriba voce *tanto* inductus est,

custode. Caeli temperies hieme mitis, obiectu montis quo saeva ventorum arcentur; aestas in Favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Graecos ea tenuisse Capreasque Telebois habitatas fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultos in luxus et malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in urbe suetus acrius turbabat non iam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis. Quis additus miles nuntios, introitus, aperta, secreta, velut in annales referebat; ultroque struebantur qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus, vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare. Eaque spreta ab illis, velut pararent, obiciebantur.

68 Iunio Silano et Silio Nerva consulibus foedum anni prin-

5. *telelebois* M. *tele* in fine versus. 8. *occultos* I. Fr. Gronovius: M *occultior*. 9. *suspition.* M. 17. *cos.* cum lin. M.

repetivit Orellius; sed nulla est oppositio inter *intentus* et *occultior*, neque *luxus* in universum Tiberio vitio dari poterant, sed tantummodo *occulti luxus*, h. e. libidines a Tacito VI 1 expositae. In scriptura Gronoviana bene se habet ratio contrariorum *publicas ad curas* — *occultos in luxus et malum otium*, item *quanto intentus* — *tanto resolutus*. *Malum otium* dicit otii Capreensis saevitiam.

nuntios introitus, aperta secreta: v. ad XI 6. *celeberrimo fori:* quando forum hominibus maxime frequens esset. De parte fori celeberrima non recte accepit Wopkensius. *Celeberrimo fori* ut *medio diei* XIV 2, *medio temporis* XIII 28, XIV 53, H. II 53.

eaque — obiciebantur: prudenter Cornelius duas res, quibus perspicua indicia tristis fortunae Germanici posteris imminentis continebantur, ita disposuit, ut priore annalis narratio concluderetur, ab altera novi anni historiam inchoaret.

Cap. 68. *Iunio Silano et Silio Nerva:* coniunctionem *et*, quam alias in consulum nominibus omittere solet, prudens h. l. videtur adhibuisse, ne *Silano Silio* concurrentes sibilum efficerent. Sic XIV 29 legimus *Caesonio Paeto et Petronio Turpiliano*, ne *Paeto Petronio* ingratum sonum praeberet. Alia addendae particula causa V 1: *Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat.* Semel tamen sine eiusmodi causa XV 23 scripsit *Memmio Regulo et Verginio Rufo consulibus.* Item semel *et* interposuit ubi consulum nomina primo casu extulit VI 1: *Gnaeus Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant.* Aliter VI 45: *supremi Tiberio consules, Gnaeus Acerronius Gaius Pontius, magistratum occepere.*

cipium incessit tracto in carcerem inlustri equite Romano, Titio Sabino, ob amicitiam Germanici: neque enim omiserat coniugem liberosque eius percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus, eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, Marcus Opsius praetura functi adgrediuntur, cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus; neque Seiani voluntas nisi scelere quaerebatur. Compositum inter ipsos ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent. Igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones, mox laudare constantiam, quod non, ut ceteri, florentis domus amicus adflictam deseruisset; simul honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrimas, iunxit questus, audentius iam onerat Seianum, saevitiam superbiam spes eius. Ne in Tiberium quidem convicio abstinet. Iique sermones, tamquam vetita miscuissent, speciem artae amicitiae fecere. Ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre. Consultant quos memoravi, quonam modo ea plurium auditu **69**
acciperentur. Nam loco in quem coibatur, servanda solitu-

5. *portius* M. 6. *M.* M. 15. *moles* M. 16. *quaestus* M. 19. *fecere* Faërnus et Muretus: *facere* M. 22. *solitudines* M.

Titio Sabino: narratio praeparata est c. 18 et 19. Plinius VIII 61 (40): *sed super omnia in nostro aevo actis populi Romani testatum, Appio Iunio et Publio Silio consulibus cum animadverteretur ex causa Neronis Germanici filii in Titium Sabinum et servitia eius, unius ex his canem nec a carcere abigi potuisse, nec a corpore recessisse abiecti in gradibus gemitoriis, maestos edentem ululatus* cet. Cf. Dio LVIII 1. *percolere: per* praepositio rem continuatam indicat (*fortwährend zu verehren*).

Cap. 69. *metus — erant:* h. e. metuebantur (*man hatte Besorgnisse*). *tres senatores:* hoc addit ad pingendam indignitatem incepti.

quando maesta — difficilius reticentur: scripturam adhuc vulgatam *quanto* qui sequuntur, ante *diutius* adverbium *tanto* volunt intelligi. Sed is est in hac parte Taciti usus, ut post *quanto* suppresserit *tanto*, non contra, ut liquebit comparanti exempla ad I 57 excripta.

egens adversum proximos conversatio: una et vera corrupti loci restituendi via ad hiatum sive defectum ducit, quod Orellium non agnovisse et Doederlinium miror: nulla enim ex vocibus quae reli-

dinis facies; et si pone fores adsisterent, metus visus, sonitus aut forte ortae suspicionis erant. Tectum inter et laquearia tres senatores, haud minus turpi latebra quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit; praeteritaque et instantia, quorum adfatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille et diutius, quando maesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Caesarem litteris ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas; egens adversum proximos *conversatio;* congressus colloquia, notae ignotaeque aures vitari; etiam muta atque inanima,

70 tectum et parietes circumspectabantur. Sed Caesar sollemnia incipientis anni kalendis Ianuariis epistula precatus, vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum et petitum se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. Nec mora quin decerneretur; et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. Quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga vastitas; deseri itinera fora. Et qui-

1. *metus* M: *metui* Ernestius. 2. *suspicionis* M: *suspiciones* Beroaldus. 8. *quando* Rhenanus: M *qaranto*, vulgo *quanto*. 10. *ipse* M. 12. *conversatio* est ab editore. *conl.* M. 15. *k.* cum lin. M. *Ianuarius* M: correxit Iac. Gronovius, ante quem edebant *Ianuarias*. *pcatus* cum lin. M. 21. *acciperent* M: correxit Rhenanus.

quae sunt suspicioni prae ceteris obnoxia est. Scribentis oculi a voce ab *con* incipiente ad alteram eodem initio aberrarunt. Vox restituta Tacito familiaris. XII 49 *conversatione scurrarum*, O. 9 *conversatio amicorum*. Pro *egens* voce minime suspecta Vertranius coniecit *satagens*, Lipsius *tegens*, Acidalius *se tegens*, Muretus *egit, etiam*. De eo quod sequitur *congressus colloquia* cf. ad XI 6.

Cap. 70. *epistula:* haec quaestori Caesaris perferenda et in senatu recitanda tradebatur: v. ad XVI 34. Tiberius in principio litterarum fausta patribus populoque apprecabatur. Plinius XXVIII 5: *primum incipientis anni diem laetis precationibus invicem faustum ominamur.* Ceterum pertinet vox *sollemnia* non ad *incipientis anni*, sed ad *kalendis Ianuariis: was üblich ist an des beginnenden Jahres Januars-Kalenden.* Nimirum genitivus *anni* a kalendis pendet. Senatus ipse non kalendis habebatur sed III nonas Ianuarii: v. ad XVI 22.

acciderent: exquisite dictum, et idem valet quod *ad aures hominum venirent easque stringerent.*

dam regrediebantur ostentabantque se rursum, id ipsum paventes quod timuissent. Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? Non imprudentem Tiberium tantam invidiam adisse: quaesitum meditatumque ne quid impedire credatur quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria, sic carcerem recludant. Secutae insuper litterae grates agentis quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim compellato; neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

71 Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, avebat animus antire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam Gaius Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio; qui scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, et oblatis in eandem operam recentibus, veteres et praegraves adflixit. Verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a prin-

1. *regrediebatur* M. 5. *prudentem* M, *im* excidit in versus fine: tacite correxit Rhenanus. *adisset* M. 9. *adiecti* M: *adiecto* Beroaldus. fortasse fuit *adiectis*. 10. *conp.* M. 15. *C.* M. *incolomi* M. 16. *nollebat* M.

quem enim diem — carcerem recludant: hi sunt questus optimi cuiusque clauso pectore prorumpere nitentes, sed ob atrocitatem temporum intro repressi. Quod ad formam sermonis attinet, similis est locus III 37: *huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret*, cet. XIII 43: *cur enim neminem alium delectum, qui* cet. H. I 21: *praegravem se Neroni fuisse* cet. H. IV 62: *quale illud iter? quis dux viae?* cet. De re conf. Sueton. Tiber. 61: *nullus a poena hominum cessavit dies, ne religiosus quidem et sacer.*

hominem infensum rei publicae: proprium Tiberio scelera nuper reperta priscis verbis obtegere; v. IV 19.

Cap. 71. *Latinius atque Opsius ceterique:* Latinium a Tiberio eversum memorat VI 4. Imperante Gaio, cuius res a Tacito compositae interciderunt, ceteri puniti sunt: Latinium enim luendae poenae *primum* fuisse ex VI 4 compertum.

in tempore: h. e. suo tempore. I 58: *in tempore memorabo.* VI 22: *praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur.* XII 50: *in tempore rebellaturos.* XIII 7: *exortusque in tempore aemulus.* Inde *parum in tempore* I 19.

matertera erat: Vipsania olim Tiberio, tum Asinio Gallo (v. I 12) nupta, filia M. Vipsanii Agrippae,

cipe ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret. Nullam aeque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat. Eo aegrius accepit recludi quae premeret. Sed mitigavit Seianus, non Galli amore, verum ut cunctationes principis opperiretur, gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.

Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat, proieceratque in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus. Illic viginti annis exilium toleravit, Augustae ope sustentata; quae florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.

72 Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem exuere, nostra magis avaritia quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum, pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura quae firmitudo, quae mensura, donec Olennius e primipilaribus regendis Frisiis impositus terga urorum delegit quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium beluarum

4. *praemeret* M. 5. *aperirentur* M: correxit I. Fr. Gronovius. 8. *proleceratque* M. 14. *inp.* M. 18. *inp.* M. *deiegit* M.

et Agrippina genita eodem Agrippa patre, sed alia matre (Iulia Augusti filia), sorores consanguineae fuere.

ut cunctationes principis opperiretur: cf. I 69 cum annotatione ibi adiecta. *per idem tempus:* haec libenter interposuit, ut duae res, quarum una atrox et horrenda, altera dignitati Romani imperii contraria, paulum distinerentur. De Iulia cf. III 24.

Cap. 72. *eodem anno:* v. ad I 53. *tributum iis Drusus iusserat:* Drusus primus in hanc terram imperii reverentiam protulerat anno ab u. 742: Dio LIV 32.

in usus militares: intellige scuta, tabernacula, utres servando vino aut traiiciendis fluminibus cet.

terga urorum: uri (tauri silvestres) multi in Hercynia silva, non in campis et paludibus Frisiorum. Caesar. VI 28: *tertium est genus* (boum in silva Hercynia) *eorum qui uri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum et magna velocitas.* Ibid.: *Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt.* Cf. Plin. VIII 15: *Terga* sunt *tergora* (*Häute*), ut XV 44. H. II 88: *tergis ferarum et ingentibus telis horrentes.* Eam licentiam dat numerus multitudinis: poeta etiam singulari numero eius vocis sic uti potest, ut Virgilius Aen. I 368: *taurino quantum possent circumdare tergo.*

feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant. Hinc ira et questus, et postquam non subveniebatur, remedium ex bello. Rapti, qui tributo aderant, milites et patibulo adfixi. Olennius infensos fuga praevenit, receptus castello, cui nomen Flevum; et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat. Quod 73
ubi Lucio Apronio inferioris Germaniae pro praetore cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit, ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat. Atque interim repertis vadis alam Canninefatem, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet; qui iam acie compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum subsidio missos. Tum tres leves cohortes, ac rursum duae, dein tempore interiecto alarius eques immissus. Satis validi, si simul incubuissent, per intervallum adventantes neque constantiam addiderant

3. *quaestus* M. 4. *subveniebat* M: correxere Muretus et Lipsius. 8. *L.* M. *propraetore* M. 11. *castello* M: correxit Rhenanus. 12. *degressis* M. 16. *pelluntur* (in fine versus) M: correxit Rhenanus. 18. *leve* M. 19. *alarius* Freinshemius: M *acrius*. *inm.* M.

Flevum: hoc castellum ibi positum, ubi fossa Drusiana (*Yssel*) in lacus (*Zuydersee*) effunditur: Plin. IV 29 (15): *quae* (insulae Frisiorum, Frisiabonum cet.) *sternuntur inter Helium ac Flevum: ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus ab septentrione* (ibi *Flevum*, ut ex collatis his Taciti verbis clarum) *in lacus, ab occidente* (ibi Helium) *in amnem Mosam se spargit.*

Cap. 73. *Germaniae pro praetore:* tirones admonendi sunt, ne nomen *praetore* habeant pro appositione praecedentis *Apronio:* nam is dativus est, ad quem refertur quod Graecus scriptor voce ὄντι exprimeret, Latinus lectori supplendum relinquit. Recte igitur Mediceus *propraetore*, nisi quod facilioris intellectus gratia disiuncte *pro praetore* scribendum est; neque opus *propraetori* a Rhenano tacite illato.

vexilla legionum: delectos ex legionibus. Conf. annot. ad I 38.

Rheno devectum: h. e. primum in flumine non diviso, mox per fossam Drusianam. *ad sua tutanda:* qui aliquanto post Tacitum octo Geographiae libros conscripsit, Claudius Ptolemaeus, hinc urbem *Σιατουτάνδα* elicuit (II 11 §. 27), a nostris geographis prope Amisiam flumen collocatam. Errorem insignem sollerter detexit Herm. Müller in libro quem inscripsit *die Marken des Vaterlandes* t. I p. 118.

turbatis et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni legato quintae legionis, quod reliquum auxiliorum, tradit. Atque ille dubia suorum re in anceps tractus, missis nuntiis vim legionum inplorabat. Prorumpunt quintani ante alios, et acri pugna hoste pulso recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. Neque dux Romanus ultum iit, aut corpora humavit, quamquam multi tribunorum praefectorumque et insignes centuriones cecidissent. Mox compertum a transfugis nongentos Romanorum, apud lucum quem Baduhennae vocant, pugna in posterum extracta confectos; et aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

74 Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur. Ita quamquam diversis super rebus consulerentur, aram clementiae, aram amicitiae, effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere; crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent. Non illi tamen in urbem aut propinqua urbi de-

1. *auferaebantur* M. *cethecio* M. 5. *agri* M. *pulsa* M. *faessas* M. 10. *confeltos* M. 11. *stipendiari* M. 15. *internos* M. 19. *praec.* M. 20. *degressi* M, non *digressi*.

alam Canninefatem: de Canninefatibus cf. H. IV 15. *turmae sociales* sunt alae Canninefatis modo memoratae. Nomen *sociales* additum est, quia *turmae* fere vocantur legionarii equites.

tribunorum praefectorumque: tribuni legionibus, seni singulis, praefecti cohortibus sociorum praesunt: v. ad XII 35. *insignes centuriones* sunt primorum ordinum duces. *apud lucum quem Baduhennae vocant:* Baduhenna non deae nomen erat, sed sacri nemoris; cf. I 51*: templum quod Tamfanae vocabant.* Tacitus tamen utrumque nomen tamquam deae silvestris proprium posuit more Romano. *quondam stipendiarii:* est qui olim stipendia in militia Romana meruit.

Cap. 74. *imperii extrema:* breviter dictum pro extremis terris locisque imperii Romani. Statim opponitur pavor civium urbis. *effigiesque circum:* effigies variis locis in urbe ponendas.

crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent: hoc priore anno factum esse post amphitheatri Fidenatis casum, tempora parum diligenter discernendo, Suetonius c. 40 narrat: *Capreas se contulit; praecipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, saepta undique praeruptis immensae altitudinis rupibus et profundo maris. Statimque revocante assidua obtestatione populo, propter cladem qua apud Fidenas supra viginti hominum milia gladiatorio munere amphitheatri ruina perierant,*

gressi sunt: satis visum omittere insulam et in proximo Campaniae aspici. Eo venire patres eques, magna pars plebis, anxii erga Seianum, cuius durior congressus, atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. Satis constabat auctam ei adrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti. Quippe Romae sueti discursus, et magnitudine urbis incertum quod quisque ad negotium pergat: ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec id quoque vetitum. Et revenere in urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat; quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat. Ceterum Tiberius neptem 75
Agrippinam, Germanico ortam, cum coram Gnaeo Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit. In Domitio, super vetustatem generis, propinquum Caesaribus sanguinem delegerat: nam is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat.

5. *illum* M. *propatibulo* M: correxit Beroaldus. 6. *magnitudini* M. 9. *id quoque* Muretus: M *idque*. 11. *infastae* M. 13. *CN*. M. 17. *praeferebat. FINIT LIBER IIII.* || *INCIPIT LIBER V.* M.

transiit in continentem, potestatemque omnibus adeundi sui fecit.

magna pars plebis: illi quibus itineris impensae non deerant, h. e. qui non frumento publico sustentabantur, sed in tribus descripti erant. Conf. annot. ad II. III 58. *cuius durior congressus:* insigni brevitate dixit pro 'qui minus flecti poterat ad congressum concedendum'; *durior* vox, quae de homine dicitur, nunc ad congressum hominis translata est.

campo aut litore iacentes: cf. ad I 60. *id quoque:* in codice *idque*, sed simplex *que* tantummodo in principio sententiae vicem *quoque* particulae sustinere potest, de quo dictum ad IV 21. Praeterea *hodieque* et apud alios scriptores et apud hunc nostrum (G. 3) idem valet atque *hodie quoque*. Sed ultra hos terminos illum coniunctionis *que* usum extendere non licet, neque h. l. neque Agr. 17.

male alacres: scilicet ipsi triennio post ob amicitiam et favorem Seiani morte multati sunt; *male* est *causis non iustis*. Cf. Dio LVIII 5.

Cap. 75. *Cn. Domitio:* idem est quem Suetonius (Ner. 5) *omni parte vitae detestabilem* appellat, pater Neronis imperatoris. Conf. ibid. c. 6 et Octavia (Materni) 248: *Nero, ipse diro Domitio genitus patre*, ubi vulgo sed perinepte *divo*. Post Domitium Agrippina nupsit Crispo Passieno ac tum Claudio principi. Domitio mater erat Antonia, filia Octaviae et M. Antonii, ut Augustus avunculus magnus ei fuerit, non *maior*, ut dicunt nonnulli interpretes; v. ad II 43.

praeferebat: hoc cum aliqua irrisione dictum est atque indicat multum tribuisse Domitium sanguini suo e Caesarum stirpe derivato, hominem nulla alia re insignem; *praeferre* perinde dictum II 53, XIII 3 et 45, XIV 53 et 57, XVI 23 et 32.

LIBER QVINTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—5. Annus 29 a Christo, decimus sextus imperatoris Tiberii, praeruptae iam et urgentis dominationis initium. Livia Augusta vita decedit, eoque Tiberii insolentia, Seiani vis et cupido crescit. Agrippina et Nero principis litteris accusantur, sed atrox patrum sententia fatali quodam motu unius senatoris et favore populi impeditur. Altera igitur Caesaris epistola venit, acrior et repetitis probris in nurum et nepotem, cuncta tamen integra sibi postulantis.

Ceterae huius anni res, item omnes anni 30, etiam pleraeque sequentis (31) a Tacito perscriptae interciderunt. Desideramus igitur quae porro molitus sit Seianus augendae potentiae, quibus artificiis perpulerit Tiberium, ut Agrippinam in insulam Pandatariam relegaret, Neronem in propinqua Pontia clausum interficeret (a. 30), Drusum in ima parte Palatii attineret; non legimus expositum quomodo idem Seianus per intervalla temporis eo processerit ut ipse non solum collega principis in consulatu legeretur et socius imperii haberetur, sed praesens in urbis luce omnia posset, Tiberius autem parvae insulae dominus videretur. Tandem Caesar hominis cupidinem suspectavit, dein Antoniae Germanici matris indicio perspexit, postremum dolo irretitum Macronis ope evertit (a. 31). Seiani a senatu damnati caedem sequitur ingens strages amicorum et propinquorum, exardescit plebis ira, cohortes praetoriae paene in seditionem prolabuntur. Simul flagitia Liviae (Livillae), uxoris Drusi veneno extincti, per Apicatam Seiani coniugem patefacta, et puniti facinoris conscii. In senatu 'quattuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine'. Haec a Tacito tradita casus infelix abolevit. Diligenti et ieiuna scriptura eas res narravit Dio Cassius LVIII 4—16, carptim absolvit Suetonius in Tiberio c. 54 et 64 et 65, cum quibus conferendi quoque Iosephus Ant. XVIII 6 et Iuvenalis X 61—94.

Cap. 6—11. Anni a Christo 31 postrema. Amici nonnulli Seiani postulati, ex quibus unus (nomen in hiatu libri delitescit) magno animo inter amicos gladio incubuit, Publius Vitellius levi ictu venis illato et animi aegritudine in custodia vitam finivit, Pomponius Secundus adversa patienter tolerans Tiberio superstes fuit (6—8). Reliqui Seiani liberi in carcerem tracti et strangulati (9). Falsus Drusus Asiam et Achaiam exterret, diligentia Poppaei Sabini vestigiis eius insecuti praepeditus (10). Fine anni discordia consulum in senatu erumpit (11).

Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus 1
cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae. Primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sextum Pompeium ac triumviros pacta in urbem rediit. Exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus ut ne spatio quidem ad enitendum dato penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac subolem edidit, sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa communes pronepotes habuit. Sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. Funus eius modicum, testamentum diu inritum fuit. Laudata est pro Rostris a Gaio Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est. At Tiberius 2
quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amoenitate vitae, magnitudinem negotiorum per litteras excusavit; honoresque memoriae eius ab senatu large decretos

1. *Ab excessu diui augusti. Rubellio* M. *Fufio* M, non *Fusio. cos.* cum lin. M. 5. *perusinio* M. 6. *Sex.* M. 9. *induxerat* pr M, sed eadem manu correctum. *subolem* M, non Beroaldi *sobolem.* 13. *inp.* M. 15. *accaesare* M.

Cap. 1. *mortem obiit:* octoginta et sex vitae annos Liviae Dio LVIII 2 tribuit, Plinius XIV 8 octoginta duo, si apud hunc numerus LXXXII recte se habet neque antiquitus LXXXu, h. e. LXXXV scriptum fuit. *adoptione Liviorum Iuliorumque:* in Liviorum familiam pater Drusus Claudianus adoptione adscitus erat. Sueton. Tiber. 3: *insertus est* (Tiberius) *et Liviorum familiae, adoptato in eam materno avo:* cf. infra VI 51 et Vell. II 75. *in urbem rediit:* v. Velleius l. c. Sueton. Tiber. 4 et 6. Dio XLVIII 15. Suetonius tamen et Dio ita a Tacito dissentiunt, ut Tiberium Neronem anno ante pacem inter Sextum Pompeium ac triumviros a. 715 pactam ex Sicilia discessisse narrent: v. Drumanni Histor. Rom. tom. I p. 431 annot. 17. *gravidam:* conf. I 10. Cum ad Octaviani penates a. 716 ducta est, intra mensem tertium Drusum peperit fratrem Tiberii: Dio XLVIII 43. Sueton. Aug. 62, Claud. 1. Velleius II 94 et 95.

mater impotens: hoc dubitari nequit, quin *mater impotens* denotari potuerit Livia et tunc cum in matrimonio Augusti erat, et eo tempore cum marito mortuo potestatis imperatoriae partem sibi arrogabat. Si Tacitus prius illud tempus respexit, immodicum Liviae studium notavit, quo omnia perpetravit et ausa est ad principatum filio Tiberio impetrandum (cf. I 10, IV 57), sin principis Tiberii im-

quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, et addito ne caelestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse. Quin et parte eiusdem epistulae increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens. Is gratia Augustae floruerat, aptus adliciendis feminarum animis, dicax idem et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus, quarum apud prae-
3 potentes in longum memoria est. Ceterum ex eo praerupta iam et urgens dominatio. Nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Seianus audebat auctoritati parentis antire. Tunc velut frenis exoluti proruperunt, missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem adlatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus: haud enim multum post mortem eius recitatae sunt. Verba inerant quaesita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium, amores iuvenum et impudicitiam nepoti obiectabat. In nurum ne id quidem confingere ausus, adrogantiam oris et contumacem animum incusavit, magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, quis nulla ex honesto spes (et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur),

5. *allic.* nunc M. 10. *antire* M. 11. *exs.* Or. 12. *allatas* M. 15. *inp.* M. 16. *confringere* M: emendavit Beroaldus.

perium significavit, nimiam matris imperandi libidinem (conf. IV 57) reprehendit. Ego ad Augusti seculum nunc scriptorem animum attendisse ut statuam, verborum consecutione (*mater impotens, uxor facilis*) permoveor. De facilitate Liviae in Augustum maritum videndi Dio l. c, et Sueton. Aug. 71.

bene composita: ut inde par oriretur egregie iunctum. Conf. Lucilius apud Ciceronem de opt. genere orat. 6. Horat. Serm. I 7 19. Gaius Caesar aviam propter astutiam *Ulixem stolatum* nominabat; Sueton. Calig. 23. *diu inritum fuit:* irritum fuit donec Gaius pronepos rerum potiretur: v. Suet. Tiber. 51, Claud. 16. Dio LIX 2.

Cap. 2. *ne caelestis religio decerneretur:* hanc Tiberii iniquitatem quae videbatur secutis temporibus Claudius princeps sustulit et Liviae divinos honores decrevit: Sueton. Claud. 11. Dio LX 5.

Cap. 3. *praerupta iam et urgens dominatio: praeruptum* proprie dicitur quod acutis angulis fastigiisque horret, *urgens* quod aut impetu premit aut pondere et gravitate. Utrumque nomen ad saevam dominationem audacter translatum. *erat adhuc perfugium* (*war noch ein Zufluchtsort vorhanden*): paucis verbis gravis ac vera defunctae mulieris laus continetur.

auctoritati parentis antire: neque *contra ire* neque *obviam ire* ponere voluit: non enim de eo loquitur, Seianum adversus ea quae Augusta suasit pugnare non ausum esse, sed in omnibus rebus gravioribus Augustae auctoritatem suadente ipso Seiano ante exploratam esse,

ut referretur postulavere, promptissimo Cotta Messalino, cum atroci sententia. Sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus, trepidabatur: quippe Tiberius etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat. Fuit in senatu Iunius Rusticus, 4
componendis patrum actis delectus a Caesare, eoque meditationes eius introspicere creditus. Is fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiae dederat) seu prava sollertia, dum imminentium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus, ac monere consules ne relationem inciperent; disserebatque brevibus momentis summa verti posse; quandoque Germanici s * * * initium paenitentiae seni. Simul populus effigies Agrippinae ac Neronis gerens circumsistit curiam, faustisque in Caesarem ominibus falsas litteras et principe invito exitium domui eius intendi clamitat. Ita nihil triste illo die patratum. Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Seianum sententiae, exercentibus plerisque per occultum,

1. *postolavere* M. 2. *maximaeque* M. 5. *conp.* M. *meditationis* M. 9. *consulens* M. 11. *Germanici s * * * initium* editor: M *Germanicis titium.* elapsa sententia (non verba) haec fere fuerit: *quandoque Germanici* stirpem et coniugem mala festinatione eversam fore *initium paenitentiae seni.* *seni* editor: M *senis.* 12. *festisque* M: correxit Ursinus. 13. *omnibus* M.

cum atroci sententia: dum senatus pavet ac silet, neque a consulibus et ipsis trepidantibus de Tiberii litteris ex more et officio refertur, pauci isti publica mala in occasionem gratiae trahentes loco sententiae postulavere, ut consules sua munia obirent, eamque sententiam ita prompserunt, ut satis appareret illos *atrocia* decerni velle.

Cap. 4. *patrum actis:* quo tempore et qua de causa *acta senatus* Iulio Caesare auctore primum confecta et publicata sint, ad libr. III 3 indicatum est. *Diurna* haec acta non erant, quia senatus non quovis die, sed aliquoties quoque mense in curiam conveniebat. Quemadmodum Caesaris interfuerat, ut quae senatus egisset decrevissetque vulgarentur, sic Augustus sua ex utilitate vidit esse, ut haec acta publicae notitiae subtraherentur. Suetonius Aug. 36: *auctor et aliarum rerum senatui fuit; in quis ne acta senatus publicarentur.* Qui actis praeerat senator, non ipse scribendi operam executus est, sed ad manum erant qui modo *scribae* modo *censuales* modo *actuarii* vocantur. Conf. Lipsii ad h. l. Excursus.

brevibus momentis summa verti posse: si prima ac non translata nominis *momenti* significatio admissa esset, scribendum erat *levibus*, ut recte observavit Ernestius: nam momentum illud est quod unam trutinae in aequilibrio positae lancem prae altera deprimit. Sed vocabulum ubi ad tempus transfertur, temporis vices priorem statum mutantes designat. Ceterum non placuit cum Walthero Orellioque post *verti* sententiam concludere: nam primum non semper

atque eo procacius, libidinem ingeniorum. Unde illi ira violentior et materies criminandi: spretum dolorem principis ab senatu, desciyisse populum; audiri iam et legi novas contiones, nova patrum consulta; quid reliquum nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent?
5 Igitur Caesar repetitis adversum nepotem et nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres quod fraude unius senatoris imperatoria maiestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta postulavit. Nec ultra deliberatum quo minus non quidem extrema decernerent (id enim vetitum), sed paratos ad ultionem vi principis impediri testarentur.

6 Quattuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine . . .

'Mihi pudorem aut Seiano invidiam adlaturum censui.

1. *procatius* M. 2. *crimandi* M. 7. *quaestus* M. 8. *aput* M. 13. post v. *testarentur* trium quattuorve litterarum spatium vacuum est in M, novo versu incipiente a v. *Quattuor*. 15. *allat.* Or.

sed raro brevibus momentis summa vertuntur, tum vero vox *summa* haud dubie obscure significat Seiani potentiam aversantis Germanici domum, de qua *posse verti* recte dicitur, non item *verti*.

quandoque — seni: causa huius loci nondum sanati neque unquam penitus sanandi haec est, quod non unum alterumve vocabulum excidit, sed totus versus. Rhenanus edidit *dandumque interstitium poenitentiae senis*; Ernestius coniecit *dandumque in Germanicis spatium paenitentiae seni*, Seyffertus *quandoque a Germanicis initium poenitentiae seni*, Bezzenberger *quandoque e Germanicis exitium poenitentiae seris*. Ego in notis criticis indicavi, quomodo verba elapsa probabiliter suppleri possint.

Cap. 6. *super ea re*: dicit Drusum, filium imperatoris Tiberii, opera Liviae coniugis et scelere Seiani sublatum, non coniurationem Seiani a Satrio Secundo proditam (VI 47): orationes enim senatorum de coniuratione illa habitas *metus* potius quam *adsuetudo* expressit. De ingenti hiatu Annalium in *Breviario* dictum.

ob metum paucae: senatorum nobilissimi non tam sui purgandi causa de facinore Liviae Seianique verba fecerunt (hoc enim flagitium ad ipsos non pertinere satis liquebat), quam quod more traditum erat, ut viri insignes de rebus gravioribes promerent quae sentirent. Versamur in exitu anni 31 (= 784): consules suffecti tum erant Fulcinius Trio et Memmius Regulus.

mihi pudorem: raro fortunae ludibrio post ingentem lacunam duo versiculi *quattuor — adsuetudine* conservati sunt. Iam enim nova ruina multa traxit. Nam ex curia repente in domum privati hominis translati sumus, legimusque fragmentum orationis cuiusdam viri nobilis ob amicitiam Seiani accusati, qui deserta defensione cum amicis postremum locutus damnationem voluntario obitu praevertit. *generum:* v. ad VI 8.

Versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum
adsciverat, sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere,
cum scelere insectantur. Miserius sit ob amicitiam accusari
an amicum accusare, haud discreverim. Non crudelitatem,
non clementiam cuiusquam experiar, sed liber et mihi ipsi
probatus antibo periculum. Vos obtestor ne memoriam nostri
per maerorem quam laeti retineatis, adiciendo me quoque iis
qui fine egregio publica mala effugerunt.' Tunc singulos, ut 7
cuique adsistere adloqui animus erat, retinens aut dimittens,
partem diei absumpsit, multoque adhuc coetu, et cunctis in-
trepidum vultum eius spectantibus, cum superesse tempus
novissimis crederent, gladio quem sinu abdiderat incubuit.
Neque Caesar ullis criminibus aut probris defunctum inse-
ctatus est, cum in Blaesum multa foedaque incusavisset.
Relatum inde de Publio Vitellio et Pomponio Secundo. Illum 8
indices arguebant claustra aerarii, cui praefectus erat, et
militarem pecuniam rebus novis obtulisse; huic a Considio

3. *insectanter* M. 6. *antibo* M, non *anteibo*. 7. *merorem* M.
10. *adsumpsit* M: correxit Beroaldus. 14. *blesum* M. 15. *P.* M.

Cap. 7. *adsistere adloqui: adsistere* ut exciperent extremas voces eius, *adloqui* ut ipsi verba et solatia ad illum dirigerent. *Blaesum:* est Iunius Blaesus, quem Tiberius ut avunculum Seiani ad summa provexerat (III 35 et 58 et 72—74), sub finem Augusti et initium principatus Tiberii Pannoniae legionibus impositus (I 16 sqq.), post eversum Seianum in primis occisus.

Cap. 8. *P. Vitellio:* Sueton. Vitell. 2: *Publius, Germanici comes, — post praeturae honorem inter Seiani conscios adreptus et in custodiam fratri datus scalpro librario venas sibi incidit, nec tam mortis paenitentia quam suorum obtestatione obligari curarique se passus in eadem custodia morbo periit.*

Aelii Galli: an sit illustris ille iuris consultus, sub Augusto praefectus Aegypti, qui scripsit de significatione verborum quae ad ius civile pertinent, a Festo, Gellio XVI 5, Macrobio (VI 8) laudatus, admodum incertum est. *spem ac metum iuxta gravatus:* gravari (aegre ferre) accusativo iunctum etiam III 59, apud Suetonium Tiber. 50, Ner. 34, Vitell. 12, Aug. 72. Ascitum id est ex sermone poetarum.

Pomponius — Tiberio superstes fuit: vivo Tiberio ob amicitiam Seiani (VI 18) periclitatus septem per annos (31—37), demum a Gaio Caesare metu et custodia liberatus est (Dio LIX 6); mox cum ille interfectus est a. 41, consul suffectus (Dio LIX 29), etiam ad Claudii principatum et ultra vitam produxit. *Ingenium inlustre* Tacitus posuit ob tragicae artis facultatem. Cf. XI 13: *carmina scenae dabat.* XII 28: *decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit.* O. 13: *ne*

praetura functo obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset. Neque aliud periclitantibus auxilii quam in fratrum constantia fuit, qui vades extitere. Mox crebris prolationibus, spem ac metum iuxta gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro levem ictum venis intulit, vitamque aegritudine animi finivit. At Pomponius multa morum elegantia et ingenio inlustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit.

9 Placitum posthac ut in reliquos Seiani liberos adverteretur, vanescente quamquam plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intellegens, puella adeo nescia ut crebro interrogaret quod ob delictum, et quo traheretur; neque facturam ultra, et posse se puerili verbere moneri. Tradunt temporis eius auctores, quia triumvirali supplicio adfici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum iuxta compressam; exin oblisis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abiecta.

1. *uelii* M: correxit Lipsius. 3. *perfuguisset* M. 4. *exstit.* Or. 14. *puerilimo* (in fine versus) M. *monerit* M. 17. *conp.* M. *exim* M.

nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio — cesserit. Perinde ac Tacitus carminum eius gloriam celebrat Quintilianus VIII 3 31, X I 98: *eorum quos viderim longe princeps Pomponius Secundus, quem senes quidem parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.* Conf. Plinius N. H. VII 18, XIII 26, XIV 6. Plinius iunior Epist. VII 17. Idem III 5 duos avunculi sui libros de vita Pomponii Secundi recenset. Si Dio LIX 6 vere scripsit *ἕπτα ὅλοις ἔτεσιν ἐν τῷ οἰκήματι μεθ' ὑπατείαν κακωθείς*, Pomponius etiam a. 31 (784) in consulibus suffectis fuit. Praenomen viri *Publius* fuit: de quo dictum ad XI 13.

Cap. 9. *in reliquos Seiani liberos:* Seiano tres cum Apicata liberi: IV 3. Ex his filius et virgo superstites; tertius aliquis filius et natu maximus statim cum in Seianum animadvertebatur, videtur occisus esse.

temporis eius auctores: Graece convertas *ἐκείνης ἡλικίας συγγραφεῖς*, non *οἱ ἐκείνης ἡλ. σ.* Caute hic noster parum probabilia ad eos auctores refert qui recenti odio Tiberii res narraverunt: minus prudentes fuere Suetonius in Tiberio 61 et Dio Cassius LVIII 11. Operae pretium est claro sub exemplo discere, quomodo Suetonius res Caesarum in maius augere aliquando inclinaverit, siquidem l. c. scribit: *immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae.* Nimirum quod semel factum esse nonnulli auctores rettulerant, id ille, tamquam saepe et more solito institutum sit, proposuit, nullo fingendi amore, sed quia singularia tamquam generalia tradidit.

Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt acri 10
magis quam diuturno rumore, Drusum Germanici filium apud Cycladas insulas, mox in continenti visum. Et erat iuvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut adgnitus, per dolumque comitantibus. Adliciebantur ignari fama nominis, et promptis Graecorum animis ad nova et mira: quippe elapsum custodiae pergere ad paternos exercitus, Aegyptum aut Syriam invasurum fingebant simul credebantque. Iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur, laetus praesentibus et inanium spe, cum auditum id Poppaeo Sabino. Is Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat. Igitur quo vera seu falsa antiret, Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam Aegaei maris insulam et Piraeeum Atticae orae, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit; marique alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus, ibi demum cognoscit sollertius interrogatum quisnam foret, dixisse Marco Silano genitum, et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem tamquam Italiam peteret. Scripsitque haec Tiberio, neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus.

4. *ispari* M. *agn.* Or. 5. *dolum qui* M. *allic.* M. 7. *lapsum* M: correxit Rhenanus et Lipsius. 10. *pompeio* M: tacite correxit Rhenanus ex 1 80, 4 46. 12. *toroneum termeumque* M. 14. *Piraeeum* Beroaldus: M *piraeum*. *chorintiense* M. 17. *M.* M. 18. *delapsis* M. *ascend.* M, non *adscend.*

Cap. 10. *rumore:* fama ferebat Drusum elapsum esse ex ima parte Palatii, ubi tunc custodiebatur: Sueton. Tiber. 54. Tacit. VI 23. *per dolumque*: h. e. *dolo malo:* quippe ipsi sciebant falsum esse Drusum, sed rerum novarum studio iuvenem comitabantur. *ad paternos exercitus:* exercitus quibus pater eius Germanicus olim praefuisset et favore sui ita imbuisset, ut filium promptis animis excepturi sint.

frequentabatur: h. e. frequenti hominum copia celebrabatur; cf. ad II 40: *Publica studia* sunt studia populorum (*Gemeinden*) in nonnullis Achaiae et Asiae oppidis.

is Macedoniae cet.: vid. dicta ad I 76 et 80; cf. Dio LVIII 25. *quo vera seu falsa:* ante vera *sive* a scribente omissum, ut II 23 *visa sive ex metu credita.* Moneo ne quis ante *vera* interponere *sive* animum inducat. Ex subsequente narratione lector intelligere poterit, quam apte Tacitus de Sabino VI 39 dixerit *par negotiis neque supra erat.* *neque nos:* 'at repperernut Zonaras XI 3 et Dio LVIII 25, qui missum eum ad Tiberium tradiderunt, Caligulae nuptias Antii celebrantem'. Lipsius.

11 Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit. Nam Trio, facilis capessendis inimicitiis et foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat. Ille, nisi lacesseretur, modestiae retinens, non modo rettudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat. Multisque patrum orantibus ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

7. *permitiem* M. 8. sine novi libri indicio *abirent. C. N. domitius et camillus* M.

Cap. 11. *consulum:* Fulcinius Trio ex kalendis Iuliis, Memmius Regulus ex kal. Octobribus ad magistratum accesserant suffecti. Conf. Dio LVIII 9: *καὶ ὃς* (Macro Seianum mandante Tiberio eversurus) *νύκτωρ ἐς τὴν Ῥώμην ὡς καὶ κατ' ἄλλο τι ἐλθών, τά τε ἐπεσταλμένα οἱ Μεμμίῳ τε Ῥηγούλῳ τότε ὑπατεύοντι (ὁ γὰρ συνάρχων αὐτοῦ τὰ τοῦ Σηϊανοῦ ἐφρόνει) καὶ Γραικίνῳ Λάκωνι — ἐπεκοίνωσεν.* Inde clarum, cur Regulus collegam suum non solum retundere sed ultro incessere posset. *ad disquisitionem trahebat:* v. ad II 34.

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—14. Annus tricesimus secundus a Christo, Tiberii imperatoris undevicesimus, nullis rebus externis insignis, domesticis dedecoribus et caedibus refertus. Foedae novaeque Caesaris libidines, reperta vocabula sellariorum et spintriarum (1). Patrum adulationes mitigando pavori et principis respondentis litterae (2—3). Plures iterum accusati, inter eos Marcus Terentius, cuius libera defensio et ipsum et alios ob amicitiam Seiani timentes erexit servavitque (4—8). Aliis tamen de causis novae accusationes et caedes tam in urbe quam apud principem (9—10). Lucius Piso praefectus urbi moritur et publico funere effertur; per eam occasionem de origine et progressu huius praefecturae (10—11). De Sibullae libro quodam deliberatio senatus principi haud probata; liber ille notioni quindecimvirum subiectus est (12). Ob gravitatem annonae prope seditionem ventum, mox tumultuosa plebis efflagitatio publica auctoritate composita (13). Fine anni rursum caedes crimine coniurationis cum Seiano factae.

Cap. 15—27. Annus a Christo tricesimus tertius, Tiberii principis vicesimus, multis luctibus funestus, foris pace continua. Germanici duo filiae nuptum datae, Marco Vinicio Iulia, Lucio Cassio Drusilla. Senatus a principe ludibrio habitus (15). Qui pecunias fenore auctitabant in periculum adducti; malo fenebri frustra obviam itum tam apud maiores quam his temporibus; liberalitate Caesaris hi metus repressi et refecta fides (16—17). Sed redeunt accusationes maiestatis, atque uno edicto omnes ob conscientiam facinoris Seiani in carcere custoditi necantur; humanae sortis commercium vi metus sublatum (18—19). Gaius Caesar, post Neronem occisum et Drusum morti reservatum unus ex Germanici filiis integro statu reliquus, Claudiam Marci Silani filiam coniugio accipit, immanem animum subdola modestia tegit. Tiberii de Galba praesagium; quo magistro artem Chaldaeorum didicerit Tiberius, item nonnulla de illorum scientia (20—22). Asinius Gallus egestate cibi peremptus, Drusi miseranda mors, Agrippinae finis, Tiberii saevitia et immanitas nullis velamentis tecta (23—25). Nerva iureconsultus moriendi consilium capit et quamvis dissuadente principe exequitur. Agrippinae pernicies Plancinam traxit (26). Pars publici maeroris quod Iulia, quondam uxor Neronis, in domum Rubellii Blandi denupsit. Fine anni moriuntur viri illustres, Aelius Lamia, Pomponius Flaccus, Marcus Lepidus (27).

Cap. 28—30. Annus a Chr. tricesimus quartus, imperatoris Tiberii vicesimus primus, naturae miraculo insignitus, caedibus in urbe continuis. Phoenix avis in Aegyptum venit; super eo miraculo veterum narrationes et persuasio (28). Romae accusationes et mortes; Lentulus tamen Gaetulicus, superioris Germaniae pro praetore, rara libertate et audacia tempestiva dicitur effugisse exitium, intelligitque Tiberius magis fama quam vi stare res suas (29—30).

Cap. 31—39. Annus a Chr. tricesimus quintus, rebus in Oriente prospere administratis insignis, domi caedibus pro more perpetratis. Nobiles Parthi Artabani superbiam exosi Romam veniunt regemque poscunt Phraaten, Phraatis olim regis filium, et accipiunt; is in Syria morbo extinctus. Iam Tiridaten nepotem regis Phraatis Caesar mittit aemulum Artabano, ac reciperandae Armeniae Hiberum Mithridaten deligit. Lucius Vitellius, tunc Syriae pro praetore, his rebus agendis praefectus prisca virtute agit, quamvis imperante Gaio Claudioque in foedum servitium mutatus (31—32). Ex regulis prior Mithridates Armenia potitur (33—35). Artabanus tota mole regni ultum iit, sed frustra, ac struente Vitellio res eius adeo versae, ut in longinqua Scythiae aufugerit (36). Tiridates in regnum Parthorum a Vitellio deducitur (37). In urbe virorum illustrium damnationes et caedes. Fine anni Poppaeus Sabinus fato concessit (38—39).

Cap. 40—45. Annus a Chr. tricesimus sextus, imperatoris Tiberii vicesimus tertius, caedibus domesticis et incendio tristis, in Oriente pace modice lacessita. Vibuleni Agrippae accusatio et finis atrox. Gaius

Galba et duo Blaesi sponte cadunt, Caesaris contumeliam signum mortis intelligentes, item Aemilia Lepida (40). Clitae Cilices in regulum Archelaum rebelles et repressi vi Romana. Tiridates in regnum Parthorum acceptus et insigni regio evinctus est: sed proceres Parthorum ad Artabanum profugum tendunt eumque reducunt, fugiente Tiridate et regrediente in Syriam (41—44). Eodem anno deustus Aventinus et pars Circi: id damnum suo aere Tiberius levavit (45).

Cap. 45—51. Imperatoris Tiberii menses postremi tres. De successore deliberatio et dubitatio principis, consilium cui impar fato permittentis. Gai Caesaris ingenium, Macronis potentia. Tiberius providus futurorum et infelix (45—46). In urbe semina iaciuntur etiam post Tiberium caedibus. Viri nobiles periclitati, in his Arruntius, qui capto moriendi consilio dissuadentibus amicis instantia mala vatis in modum praedixit (47—48). Papinius iacto in praeceps corpore decedit, mater in exilium pellitur (49). Tiberium corpus et vires, nondum dissimulatio deserit. Charicles medicus finem eius intelligit, Tiberius celat; qui ultra solitum in epulis discumbens septimumdecimum kal. Apriles creditus est expirasse; mox reviviscens Macronis iussu veste iniecta oppressus est (50). Origo eius et mores variis temporibus varii (51).

1 Gnaeus Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant, cum Caesar, tramisso quod Capreas et Surrentum

1. *C. N.* M, non *Gnaeus*.

Cap. 1. *Gnaeus Domitius et Camillus Scribonianus:* novi anni res hinc inchoari atque hos consules esse ordinarios et per se manifestum est et verbis c. 2 *novi anni principio* confirmatur. Verum non modo novus annus sed etiam libri novi principium hic orditur. Id primus intellexit Lipsius, his usus verbis: 'initium sexti libri arbitrario hic iure constitui, non certo. Cui enim probes tantam vim rerum quantam dixi, trienniique gesta uno libro cum sequentibus inclusa fuisse? Secrevi igitur, non quia liqueret mihi initium in his demum verbis faciundum, sed quia magnitudinem resque gestas aestimanti ita videbatur'. Mihi vero id quoque liquet quod Lipsio erat ambiguum, initium novi libri in his verbis faciendum esse. Nam per annum proxime praegressum (a Chr. 31) Tacitus executus est consulatum a Tiberio et Seiano initum et post paucos menses positum, mox poenam Seiani et amicorum a principe caute praeparatam ac repente sumptam, dein patefacta Liviae flagitia et punita. Quae omnia eodem anno gesta et inter se connexa in duos libros separari non poterant. Iam si res illius anni quinto libro assignantur, is triennii narrationem complexus est, et quidem biennium (29—30 a Chr.) rebus gestis non magnopere abundans, tertium vero annum casibus et summae rei discrimine plenum, ut iusti libri ambitus efficeretur: sed si eundem annum ad sextum librum transtulerimus, quintus duorum annorum facta amplexus exibit curtus et exilis, sextus per septem annos decurrens spissus erit et varietate rerum nimius.

interluit freto, Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans. Et saepe in propinqua degressus, aditis iuxta Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit, pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. Nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia. Praepositique servi, qui conquirerent pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes, et si retinuerant propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.

At Romae principio anni, quasi recens cognitis Liviae 2
flagitiis ac non pridem etiam punitis, atroces sententiae dicebantur, in effigies quoque ac memoriam eius, et bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur, tamquam referret.

3. *degresus* M. 7. *set* M. 10. *p. sintriarum* M: correxit Beroaldus ex Suet. Tib. 43. *pacientia* M. 11. *qui conquirerent* editor: M *quirerent*, Beroaldus *qui quaererent*. 12. *retinuerant* editor: M *retinuerent*, Beroaldo auctore vulgo *retinerent*. 15. *sentiae* M. 16. *infigies* M. 17. *tam referret* M: correxit Lipsius.

interluit: est vox Virgilii Aen. III 419, VII 717 pro solita et vulgari *interfluit*. *iuxta Tiberim hortis:* conf. Sueton. Tib. 72, Dio LVIII 21, annot. ad II 41 et XII 56.

more regio: reges Tacitus cogitavit dominos legibus solutos, moribus lascivos, immani animo, quales Oriens multos aluit toleravitque. Cf. IV 35: *externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt.* VI 42: *paucorum dominatio regiae libidini propior est.* XV 1: *de alienis certare regiam laudem esse.* XVI 23: *ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret.* H. II 70: *nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosisque constraverant, extructis altaribus caesisque victimis regium in morem.* H. IV 83: *Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum appetens.* H. V 8: *qui fugas civium, urbium eversiones, fratrum coniugum parentum neces aliaque solita regibus ausi superstitionem fovebant.* G. 44: *enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.*

ex foeditate loci et multiplici patientia: locus iste arcanarum libidinum *sellaria* appellata est, qui ibi erant *sellarii:* spintriae (spinam terentes?) se invicem incestavere, *monstrosi concubitus repertores* nominati a Suetonio Tib. 43. Is solita sibi diligentia haec persecutus est, cumque conferre operae pretium, ut appareat quid intersit inter *rerum scriptorem*, ex infandis pauca ac summa ad absolvendam

Scipiones haec et Silani et Cassii, isdem ferme aut paulum immutatis verbis, adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent. Crediderat nimirum epistulae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis urbem peteret. Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benivolentiae patrum: sed quos omitti posse, quos deligi? Semperne eosdem an subinde alios? Et honoribus perfunctos an iuvenes, privatos an e magistratibus? Quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios? Neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret. Haec adversus Togonium, verbis moderans;
3 neque ultra abolitionem sententiae suadere. At Iunium Gallionem, qui censuerat ut praetoriani actis stipendiis ius api-

10. *delegi* M. 11. *alio sed hon.* M. 14. *urbis* M. 15. *suaderet* M: correxit Beroaldus. 16. *stipendii* M.

detestandi tyranni imaginem pudice et sancte referentem, et *hominem litteratum*, vel sordida et pudenda male sedulo congerentem. Nomen *spintriae* etiam apud Suetonium l. c. et Vitellio 3.

qui conquirerent: qui scripsit librum Mediceum, is oculis ab priore *qui* aberrans ad alterum, dedit *quirerent.* Suetonius apud Tacitum suum legit, opinor, *conquirerent*, cum de eadem re scripsit Tib. 43: *sellariam excogitavit, — in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges.* Cf. annot. ad I 5. *inquirerent* a Doederlinio commendatum, ab Orellio receptum minus aptum est.

Cap. 2. *tamquam referret:* cum Tiberii in omnibus rebus summum esset arbitrium et libera dominatio, nihil referebat utrum pecuniae in populi aerario an in fisco Caesaris custodirentur. *Togonius Gallus:* parum accurate Dio LVIII 17 narrat decreto senatus sancitum esse id, quod unus et ignobilis senator sententiae loco protulit.

crediderat nimirum epistulae: scribit *crediderat*, quia haec epistola anno superiore (31) Capreis Romam missa erat, respiciens rem a se in praegressa annali historia, nobis maximam partem perdita, relatam. Alter ex consulibus quem subsidio sibi mitti tunc poposcerat, cum Seianum perculit, erat Memmius Regulus, cuius collegae Fulcinio Trioni, tamquam Seiani amico et satelliti, non fidebat princeps. Conf. Dio LVIII 10. Suetonius Tib. 65. Iuvenalis X 71: *verbosa et grandis epistola venit a Capreis.* Orellius cur ad iteratam eandem postulationem senatui propositam hoc referre malit, iusta causa non adest. Recte accepit Doederlinius.

neque ultra abolitionem sententiae suadere: nihil suasit nisi ut Togonii sententia tolleretur ex actis senatus.

scerentur in quattuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit, velut coram rogitans quid illi cum militibus, quos neque dicta neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset. Repperisse prorsus quod divus Augustus non providerit. An potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret. Hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus, et quia incusabatur facile toleraturus exilium delecta Lesbo, insula nobili et amoena, retrahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum. Isdem litteris Caesar Sextium Paconianum praetorium perculit, magno patrum gaudio, audacem maleficum, omnium secreta rimantem, delectumque a Seiano cuius ope dolus Gaio Caesari pararetur. Quod postquam patefactum,

3. *dicta* editor: M et vulgo *dicta imperatoris.* 7. *praecium* M. *meditate* M. 11. *extium pagonianum* M, *Sestium Pagonianum* Beroaldus: correxit Lipsius ex c. 39. 13. *a* Beroaldus: M *ad.* 14. *C.* M.

Cap. 3. *in quattuordecim ordinibus sedendi:* quem honorem Roscius Otho plebei tribunus lege *Roscia* tribuerat equitibus a. 687, ut in quattuordecim ordinibus theatri, post orchestram a senatoribus occupatam proximis, a cetera cavea discreti ludos scenicos spectarent, eundem Gallio praetorianis post acta stipendia concedi voluerat.

neque dicta neque praemia nisi ab imperatore: imperator h. l. manifeste Caesar est sive princeps. Itaque vox *imperatoris* etiam post *dicta* in codice posita plane supervacanea est et sensu destituta, praesertim cum dux praetorianorum nunquam *imperator*, sed constanter *praefectus* vocetur. Ceterum ad delendum nomen importunum iam inclinavit Lipsius assentiente Grotio; ortum id est ex glossa marginali.

hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit: cf. Dio LVIII 18. Iunius autem Gallio non est frater Senecae, de quo hic noster XV 73 et Acta apostol. XVIII 12—17. Huic enim tunc nomen erat *M. Annaeus Novatus*, et *Novatum* alloquitur fratrem suum Seneca in libris de Ira post Gaium Caesarem interemptum compositis (I 16 sub fin., III 18—20), idem *Gallionem* in libro de Vita beata, in Epistol. 104, Natural. quaest. IV praef. et V 11, quae opera senex scripsit. Itaque Novatus demum Claudio principe a Iunio Gallione (isque non alius ab hoc de quo Tacitus videtur fuisse) adoptatus est. Fratrem suum adulationis osorem esse Seneca praedicat N. Q. IV praef.

ni professus indicium foret (*wenn er nicht eine Anzeige zu machen versprochen hätte*): nimirum qua ratione et quibus adiutoribus dolum paraverit C. Caesari, se proditurum professus est, ac continuo nominavit Latinium Latiarem. VI 7: *sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere.*

Cap. 4. *Latinium Latiarem ingressus est:* cum Paconianus Latiarem nominavit, hunc in senatu adiit; id sibi vult *ingressus est.* Theodisce: *da er seine Richtung auf Latiaris nahm. accusator ac reus — gratissimum spectaculum.*

prorupere concepta pridem odia; et summum supplicium de-
4 cernebatur, ni professus indicium foret. Ut vero Latinium Latiarem ingressus est, accusator ac reus iuxta invisi gratissimum spectaculum praebebant. Latiaris, ut rettuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit. Inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent: metum prorsus et noxam conscientiae pro foedere haberi; at non patribus reticenda quae audivissent. Regulus manere tempus ultionis, seque coram principe executurum; Trio aemulationem inter collegas, et si qua discordes iecissent, melius oblitterari respondit. Urgente Agrippa Sanquinius Maximus, e consularibus, oravit senatum ne curas imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis.

1. *peridem* (per notam) M. 2. *Latinium*] *lucanium* M: correxit Beroaldus (ex 4 68). 3. *accussator* M. *ac reus*] *acrius* M: correxit Lipsius. 4. *praebebant* Muretus: M *praebebantur*. 5. *titii is abini* M. 6. *interque H.* M. 8. *noxam* tacite Rhenanus: M *noxiam*. 9. *redicenda* M. 10. *exsec.* Or. 11. *obliterari* M. 13. *necuras necuras* M.

praebebant: praebebant id spectaculum ceteris patribus, cum ipsi sese invicem lacessentes indiciis illigarent, non *praebebantur*, cum ceteri tantummodo aures suas oculosque pascerent. *praebebantur*, ut est in M, Orellius explicat *se praebebant*, sed Latinitas adversatur. Doederlinius sic accepit, 'praebebantur quasi a diis et Nemeseos beneficio,' verum is Tacitum obscure loquentem facit. *praebebantur* ex *praebebant* ortum eo, quod cauda quaedam ultimae litterae in codice archetypo forte adhaeserat aut adhaerere librario codicis Medicei visa est.

ut rettuli: IV 68—69. *metum prorsus et noxam conscientiae pro foedere haberi:* Reguli dicit metum, ne segnitia ad opprimendos Seiani ministros sibi a Trione obiecta (V 11) ab adversario approbaretur patribus, *noxam conscientiae* sive noxiam conscientiam (*böses Gewissen*) Trionis, qui Seiani fautor habebatur. Halmius interpretationem verborum a me olim tentatam, qua *conscientiae pro foedere* iunguntur, recte improbans *conscientiam* accepit pro *conscientia coniurationis Seiani*, quod fieri nequit. Hoc dicit Haterius, Trionem noxium esse, Regulum innocentia sua non satis confidere. Ceterum cum apud Tacitum forma *noxia* alibi non inveniatur, sed *noxa* et pro *damno* et pro *culpa* constanter scribatur (II 6, III 73, IV 36. H. II 49: *quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum*), rursus autem hoc uno loco ex subsequente *conscientiae* nomine assimilandi consuetudine *i* voci noxae inferri perfacile posset, *noxam* dedi duce Rhenano pro *noxia*. Omnino *noxia* frequens quidem est apud poetas scenicos, idonea versibus eorum, apud pedestris orationis scriptores raro invenitur. Quod narrant nonnulli de discrimine significationis *noxae* et *noxiae*, haud verum est; formae discrimen est, non significationis.

Sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quaesita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, et ob segnitiam quamvis crudelem principem non metuens, inlustribus viris perniciem inter ganeam ac stupra meditabatur.

Exin Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque sententiae 5 auctor eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: Gaium Caesarem quasi incertae virilitatis, et cum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, novendialem eam cenam dixisse; querensque de potentia Marci Lepidi ac Lucii Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse: 'illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.' Neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur, iisque instantibus ad imperatorem provocavit. Nec multo post litterae adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur postulavit. Insigne visum est earum Caesaris litterarum ini- 6 tium; nam his verbis exorsus est: 'quid scribam vobis, patres

4. *permitiem* M. 5. *exim* M. 7. *C.* M. *incertae* Freinshemius: M *incerta*, Beroaldus *incesta*, inde Rhenanus *incestae*. 9. *quaerensque* M. *M.* M. 10. *L.* M. 12. *neque cuncta* M: Beroaldus *neque cunctatus*, Pichena *eaque cuncta*. 15. *amicitia* M. 19. *P. C.* M.

dilatio exitii: usque ad a 35: v. VI 38.

Cap. 5. *Gaium Caesarem quasi incertae virilitatis — dixisse:* nomen ipsum a Cotta Gaio Caesari additum omisit, ne humilia foedave admisceret. Freinshemius *Caiam Caesarem* coniecit, sed contra nititur verborum collocatio. Ipsum nomen illud per verba *quasi incertae virilitatis* significatum est. Sic VI 31 vulgare *eunuchi* nomen compensatur vocibus *ademptae virilitatis. Incesta* autem virilitas nulla est, quamvis ad patrandum incestum abuti aliquis virilitate possit.

novendialem eam cenam dixisse: novendialis cena est feralis nono post mortem die in honorem mortui celebrari solita. Donatus, a Lipsio commemoratus, ad Terentii Phorm. I 1 6: *in nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Alia attulit Lipsius. Cotta his verbis professus erat se Augustam pro *diva* non habere, immo eius memoriam non aliis celebrari honoribus, quam qui ceteris hominibus tribuantur. Conf. XVI 22: *eiusdem animi est Poppaeam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iulii non iurare.* Liviae natalem incidisse a. d. IV kalendas Octobres acute repperit Letronnius Recueil des inscr. vol. I p. 85.

conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant quam perire me cotidie sentio, si scio.' Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita saevitia libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fate-
7 retur. Tum facta patribus potestate statuendi de Caeciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, placitum eandem poenam inrogari quam in Aruseium et Sanquinium, accusatores Lucii Arruntii; quo non aliud honorificentius Cottae evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur.

Quintus Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti, Servaeus praetura functus et quondam Germanici comes,

1. *quando* M: correxit Beroaldus (ex Suet. Tib. 67). 2. *dimide aequae* M: correxit Beroaldus. 3. *cotidie* M, non *quotidie*. 5. *tir.* M. 7. *sevitia* M. 9. *quiin* M. 10. *caesiliano* M. 12. *sangunnium* M: correxit Beroaldus. 13. *L.* M. 14. *set* M. 15. *ultioni sequebatur* M: correxit Beroaldus. 17. *Q.* M.

Cap. 6. *quid scribam — si scio:* eadem verba, admissa tamen varietate *quam quotidie perire sentio*, Suetonius in vitam Tiberii (67) recepit; cf. ad I 5.

si recludantur tyrannorum mentes — animus dilaceretur: respexit Socratis dictum de mente tyranni apud Platonem Civitate IX p. 579 E (non Gorgiae Platonici locum de nudatis maleficorum apud inferos animis p. 524 E): *καὶ τὰς ἐπιθυμίας οὐδ' ὁπωστιοῦν ἀποπιμπλάς, ἀλλὰ πλείστων ἐπιδεέστατος καὶ πένης τῇ ἀληθείᾳ φαίνεται, ἐάν τις ὅλην ψυχὴν ἐπίστηται θεάσασθαι* (*si recludantur tyrannorum mentes*), *καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου, σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν* (hi sunt *laniatus* et *ictus*) *πλήρης*. Socrates *praestantissimus sapientiae* appellatur ob illud oraculum Apollinis Delphici:

σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Conf. Schol. Aristophan. Ran. 144, Diogenes II §. 37, Platonis Apolog. Socratis p. 21, Xenoph. Apolog. Socr. §. 14, Cicero Catone c. 21.

saevitia libidine, malis consultis: sic distinguendum; v. ad XI 6.

Cap. 7. *eandem poenam:* exilio multatus est, ut videtur. Accusationis Arruntii relatio intercidit cum maiore parte libri quinti. *Sanctissimae artes* Arruntii fuerunt iuris prudentia et eloquentia nullo lucri studio et sancte exercitae; cf. XI 6 et 7.

Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia; unde illis maior miseratio. Contra Tiberius praecipuos ad scelera increpans, admonuit Gaium Cestium patrem dicere senatui quae sibi scripsisset; suscepitque Cestius accusationem. Quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum; neque discerneres alienos a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valitudine et contactu. Sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere. Tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus e Santonis Gallica civitate, Seius Quadratus: originem non repperi. Neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas, dum copia fatiscunt aut, quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos adficerent verentur. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

3. *C.* M. *Cestium* M, non *Caestium.* 8. *proinde* per notam M. 12. *serveus* M. *tractatique* M: emendavit Beroaldus. 16. *autque* M. *mesta* M. 17. *laect.* M.

C. Cestium patrem: idem est qui III 36 *senatoris* nomine memoratur, quique a. 35 consulatum adeptus est (VI 31). *Patris* nomine etiam a Seneca Contr. 14 med. nominatur: *Cestius pater, patris aiebat simulationem luxuriae significandam magis quam profitendam.* Eius filius, opinor, fuit is qui *Cestius Pius* a Seneca saepe vocatur et laudatur, veluti Controv. 1. 3. 5. 14 cet. Gaium Cestium Tacitus *senatorem* nunc nominare nequit. Nam qui a. 21 in modicis senatoribus erat, sed a. 35 ad consulatum pervenit, is ante a. 32, in cuius rebus iam versamur, praetura aut alio honore functus est et iam *primoribus* civitatis adnumeratur. Itaque non solum in linguae usum sed etiam in historiam peccant qui *patrem* pro *senatore* dictum esse opinantur.

exitiabile: ut IV 34 *perniciabile* pro *pernicioso* posuit, sic nunc *exitiabile* pro *exitioso.* VI 24: *exitiabilem in suos.* XVI 5: *morbo exitiabili correptos.* *Exitiabilis* etiam apud alios scriptores, *perniciabilis* praeter Tacitum habet aequalis aetate paulo maior, Curtius VII 3 13: *rigor nivis — plurimorum oculis praecipue perniciabilis fuit.*

indicibus accessere: id ingruentis periculi remedium fuit. Cf. c. 3.

tractique, h. e. *itaque tracti:* nam quos prodiderunt indices Minucius et Servaeus, illi sunt quorum nomina iam referuntur.

e Santonis: Santŏni vel Santŏnes in Gallia Aquitanica prope Oceanum: Strabo IV 2 §. 1 et 6 §. 11, Plinius IV 33 (19), IX 4 (5), Mela III 2 sub finem. Paulo post *incelebrata* est ἅπαξ λεγόμενον.

8 Nam ea tempestate qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus Marcus Terentius, ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: 'fortunae quidem meae fortasse minus expediat adgnoscere crimen quam abnuere. Sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Seiano amicum, et ut essem expetisse, et postquam adeptus eram laetatum. Videram collegam patris regendis praetoriis cohortibus, mox urbis et militiae munia simul obeuntem. Illius propinqui et adfines honoribus augebantur; ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus; contra quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. Nec quemquam exemplo adsumo: cunctos qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuum, Caesar, generum, tui consulatus socium, tua officia in re publica capessentem colebamus. Non est nostrum aestimare quem supra ceteros et quibus de causis extollas. Tibi summum rerum iudicium

2. *eque romanos M. terrentius* M. 3. *adhuc* M. *fortune* M. 4. *adgn.* M, non *agn.* 7. *colligam* M. 14. *sed*] *et* M: tacite correxit Rhenanus. 16. *consolatus* M. *capissentem* M. 18. *iuditium* M.

Cap. 8. *nam ea tempestate:* particula *nam* suppressum aliquod enuntiatum respicit, veluti 'digna cognitu etiam illa sunt quae ausus est M. Terentius.' De structura *ea tempestate qua* dixi ad IV 14.

M. Terentius: Dio rem narrat LVIII 19. *novissimi consilii:* opprimere Seianus senem principem intenderat paratis eiusdem consilii sociis. Cf. VI 19 et 47. Iuvenalis X 74. Iosephus A. Iud. XVIII 6 §. 6.

quas adfinitate occupaverat: quoniam Seianus prope abfuerat quin Liviam, Drusi olim coniugem, in matrimonium duceret, et quia hoc futurum esse omnes crediderant, oratores a Tacito inducti, non tamen ipse, de affinitate Tiberii et Seiani tamquam vera loquuntur et hunc illius generum appellant non solum hoc loco sed etiam V 6. Recte igitur Suetonius Tib. 65 *spe affinitatis deceptum* Seianum dicit, neque Dio Cassius quidquam habet de matrimonio a Seiano cum Livia vere celebrato, immo paucis ante Seiani finem diebus Liviam a Seiano sponsam (*τὴν μελλόνυμφον*) appellari refert LVIII 7 sub finem. Waltherus ad V 6 Drusi filiam nomine Iuliam nuptam Seiano credidit, inductus hisce Zonarae verbis XI 2 extr.: *τὸν δὲ Σηϊανὸν ἐπὶ μέγα δόξης ἐπάρας, καὶ κηδεστὴν ἐπὶ Ἰουλίᾳ τῇ τοῦ Δρούσου θυγατρὶ ποιησάμενος ὕστερον ἔκτεινε*, sed falsa narrat Zonaras. Nam Iulia Neroni vetustissimo Germanici filio iuncta erat (Tacit. III 29, IV 60) ac post caedem eius in domum Rubellii Blandi denupsit (VI 27). Waltheri errorem adoptavit etiam Orellius.

tibi summum rerum iudicium — ideo adsequare: haec Tiberio cogi-

di dedere: nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro quae coram habentur, cui ex te opes honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia; quae Seiano fuisse nemo negaverit. Abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere inlicitum anceps: nec ideo adsequare. Ne, patres conscripti, ultimum Seiani diem, sed sedecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur; libertis quoque ac ianitoribus eius notescere pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? Indistincta haec defensio et promisca dabitur? Immo iustis terminis dividatur. Insidiae in rem publicam, consilia caedis adversum imperatorem puniantur: de amicitia et officiis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit.' Constantia 9
orationis, et quia repertus erat qui efferret quae omnes animo agitabant, eo usque potuere ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exilio aut morte multarentur.

Secutae dehinc Tiberii litterae in Sextum Vestilium praetorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat. Causa offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quaedam in Gaium Caesarem ut impudicum, sive ficto habita fides. Atque ob id convictu principis prohibitus cum senili

5. *P. C.* M. 7. *Pomponium*] vix dubium quin fuerit *Pinarium.* 8. *ianitonibus* M. *noctestere* M. 9. *promisca* M, non *promiscua.* 10. *insidie* M. 11. *officis* M. 13. *oms* cum lin. M. 16. *Sex.* M. 18. *uistilio* h. l. M. 19. *C.* M.

tationibus suis arcanis admodum delectato (IV 71) prae ceteris placere debebant. Omnino tota oratio ita mixta est veritate et adulatione, ut Tiberii animum et moveret et grato caeci obsequii studio deleniret.

etiam Satrium atque Pomponium: converte *selbst einen Satrius und Pomponius.* Satrii commemoratio bene se habet, ut liquet comparanti IV 34, sed *Pomponii* nomen corruptum est. Etenim neque *Pomponius Secundus*, neque *Quintus Pomponius* apti sunt, quorum ille non propter aliquam Seiani amicitiam periculum adiit, sed quod Aelium Gallum punito Seiano ad ipsum fugientem receperat (V 8), *Quintus* autem Tiberio adeo probatus erat (VI 18), ut idem Secundi Pomponii periculis mederi posset susceptis delationibus, unde manifestum est eum Seiano familiarem et intimum non fuisse. Neque vero viros nobiles nunc nominat Terentius, sed obscuros et uno Seiani favore provectos. Hi sunt *Satrius* et *Pinarius* Seiani clientes: IV 34. Itaque noli dubitare quin a librario nomen minus tritum *Pinarii* cum notiore *Pomponio* mutatum sit.

libertis quoque ac ianitoribus: cf. IV 74. Dio LVIII 5.

Cap. 9. *Annius Pollio:* superstes Tiberio post inter socios Pisonianae in Neronem coniurationis;

manu ferrum temptavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit. Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio, maiestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adiciebatur, clari genus, et quidam summis honoribus. Contremuerantque patres (nam quotus quisque adfinitatis aut amicitiae tot inlustrium virorum expers erat?), ni Celsus urbanae cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Caesar Pollionis ac Viniciani Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit, datis
10 quibusdam in Scaurum tristibus notis. Ne feminae quidem exortes periculi. Quia occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur; necataque est anus Vitia, Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset. Haec apud senatum. Nec secus apud principem Vescularius Flaccus ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium, Rhodum secuti et apud Capreas individui, Vescularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino participe Seianus Curtium Atticum oppresserat. Quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse.

1. *temtavisset* M. *obligat venas* Baiterus: *oblegatu uenas* M, *obligavit venas* Beroaldus. *pcatusque* cum lin. M. 2. *immitti* M: correxit Rhenanus. 4. *clauisio* M: correxit Beroaldus. *Vinicianus* M, mox *uiciniani*. 5. *adicebatur* M. 6. *contremuerant quae* M. 8. *caliusium* M. 12. *quia* Muretus: M *qua*. 14. *fugii* M. *apul* M. 15. *apul* M. *Flaccus* Pichena: M *Atticus*. 16. *atmortem* M. *familiarum* M. 17. *aput* M. 18. *participis* M. 20. *recidisse* M, non *reccidisse*.

XV 56. *Appius Silanus:* v. ad XI 29. *Vinicianus* adoptatus erat ab Annio Pollione. Ipse vitae finem invenit inita conspiratione in Claudium principem: Dio LX 15.

in Scaurum tristibus notis: pernicies eius narrata VI 29 iam quodammodo annuntiatur.

Cap. 10. *quia — argui non poterant:* vocabulum libri Medicei *qua* ex compendio perperam resoluto natum videtur. Id qui defendunt, pro *quatenus* accipiunt, sed hoc ipsum, non *qua*, saepius posuit Tacitus, ut III 16. Omnino ea particula satis exilis principio novi enuntiati parum convenit. In subsequente *Vitiae* nomine vitium latere suspicor; fortasse fuit *Fufia.*

Vescularius Flaccus: verum viri cognomen *Flaccus* II 28 relatum est: nunc librarius libri M *Atticus* scripsit, oculis eius aberrantibus ad *Curtium Atticum* paulo post nominatum. *Curtium Atticum:* fuit in cohorte Tiberii proficiscentis ex urbe ad Capreas: IV 58. Mortem eius in quinto libro hic noster executus erat.

Per idem tempus Lucius Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi; aetas ad octogesimum annum processit; decus triumphale in Thracia meruerat. Sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit. Namque antea, profectis domo regibus ac mox magistratibus, 11
ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui ius redderet ac subitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos. Dein con-

1. *L.* M. 2. *obiid* M. 5. *Thraecia* M. 8. *praefectis demum* M: correxit Rhenanus. 11. *mumam* M. 12. *inp.* M.

L. Piso pontifex: 'nescio an ex notis error, scribendumque P. V. id esset praefectus urbi.' Lipsius. Inscriptio apud Murator. Thes. inscr. p. 584: *L. Calpurnius Piso pontif. cos.* Ad filios huius Pisonis Artem poeticam suam misit Horatius.

censorium fuisse memoravi: memoravit in perdita parte libri quinti.

in Thracia: id factum a. 743: Dio LIV 34. Livii Epit. 138. Velleius II 98: *atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit.*

Cap. 11. *ac subitis mederetur:* h. e. iis consuleret quae subito agenda essent nec moram paterentur.

Numam Marcium — Spurium Lucretium: conf. Plutarchus Num. c. 25. Liv. I 59.

duratque simulacrum: cf. l. 2 §. 33 D. *de origine iuris* (I 2): *et haec omnia, quoties in republica sunt magistratus, observantur; quoties autem proficiscuntur, unus relinquitur qui ius dicat; is vocatur praefectus urbi. Qui praefectus olim constituebatur, postea fere Latinarum feriarum causa introductus est, et quotannis observatur.* Eo munere functus est etiam tum *M. Antius*, interemptus a Commodo (v. Lamprid. Commodo 7), titulo teste (Or. Inscr. Lat. n. 890): PRAEF. FER. LAT.

cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit: primum id fecit a. 718; v. Dio XLIX 16, Appianus B. C. V 99 et 112; iterum a. 723; Dio LI 3. Velleius II 88, Horat. Sat. II 6 38, Carm. III 8 17—28.

qui coërceret — audacia turbidum: eius magistratus iura copiose describuntur ab Ulpiano l. 1 D. *de officio praef. urbi* I 12; cf. Cod. Iust. I 28, Dio LII 21, Gellius XIV 8, Suetonius Aug. 37.

primusque Messala Corvinus — quasi nescius exercendi: Hieronymus in Chronico: *Messala Corvinus primus praefectus urbis factus sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans.* Hieronymus veram abdicandi causam, Tacitus excusationis gratia conflictam a Messala tradit idque significavit voce *quasi*. Cum praefecturam urbis perpetuam post annum 725 institutam esse ex Dione LII 21 cognoscamus, et Messala a. 727 (726) de Aquitanis triumphum egerit, eius praefectura in a. 728 incidere videtur.

tum Taurus Statilius: is praefectus est a. 738; Dio LIV 19.

sules mandabant; duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia, sumpsit e consularibus qui coërceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. Primusque Messala Corvinus eam potestatem, et paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi: Tum Taurus Statilius, quamquam provecta aetate, egregie toleravit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est.

12 Relatum inde ad patres a Quintiliano tribuno plebei de libro Sibullae, quem Caninius Gallus quindecimvir recipi inter

3. *cillinium* M: correxit Lipsius. 13. *Sibullae* M, mox *sibillae*. *quindecimvir* Beroaldus: M *quindecimvirum*.

Recte Tacitus omittit administrationem urbis a. 733 absente Augusto Agrippae traditam (Dio LIV 6): ea enim amplior potestas erat et extra ordinem data, atque ipsa praefectura urbis per illud tempus non sublata est, sed sub auspiciis Agrippae cuncta regentis ab alio administrata. Etiam Maecenatis illa administratio non erat praefectura urbis, sed ea memorata est a Tacito, ut occasionem praefecturae constituendae narraret.

dein Piso viginti per annos: haec non constarent, si vera essent quae tradunt ex vulgi rumoribus Suetonius et Plinius, ille in Tiberio (42), *postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et Lucio Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit; quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos et omnium horarum amicos professus*, hic in N. H. XIV 22, *eaque commendatione credidere Lucium Pisonem urbis Romae curae ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus* (apud hunc duae noctes pro una Suetonii) *per potationem continuasset apud ipsum iam principem.* Nimirum jam versamur in anno undevigesimo principatus Tiberiani, ut, si Tacitum sequimur, Augustus Pisoni praefecturam urbis mandaverit (a. 13=766). Rumori quem Plinius (hunc scripsisse *credidere* negligere noli) et Suetonius sequuntur, quemque respexit Seneca Epist. 83 (84), si quid veri subfuit, de prorogatione magistratus Pisoni delegati malim cogitare, quam Tacitum negligentiae arcessere, aut traditum numerum mutare cum Lipsio, aut elicere praeeunte Walthero ex apertis Suetonii Pliniique verbis quod inde nequit extorqueri. Pomponius Flaccus ante a. 773 Syriae praeponi non potuit: anno enim 772 Moesiam curavit: v. II 66.

publico funere: v. ad IV 15.

Cap. 12. *Gallus quindecimvir:* codicis scripturam *quindecimvirum* vindicari posse vulgo existimant H. I 31, ubi est *tribunorum Subrium et Cetrium adorti milites minis, Longinum manibus coërcent*, quamquam eius genitivi alia est ratio: nimirum ex tribus quid acciderit duobus, dein tertio quid factum sit, refertur. In hoc nostro loco mihi

ceteros eiusdem vatis, et ea de re senatus consultum postulaverat; quo per discessionem facto misit litteras Caesar, modice tribunum increpans ignarum antiqui moris ob iuventam. Gallo exprobrabat quod scientiae caerimoniarumque vetus incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut adsolet, lecto per magistros aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. Simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur neque habere privatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat post exustum sociali bello Capitolium, quaesitis Samo Ilio Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias, carminibus Sibullae, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subicitur.

6. *estimatoque* M. 7. *cummunefecit* M. 11. *erytrythrys* M: correxit Beroaldus. 12. *affricam* M.

Beroaldus verum videtur restituisse. Si multitudinis numero Tacitus voluisset uti, ex more scripturus erat *e quindecimviris.* Formae *quindecimvirum* origo hinc repetenda est, quod librarius ob verbum *recipi* casum accusativum requiri credidit ideoque pro suo iudicio et consuetudine nominativum immutavit. Nimis studiose talem antiquitatis aeruginem editores in Tacitum contulere.

lecto per magistros — carmine: collegii quindecimviralis unus magister et praepositus. Sed quoniam singula sacerdotum collegia in rebus gravioribus cetera adiungere sibi et poterant et solebant, nihil impedivit Tiberium, quo minus *magistros* scriberet, non *magistrum.* *sanxisse Augustum:* Suetonius Aug. 31: *postquam vero pontificatum maximum — suscepit, quidquid fatidicorum librorum Graeci Latinique generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo milia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Dio LIV 17.

sociali bello: incendio absumptum est Capitolium a. 671 L. Scipione C. Norbano consulibus, cum Sulla bello Mithridatico confecto in Italiam redux partes Marianas oppugnavit. Adversus Sullam acerrime pugnabant Samnites et Tusci; quapropter hoc bellum, non quidem vulgari significatione sed nova (nam *sociale* bellum quod proprie vocatur compositum erat a. 666), appellari potuit *sociale.* Accuratius locutus est Tacitus H. III 72: *arserat et ante Capitolium civili bello.*

notioni quindecimvirum: v. ad III 59.

Cap. 13. *multaque — efflagitata:* mitem se Tiberius praebuerat ante his postulationibus populi: II 87.

quibus ex provinciis: quod *ex* reposui pro *e* monstrante quodammodo viam Mediceo, nemo reprehenderit; conf. IV 6 *ex principe;* 33 *ex propinquo;* H. I 8 *ex pro-*

13 Isdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum; multaque, et plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quam solitum adversum imperatorem. Quis commotus incusavit magistratus patresque quod non publica auctoritate populum coërcuissent; addiditque quibus ex provinciis, et quanto maiorem quam Augustus rei frumentariae copiam advectaret. Ita castigandae plebi compositum senatus consultum prisca severitate, neque segnius consules edixere. Silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

14 Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites Romani, cecidere coniurationis crimine; ex quis Gaius Geminius prodigentia opum ac mollitia vitae, amicus Seiano, nihil ad serium; et Iulius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens, suam ipse cervicem

5. *ex* editor: M *et*, vulgo *e* suggerente Beroaldo. *provintiis* M. 11. *Gaius Geminius* editor: vulgo *Geminius*. 12. *caecidere* M. 13. *mollicia* M.

vinciis. Rursus *e praetorio* H. I 20; *e praesentibus* II 80, H. II 65, III 69, IV 18 et 56; *e proximo* H. II 64.

quam Augustus: Aurelii Victoris Epitoma de Imp. Rom. c. 1 §. 6: *huius tempore* (Augusti) *ex Aegypto urbi annua ducenties centena milia* (modiorum) *frumenti inferebantur.*

Cap. 14. *fine anni:* cf. ad I 53.

coniurationis: converte τῆς ξυνωμοσίας, dicit enim coniurationem Seiano auctore initam.

ex quis Gaius Geminius: vide, lector, Taciti rationem narrandi. Primum trium reorum unum nomen cuiusque ponit, mox de duobus nonnulla tradit diligentius, tertium (Pompeium) silentio transmittit. Sed cum Celsum in copiosiore traditione duobus nominibus nominaverit, idem haud dubie observavit in Geminio. Sed in archetypo illo unde deductus M ante GEMINIVS nota C. aut omissa iam erat aut neglecta demum est a librario recentiore. Praenominis certus auctor Dio est LVIII 4; is Geminii exitium paulo ante Seianum eversum evenisse non bene tradit.

prodigentia opum ac mollitia vitae, amicus Seiano, nihil ad serium: tria haec de Geminio quae memorentur affert, eum fuisse vita luxuriosum, amicum Seiano, a seriis abhorrentem. Vulgo commatis signum ante *amicus* omittitur, unde oritur sententia ob prodigentiam opum et vitae mollitiam Seiano amicum fuisse Geminium, sed eiusmodi artibus amicitia Seiani non parabatur. Genitivi *opum* ac *vitae* additi faciunt ut ablativus praedicati consistere possit. Cf. XVI 18: *dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est.* XIII 57: *donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere.*

et Iulius Celsus tribunus: vulgo ante haec puncto distinguere solent editores, sed praegressum *ex quis* non solum ad Geminium per-

perfregit. At Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. Sane is repertus apud fretum Siciliae retractusque per centurionem, nullas probabiles causas longinquae peregrinationis adferebat. Mansit tamen incolumis, oblivione magis quam clementia.

15 Servio Galba Lucio Sulla consulibus diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret Caesar, postquam instabat virginum aetas, Lucium Cassium, Marcum Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus facilitate saepius quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Iuliam Germanico genitas coniungit; superque ea re senatui scribit, levi cum honore iuvenum. Dein redditis ab-

3. *sane is*] *sanus* M: correxit Mercerus. *aput* M. 4. *longinque* M. *peregrinationes* M. 6. *Ser.* M. *L.* M. *cos.* cum lin. M. 8. *L.* M. *M.* M. 11. *plebeii* M, non Beroaldi *plebei.* *rome* M. 12. *disciplinae ductus* M. 14. *uinio* h. l. M. 15. *scribit* M, non *scripsit.*

tinet, sed etiam ad Celsum. Tribunus is cohortis urbanae et in custodiam datus post occisum Seianum *indicio* poenam instantem retardaverat: VI 9. Ea quae iam Celsus in se patravit respiciens Tacitus supra scribit *tum inter indices.* Scilicet mox vir militaris moram et indignam sortem aversatus est.

Cap. 15. *Servio Galba:* cum consulatu functus est, Galba *Lucii* praenomine utebatur, sed Tacitus id posuit quo puer ille et imperator vocatus est: v. Suetonius in Galba 4: *adoptatus a noverca sua Livium nomen et Ocellae cognomen assumpsit, mutato praenomine: nam et Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit.* Sic idem O. 11 *in Nerone* scripsit pro *in Domitio.*

M. Vinicium: consul fuit a. 30 cum L. Cassio, sed eius anni res ex Taciti Annalium libro quinto exciderunt: eodem anno Velleius Historiam suam Romanam Vinicio dedicavit. Interfectus est Vinicius a. 799 Claudio principe artibus Messalinae: Dio LX 27. *oppidanum genus:* ex oppido genus ei, non ex urbe; nove hoc dictum.

Cassius: hunc Gaius Caesar occidit Asiae tunc proconsulem: Suetonius Calig. 57 coll. 24. Dio LIX 29.

Macro praefectus — introirent: in locum Seiani Macro successerat, praecipuus in illo subvertendo adiutor: Dio LVIII 9. Ceterum hac postulatione Tiberius odium suum et suspiciones adversum patres professus est: Dio LVIII 18.

large et sine praescriptione generis aut numeri; large decreverunt quae petiverat Caesar, genere aut numero militum in curiam principem comitantium non praescripto sed ipsius voluntati relicto.

ambiens patriam et declinans: vitium libri M *ambigens* a Rhenano bene sublatum, ab Ernestio sinistre

sentiae causis admodum vagis, flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit. Factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto, ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit, deviis plerumque itineribus ambiens patriam et declinans.

16 Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias fenore auctitabant adversum legem dictatoris Caesaris, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur, omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur. Sane vetus urbi fenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa; eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret, cum antea ex

6. *urbes* M. *numq.* M. 7. *ambiens* Rhenanus: M *ambigens.*
9. *faenore* M. 11. *omissa* M. 12. *faenebrae* M. 15. *faenore* M.

defensum, ex prava pronuntiatione verbi *ambiens* (ambjens) natum est. *Ambigere* nunquam valet *ambagibus circumire*, ut opinatus est Ernestius, et Tacitus ei verbo constanter dubitandi notionem servavit: v. I 10, IV 55, VI 28, XI 4, XII 65, XVI 20. Itaque inauditam illam significationem sordidae antiquitatis amatoribus relinquamus.

Cap. 16. *de modo credendi possidendique intra Italiam*: respicit legem a dictatore Caesare a. 705 latam; Suetonius Caes. 42: *de pecuniis mutuis, disiecta novarum tabularum expectatione quae crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent. per aestimationem possessionum quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset.* Caesar B. C. III 1. Appianus B. C. II 48. Plutarchus Caes. 37. Sed hi testes tantummodo de *modo credendi* vel de possessionibus a debitoribus pretio statuto transferendis ad creditores loquuntur, neque de *modo possidendi intra Italiam* quidquam Caesar praescripserat, sed hunc sponte consecuturum esse idem speravit ex praescripto, cuius mentionem fecit Dio XLI 38, *ne quis signati argenti aurive plus quindecim milibus denariorum domi haberet.* Nimirum per hoc efficere voluit Caesar, ut divites pecunias suas in agris collocarent pretiumque agrorum augeretur. Idem nunc senatus, non tamen per ambages sed recta via, consequi studet, ut mox narratur (c. 17): *senatus praescripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret.* Cf. Suet. Tib. 48. Dio LVIII 21.

ne quis unciario fenore amplius exerceret: *unciarium fenus* est uncia sive pars assis duodecima usurae nomine quovis anno solvenda pro sorte unius assis ($8\frac{1}{3}$ *Procent*). Longe petita sunt nec vera quae Niebuhrius de anno prisco coniectavit Histor. Rom. t. III p. 66-68. De re aliter Livius VII 16: *haud*

libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura. Multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchus praetor, cui ea quaestio evenerat, multitudine periclitantium subactus rettulit ad senatum; trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe petivere; et concedente annus in posterum sexque menses dati, quis secundum iussa legis rationes familiaris quisque componerent. Hinc inopia 17
rei nummariae, commoto simul omnium aere alieno, et quia tot damnatis bonisque eorum divenditis signatum argentum fisco vel aerario attinebatur. Ad hoc senatus praescripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret. Sed creditores in solidum appellabant; nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concursatio et preces; dein strepere praetoris tribunal; eaque quae remedio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari, quia feneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta

2. *semuntias redactu* M. 8. *qui* M. 9. *familiaris*] M *familiares* erasa littera ante *s*, h. e. *familiareis*, vulgo *familiares*. 11. *devenditis* M. 13. *facnoris* M. *conl.* M. 17. *faeneratores* M.

aeque laeta patribus insequenti anno, C. Marcio Cn. Manlio consulibus (a. u. 397), *de unciario fenore a M. Duilio L. Maenio tribunis plebis rogatio est perlata; et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque.* Niebuhrius III p. 61 sq. statuit, legem de unciario fenore in duodecim tabulis sancitam postea abrogatam aut neglectam, ab illis tribunis plebis iterum perlatam esse.

ad semuncias redacta: haec rogatio lata est a. 407: Liv. VII 27: *semiunciarium tantum ex unciario fenus factum* ($4\frac{1}{6}$ *Procent*).

postremo vetita versura: olim non vere negavi *versuram* esse fenerationem. Rogatio de fenore semiunciario providere iam voluit, ne post triennium extaret aes alienum: tunc enim (Liv. VII 27) *in pensiones aequas triennii, ita ut quarta praesens esset, solutio aeris alieni dispensata est.* Itaque a. 412 fuit qui vetaret aeris alieni contractionem. Livius VII 42: *invenio apud quosdam, L. Genucium tribunum plebis tulisse ad populum ne fenerare liceret.* Appianus B. C. I 54: *νόμου τινὸς παλαιοῦ διαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν.*

Cap. 17. *ad hoc senatus praescripserat: ad hoc* est huius rei causa (*dafür*), ut inopiae rei nummariae mederetur. *duas quisque fenoris partes — collocaret:* Suetonius Tib. 48: *cum per senatusconsultum sanxisset, ut feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem aeris alieni statim solverent.*

vilitate, quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant, multique fortunis provolvebantur; eversio rei familiaris dignitatem ac famam praeceps dabat, donec tulit opem Caesar disposito per mensas milies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum praediis cavisset. Sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti. Neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

18 Dein redeunt priores metus postulato maiestatis Considio Proculo; qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam, pariterque damnatus interfectusque est. Sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum, accusante Quinto Pomponio. Is moribus inquies haec et huiuscemodi a se factitari praetendebat, ut parta apud principem gratia periculis Pomponii Secundi fratris mederetur. Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar adflixerat. Pater quoque inlustris eques Romanus ac frater praetorius, cum damnatio

2. *fortunus* M. 7. *emitio* M. 11. *est* Bezzenberger: M *et.* vulgo *interfectusque. Et.* 12. *Q.* M.

creditores in solidum appellabant: debitores quamvis agris cavere possent creditoribus, hi tamen spe lucri inducti totum aes alienum renuntiabant, neque agros a debitoribus pro parte creditae pecuniae cedi sibi volebant.

feneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant: domi condiderant pecuniam, quam agris mercandis promi iustum erat et senatus voluerat, sed illi feneratores ab eo negotio interim abstinebant, ut maiore lucro potirentur, postquam copiam vendendi vilitas secuta esset.

aegrius distrahebant: distrahere (agros) est divendere singulis emptoribus; v. Forcellinius s. v. De omisso *tanto* dictum ad I 57.

eversio rei familiaris — praeceps dabat: senator et eques imminuto censu ordinem amittebant, tribulis tribu movebatur.

populo cavisset: antiquitatem verborum a Tiberio adamatam servavit Tacitus: nam populus est pro aerario sive re publica.

Cap. 18. *priores metus* (*die früheren Besorgnisse*), h. e. metus qui ante fenebre decretum a saevitia principis hominum animos occupabant, curis rei familiaris paulisper dimoti. *Considio Proculo:* ante ipse delationem factitaverat: V 8. *periculis Pomponii Secundi:* v. annot. ad V 8.

pater quoque — ac frater praetorius: frater Pompeius Macer praetura functus est a. 15: Tacit. I 72. Pater filius fuit, ut videtur, Pompei Macri, cui ordinandas bibliothecas Iulius Caesar delegaverat. Suet. Caes. 56 extr.

instaret, se ipsi interfecere. Datum erat crimini quod Theo-
phanen Mytilenaeum proavum eorum Gnaeus Magnus inter
intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes
honores Graeca adulatio tribuerat. Post quos Sextus Marius 19
Hispaniarum ditissimus defertur incestasse filiam et saxo Tar-
peio deicitur. Ac ne dubium haberetur magnitudinem pecu-
niae malo vertisse, aurarias eius, quamquam publicarentur,
sibimet Tiberius seposuit. Inritatusque suppliciis cunctos, qui
carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari
iubet. Iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas,
inlustres ignobiles, dispersi aut aggerati. Neque propinquis
aut amicis adsistere inlacrimare, ne visere quidem diutius
dabatur; sed circumiecti custodes et in maerorem cuiusque
intenti corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim

1. *interficere* M: correxit Beroaldus. *Theophanen* M, non *Theophanem*. 2. *milylenaeum* M. *CN.* M. 4. *Sex.* M. 7. *aurariasque* M: corr. Muretus. 10. *inm.* M. 14. *Tiberim* M, non *Tyberim* Beroaldi.

quod Theophanen — inter intimos habuisset: conf. Strabo XIII 2 3. Caesar B. C. III 18. Cic. Arch. 10, ad Att. V 11 3 et passim alibi. Drumannus II. R. t. IV p. 551-553. *proavum eorum* universe dicit eum, unde qui h. l. memorantur pater et filius (frater Macrinae Pompeius Macer) originem ducunt. Nam Theophani filius erat *Marcus Pompeius*, ab Augusto praepositus Asiae procurator et a Tiberio inter amicos habitus (v. Strabonis l. c.); is si genuit Pompei Macri et Pompeiae Macrinae *matrem*, id quod Taciti verba faciunt ut coniiciam, Theophanes huic Pompeio Macro praetorio et sorori Macrinae *proavus* fuit, patri eius *prosocer*. Aliam viam expediendae rei Ryckius ingressus est, probatam Ernestio et Orellio. Is autem in illo Strabonis loco *Μάκρον Πομπήϊον* legit pro vulgato *Μάρκον Π.*, atque hunc Theophanis filium patrem facit Pompei Macri praetorii et sororis Pompeiae Macrinae. At vero sic Strabo scripturus fuit *Πομπήϊον Μάκρον*, non *Μάκρον Πομπήϊον*: nam cognomentum *Macer* non in eorum est numero, quae nomini gentis praeponi solent, cum id nonnisi in cognominibus notis et illustribus fiat. Conf. apud Tacitum *Pompeius Macer* I 72, *Clodius Macer* H. I 7 et 11 et 37 et 73, II 97, IV 49, *Marcius Macer* H. II 23 et 71.

Cap. 19. *Sextus Marius — deicitur:* iam semel postulatus erat, sed sine eventu: IV 36. Plura de homine tradit et Tiberio iniqua Dio LVIII 22. *aurarias eius*: corrupta libri M scriptura *aurariasque eius* nata est inde, quod particula *que* ex subsequentis versus vocabulo *inritatusque* etiam huic adhaesit. In archetypo codicis M alterum vocabulum alteri in eodem duorum versuum loco superpositum fuisse puto. De poenae genere conf. ad II 32.

iacuit immensa strages: necati in carcere abiecti sunt in Gemonias uncoque ad ripam Tiberis tracti plures per dies. Suetonius Tib. 61: *nemo punitorum non et in Gemonias abiectus uncoque tractus, ri-*

traherentur, ubi fluitantia aut ripis adpulsa non cremare quisquam, non contingere. Interciderat sortis humanae commercium vi metus; quantumque saevitia gliscerel, miseratio arcebatur.

20 Sub idem tempus Gaius Caesar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam, Marci Silani filiam, coniugio accepit, immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. Unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit, neque meliorem unquam servum neque deteriorem dominum fuisse.

Non omiserim praesagium Tiberii de Servio Galba tum consule; quem accitum et diversis sermonibus pertemptatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus est

5. *C.* M. 6. *M.* M. 9. *hau* M. 10. *percrebruit* M, non *percrebuit.* 11. *umq.* M. 14. *hac* M. *est* suasore Ernestio adiectum.

ginti uno die, inter eos feminae et pueri. *quantumque saevitia gliscerel, miseratio arcebatur*: ne credas in altero membro suppressum esse *tantum*, in similitudinem eius structurae de qua dictum ad I 57: nam secus id esse et alterum enuntiatum adversativum esse, non correlativum, coniunctivus *gliscerel* ostendit; verte: *und wie hoch auch die Grausamkeit steigen mochte, Mitleid ward (doch) fern gehalten.*

Cap. 20. *Claudiam, Marci Silani filiam:* cf. ad Agr. 4 et Suetonii Calig. 12. De immani animo Gai Caesaris etiam Suetonius c. 10 nonnihil tradit.

exilio fratrum rupta voce: ex his Nero necatus exul in insula Pontia (Sueton. Tib. 54) et finis eius in deperdita parte libri quinti a Tacito narratus est; Drusus etiam tum vixit: vid. c. 23.

qualem diem Tiberius induisset: diem induisse senex mutabilis tamquam vestem dicitur. Ei verbo translate posito convenit subsequens *pari habitu:* scilicet Gaius quem vellet animi affectum tamquam amictum quovis die eligere sibique circumdare potuit.

unde mox — dominum fuisse: Suetonius Calig. 10: *tantique in avum et qui iuxta erant obsequii, ut non immerito sit dictum 'nec servum meliorem ullum nec deteriorem dominum fuisse'.* Vocem *mox* liberius dictam esse memineris: nam dicti vis valuit demum, cum Gaius dominatu pessime usus esset. De Passieno oratore et viro iucundo Seneca rhetor Excerptis Contr. lib. III praef. L. Seneca Nat. Quaest. IV praef. §. 6: *Crispus Passienus quo ego nihil cognovi subtilius in omnibus rebus, maxime in distinguendis et curandis* (lege *scrutandis*) *vitiis, saepe dicebat adulationibus nos non claudere ostium, sed operire et quidem sic ut amicae opponi solet, quae si impulit, grata est, gratior, si effregit.* Quintil. VI 1 50. Sueton. Ner. 6. Plinius N. H. XVI 91 (44). Cf. annot. ad XII 6, XIII 19.

adlocutus est: inserendum erat verbum *est*, utique necessarium, ut in multitudine participiorum iustus enuntiati tenor constaret.

'et tu, Galba, quandoque degustabis imperium,' seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasullum habuit, peritiam eius hoc modo expertus. Quotiens super tali ne- **21**
gotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. Is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) praeibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasullus isdem rupibus inductus postquam percontantem commoverat, imperium ipsi et futura sollerter patefaciens, interrogatur an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spatia dimensus, haerere primo, dein pavescens et, quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatur; quaeque dixerat, oracli vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

3. *aput* M. *Thrasullum* M, non *Thrasyllum.* 4. *super tali*] *superta* M: emendavit Pichena. 11. *percunct.* Or. 12. *solerter* M. 14. *spacia* M. 15. *pavescens* Iac. Gronovius: M *pavescente*, Beroaldus *pavescere.* 19. *vici* M.

Hoc *est* aut propter sequens *et* oblitteratum est aut ob scripturam *ἀρχιεύνου adlocutust* neglectum.

et tu — degustabis imperium: aliter Suetonius in Galba 4: *constat Augustum puero adhuc salutanti se inter aequales adprehensa buccula dixisse καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ* (lege *παρατρώξει*). Ut Tacitus, Dio LVII 19 et inde Xiphilinus LXIV 1, etiam Iosephus Ant. XVIII 6 §. 9.

seram ac brevem potentiam: seram significavit voce *quandoque* (h. e. *quandocumque*), brevem verbo *degustabis.* Frustra ad hunc locum haesit Ernestius.

Cap. 21. *quotiens super tali negotio:* de hac Tiberii scientia et magistro Thrasullo conf. Dio LV 11, Suetonius Tib. 14, Scholiasta Iuvenalis VI 576. *Super tali negotio* est super eiusmodi de quo Chaldaei consultarentur.

an suam quoque genitalem horam comperisset: cur *genitalem horam?* quippe hinc ceteram hominis sortem explorari posse Chaldaei credebant. Quae sequuntur, *quem* (= qualem) *tum annum, qualem diem haberet*, singula sunt quae ex genitali hora rescicere se posse astrologi sibi videbantur.

22 Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae; ideo creberrime tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. Contra alii fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitae nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. Neque mala vel bona quae vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos, at plerosque quamquam magnas per opes miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ceterum plurimis mortalium non eximitur quin primo cuiusque ortu ventura destinentur; sed quaedam secus, quam dicta sint, cadere fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. Quippe a filio eiusdem Thrasulli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

4. *reperias* pr M. correxit eadem manus. 6. *creberrima et tristia* M: correxit Freinshemius. 12. *at* M, non *ac*. 15. *distinentur* M. 19. *incepto* M, non *incoepto* Beroaldi. 20. *aberrem* Heinsius.

Hinc c. 22: *ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu* (h. e. genitali hora) *ventura destinentur*. Itaque *genitalem horam suam comperisse* idem est atque cognitam habere sortem futuram suam.

gratatur: h. e. gratando sive gratulando pollicetur. *Gratari* pro vulgari *gratulari*, Virgilium (Aen. IV 478, V 40) fortasse secutus auctorem, dixit praeterea VI 50, XII 7, XIV 8. H. II 29.

Cap. 22. *ac multis insitam opinionem*: est opinio eorum qui Epicurum magistrum et auctorem sequuntur. Proxima ex Stoicorum placitis relata sunt. Quae sectae cum Taciti aetate unice florerent, cur earum sententiae nunc explicentur patet. *non eximitur:* h. e. non subtrahi potest persuasio. Subiectum verbi inest in subsequentibus *quin — destinentur.*

fallaciis ignara dicentium: h. e. fallaciis eorum qui arte per se vera parum sollerter utuntur et vera a se praedicta in falsum detorquent inscitia sua. Hoc fieri interdum Tacitus ipse putavit, ut apparet ex IV 58. *memorabitur:* memoravit XIV 9, sed auctore vaticinii per nomen *Chaldaeorum* indefinite significato, ut recte monitum est ad h. l. a Doederlinio.

Isdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem ege- 23
state cibi peremptum haud dubium, sponte vel necessitate,
incertum habebatur. Consultusque Caesar an sepeliri sineret,
non erubuit permittere, ultroque incusare casus qui reum
abstulissent, antequam coram convinceretur. Scilicet medio
triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni,
tot consularium parenti. Drusus deinde extinguitur, cum se
miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad
diem detinuisset. Tradidere quidam praescriptum fuisse Ma-
croni, si arma ab Seiano temptarentur, extractum custodiae
iuvenem (nam in Palatio attinebatur) ducem populo imponere.
Mox quia rumor incedebat fore ut nuru ac nepoti concilia-
retur Caesar, saevitiam quam paenitentiam maluit. Quin et 24
invectus in defunctum, probra corporis, exitiabilem in suos,
infensum rei publicae animum obiecit, recitarique factorum

2. *haudubium* M. 7. *exst.* Or. 9. *praescriptum* M, non *descriptum* Rhenani. 10. *exstractum* M. *custodiae* M, non *custodia*. 12. *nurui* Lipsius, sed cf. annot. ad 3 33.

Cap. 23. *Asinii Galli:* Asinius Gallus iam ante Seianum trucidatum perculsus erat Tiberii ad senatum litteris, eodem die quo apud principem cenavit. A Capreis in urbem tractus ibi domibus magistratuum custoditus est, ut principe coram, quemadmodum is simulabat, iudicium subiret. Dio LVIII 3 et 23. Dio tamen perperam tradere videtur, Gallum a patribus damnatum esse. Tacitus ea de re scripsit in deperdita parte quinti libri.

an sepeliri sineret: Gallus apud consulem huius anni cum extinctus esset, is principem consuluit, an sepeliri defunctum vita sineret. Qui ad consulem non privatim rescripsit, id quod pudor iniuriae auctori suadere debuit, sed iis litteris quae coram senatu recitarentur, atque usus imperatoris auctoritate tamquam beneficium et gratiam Gallo sepulturam permisit. Hoc sibi vult *non erubuit permittere.* Nam per se illa permissio, quidquid dicit Waltherus, nihil habuit cur erubesceret Tiberius. Conf. O. 13: *et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.*

medio triennio: quod interiectum inter mortem et custodiam. *tot consularium parenti:* filius eius e Vipsania *C. Asinius Pollio*, consul a. 776 (Tacit. IV 1, Plin. XXXIII 8); *Asinius Saloninus* (Tac. III 75); *Asinius Celer* (de quo Plinius IX 31: *Asinius Celer e consularibus — Gaio principe unum* (mullum) *mercatus octo milibus nummum*); *Asinius Agrippa* (Tacit. IV 34), consul a. 778; *Asinius Gallus*, qui conspiravit in Claudium (Suetonius Claud. 13. Dio LX 27).

miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento: huiuscemodi diligentiae specimen in Taciti stilo rarum et ab offensione vix liberum mihi videtur. Scilicet *miserandis alimentis* positum et electum videtur esse, ne opus foret voce vulgari et humili, qualis est *tomentum,*

dictorumque eius descripta per dies iussit, quo non aliud atrocius visum. Adstitisse per annos qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire legere, in publicum promere, vix fides, nisi quod Attii centurionis et Didymi liberti epistulae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. Etiam sua verba centurio saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo alienationem mentis simulans [quasi per dementiam] funesta Tiberio, mox ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras inprecabatur, ut quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exolveret. Obturbabant quidem patres specie detestandi: sed penetrabat pavor et admiratio callidum olim et tegendis sceleribus ob-

1. *aliut* M. 4. *Attii* M, non *Actii* a Beroaldo suppeditatum. 5. *dedymi* M. 11. *impr.* Or. 13. *exsolv.* Or. 14. *dedestandi* M. 15. *degendis* M.

et a quibus hic noster sibi cavere solet: sed statim haec ipsa occurrit, et quidem ita, ut subsit structurae insolentia: nam pro *tomento* consuetudo Taciti postulat *tomentum*, quode cf. annot. ad VI 45. Inde mihi suspicio oborta est, quemadmodum XII 67 post *delectabili cibo* vox *boleto* ex Suetonio inserta est, sic hoc loco ex eodem fonte frustulum *mandendo e cubili tomento* ductum esse, ita quidem ut in libro ἀρχετύπῳ haec annotatio in margine posita esset, dein a librario codicis Medicei in contextum transferretur. Suetonii verba sunt in Tib. 54: *Druso autem adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere.* Bene *tentaverit* posuit Suetonius: nam tomento (*Polsterstoff*) famem tolerare re vera nemo potest, ne *gnaphalio* (*Wiesenwolle*) quidem, quo pro tomento usos esse veteres testatur Plinius XXVII 61. Itaque tertia dubitandi causa inde accedit, quod illa verba tradentem incredibilia Tacitum faciunt, quasi tomenti alimento se Drusus nonum ad diem detinuisset.

extractum custodiae iuvenem — imponere: hos secutus est Sueton. Tib. 65, item Dio LVIII 13.

Cap. 24. *probra corporis*: pathicum fuisse et εὐρύπρωκτον significat. Eodem intellectu *mollitiam* corporis XI 2 legimus.

infensum rei publicae animum: conf. IV 19. *nisi quod Attii — praeferebant*: ex accurata descriptione certum erat omnia sic gesta esse, ut perscripta legebantur. Haec igitur breviter dicta sunt pro *nisi quod fides inde quod Attii — praeferebant.*

quasi per dementiam: est glossa ex libri ἀρχετύπου margine petita; *quasi* interpretatio est v. *simulans*, *per dementiam* pro *alienationem mentis* illatum. Id primus vidit Bahrdtius. Alienationem mentis quocumque modo proditam facere posse ad misericordiam Tiberii excitandam miser adolescens speravit. Ita certe interpretatus est centurio custodiae impositus.

scurum huc confidentiae venisse, ut tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.

25 Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina auditum, quam interfecto Seiano spe sustentatam provixisse reor, et postquam nihil de saevitia remittebatur, voluntate extinctam, nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus. Enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens et Asinium Gallum adulterum, eiusque morte ad taedium vitae compulsam. Sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat. Eodem die defunctam, quo biennio ante Seianus poenas luisset, memoriaeque id prodendum addidit Caesar, iactavitque quod non laqueo strangulata neque in Gemonias proiecta foret. Actae ob id grates decretumque, ut quintumdecimum kalendas Novembris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.

26 Haud multo post Cocceius Nerva, continuus principi, omnis divini humanique iuris sciens, integro statu, corpore

6. *sev.* M. *exst.* Or. 10. *conp.* M. 11. *inp.* M. 14. *Iactavitque* M. 15. *gratis* M. 16. *K.* cum lin. M. 17. *oms* cum lin. M; item mox. 18. *principi* N. Heinsius: M *principis.*

extrema vitae alimenta: sunt eiusmodi alimenta quibus extrema necessitas et fames sopitur. Eadem paulo ante (c. 23) *miseranda* nominavit.

Cap. 25. *provixisse*, h. e. porro vixisse, verbum Tacito proprium et unicum. Corruptum id esse difficile ad credendum. Certe quod Seyffertus coniecit *vitam produxisse*, id a Tacito tunc adhibitum est, cum tempus subest ultra quod vita producta sit quodque ipsum futurum est, ut VI 48 *produxere vitam*, h. e. ultra Tiberii finem, aut sic ut res ad quam vivitur posita sit, quemadmodum III 24 *si — plures ad curas vitam produxero.*

aequi impatiens: vel hinc quod Agrippina mediocrem conditionem aversabatur ac non nisi summa concupiscebat, Tiberii criminationem falsam et inanem fuisse colligi posse Tacitus significavit.

iactavitque — proiecta foret: Suetonius Tib. 53: *imputavit etiam quod non laqueo strangulatam in Gemonias abiecerit.* Cf. ad I 5.

quintumdecimum kalendas Novembris: a solita loquendi via paulum deflectens *ante* suppressit et omittere potuit: nam *ante quintumdecimum kalendas Novembris* cum dicimus, *ante* non est praepositio sed adverbium (*vorher den fünfzehnten bis zu den November-Kalenden*), et accusativus *quintumdecimum* denotat temporis duraturi modulum, *kalendas* autem calcem ad quam computatio dirigitur, eaque etiam sine illo adverbio talis qualis est intelligitur. Conf.

inlaeso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. Aversatus sermonem Nerva, abstinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer dum intemptatus, honestum finem voluisse.

Ceterum Agrippinae pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nupta olim Gnaeo Pisoni et palam laeta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitiis Agrippinae defensa erat. Ut odium et gratia desiere, ius valuit; petitaque criminibus haud ignotis, sua manu sera magis quam immerita supplicia persolvit.

27 Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit quod Iulia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant.

Extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Syriae imagine tandem exolutus

2. *pces* cum lin. M. 8. *permities* M. 9. *CN.* M. 10. *praecibus* M. 13. *inm.* M. 19. *Suriae* Or. *exsol.* Or.

XV 41. H. I 27. Aliter quod usu tritum erat evitavit, cum scripsit XII 69 *tunc medio diei*, *tertium ante idus Octobris:* nam hoc Theodisce est *den dritten vorher bis zu den October-Idus.* Oberlinus falso attulit H. I 18: nam ibi *quartum idus Ianuarias* a verbo *turbaverant* pendit. Conf. annot. ad VI 50.

Cap. 26. *continuus principi:* quod N. Heinsius dubitanter proposuit *principi* pro tradito *principis,* hoc verissime inventum mihi videtur. Nam *continuus principis* tunc bene se haberet, si nomen *continuus* per se constaret et adiecto genitivo nonnisi certius definiretur, ut *vetus iuris*, *vetus laboris*, ut esset *von Seiten des Kaisers fortdauernd*, id quod ad ceteram sententiam minime aptum est. Immo *continuus principi* unam notionem efficit, ut *indiscretus principi* (conf. H. IV 52 *suum cuique sanguinem indiscretum*), *dem Kaiser immer zur Seite.* Scriba libri M sibilantem litteram ex v. *continuus* etiam subsequenti vocabulo applicuit.

ferebant gnari — finem voluisse: agnosce *δεινότητα* Cornelianam. Nimirum non flagitia principis, non facinora amicorum, non clades innoxiorum, non adulationes patrum clarius indicant atrocitatem temporum et desperationem bonorum, quam hoc viri nobilis consilium integro statu captum et fortiter ad finem perductum. Similis est locus et lumen VI 47—48.

precibus Augustae: de his III 17.

Cap. 27. *extremo anni:* conf. ad I 53. *administrandae Syriae imagine:* v. I 80 cum annot.

urbi praefuerat. Genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat. Exin Flacco Pomponio Syriae propraetore defuncto recitantur Caesaris litterae, quis incusabat egregium quemque et regendis exercitubus idoneum abnuere id munus, seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur, oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri. Obiit eodem anno et Marcus Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi. Neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

28 Paulo Fabio Lucio Vitellio consulibus post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit, praebuitque materiem doctissimis indigenarum et Graecorum multa super eo miraculo disserendi. De quibus congruunt, et plura ambigua sed cognitu non absurda, promere libet. Sacrum soli id animal, et ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum consentiunt qui formam eius effinxere. De numero annorum varia traduntur. Maxime vulgatum quingentorum spatium: sunt qui adseverent mille quadringentos sexaginta

4. *exercitubus* M. 5. *necessititudine* M. 8. *M.* M. 10. *conl.* M. 13. *L.* M. *cos.* cum lin. M. *saec.* Or. 15. *grec.* M. 19. *effinxere* e coni. Pichenae adoptatum: M *effinere*, vulgo *definiere* auctore Beroaldo.

in prioribus libris satis collocavi: cf. annot. ad III 35. *collocavi* nove dictum pro vulgari *posui: satis* autem eodem modo obiecti vice fungitur IV 38, ubi *satisque* (me) *habere* atque *qui satis — tribuent.* Eo magis miror Seyffertum desiderasse *satis multa*, in qua coniectura est exaggeratio minime Corneliana.

Cap. 28. *Paulo Fabio Lucio Vitellio:* si non ab errore profectum est quod Dio LVIII 24 de his consulibus altera Tiberii decennalia celebrantibus tradidit, τήν τε οὖν ἑορτὴν ἅμα ἐποίουν καὶ ἐκολάζοντο, haec poena non de supplicio accipienda est sed cogitandum de aliqua leviore: illud enim Tacitus non omisisset, et L. Vitellius etiam Gaio et Claudio principibus vixit; v. VI 32.

avis phoenix: etiam hoc anno vix aliud quid quam caedes et funera et luctus civium tradenda cum essent, rerum scriptor libenter subsistit in naturae miraculo quamvis fabuloso ad animum suum recreandum et legentium satietatem evitandam. De phoenice Herodotus II 73, Pomponius Mela III 8. Dio LVIII 27, Plinius N. H. X 2, Solinus c. 33, etiam Lactantius in carmine *de Phoenice.* Plinius auctore usus Cornelio Valeriano hunc phoenicem in Aegyptum (ex

unum interici; prioresque alites Sesoside primum, post Ámaside dominantibus, dein Ptolemaeo qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem cui Heliopolis nomen advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemaeum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. Unde nonnulli falsum hunc phoenicem neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex iis quae vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fetum oriri; et primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato murrhae pondere temptatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus inque Solis aram perferre atque adolere. Haec incerta et fabulosis aucta: ceterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur.

29 At Romae caede continua Pomponius Labeo, quem praefuisse Moesiae rettuli, per abruptas venas sanguinem effudit; aemulataque est coniunx Paxaea. Nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis

1. *aliter esse soside* M: correxit Iac. Gronovius ex Diodoro 1 53. *alites* pro *aliter* a Rhenano tacite correctum. 2. *ptolemeo* M, mox *ptolemeum*. 8. *iis* editor: vulgo *his*. 12. *murrae* M. 18. *recluli* M.

Arabia) advolavisse Plautio et Papinio consulibus, h. e. biennio post, narrat cumque Solinus pro more sequitur et Dio ei consentit. *qui formam eius effinxere:* h. e. qui formae imaginem sive verbis sive tabulis expressere. Cf. XI 14. H. V 5. *maxime vulgatum quingentorum spatium:* sic Herodotus, Mela, Seneca Epist. 42. Plinius DIX habet.

mille quadringentos sexaginta unum: eo annorum numero confecto integer annus intercalaris colligitur, ex horis abundantibus super numerum dierum 365, quibus constitit annus Aegyptiorum, compositus et post annos 1460 interiectus. Nam post quartum quemque annum ex illis horis dies colligitur, ex his diebus post annos 1460 (= 4 × 365) annus totus. *prioresque — advolavisse:* Tacitus varias opiniones paucis comprehendit: nam qui haec narrant, iam diversi sunt tam ab iis qui 1461 quam qui 500 annos interiici dicunt. *inque Solis aram perferre:* h. e. in aram Solis oppidi Heliopolitani in Aegypto. Herodotus: κομίζειν μιν (patrem emortuum suum) ἐπ' Αἰγύπτου ἐς τοῦ Ἡλίου τὸ ἱρόν.

Cap. 29. *rettuli:* IV 47. Mortem Labeonis et uxoris narrat etiam Dio LVIII 24. *manebant testamenta:* conf. Dio LVIII 15 et LVII 22.

bonis sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Caesar missis ad senatum litteris disseruit morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone, atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum *mole* urgebatur, culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse. Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus. Nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat; detuleratque argumentum tragoediae a Scauro scriptae, additis versibus qui in Tiberium flecterentur. Verum ab Servilio et Cornelio accusatoribus adulterium Liviae, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damna-

3. *diseruit* M. 6. *administrate provintiae* M. 7. *mole* insertum ab editore. 14. *ab*] *ad* M.

aliorumque criminum mole urgebatur: in vulgata cui deest *mole* genitivus verbo *urgeri* iunctus non minus vitiosus est et insolens, quam si esset *malorum pressus*, manifesto soloecismo. Et sane Tacitus probe cognitum habuit quid posceret usus, cum scripsit (H. IV 43) *crimine — Eprium urgebant.* Itaque Ernestius amovendo vitio, quod Waltherus imperite defendit, reponi voluit *arguebatur.* Sed ab hoc duo alienum me faciunt, quod in M forma nunc est *urgebatur*, non *urguebatur*, tum quia verbum *arguebatur* in ore Tiberii nimis languidum est: is enim dicere vult Labeonem non ab accusatoribus, sed suis delictis exagitatum mortem sibi conscivisse. Quamobrem tuendae structurae adieci *mole:* hoc autem a scriba codicis M omissum videtur esse ideo, quod in ἀρχετύπῳ duo versus ita scripti fuerunt, ut in priore *male*, in altero *mole* eodem versus loco essent, unde perperam librarius credidit etiam secundo loco *male* idque per errorem ex altero repetitum esse. Effingam rei imaginem:
m a l e administratae provinc. a. cr.
m o l e urgebatur, culpam inv. v.
Aut fors in hoc nomine ita dominata est, ut post *criminum m* intercideret, reliquiae (*ole*) a subsequente verbo (*urgebatur*) haurirentur. Cf. Ammianus Marcellinus XXII 11 §. 2: *tunc et Artemius ex duce Aegypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole, supplicio capitali multatus est.*

rursum postulatur: conf. VI 9.

vita probrosus: Scauri probra exequitur Seneca *de Benef.* IV 33, meminitque Tertullianus *de Pallio* 5. Tacitus III 66 ipse hunc nominavit *opprobrium maiorum.* Conf. Dio LVIII 24.

detuleratque argumentum tragoediae — flecterentur: fabulae nomen erat Atreus, de quo plura Dio l. c. Suetonius Tib. 61: *obiectum est poetae, quod in tragoedia Agamemnonem probris lacessisset.*

tionem anteit, hortante Sextia uxore, quae incitamentum mortis et particeps fuit.

30 Ac tamen accusatores, si facultas incideret, poenis adficiebantur, ut Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas interdicto igni atque aqua demoti sunt. Et Abudius Ruso functus aedilitate dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur. Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat, mirumque amorem adsecutus erat; effusae clementiae, modicus severitate, et proximo quoque exercitui per Lucium Apronium socerum non ingratus. Unde fama constans ausum mittere ad Caesarem litteras, adfinitatem sibi cum Seiano haud sponte sed consilio Tiberii coeptam; perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. Sibi fidem integram et, si nullis in-

1. *hortantes exitia* M: correxit Lipsius, ante quem *hortante Sexitia.* 6. *Ruso* M, non *Rufo.* *Gaetulico* M, non *Getulico* Beroaldi. 7. *isse lani* M: correxit Beroaldus. 11. *L.* M. 14. *hau* M.

Illud *detuleratque* accipiendum de crimine clam apud principem prolato. Sequens *verum* ostendit de isto crimine in accusatione apud patres tacuisse delatores. Cf. XI 4.

ab Servilio et Cornelio accusatoribus: tertium Scauri delatorem nominat M. Seneca Suasor. 2 sub finem: *Tuscus ille qui Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia extincta est, maiestatis reum fecerat, homo quam improbi animi tam infelicis ingenii* cet. Lipsius tamen *Tuscum* esse cognomen Cornelii credit. Sed Cornelius qui h. l. nominatur, aliunde non cognitus est: Seneca l. c. *Cornelium Hispanum* et *Cornelium Spatinum* declamatores nominat.

damnationem anteit: septem orationes a Scauro editae senatusconsulto combustae sunt: v. M. Seneca Controv. libri V praefat.

Cap. 30. *a Vario Ligure:* cf. IV 42. *Abudius Ruso:* de nomine *Rusone* cf. Furlanetto apud Forcellinium. *Abudios* quattuor memorari in Muratorii inscriptionibus Orellius monuit; idem *Rusonem* Sallustio Iug. 104 restituendum esse recte iudicat.

Lentulo Gaetulico: consulatum gesserat a. 779: IV 46. Carmina eius commemorant Plinius Epist. V 3, Martialis praef. epigramm. libri I, Sidonius Apollinaris Epist. II 16, Carm. IX 260. Historiam ab eo scriptam videtur indicare Suetonius Calig. 8. Supersunt epigrammata decem in Anthol. Palatina. Conf. Weichertus *Poetarum Lat. Reliq.* p. 250 annot. 11. Interfectus est a Caligula: Dio LIX 22. Suetonius Claud. 9.

L. Apronium: is pro praetore provinciam inferiorem curabat apud Vetera et oppidum Ubiorum: IV 73.

sine fraude: h. e. sine damno (*ohne Nachtheil*).

fidem integram: i. e. fidem defectione non violatam.

sidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quam indicium mortis accepturum. Firmarent velut foedus, quo princeps ceterarum rerum poteretur, ipse provinciam retineret. Haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Seiani adfinium incolumis multaque gratia mansit, reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam aetatem, magisque fama quam vi stare res suas.

31 Gaio Cestio Marco Servilio consulibus nobiles Parthi in urbem venere, ignaro rege Artabano. Is metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos, mox superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit, fretus bellis, quae secunda adversum circumiectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii ut inermem despiciens, avidusque Armeniae, cui defuncto rege Artaxia Arsacen liberorum suorum veterrimum imposuit, addita contumelia et missis qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaque reposcerent; simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, seque invasurum possessa Cyro et post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic

3. *prouintiam* M. 7. *vi stare*] *uisiare* M: correxit Beroaldus. 8. *G.* M. *M.* M. *cos.* cum lin. M. 12. *execreuerat* M: emendavit Beroaldus. 15. *inp.* M. 16. *ciliaque* M. 18. *icyro* M.

Cap. 31. *nobiles Parthi in urbem venere:* easdem res percurrit Dio LVIII 26; conf. Iosephus Antiquit. XVIII 2 §. 4. *metu Germanici fidus Romanis:* v. II 58.

senectutem Tiberii ut inermem despiciens: quoniam Tiberius in omnibus rebus arma spernebat et otium artibus suis parabat, tunc etiam aegro corpore fatigabatur, Parthus hanc esse inscitiam armorum iactavit.

addita contumelia: de hac Suetonius Tib. 66: *quin et Artabani, Parthorum regis, laceratus est litteris, parricidia et caedes et ignaviam et luxuriam obiicientis, monentisque ut voluntaria morte maximo iustissimoque civium odio quam primum satisfaceret.*

ultroque potentiam habet: in Oriente eunuchi ob easdem causas potentes erant, quibus orbi Romae multum valebant. *ripam apud Euphratis:* v. ad IV 5. Ripa Euphratis terminus tunc fuit imperii Romani.

Cap. 32. *ornat Phraaten:* pecunia et adiutoribus.

destinata retinens: cf. II 64-66.

veneno inligaret: sic IV 53 *morbo corporis inplicata.* Dicitur de ea re qua libera agendi potestas impeditur.

instituta Parthorum adsumit: libri M vitium *insumit* ex antegresso nomine *instituta* aut verbo *insueverat*, unde sonus *in* auribus scribentis impressus, originem duxit; alia eiusdem vitii origo XIV

Abdus, ademptae virilitatis. Non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet. Ii adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phraaten regis Phraatis filium Roma poscebant: nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam
32. apud Euphratis cerneretur. Cupitum id Tiberio. Ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere. Et barbaris cunctatio servilis, statim exequi regium videtur. Valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno inligaret, Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. Et Phraates apud Syriam dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum adsumit, patriis moribus impar morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridaten sanguinis eiusdem aemulum Artabano, reciperandaeque Armeniae Hiberum Mithridaten deligit, conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat; et cunctis quae apud Orientem parabantur, Lucium Vitellium

3. *inp.* M. 4. *artano* M. *Phraaten*] cf. ad 2 1. 6. *arsaces* M. 7. *cubitum* M. 9. *asatu* M. 13. *spetie* M. 16. *adsumit* editor: M *insumit.* 17. *adsumptus* M: correxit Beroaldus. 18. *incepta* M, non Beroaldi *incoepta.* *tiridatem* M. 19. *mithridanten* M. *diligit* M. 21. *L.* M.

44. *Insumitur* autem quod ad aliam rem comparandam ita adhibetur, ut ipsum usurpando pereat et consumatur. Sic II 53: *paucos dies insumpsit reficiendae classi.* III 44: *quod — libellis accusatorum insumeret operam.* XVI 23: *portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat.* *Adsumitur* quod ante non aderat neque usu consumitur, ut XII 2: *si rursus adsumeretur* (repudiata coniux). 5: *quod porro honestius censoriae mentis levamentum quam adsumere coniugem.* XIV 20: *quid superesse nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant.* XV 54: *uxoris quoque consilium adsumpserat.* Omnino in deliciis hoc verbum Cornelio; cf. I 8, XIII 12, XIV 57, XV 34 et 71, XVI 2. H. II 69 et 72, III 59. A. 3 et 13 et 25. O. 14 et 31.

gentile imperium: h. e. gentis suae (Hiberorum) imperium. Conf. XI 1: *gentiles* (gentis suae) *nationes.* 16: *gentile decus.* XII 14: *levitate gentili.* 17: *gentilis utilitas.* 34: *gentili religione.* Idem VI 33 *more gentico.*

L. Vitellium: Syriam pro praetore administrandam accepit, cum anno ante (VI 28) consul fuisset.

praefecit. Eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam, pleraque foeda memorari, ceterum regendis provinciis prisca virtute egit. Unde regressus, et formidine Gai Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus, exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis, et bona iuventae senectus flagitiosa oblitteravit. At ex regulis prior Mithridates Pharasmanem perpulit 33
dolo et vi conatus suos iuvare, repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt, simul Hiberi magnis copiis Armeniam inrumpunt et urbe Artaxata potiuntur. Quae postquam Artabano cognita, filium Oroden ultorem parat; datque Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra Pharasmanes adiungere Albanos, accire Sarmatas, quorum sceptuchi utrimque donis acceptis, more gentico, diversa induere. Sed Hiberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis adventabant, facile arcebantur, cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter et extremos Albanorum

1. *hausum* M. 3. *C.* M. 5. *aput* M. 6. *obliteravit* M. 7. *Pharasmanem* M, non *Pharasmanen.* 9. *haberi* M. 11. *Orodem* Or. 12. *datque Parthorum* Beroaldus: *dat Parthorumque* M, *dat Parthorum* Dübner. 13. *accire* I. Fr. Gronovius: M *accipere*, Lipsius *acciere.* 16. *effunt* M; correxit Beroaldus.

Conf. Suetonius Vit. 2 et Dio LIX 27. Huius in Gaium Caesarem et Claudium adulationis specimina Suetonius et Dio praebent, alia Tacitus XI 3 et 34, XII 4 et 5.

exemplar — adulatorii dedecoris: Seneca N. Q. IV praef.: *Plancus artifex* (adulandi) *ante Vitellium maximus aiebat non esse occulte nec ex dissimulato blandiendum.*

Cap. 33. *repertique corruptores — urbe Artaxata potiuntur:* sustuli pleniorem puncti distinctionem post *cogunt* vulgo positam. Nam post primarium enuntiatum *Mithridates Pharasmanem perpulit dolo et vi conatus suos iuvare* sequuntur duo secundaria et explicationis causa adiecta, alterum quo *dolo* Pharasmanes conatus Mithridatis iuverit, id quod verbis continetur *repertique — ad scelus* (ad Arsacen dolo necandum) *cogunt,* alterum qua *vi* grassatus sit, quod inest sequentibus *simul Hiberi — potiuntur.*

urbe Artaxata: si abesset *urbe*, scripturus fuit Tacitus *Artaxatis*, non *Artaxata;* v. ad II 56. *mittit qui auxilia mercede facerent:* auxilia sunt *auxiliares*, ut saepius apud Tacitum. *Facerent* antique dictum pro *pararent.* Missi illi ad Sarmatas profecti sunt, sed auxilia ibi comparata locorum difficultatibus impedita sunt, quo minus Parthis adventarent.

locorum potentes: ipsi Hiberi sedibus suis magnam partem occupabant eius spatii, quod inter Pontum et Caspium mare porrigitur. Quod restat, id Albani socii Hiberorum colebant. *Caspia via* apud

montes, aestas impediret, quia flatibus Etesiarum implentur vada: hibernus auster revolvit fluctus, pulsoque introrsus freto

34 brevia litorum nudantur. Interim Oroden sociorum inopem auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula; ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium. Atque illis sola in equite vis: Pharasmanes et pedite valebat. Nam Hiberi Albanique saltuosos locos incolentes duritiae patientiaeque magis insuevere. Feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iaso, post avectam Medeam genitosque ex ea liberos, inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit. Multaque de nomine eius, et oraclum Phrixi celebrant; nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum, sive id animal seu navis insigne fuit. Ceterum directa utrimque acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Hiberum, mercenario milite disserebat;

3. *nudanter* pr M. *Oroden* M, non *Orodem*. 5. *in* deest in M: inseri iussit Muretus. 12. *aetae* M: correxit Beroaldus. 17. *mercennario* M.

Suetonium in Nerone c. 19 *portae Caspiae.* Plinius VI 12: *ab his sunt portae Caucasiae, magno errore multis Caspiae dictae, ingens naturae opus montibus interruptis repente; ubi fores obditae ferratis trabibus, subter medias amne diri odoris fluente, citraque in rupe castello — communito.* Ad errorem illum vitandum Tacitus generale nomen *Caspiam viam* (*die Caspische Strasse*) posuit.

quia — implentur vada: ad particulam *quia* verbum *implentur*, non etiam *nudantur* referendum est: nam priore enuntiato (*quia — vada*) causa exponitur cur aestivo tempore, Etesiis borealibus spirantibus undasque in brevia et nuda litorum volventibus, ex altera autem parte montibus in oram prominentibus, Sarmatarum auxilia in Armeniam pervenire non potuerint. Explicationis causa additur, hibernis mensibus illa litora ab undis non infestari, austro fluctus ab ora in altum mare (*introrsus*) repellente. Conf. Curtius VI 4 19.

brevia litorum: sunt vada iuxta oram maris sita. *Brevia* e Graeco (*τὰ βράχη*) conversum nomen. Cf. XIV 29 ibique annot. Virgilius Aen. I 111: *tris* (naves) *Eurus ab alto in brevia et syrtis urguet.*

Cap. 34. *feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate — repetivit:* conf. Strabo XI 2 18 et 14 12, Diodorus IV 55 et 56, Apollodorus I 9 28, praecipue Iustinus XLII 3.

credito vexisse Phrixum: haec causam referunt cur Hiberi Albanique ab ariete immolando abstineant. Itaque comma posui post *sacrificaverit.*

ignobilem Hiberum, mercenario milite: duo Parthus exprobrat Pharasmani, gentis obscuritatem et milites mercede conductos. Quamobrem post *Hiberum* commatis distinctio debuit esse.

Pharasmanes integros semet a Parthico dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos. Simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam ostendere.

35 Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas inirent: impetu et comminus praeveniendum. Variae hinc bellantium species, cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaereret, Sarmatae omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent, modo equestris proelii more frontis et tergi vices, aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent pellerentur. Iamque et Albani Hiberique prensare detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere, quos super eques, et propioribus vulneribus pedites adflictabant. Inter quae Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt aut dubitantibus subveniunt, conspicui eoque gnari, clamore telis equis concurrunt, instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit. Nec iterare valuit, praelatus equo, et fortissimis satellitum protegentibus saucium. Fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos,

6. *sinerent* M: correxit Beroaldus. 7. *speties* M. 10. *equites tres* M: correxit Rhenanus. 11. *conserta* M: *conferta* ab Ernestio est. 14. *propioribus* M, non *a propioribus*. 15. *interque* M. 19. *valiut* M. 20. *saucim* M.

Cap. 35. *brevius*, h. e. magis ex propinquo: contra Parthi suis sagittis longius spatium quaerebant, ob magnitudinem et virtutem arcus vehementer ruentibus.

modo equestris proelii more frontis et tergi vices: haec de Parthis dicta sunt, quae sequuntur, de Hiberis et sociis. Post *vices* omissum est *essent*, hoc autem perinde ac *pellerent pellerentur* pendet ex praegressa particula *cum*. Verbum *essent* tribus modis supprimere Tacitus ausus est, primum sic ut praecederet et sequeretur verbum ex eadem coniunctione suspensum, ut I 65: *nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu—resultantis saltus complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces* (essent), *atque ipsi passim adiacerent vallo.* Sufficit tamen, si tantum sequitur verbum, quod ex eadem particula, unde suppressum *esset* vel *essent* vel *fuisset*, pendeat, ut VI 37: *quia eorum quae terra caelove portenderentur certior fides* (esset), *fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque.* I 9: *quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus* (fuisset), — *quod Nolae in domo et cubiculo in quo pater eius Octavius vitam finivisset.* H. IV 34: *tamquam perditae apud Romanos res* (essent) *et suis victoria provenisset.* Postremo satis ei visum est, si post

36 victoriamque concessere. Mox Artabanus tota mole regni
ultum iit. Peritia locorum ab Hiberis melius pugnatum.
Nec ideo abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius, et
subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus, metum
Romani belli fecisset. Tum omissa Armenia, versaeque Ar-
tabani res, inliciente Vitellio, desererent regem saevum in
pace et adversis proeliorum exitiosum. Igitur Sinnaces,
quem antea infensum memoravi, patrem Abdagaesen aliosque
occultos consilii, et tunc continuis cladibus promptiores, ad
defectionem trahit, adfluentibus paulatim qui metu magis quam
benivolentia subiecti repertis auctoribus sustulerant animum.
Nec iam aliud Artabano reliquum, quam si qui externorum
corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis
neque boni intellectus neque mali cura, sed mercede aluntur
ministri sceleribus. His adsumptis in longinqua et contermina
Scythiae fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carma-
niisque per adfinitatem innexus erat: atque interim posse
Parthos absentium aequos, praesentibus mobiles, ad paeni-
37 tentiam mutari. At Vitellius profugo Artabano et flexis ad
novum regem popularium animis, hortatus Tiridaten parata

2. *ultimi id* M: correxit Lipsius, ante quem *ultimi. id peritia. ab*] *ad* M. 4. *subdidorum ore* M. 9. *consilit* M: emendavit Faërnus.

id verbum omissum sequeretur appositio, veluti A. 16: *ac velut pacti* (essent), *exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit.*

ut conferta acies: conferta acies Hiberorum opponitur contraria *distractis* turmis Parthorum. *conserta,* ut est in M, bene se haberet, si scriptum esset *consertae* et utraque acies Parthorum Hiberorumque intelligeretur, de una autem acie apte dici nequit. Frustra Waltherus provocavit ad Curtii III 2 13 (*conserta robora virorum — armis arma conserta*) et 11 4 (*conserta et quasi cohaerentes* atque *comminus pugnam coacti conserere*), porro ad eiusdem VIII 13 12 (*ibi levia proelia conserebant*)*:* nam in his locis *conserere* suam potentiam tuetur, in Tacitino eadem agnosci nequit.

quos super eques: equites Albanorum Hiberorumque occupatis locis superioribus in Parthos sagittas dirigebant; cum illis componuntur *propiora vulnera* a pedite illata.

Cap. 36. *mox Artabanus:* per particulam *mox* videtur indicare Tacitus, haec quae sequuntur incidere in alterum annum: nunc enim praeter morem iungit res per duos annos gestas in Oriente (c. 38).

aliosque occultos consilii: qui consilium suum adversus Artabanum ante occulerant. Eadem structura IV 7: *ultor metuebatur non occultus odii. Abdagaesis* nomen M constanter per *ae*, non *e*, effert, quem secutus sum fretus analogia vocabuli *Monaeses* apud Horat. Carm. III 6 9. Conf. ad XV 2. Aliam tamen rationem sequitur *Vologeses.*

capessere, robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. Sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, nuntiavere accolae Euphraten nulla imbrium vi sponte et immensum attolli, simul albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus. Quidam callidius interpretabantur, initia conatus secunda neque diuturna, quia eorum quae terra caelove portenderentur certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque. Sed ponte navibus effecto tramissoque exercitu, primus Ornospades multis equitum milibus in castra venit, exul quondam et Tiberio, cum Delmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romana donatus, mox repetita amicitia regis multo apud eum honore, praefectus campis qui Euphrate et Tigre inclutis amnibus circumflui Mesopotamiae nomen acceperunt. Neque multo post Sinnaces auget copias, et columen partium Abdagaeses gazam et paratus regios adicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus, monet Tiridaten primoresque, hunc Phraatis avi et altoris Caesaris, quae utrobique pulchra, meminerit, illos, obsequium in regem, reverentiam in nos. Decus quisque suum et fidem retinerent. Exin cum legionibus in Syriam remeavit.

Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret 38
animus a domesticis malis. Non enim Tiberium, quamquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mollire solent,

2. *romane* M. 3. *anni* M. 4. *inm.* M. 6. *prospere* M. *calldius* M. *interpraet.* M. 9. *omnia* M: correxit Beroaldus. 18. *uitellelis* M. 19. *et* tacite Rhenanus: M *ut.* 20. *utrubique* M. 22. *exim* M.

Cap. 37. *in modum diadematis:* aquae spumantis vortices candidis fasciis diadematum similes erant. Diadematis figuram indicant Seneca Ep. 80, Silius XVI 242, Xenophon Cyrop. VIII 3 7.

auspicium prosperi transgressus: conf. annot. ad I 27. *columen partium Abdagaeses:* qui praecipuum decus et praesidium partibus erat. H. III 66: *specimen partium Mucianus.*

quae utrobique pulchra, meminerit: est epexegesis praecedentium *Phraatis avi et altoris Caesaris.* Sine causa ad h. l. offendit Neuius in Observ. ad Tacitum specim. I p. VII, *quaeque* scribendum ratus.

Cap. 38. *quo requiesceret animus a domesticis malis:* alia causa cur res per plures annos gestas coniungeret, ei fuit XII 40: *haec quamquam a duobus propraetoribus plures per annos gesta, coniunxi,*

tempus preces satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio ingruentis accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit, ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exilium obiectando. Quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Isdem diebus Granius Marcianus senator, a Gaio Graccho maiestatis postulatus, vim vitae suae attulit; Tariusque Gratianus praetura functus lege eadem extremum ad supplicium damnatus.
39 Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus: nam Trebellienus sua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in principem factitata strangulatus est. Haec Tiberius non mari, ut olim, divisus, neque per longinquos nuntios accipiebat, sed urbem iuxta, eodem ut die vel noctis interiectu litteris consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum.

Fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus, maximisque provinciis per quattuor et viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.

1. *sacias* M. 3. *hau* M. 5. *conp.* M. 10. *Istem* M. 11. *granius* M (non *granus*). *G.* M. 12. *Tariusque* M, non *Tatiusque* Beroaldi. 21. *poppaeius* (*i* puncto notatum). 24. *inp.* M.

ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent. Simplicius egit XIII 9: *quae in alios consules egressa coniunxi.*

Fulcinius Trio — haud perpessus: perpessus est passus usque ad finem. Cf. V 11, VI 4. Dio LVIII 22: *κατηγορηθείς τε παρεδόθη καὶ δείσας ἑαυτὸν προαπέκτεινε.*

Tariusque Gratianus. Beroaldus *Tatiusque* ediderat idque permansit, donec indicio Baiteri *Tariusque* ex M dedit Orellius, *Tariam* memorari apud Muratorium 1470 7 monens.

Cap. 39. *Paconianus in carcere:* posteaquam Caesaris litteris perculsus est (VI 3—4), attinebatur in carcere. *urbem iuxta:* versabatur tunc Antii; v. Dio LVIII 25.

fine anni: cf. annot. ad I 53. Sabini mortem et felicitatem Dio paucis tradit LVIII 25.

Quintus Plautius Sextus Papinius consules sequuntur. 40 Eo anno * * neque quod Lucius Aruseius * * morte adfecti forent, adsuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit quod Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit, prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque iam exanimis laqueo vexatae. Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. At Gaius Galba consularis et duo Blaesi voluntario exitu cecidere, Galba tristibus Caesaris litteris provinciam sortiri prohibitus: Blaesis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsa distulerat, tunc ut vacua contulit in alios. Quod signum mortis intellexere et executi sunt. Et Aemilia Lepida, quam iuveni Druso nuptam rettuli, crebris criminibus maritum insectata, quamquam intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus: post a delatoribus corripitur ob servum adul-

1. *quinius* M. *Sex.* M. 2. hiatus notavit editor: in M nulla defectus indicia. *L.* M. 4. *romanos* M. 6. *ma manibus*, prius *ma* in fine versus, M. 8. *positus* M. 9. *C.* M. 10. *blaesii* M, mox *blaesis*. 11. *sacerdocia* M. 14. *exsec.* Or. 16. *intestabiles* M.

Cap. 40. *eo anno * * neque:* hoc loco versus excidit aberrantibus scribentis oculis a priore particula *neque* ad hanc alteram. Sed etiam post nomen *Aruseius* alius hominis bina nomina interierunt, ut ostendit numerus multitudinis *adfecti forent.* Quodsi nomina pro nostro arbitrio quaedam ponamus, haec fere forma fuerit narrationis Tacitinae: *eo anno* neque accusatio et damnatio Papii Mutili, viri inlustris, *neque quod Lucius Aruseius* et Marcus Sanquinius, accusatores Arruntii, *morte adfecti forent*, cet. Qui uno verborum defectu, ut vulgo fit, acquiescere malit, hunc probabiliter quae desunt nunquam sive suppleturum sive imitaturum esse spondeo. Nam quo minus haec fere fuisse putemus, *eo anno* neque quod Marcus Sanquinius, *neque quod Lucius Aruseius morte adfecti forent*, impedit ac dissuadet inertis repetitionis molesta structura, quam nemo magis aversatur quam insignis hic variationis amator. Rem atrocem etiam Dio narravit LVIII 21, sed rettulit ad annum a Christo tricesimum tertium, temporum haud diligens observator.

festinatis lictorum manibus: festinationis causa perspicitur ex iis quae ante (cap. 29) tradita sunt.

C. Galba consularis: est idem qui III 52 *C. Sulpicius* nominatur, consul anno 22 a Christo et collega *D. Haterii*, frater eius qui post imperavit. Conf. Sueton. Galba 3.

duo Blaesi: filii, credo, fuerunt eius Blaesi qui avunculus Seiani (III 35) post huius casum poenas in primis dedit, de quo dictum ad V 7. Iunius Blaesus, II. I 59, II 59, III 38 nominatus et laudatus,

terum; nec dubitabatur de flagitio. Ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit.

41 Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao subiecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit, locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur, donec Marcus Trebellius legatus, a Vitellio praeside Syriae cum quattuor milibus legionariorum et delectis auxiliis missus, duos collis quos barbari insederant (minori Cadra, alteri Davara nomen est) operibus circumdedit, et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem coëgit.

At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam Parthica oppida recepit, certantibus gaudio qui Artabanum Scythas inter eductum ob saevitiam execrati come Tiridatis ingenium Romanas

3. *Clitarum* Rhenanus in margine: M *cietarum.* *Cappadoci* M, non *Cappadociae* Beroaldi. 7. *M.* M. 14. *parthico* M. 15. *arcabanum* M. 16. *exs.* Or.

eiusdem Blaesi filius natu minimus, ut videtur, fuit isque ob aetatem magnae fortunae pericula nunc effugit. Conf. annot. ad H. I 59.

convulsa: tunc cum trucidati sunt Seianus et pater Iunius Blaesus (V 7).

quam iuveni Druso nuptam rettuli: in deperdita parte libri quinti. Drusus est Germanici filius, cuius mors narratur VI 23. Adiecto *iuvenis* nomine distinguitur a Druso Tiberii filio ante mortis diem adulto. Obiter h. l. discimus Aemiliam in mariti Drusi perniciem fecisse eadem quae ausa est Iulia in Neronem, fratrem aeque infelicem Drusi; v. IV 60. Dira tempora, diri homines, prae ceteris mulieres!

Cap. 41. *Clitarum natio Cappadoci Archelao subiecta*: Clitae XII 55 *agrestes Cilices* vocantur, Ciliciae Tracheae sive Trachiotidis habitatores; v. Strabo XIV 4 6 et XII 1 4. Hanc Ciliciae partem, ad oram maritimam sitam, atque Cappadociam olim Archelaus ab Augusto acceperat moderandam; v. Strabo locis indicatis et Dio LIV 9. Sed posteaquam Archelaus ille vita cessit primis annis Tiberii principis (II 42 et 56), Cappadocum terra in provinciae formam redacta Romano imperio accessit, sed Asperam Ciliciam hic Archelaus, prioris filius vel nepos, retinuit.

Macedonibus sitae: sitae idem valet quod positae vel conditae. Dativus *Macedonibus*, qui fungitur vice ablativi cum *a* praepositione sociati, non conferendus est, ut Orellius fecit, cum II 7 *aram Druso sitam:* siquidem hanc aram *honori Drusi* tunc fecisse Romanos credibile est, cum is in Germania fato functus est. De Nicephorio Strabo XVI 1 §. 23, de Anthemusiade urbe sive Anthemusia ibidem §. 27. Plin. N. H. V 21: *iungitur* (Arabiae) *praefectura Mesopotamiae, — in qua Anthemusia et Nicephorium oppida.* Idem VI 30 *Anthemuntem* appellat.

per artes sperabant. Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, saepta muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus; sua populo vis. Et quotiens concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnis valescit. Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus, et quos recens aetas largius invenit; simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsaciden, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit. Mox consultans quonam die sollemnia regni capesseret, litteras Phraatis et Hieronis, qui validissimas praefecturas obtinebant, accipit, brevem moram precantium. Placitumque opperiri viros praepollentis, atque interim Ctesiphon sedes imperii petita. Sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram et adprobantibus Surena patrio more Tiridaten insigni regio evinxit. Ac si statim interiora ceterasque nationes 43

42

2. *septa* M. 4. *quoties* M. 5. *spernuntur* M: tacite correxit Rhenanus. 7. *oms* cum lin. M. 12. *materne* M. 13. *degenere* M. 15. *praefecturis* M. 16. *optinebant* M. 17. *operiri* M. *C. Tesipho* (*o* cum lin.) M. 18. *exdim* M. 19. *tiridan* M.

Cap. 42. *Seleucenses:* est Seleucia ad Tigrim, Mesopotamiae urbs, nunc *Al-Madain.* Strabo XVI 1 §. 16. *neque in barbarum corrupta: in barbarum* est *ut barbara fieret*, accusativo rem effectam denotante. Conf. H. V 2: *aucto in barbarum cognomento.*

paucorum dominatio regiae libidini propior: Thucyd. III 62: ὅπερ δέ ἐστι νόμοις μὲν καὶ τῷ σωφρονεστάτῳ ἐναντιώτατον, ἐγγυτάτω δὲ τυράννου, δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν.

materna origine Arsaciden, cetera degenerem: ob maternam originem esse dicitur *Arsacidarum e sanguine* II 3, sed ibidem propter patrem peregrinum *apud Dahas adultus* et VI 36 *Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus* esse traditur. Per *cetera degenerem* indicatur, tam gentem quam mores Arsacidarum in Artabano desiderari.

Surena: is fuit haud dubie Abdagaeses, *columen partium* Tiridatis (VI 37), qui postquam Artabanum deseruit, huius res cecidere ac novae partes invaluere (VI 36), mox etiam praecipuus novi regis auctor et dux (VI 43 et 44). Nam *Surena* nomen erat apud Persas Parthosque summae post regem dignitatis et potestatis, de quo v. Strabo XVI 1 23, Plutarchus Crasso c. 56 et 59, Ammianus Marcellinus XXIV 2 §. 4, XXX 2 §. 5.

petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant: adsidendo castellum, in quod pecuniam et pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. Nam Phraates et Hiero, et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagaesen, qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. Isque in Hyrcanis repertus est, inluvie obsitus et alimenta arcu expediens. Ac primo tamquam dolus pararetur, territus, ubi data fides reddendae dominationi venisse, adlevatur animum, et quae repentina mutatio exquirit. Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat, neque penes Arsaciden imperium, sed inane nomen apud imbellem externa
44 mollitia, vim in Abdagaesis domo. Sensit vetus regnandi falsos in amore odia non fingere. Nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus et praeveniens inimicorum astus, amicorum paenitentiam; neque exuerat paedorem ut vulgum miseratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil omissum quo ambiguos inliceret, prompti firmarentur. Iamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano

1. *oms* cum lin. M. 2. *adsitendo* M: correxit Beroaldus. *pelices* M. 3. *exsuendi* M. 5. *haud* Pichena: M *haci*, Rhenanus *non*. 6. *abdacaesen* M. 12. *inb.* M. 14. *quam dum* tacite Rhenanus: M *quam tum*, Beroaldus *quantum*. 17. *exsuerat* M. *paedorem* M, non Beroaldi *pedorem*. 18. *pces* cum lin. M. 20. *adventabant* M: correxit Beroaldus.

Cap. 43. *adsidendo castellum:* quemadmodum *obsidere* infestum animum acremve significat, eademque vis agnoscitur in *obequitare*, *obstrepere*, *occurrere*, *obiicere*, cet., sic *adsidere* solam praesentiam indicat, quo fit ut interdum simul insit desidiae et inertiae significatio, id quod h. l. usu venit et IV 58: *moenia urbis adsidens.* Abest ea notio a Virgilii Aen. XI 304: *cum muros adsidet hostis.*

alimenta arcu expediens: expediri proprie dicitur id quod adest et promitur (*hervor langen*), ut H. II 21: *Othoniani sudes — expediunt.* Virgil. Aen. I 705: *Cereremque canistris expediunt.* Itaque significatum est a Tacito tantam copiam ferarum in Hyrcanorum silvis fuisse, ut eas arcu suo quasi expedire sibi Artabanus posset.

Cap. 44. *sensit — falsos in amore odia non fingere:* sensit Artabanus falsos in amore ipsius esse tamen sinceros Tiridatis et Abdagaesis osores, atque hoc ei sufficere videbatur. *Sensit* vi praecipua praeditum verbum ideo in principio enuntiati positum est; Theodisce dicas *da merkte.* De genitivo *vetus regnandi* dictum ad I 20.

cum Tiridatis — distrahi: conf. annot. ad II 31.

perculsus distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. Quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos et longinquitate itineris fessos ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse disserunt, proditores nuper hostesque eius, quem rursum foveant. Verum Abdagaeses regrediendum in Mesopotamiam censebat, ut amne obiecto, Armeniis interim Elymaeisque et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus et quas dux Romanus misisset fortunam temptarent. Ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagaesen et Tiridates ignavus ad pericula erat. Sed fugae specie discessum; ac principio a gente Arabum facto ceteri domos abeunt vel in castra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exolvit.

Idem annus gravi igne urbem adficit, deusta parte circi 45
quae Aventino contigua, ipsoque Aventino. Quod damnum Caesar ad gloriam vertit exolutis domuum et insularum pretiis.

1. *percussus* M: correxit Rhenanus. 2. *praelium* h. l. M. 3. *iteneris* M. 5. *abdagaesis* M. 7. *elymeisque* M. 10. *atpericula* M. 11. *a gente* Beroaldus: M *agenti*. 12. *in irastra* M. 13. *oms* cum lin. M. *exs.* Or. 16. *exsol.* Or. *pciis* cum lin. M.

amne obiecto: dicit Tigrim amnem, qui cum Euphrate Mesopotamiam circumluit. Nam Ctesiphon imperii sedes, quo contenderat Tiridates (c. 42), et castellum ubi pellices Artabani et pecunia, sita sunt in sinistra Tigridis ora; inde igitur in dextram regrediendum esse censebat Abdagaeses.

Cap. 45. *idem annus:* v. annot. ad I 53. Dio eandem rem paucis absolvit LVIII 26. *domuum et insularum pretiis*: de domibus dictum ad I 73. De *insulis* ex Festo Paulus haec s. v.: *insulae dictae proprie aedes, quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur.* Sunt magni ambitus aedificia, pluribus tabulatis sive coenaculis composita, a dominis insularum ad locandum aedificata vel empta, habitata plerumque a civibus mediocribus et pauperibus. Cf. L. Preller in libro cui indicem fecit 'die Regionen der Stadt Rom' p. 86. Insularum mentio praeterea apud hunc nostrum XV 41. H. I 86.

ea munificentia: Sueton. Tib. 48: *publice munificentiam bis omnino exhibuit, proposito milies sestertio gratuito in triennii tempus* (Tac. VI 17), *et rursus quibusdam dominis insularum quae in monte Caelio deflagraverant pretio restituto* (Tac. IV 64). Vides, lector, tertiam hanc Tiberii munificentiam a Suetonio neglectam esse et ignoratam.

templum Augusto et scenam Pompeiani theatri: de his monumentis Velleius more suo II 130: *quanta suo suorumque nomine extruxit opera? quam pia munificentia superque humanam evecta fidem templum patri molitur? quam magnifico animi temperamento Gnaei quoque Pompeii munera absumpta igni restituit?* His ampullis contraria Suetonius Tib. 47: *princeps neque opera ulla magnifica fecit (nam et*

Milies sestertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus. Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta, contemptu ambitionis an per senectutem, haud dedicavit. Sed aestimando cuiusque detrimento quattuor progeneri Caesaris, Gnaeus Domitius, Cassius Longinus, Marcus Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusque nominatione consulum Publius Petronius. Et pro ingenio cuiusque quaesiti decretique in principem honores. Quos omiserit receperitve, in incerto fuit ob propinquum vitae finem.

Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Gnaeus Acerronius Gaius Pontius, magistratum occepere, nimia iam potentia Macronis, qui gratiam Gai Caesaris nunquam sibi neglectam acrius in dies fovebat, impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei rettuli, uxorem suam Enniam imitando amorem iuvenem inlicere pactoque matrimonii vincire,

1. *ea* mg M antiqua manu et Beroaldus: M *in*. *conl*. M. 5. *hau* M. 6. *CN*. M. 7. *M*. M. *rurellius* M. 8. *P*. M. 9. *cuius* M: correxit Beroaldus. 10. *omiserat* M. 12. *consulis* M. *CN*. M. 13. *C*. M. 14. *C*. M. *numquam* M. 16. *imitando* M, *immittendo* in margine. 17. *amore* cum lin. (h. e. *amorem*) M: vulgo *amore*. *pactoque patrimonii* M (non Furiae *pactoque m patrimonio*). *vincere* M: correxit Beroaldus.

quae sola susceperat, Augusti templum restitutionemque Pompeiani theatri imperfecta post tot annos reliquit), *neque spectacula omnino edidit.*

haud dedicavit: hanc operam praestitit Caligula: v. Suetonius Calig. 21. Suetonius ob dedicationis defectum opera illa semel (Tiber. 47) *imperfecta* et iterum (Calig. 21) *semiperfecta* nominavit. Conf. Dio LIX 7. *nominatione consulum:* hoc est nominatus et destinatus a consulibus. Verbum *nominare* ea praeditum potestate est II 36: *princeps duodecim candidatos nominaret.*

quam nuptam ei rettuli: VI 20. Claudiam sive Claudillam, ut vocat Suetonius Calig. 12, ex partu decessisse narrat Suetonius l. c., itemque Tacito consentit Philo Legat. ad Calig. 9. Errat et dissentit Dio LIX 8: *τήν τε θυγατέρα αὐτοῦ* (Silani) *ἐκβαλὼν ἔγημε Κορνηλίαν Ὀρεστίναν.*

imitando amorem: vulgo scribitur *amore*, adversante Mediceo: sed Tacitus ubi variandae orationis causa gerundium adhibet eadem potestate praeditum qua participium temporis praesentis, veluti *imitando amorem* pro eo quod est *imitans amorem*, accusativum nominis ponere solet, non ablativum cum gerundivo. Conf. I 6: *neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando.* 42: *divus Iulius seditionem — compescuit, Quirites vocando qui sacramentum*

nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. Nam etsi commotus ingenio simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. Gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda 46 re publica primum inter nepotes, quorum Druso genitus sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus, Germanici filio robur iuventae, vulgi studia, eaque apud avum odii causa. Etiam de Claudio agitanti, quod is composita aetate bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obstitit. Sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent, metuebat. Quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio. Mox incertus animi,

6. *aput* M. 7. *conp.* M. 8. *arcium* M.

eius detractabant. II 26: *addidit munificentiam Caesar, quantum quis damnum professus erat, exolvendo.* Ibidem: *modestiam eius adgreditur, alterum consulatum offerendo.* 55: *infimos manipularium iuvando* —, *eo usque corruptionis provectus est.* 81: *semet adflictando* — *seditionem coeptabat.* III 24: *culpam* — *gravi nomine laesarum religionum appellando*—, *clementiam*—*egrediebatur.* 60: *imaginem antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo.* IV 15: *idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit, alterum ex geminis Drusi liberis extinguendo.* 21: *eadem actitando*—*odia advertit.* V 6: *memoriam nostri* — *retineatis, adiciendo me quoque* cet. VI 38: *multa et atrocia* — *composuit, ipsi fluxam senio mentem* — *obiectando.* XIII 11: *quas* (orationes) *Seneca, testificando quam honesta praeciperet,* — *vulgabat.* 47: *suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium eius in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando.* 50: *impetum eius* — *attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo.* Adde c. 53 et 54. XIV 3: *ipsa praesumendo remedia corpus munierat.* 7: *sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus* — *obiciendo.* 20: *degeneretque studiis externis iuventus,* — *turpes amores exercendo.* Adde c. 28 et 31. XV 8: *percursando quae obtineri nequibant* — *reduxit exercitum.* 38: *incendium* — *inferiora populando, anteiit remedia.* 57: *alienos ac prope ignotos protegendo* (expiravit). XVI 7: *mortem Poppaeae* — *nova insuper invidia Nero complevit, prohibendo Gaium Cassium officio exequiarum.* H. I 23: *studia militum* — *adfectaverat, contubernales appellando.* 24: *is mobilissimum quemque* — *adliciendo, eo paulatim progressus est.* 43: *vertendo in se percussores,* — *Pisoni effugium dederat.* 65: *Lugdunenses extimulare singulos militum* —, *conscriptas nuper legiones in praesidium Galbae referendo.* 77: *munia imperii obibat*—, *pleraque contra decus ex praesenti usu properando.* 87: *vigorem Celsi, maturitatem Galli* — *criminando* —, *bonos et modestos anteibat.* H. II 48: *fratris filium* — *solatus est, laudando pietatem.* H. III 39: *addidit facinori fidem* —, *Blaesum visendo.* 54: *nec duces hostium augendae famae deerant* —, *exploratores remittendo.* H. IV 19: *Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat.* A. 6: *vixeruntque mira concordia,*

fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit, iactis tamen vocibus per quas intellegeretur providus futurorum. Namque Macroni, non abdita ambage, occidentem ab eo deseri, orientem spectari exprobravit. Et Gaio Caesari forte orto sermone Lucium Sullam inridenti, omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit. Simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu, 'occides hunc tu' inquit, 'et te alius.' Sed gravescente valitudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans, solitusque eludere medicorum artes atque eos qui post tricesimum aetatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

4. *C.* M. 5. *L.* M. 7. *conpl.* M. 8. *inquid* M.

— *invicem se anteponendo.* 9: *ne famam quidem — ostentando virtutem quaesivit*, ubi v. annot. Gerundivum cum ablativo nominis substantivi raro ac non sine certa causa admisit, veluti XII 34: *gentium ductores circumire hortari, firmare animos minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis.* Hic extremus casus postulavit ut accommodarentur priores, ne concinnitas verborum periret. Idem dicendum de H. IV 26: *struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant.* XIV 4: *prosequitur abeuntem, — sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus aspectus quamvis verum animum retinebat.* Ibi *explenda simulatione* non est idem quod *simulationem explens*, sed est *ob explendam simulationem.* Iam unus, ni fallor, locus restat qui repugnat constanti alioqui consuetudini Cornelianae, VI 23: *cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset:* sed hunc plus uno nomine suspectum esse suo loco monui.

pactoque matrimonii vincire: Dio LIX 28 et in Excerptis consentit cum Tacito. Culpam in Gaium transfert Sueton. Calig. 12, in Enniam Philo Legat. ad Gaium 6. Facinoris poenas dederunt Ennia et Macro Gaio imperante: Dio LIX 10.

commotus ingenio: h. e. animi perturbationibus obnoxius (*leidenschaftlich*). Minus est id quod de Agrippina I 33 dicitur *paulo commotior*, fortius autem quod de eodem Gaio H. IV 48: *turbidus animi* (*verstörten Gemüthes*)*:* quippe is nominatur Gaius post mentem animumque valetudine turbatum. Cf. IV 3 *Drusus—animo commotior.*

Cap. 46. *Druso genitus:* II 84. Ei nomen erat *Tiberius* ab avo translatum in nepotem, atque occisus est a Gaio. Cf. Dio LIX 1 et 8. Suetonius Tib. 76, Calig. 15 et 23. Iosephus Antiq. XVIII 6 §. 8 et 9.

occidentem ab eo deseri: repetivit dictum Sullae ad Pompeium; cf. Plutarchus Pomp. 14. De hac Tiberii voce etiam Dio LVIII 28.

'occides hunc tu' inquit, 'et te alius': his paucis et tyranni miserrimi cruciatum et temporum pravitatem delineavit Tacitus. Nimirum ea morum atrocitas invaluerat, ut Tiberius continua scelera et praevideret et impedire iam non posset.

in patientia: hoc est in malis quae patiebatur. *qui post tricesimum aetatis annum — indigerent:*

Interim Romae futuris etiam post Tiberium caedibus 47
semina iaciebantur. Laelius Balbus Acutiam, Publii Vitellii quondam uxorem, maiestatis postulaverat; qua damnata cum praemium accusatori decerneretur, Iunius Otho tribunus plebei intercessit. Unde illis odia, mox Othoni exilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo coniurationis indice fuerat, defertur impietatis in principem; connectebantur ut conscii et adulteri eius Gnaeus Domitius, Vibius Marsus, Lucius Arruntius. De claritudine Domitii supra memoravi: Marsus quoque vetustis honoribus et inlustris studiis erat. Sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedisse commentarii ad senatum missi ferebant, nullaeque in eos imperatoris litterae suspicionem dabant invalido ac fortasse ignaro ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas in Arruntium. Igitur Domitius 48
defensionem meditans, Marsus tamquam inediam destinavisset, produxere vitam. Arruntius cunctationem et moras suadentibus amicis, non eadem omnibus decora respondit. Sibi satis aetatis, neque aliud paenitendum quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa,

2. *laetius* M. *P.* M. 3. *uxorim* M. 4. *ortho* M, non *artho*, mox *othoni*, non *athoni*. 7. *inp.* M. 8. *conect.* M. 9. *Gnaeus*] *C. N.* M. *L.* M. 12. *praesidiis se* M: correxit Beroaldus. cf. annot. ad 1 76. 14. *suspitionem* M. 16. *inaediam* M. 20. *periculria* M teste Baitero, non *pericularia*, ut narrat Pichena.

Suetonius Tib. 68. Plutarch. de Sanit. praecepta c. 24 aliud Tiberii dictum affert: ἤκουσα Τιβέριόν ποτε Καίσαρα εἰπεῖν, ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη, καὶ προτείνων ἰατρῷ χεῖρα, καταγέλαστός ἐστιν.

Cap. 47. *mox Othoni exilium:* etiam Balbus, Othonis adversarius, mox exilio multatur (c. 48), sed aliam ob causam, ut illius status eversus hoc loco narrari nondum posset.

coniurationis indice: coniurationem a Seiano paratam, cliens ipsius (IV 34) Satrius Secundus Tiberio prodiderat, usus, ut videtur, interprete Antonia matre Germanici; v. Ioseph. Antiquit. XVIII 6 §. 6, Ryckius ad Tacitum VI 8. *Coniurationis* h. l. est τῆς συνωμοσίας.

ut conscii et adulteri: falso Waltherus *et* accepit pro *etiam*, unde emergit sententia prava etiam Arruntium, virum innocentem, adulterio se commaculavisse.

supra memoravi: IV 75; conf. Suetonius Ner. 5. *commentarii ad senatum missi:* in iis commentariis (*Protocollen*) a principe ad senatum sine ipsius epistola missis quaestionis extra ordinem a Macrone habitae ratio narrata erat.

sed ut flagitiorum impatiens. Sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis iuventam? An, cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, Gaium Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce? Qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus, plura per scelera rem publicam conflictavisset. Prospectare iam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia. Haec vatis in modum dictitans venas resolvit. Documento sequentia erunt bene Arruntium morte usum. Albucilla inrito ictu a semet vulnerata, iussu senatus in carcerem fertur. Stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur, id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.

49 Isdem diebus Sextus Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, iacto in praeceps corpore. Causa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata adsentationibus atque luxu perpulisset iuvenem ad ea quorum effu-

1. *inp.* M. *supma* cum lin. M. 4. *C.* M. 6. *capesit.* M. 11. *a* Rhenanus: M *ac.* 13. *grasidius* M: emendavit Ernestius ex 4 13. *pret.* M. *deportatur* M: tacite correxit Rhenanus. 15. *aedem paene* M: correxit Beroaldus. 18. *Sex.* M.

Cap. 48. *inter ludibria et pericula:* haec coeperant ab initio principatus Tiberii: I 13. *Ludibria* dicit libita hominum nocentium (*Willkür - Gewalt*). *imminentis iuventam:* iuventa h. l. apte notat immaturitatem et imprudentiam futuri principis. Etiam *imminentis* graviter dictum de eo principe qui tamquam tempestas expectatur.

an, cum Tiberius — Macrone duce: suggerit rerum scriptor sponte prodire et perpetuo renovari principum insolentiam ob pravos ceterorum hominum mores.

convulsus: metaphora sumpta est ab arbore tempestatis vi convulsa et ex sede sua rapta. Conf. Horatii Carm. III 3 4: *mente quatit solida.* *Albucilla — fertur:* rem narrat etiam Dio LVIII 27, sed Albucillae nomine per silentium suppresso.

Cap. 49. *consulari familia:* cognatione attigit, ut videtur, Sextum Papinium, consulem anni prioris (c. 40): filium eius fuisse non credo: nam pater Papinii si in vivis fuisset, cum haec acciderunt, haud dubie in accusatione coniugis auditus esset et a Tacito memoratus. Idem liquet ex verbis infra positis: *donec minor filius lubricum iuventae exiret:* nimirum si pater huic fuisset, ea cura minus necessaria erat.

gium nonnisi morte inveniret. Igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur, luctumque communem et magis imbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuventae exiret.

Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio 50
deserebat. Idem animi rigor: sermone ac vultu intentus, quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat. Mutatisque saepius locis tandem apud promuntorium Miseni consedit in villa, cui Lucius Lucullus quondam dominus. Illic eum adpropinquare supremis tali modo compertum: erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valitudines principis solitus, consilii tamen copiam praebere. Is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit. Neque fefellit:

2. *patris* M: tacite correxit Rhenanus. 3. *inb.* M. 5. *ducem* M. 6. *iuvente* M. 7. *tiberum* M. 9. *manifestum* M. 10. *sepius* M. *promunturium* M. cf. 2 39. 11. *L.* M.

luctumque communem — diu ferret: vulgo haec non recte accipiuntur de luctu et animo, quam rea apud patres prae se tulerit et multis verbis (*diu*) iactarit. Nam luctum *iactare* Latine recte dici quamquam concedimus, idem *imbecillo animo* non conveniet, neque iactare quidquam mulier illa intendit, sed misericordiam commovere unice studuit. Itaque *ferre* h. l. est *habere et ostendere*, ut O. 25 *eandem sanitatem eloquentiae ferunt*, H. I 19 *illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus.* Mater Papinii luctum communem, h. e. quem vulgo homines in tali casu habent, et magis imbecillum feminarum animum secum tulit; *diu* autem cum dicit, intelligit et funeris tempus et omnes accusationis dies. Praepositio *in* ante *eundem dolorem* idem valet atque *quod attinet ad* ('in Betreff desselben Schmerzes') Conf. ad III 24.

minor filius: alius videtur esse qui principe Gaio tristem sortem expertus est; Seneca de Ira III 18: *Gaius Caesar Sextum Papinium, cui pater erat consularis, — uno die flagellis cecidit, torsit, non quaestionis causa sed animi.* Nimirum illius pater in vivis erat, cum filius Gai ludibrio conflictatus est.

Cap. 50. *idem animi rigor:* is alioqui molliri frangique solet in morituro. *cui L. Lucullus — dominus:* cf. Plutarch. Mario c. 34. *nomine Charicles:* eius mentionem facit Galenus de Compositione medicamentorum II c. 1 et 2, VII 5 et 6, X 1. *per speciem officii:* officii genus indicat Suetonius Tib. 72: *Chariclem medicum, quod commeatu afuturus e convivio egrediens manum sibi osculandi causa adprehendisset, existimans tentatas ab eo venas, remanere ac recumbere hortatus est cenamque protraxit.*

nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet, discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. Inde cuncta colloquiis inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. Septimumdecimum kalendas Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse. Et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia Gaius Caesar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandae defectioni cibum adferrent. Pavor hinc in omnes; et ceteri passim dispergi, se quisque maestum aut nescium fingere; Caesar in silentium fixus a summa spe novissima expectabat. Macro intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet, discedique ab limine. Sic Tiberius finivit, octavo et septuagesimo

5. *conl.* M. *pres.* M. *nunciis* M. 6. *septimumdecimum* editor: M XVII., Beroaldus *decimoseptimo*, Bekkerus *septimo decimo*. *kal.* M. 8. *gratantum* M, non *gratantium*. 9. *C.* M. 12. *nescium* prima littera evanida M. 13. *exsp.* Or.

septimumdecimum: Beroaldus et plerique *decimoseptimo*, alii artificio quodam usi cum codice XVII. scripserunt. Tacitus autem in huiuscemodi formulis accusativum ponit, non ablativum. Cf. VI 25: *decretumque, ut quintumdecimum kalendas Novembris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.* XII 69: *tum medio diei, tertium ante idus Octobris, — Nero egreditur.* Prior locus, item XIII 6 *octavo decimo* atque *nono decimo*, O. 34 *nono decimo* veriora edocent de minore numero praeponendo maiori. Accusativum vero etiam H. I 57 tuetur: *superior exercitus — tertium nonas Ianuarias Vitellio accessit*, ubi iam Iac. Gronovius monuit hoc esse in M[a], non numeri notam (III). De praepositione *ante* non adiecta dixi ad VI 25. In mortis die definiendo consentit Tacito Suetonius Tib. 73. Dio in auctore quem ipse adhibuit numerum X aut neglexit aut neglectum ibi repperit; quippe scribit LVIII 28: *μετήλλαξε τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ*, hoc est *septimum kalendas Aprilis.*

mortalitatem explevisse: mortalitas nunc est modus aevi mortali alicui concessus, XVI 13 autem inclinatio ad moriendum: *tamquam communi mortalitate saevitiem principis praevenirent.* Prius nove dictum est. *Macro — iubet:* cf. Suetonius Tib. 73, Calig. 12.

octavo et septuagesimo aetatis anno: haec in sua transcripsit Suetonius Tib. 73. Dio l. c.: *ἐβίω δὲ ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ μῆνας τέσσαρας καὶ ἡμέρας ἐννέα* (ex Dionis ratione). Cf. Iosephus Ant. XVIII 6 §. 10. Natus erat Tiberius a. 712 sextumdecimum kalendas Decembres: Suet. Tib. 5. Testimoniis Taciti vel Suetonii et Dionis sinistre iunctis male usus est Aurelius Vict. Epit.: *post septuagesimum octavum annum et mensem quartum — extinctus est.*

aetatis anno. Pater ei Nero, et utrimque origo gentis Clau- 51
diae, quamquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites. Nam proscriptum patrem exul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis aemulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Gaius Luciusque Caesares viguere. Etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit accepta in matrimonium Iulia, impudicitiam uxoris tolerans aut declinans. Dein Rhodo regressus vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.

4. *exsul* nunc M. 9. *indicitiam* M: correxit Beroaldus. *dein* M, non *deinde*. 10. *principes* M: correxit Beroaldus. 12. *qua ad* M. 16. *obiectis* M: utrumque correxit Beroaldus.

Cap. 51. *mater in Liviam et mox Iuliam:* v. ad V 1. Ibidem de patre Tiberii belli Perusini occasione proscripto.

tolerans aut declinans: declinavit secedens Rhodum (I 53), ante in urbe toleravit. *egregium vita — ingenio utebatur:* est specimen δεινότητος et brevitatis Tacitinae, in quo iudicemne incorruptum et verum an insignem stili magistrum magis suspiciamus incertum videtur. Conf. H. I 49, II 50, III 86. A. 44.

intestabilis: in hoc nomine notio *detestabilis* paulum mitigata inest. Conf. VI 40, XV 55. H. IV 42. Usi eo iam sunt Sallustius et Livius, ille in Iug. 71 et in oratione Lepidi, hic XXXVII 57, quos locos laudavit Forcellinius.

Series consulum per eos annos, quorum res a Cornelio Tacito mediis Annalium libris perscriptae interciderunt.

A. V.	A. C.	
790	37	Gnaeus Acerronius Proculus, Gaius Petronius Pontius Nigrinus. Suffecti ex kalendis Iuliis Gaius Caesar Augustus Germanicus, septimumdecimum kalendas Apriles imperium adeptus, et Tiberius Claudius qui post ad principatum admotus est.
791	38	Marcus Aquilius Iulianus, Publius Nonius Asprenas.
792	39	Gaius Caesar iterum, Lucius Apronius. Gaium consulem post triginta dies excepit Sanquinius Maximus. Suffecti Gnaeus Domitius Corbulo, Gnaeus Domitius Afer.
793	40	Gaius Caesar tertium sine collega usque in idus Ianuarias. Suffecti Lucius Gellius Poplicola, Marcus Cocceius Nerva.
794	41	Gaius Caesar quartum usque in septimum idus Ianuarias (eum excepit Quintus Pomponius Secundus), Gnaeus Sentius Saturninus. Eo anno nonum kalendas Februarias Gaius Caesar imperator occisus est. Successit Tiberius Claudius, Drusi filius, frater Germanici. Gai res duobus Annalium libris, septimo et octavo, Tacitus composuit: unus enim tradendo quadriennio rerum gestarum et casuum non inopi haud sufficiebat: finito autem principatu Gai haud dubie etiam liber Annalium exiit. Quapropter volumen septimum atque octavum simili ambitu fuisse crediderim quo est quartus liber ac sextus. 'Olim adolescens contexui Caianam historiam et initia Claudii Corneliano exemplo stiloque. distuli aut sprevi edere.

A. V.	A. C.	
		postea in migrationibus meis, ut alia quaedam, periit mihi hic labor, fraude an casu, non dicam.' Lipsius ad Annal. XI 1. Post Lipsium supplementa Corneliana conscribere aggressus est Gabrielis Broterius diligenti cura, studio inani. Conf. C. Cornelii Taciti opera ab ipso edita. Tom. IV pag. 297—418.
795	42	Claudius Caesar iterum, Gaius Caecina Largus.
796	43	Claudius Caesar tertium, Lucius Vitellius iterum.
797	44	Gaius Vibius Crispus iterum, Titus Statilius Taurus.
798	45	Marcus Vinicius iterum, Titus Statilius Taurus Corvinus.
799	46	Valerius Asiaticus iterum, Marcus Iunius Silanus.
800	47	Claudius Caesar quartum, Lucius Vitellius tertium.

CORNELII TACITI

OPERA.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTA ET EMENDATA
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATA

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER

WESTFALVS
PROFESSOR BONNENSIS.

VOLVMEN SECVNDVM.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:

T. O. WEIGEL LIPSIAE, J. G. SCHMITZ COLONIAE.

CORNELII TACITI

ANNALES.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTI ET EMENDATI
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATI

OPERA

FRANCISCI RITTERI.

VOLVMEN SECVNDVM.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:
T. O. WEIGEL LIPSIAE, J. G. SCHMITZ COLONIAE.

BONNAE, FORMIS CAROLI GEORGII.

ANNALIVM

LIBER VNDECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—22. Annus a Christo quadragesimus septimus, imperatoris Claudii septimus, rerum tam domi quam foris gestarum haud sterilis, sed iniuria temporum in his Annalibus mutilus. In iis quae sunt reliqua, Tacitus incipit a rebus domesticis: Valerius Asiaticus et Poppaea Sabina fraude Messalinae Claudii uxoris atque Vitellii artibus evertuntur. Causa necis et his et duobus equitibus Romanis foeda et nefaria; delator saevus et continuus Suillius; princeps cuncta legum, munia magistratuum in se trahens (1—5). *Advocatorum praemia coërcentur* (6—7). *Mithridates Armeniam reciperavit; res Parthorum studiis Gotarzis et Vardanis turbatae* (8—10). *In urbe ludi seculares spectati. Circensibus ludis, Claudio coram, pueri nobiles equis ludicrum Troiae ineunt, inter eos Britannicus, Claudii ex Messalina filius, et Domitius, Agrippina genitus et Germanici nepos; in hunc favor plebis. Messalinae flagitia et amor in Silium* (11—12). *At Claudius ignarus infamiae domus suae munia censoria usurpat; populi lasciviam severis edictis increpat, saevitiam creditorum lege prohibet, aquarum fontes urbi infert, novas litterarum formas addit, de collegio haruspicum refert* (13—15). *Cherusci Roma regem petunt Italicum, filium Flavi, qui fuit Arminii frater. Italicus primo laetus Germanis, dein ob potentiam suspectus per secunda, per adversa res popularium adflictat* (16—17). *Interim Corbulo, Germaniae inferioris legatus, virtute et peritia rei militaris res Frisiorum ordinat, sed Chaucos domiturus repentino principis iussu a coeptis absistit. Triumphi tamen ornamenta accipit, item Curtius Rufus in superiore Germania* (18—21). *Romae eques Romanus ferro accinctus reperitur in coetu salutantium principem. Eodem anno Publius Dolabella censuit spectaculum gladiatorum celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur, qua occasione de origine et numero quaestorum* (22).

Cap. 23—38. Annus a Chr. quadragesimus octavus, imperatoris Claudii octavus, qui rebus domesticis ac praecipue Messalinae flagitiis occupatur. Pergit Tacitus principis censuram exequi: primores Galliae Comatae ius adipiscendorum in urbe honorum expetentes ceteros sibi iniquos, principem promptum habent; huius oratio; novi patricii asciti,

lustrum conditum et censa civium 5,984,072 (23—25). Messalina, dum Caesar Ostiam proficiscitur, Silio palam nubit, qua de re domus principis inhorruit, et Claudio flagitium proditum est opera Narcissi. Caesar in urbem reversus facinoris auctores et conscios ulciscitur (26—38). Iam liber desinit et annalis historia in subsequentem intenditur.

Nam Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse quondam 1
adulterum eius credidit; pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suillium accusandis utrisque immittit. Adiungitur Sosibius Britannici educator, qui per speciem benivolentiae moneret Claudium cavere vim atque opes principibus infensas; praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi Gai Caesaris, non extimuisse contionem populi Romani, fateri, gloriamque facinoris ultro petere; clarum ex eo in urbe, didita per provincias fama;

7. *ortis* M^a. 9. *brittannici* M^a. 11. *caueri* M^a: emendatum est in G (Guelferbytano). 12. *Gai Caesaris* editor: vulgo *Caesaris*, M^a *cesaris*.

Cap. 1. *bis consulem:* iterum consul erat Asiaticus anno ante quam haec agebantur, sed magistratu se abdicaverat effugiens invidiam. Alter eiusdem anni consul fuit M. Iunius Silanus: Dio LX 27. Cum Asiaticus primum consulatu functus est, ordinarius non fuit, ideoque prior consulatus in fastis reticetur. Virum consularem designat Asiaticum, cum occisus est Gaius Caesar, Dio LIX 30, etiam Iosephus Antiq. XIX 1 §. 20 et Seneca *de Constantia Sap.* 18. Gaius igitur consulem suffectum eum videtur fecisse. Eius uxori Cretenses statuam posuerunt Gortyne et titulum (*Ἀσιατικὴν, Βαλερίου Ἀσιατικοῦ γυναῖκα, δὶς ὑπάτου καὶ ἐπάρχου τῆς πόλεως τῆς Ῥωμαίων κτλ.*), unde patet etiam praefecturam urbis Asiaticum olim gessisse. Cf. Boeckhii Corp. I. Gr. n. 2587.

eius: Poppaeae Sabinae (conf. XIII 43), quae filia Poppaei Sabini VI 39). Iam erat Publii Scipionis coniux (c. 2 et 4), ante in matrimonio T. Ollii Poppaeam Sabinam pellicem et mox coniugem Neronis (XIII 45) genuerat. Hanc Messalina acerrimo odio persecuta est, quod Mnesterem histrionem sibi carum et ipsa adulterum admisisset: Dio LX 22 et 28. Cf. c. 4.

Suillium accusandis utrisque immittit: immitti praedae proprie dicuntur bestiae habenis vel vinculis solutae. Sueton. Ner. 43: *urbem incendere, feris in populum immissis.* Non minus ferox et solutus Suillius in victimas suas irruit. Conf. IV 19: *immissusque Varro consul.* Transfertur ad impetum hostilem et subitarium denotandum XIII 54, XIV 23, XV 69. Pluralem *utrisque* similiter positum legimus II 48, XV 55 et 63, XVI 7 et 11 et 21. O. 2.

cavere vim: caveri, quamquam a M^a exhibitum et a Walthero commendatum, non aptum est loci sententiae: nam ea verbi forma Sosibius indicaret vim atque opes principibus infensas vulgo caveri ac provideri: verum iste monet Claudium, ut ipse caveat vim atque opes principibus infensas. *Principibus infensas* ad *opes* tantum pertinet, non etiam ad *vim.*

parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Viennae multisque et validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet. At Claudius nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Crispinum praetorii praefectum misit; a quo repertus est apud Baias,
2 vinclisque inditis in urbem raptus. Neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, Messalina coram, et Suillio corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omni flagitio obstrictos arguebat, exin adulterium Poppaeae, ac postremum mollitiam corporis obiectante. Ad quod victo silentio prorupit reus, et 'interroga' inquit, 'Suilli, filios tuos: virum esse me fatebuntur.' Ingressusque defensionem, commoto maiorem in modum Claudio, Messalinae quoque lacrimas excivit. Quibus abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium, ne elabi reum

1. *uienne* M[a]. 3. *habere* .,. (sic) M[a]: emendatum in G. *nichil* M[a]. 7. *Messalina* M[a]: *Messallina* G. 9. *poppe* M[a]. 12. *maiore* M[a]. 13. *messaline* M[a].

Gai Caesaris: legebatur *Caesaris*, sed praenomen abesse utique non potuit. Cf. I 32, V 1, VI 3 et 9 et 20 et 32 et 45 et 50, XI 3, XII 22, XIII 1 et 3, XV 72. H. I 48, III 68, V 9. A. 13. G. 37. *Caesar* simpliciter dici potest is princeps cuius res gestae in operis contextu narrantur, ut III 75, IV 6 et 59 et 64 cet., vel is qui proxime alio nomine satis certe designatus est; ut H. V 9: *dein iussi a Gaio Caesare effigiem eius in templo locare arma potius sumpsere, quem motum Caesaris mors diremit;* cf. II 2 et 3, ubi Augustus ante nominatus mox *Caesar* appellatur; V 1, ubi *Caesarem* esse Octavianum ex contextu verborum et praecedente *triumvirorum* nomine liquet; VI 50, ubi primum *Gaius Caesar*, tum *Caesar*. Idem praenomen c. 29 omissum in codicibus et suppletum a Faërno, praeterea c. 8, ubi a me additum. Etiam Orellius in scripturam *C. Caesaris* inclinabat, sed praenominis notam interponere non ausus est. De re videndus est Dio LIX 30: *ἐπεὶ δὲ τὸ δορυφορικὸν* (praetoriani) *ἐταράττετο καὶ διαθέοντες ἐπυνθάνοντο τίς Γάϊον ἔσφαξεν, Οὐαλέριος Ἀσιατικός, ἀνὴρ ὑπατευκώς, θαυμαστὸν δή τινα τρόπον αὐτοὺς ἡσύχασεν, ἀνελθὼν ἐς περιφανές τι χωρίον καὶ ἐκβοήσας ʽεἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν'. καταπλαγέντες γὰρ ἐπαύσαντο τοῦ θορύβου.* Tacitus haec in Annalium octavo libro extremo narraverat.

non extimuisse contionem: ut patres in curiam, sic populus in forum convenerat trucidato Gaio Caesare, ibique contionem tumultuantem Asiaticus sedavit; conf. Iosephus A. I. XIX 1 §. 20.

didita est vox sermonis poetici. Vid. Lucret. IV 241. Virgil. Aen. VII 144, VIII 132. *gentiles nationes:* cf. ad VI 32.

Cap. 2. *prorupit*, h. e. rupta voce exclamavit. Notum est *ῥῆξαι φωνὴν* et *rumpere vocem* a Virgilio potissimum frequentatum. Asiaticus desperata usus defensione stuprum fatetur, sed pathicum se fuisse negat, immo hanc ignominiam in Suillii filios a sese olim muliebria passos retorquet.

sineret. Ipsa ad perniciem Poppaeae festinat, subditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Caesare ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur cur sine uxore discubuisset, atque ille functam fato responderet. 3 Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius, commemorata vetustate amicitiae utque Antoniam principis matrem pariter observavissent, dein percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur, liberum mortis arbitrium ei permisit; et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait; et usurpatis quibus insueverat exer-

1. *poppee* Mª. *subditos* Mª; correctum in G. 5. *consultanti* Mª: *consultante* Harleianus. 8. *percuri* Mª: *percursis* G. *puplicam* Mª. 9. *brittanniam* Mª. *queque* Mª.

subditis qui — propellerent: quoniam IV 28 *mortem in se festinavit* scriptum reperitur, inde Waltherus *festinare subditos*, ut est in Mª pro *festinanter parare subditos* Latine dici opinatus est; frustra. *Festinare* cum accusativo de rebus dicitur, non de personis. Ceterum cf. IV 59: *adsimulabatque iudicis partes adversus Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent.*

Cap. 3. *sed consultanti — ei permisit:* in his *permisit* idem est quod *permittendum suasit.* Ex hac notione dativus pendet. Sic paulo post (c. 4) *adiecit* est *adiiciendum suasit* et IV 42 *damnasset* idem ac *damnandam censuisset.* Dativus similiter positus II 76: *consultanti — censebat:* sed alius generis sunt loci Agr. 11 et Germ. 6, ubi per eundem casum sententia alicuius et iudicium indicatur. Falso Waltherus XIV 8 et 13 huc rettulit: nam XIV 8 dativus pendet ex *protendens,* XIV 13 scriptura vulgata corrupta est. Insignes huius narrationis virtutes sollerter agnovit et multis verbis exposuit I. Fr. Gronovius, unde haec excerpenda putavi: 'Tacitus suavissimo lepore, in re inexspectata narranda, verbis quoque utitur, quae illudunt *παρὰ προσδοκίαν*, et fallunt exspectationem legentis: et tamen suum illud *σεμνὸν* servat. Etiam Messalina commota erat, quae iure iniuria perditum volebat Asiaticum; nedum Claudius, cui nullum in eum proprium erat odium. Ergo auditis partibus rogaturus sententias aliquid iecit, ex quo apparebat placatum et absolventes aequis auribus admissurum esse. Hic Vitellius, memor praecepti Messalinae, docuit, quid esset apud Tacitum alibi *pessimi inimicorum laudantes,* quid *ornandum et tollendum,* mirificaque machina hominem *μετέωρον* et instabilem circumegit. Lacrimae enim illae detestabiles et commemoratio amicitiae meritorumque rei et captatio misericordiae fidem ei fecere benevoli: qui mox idem petens pro beneficio et rei et suo nomine voluntariam mortem, duplici miserum praeiudicio gravat, tanquam qui semet ipse, et quem homo benevolen-

citationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se honestius calliditate Tiberii vel impetu Gai Caesaris periturum dixisset quam quod fraude muliebri et impudico Vitellii ore caderet, venas exolvit, viso tamen ante rogo, iussoque transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur.
4 Tantum illi securitatis novissimae fuit. Vocantur post haec patres, pergitque Suillius addere reos equites Romanos inlustres, quibus Petra cognomentum. At causa necis ex eo quod domum suam Mnesteris et Poppaeae congressibus praebuissent. Verum nocturnae quietis species alteri obiecta, tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis, eaque imagine gravitatem annonae dixisset. Quidam pampineam coronam albentibus foliis visam atque ita

1. *hilare* M^a (non *hilarem* Furiae). 2. *G.* M^a. 3. *inp.* M^a. 4. *exsolv.* M^a. 6. *nouissime* M^a. 7. *illustres* Or. 8. *at* M^a, non *ac*, ut tradit Pichena. 9. *nesteris* M^a, *mnesteris* vel *in nesteris* Budensis: ceteri *Valerii.*

tissimus ac precator supplicio dignum agnosceret. — Sed quemadmodum hic eventus, contrarius principio totique actioni Vitellii, frustratus est haud dubie, quotquot in consilio erant fraudis ignari, multosque Romae, dum fama facti seritur: ita Tacitus etiam facete supplantat legentem, atque eo ipso eius attentionem excitat, mirantemque ac destitutum, indignitatem negotii, scelus Vitellii, vanitatem cruentam Claudii aut cogitando invenire aut aliunde exquirere compellit. Illa enim omnia, consultans super absolutione princeps, flens Vitellius, amicitia, patrona communis et eadem principis mater, res gestae domi bellique, misericordia implorata calculum album large promittebant; cum subito, velut scorpii cauda, niger apparet: *liberum ei mortis arbitrium permisit*, hoc est rogavit principem et suo et Asiatici nomine, ut ei tanquam confesso convictoque concederetur sponte mori, non sub carnifice. Rursus *εἰρωνευόμενος*: *et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam*'. Haec Gronovius. Eiusdem ironiae quae in his dominatur luculenta vestigia attentus lector paulo ante (c. 2) intellexerit in illis: *Messalinae quoque lacrimas excivit. Quibus abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium, ne elabi reum sineret.*

remittere beneficium Asiaticus ait: conf. ad III 40.

Cap. 4. *equites Romanos inlustres:* v. ad II 59. *at causa necis ex eo:* quae sequitur causa, haec vera fuit, sed dissimulata ab accusatore, scilicet ne Mnesterem dilectum Messalinae simul obiiceret periculo. Huic verae alia causa opponitur ficta a delatore inde a voce *verum.*

eaque imagine gravitatem annonae dixisset: non interpretatio somnii per se sola, sed quies ipsa vitio dabatur. Nam quia principem illa corona evinctum viderat, ad huius incuriam praedictam annonae gravitatem referri isti calumniatores fremebant. *Dixisset* posuit pro *praedixisset*, simplice verbo pro composito, ut solet, usus.

interpretatum tradidere, vergente autumno mortem principis ostendi. Illud haud ambigitur, qualicumque insomnio ipsi fratrique perniciem adlatam. Sestertium quindecies et insignia praeturae Crispino decreta. Adiecit Vitellius sestertium decies Sosibio, quod Britannicum praeceptis, Claudium consiliis iuvaret. Rogatus sententiam et Scipio, 'cum idem' inquit 'de admissis Poppaeae sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes,' eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem.

Continuus inde et saevus accusandis reis Suillius, multi- 5 que audaciae eius aemuli. Nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps materiam praedandi patefecerat. Nec quicquam publicae mercis tam venale fuit quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius, insignis eques Romanus,

1. *autumno* M[a], non *auct.* 2. *aud* M[a]. 3. *allatam* M[a]. 4. *uitelliū* M[a]. 5. *brittannicum* M[a]. 7. *Poppaeae sentiam* Puteolanus: *poppe assen* (in versus fine) *essentiam* M[a], *poppaeae sententiam* G, *poppaeae assentiam* B. Bezzenberger *Poppaeae necesse sit sentiam.* *oms* cum lin. M[a]. 8. *os* cum lin. M[a]. 9. *senetoriam* M[a]. 10. *seuus* M[a]. 11. *audacia* superscr. *e* M[a].

Cap. 5. *nam cuncta legum et magistratuum munia:* Lipsius cum ad haec verba scripsit 'F *nece* refert pro *munia:* deleo vero utrumque, ut glossema', non in eo offendit, quod *legum et magistratuum munia*, sed quod *cuncta — munia* scriptum legebat, neque iuste refellitur ab iis qui provocant ad I 2 *munia senatus magistratuum legum in se trahere.* Nihilo minus Lipsius erravit: nimirum *cuncta munia* perperam coniunxit, quum duo obiecta h. l. iuxta posita sint, unum *cuncta legum*, alterum *magistratuum munia.*

consule designato: non in proxime inferiorem (eo scilicet Vitellius et Vipstanus consules ordinarii fuere), sed in tertium abhinc annum designatus erat. Sic Tiberius Germanico alterum consulatum a. 16 obtulit (II 26), cuius munia praesens obiret, sed ille a. 18 demum hunc magistratum biennio ante oblatum gessit (II 53).

legemque Cinciam: 'certa ea scriptura ex libris et historia. Legem de donis et muneribus (muneralem apte Plautus dixit apud Festum', immo in epitoma Pauli) 'tulit M. Cincius tribunus plebis a. u. 549. Rettulit iterum Augustus evanescentem vetustate et firmavit novo consulto senatus. Dio LIV 18: *καὶ τοὺς ῥήτορας ἀμισθεὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον ὅσον ἂν λάβωσιν ἐκτίνειν ἐκέλευσε.* Noto ea, ne quis miretur, cum plebiscitum fuerit, vocari senatusconsultum a Tacito XIII 42' (et Plin. Ep. V 21). Lipsius.

Cap. 6. *iis quibus: iis* praetuli vulgatae (*his*), non tam fretus auctoritate libri G quam scriptura codicis M[a] *si his.* Ibi enim *s* adhaesit ex proximo *obstrepentibus*, qua revulsa restat *ihis*, h. e. *iis* leviter corruptum.

nunc inimicitias accusationes, odia et iniurias foveri: post *accusationes* vocem paulum inhibendam

quadringentis nummorum milibus Suillio datis et cognita praevaricatione ferro in domo eius incubuerit. Igitur incipiente Gaio Silio consule designato, cuius de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt patres, legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam
6 orandam pecuniam donumve accipiat. Deinde obstrepentibus iis quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima. Alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari; ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur. Quodsi in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore: nunc inimicitias accusationes, odia et iniurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia

3. *G.* (nota tamen inter *C* et *G* ambigua) M^a. *et* om M^a: suppletum est in G. 5. *ciciam* M^a. 6. ante *orandam* in M^a littera est erasa. *obstrep. iis* G: *obstrep. si his* M^a. 7. *sillus* M^a, in quo *i* et *l* distingui vix possunt. 9. *et*] *ad* M^a in margine. *cogitabissent* M^a. 11. *fedari* M^a. *ne* M^a: *nec* B. 12. *spectectetur* M^a. 13. *negotia eant* I. Fr. Gronovius: *negotiant* erasa post *t* finale littera aliqua M^a, *negotia tueantur* G, *neg. fiant* Bezzenberger. 14. *ptia* cum lin. (*praetia*) M^a.

esse posito commate significavi: nam huius structurae ea natura est, ut duo nominum vel verborum paria ita componantur, ut prius careat particula connectente, alterum ea voce instructum sit, quae iunctura multum habet artis et decoris ac Tacito saepe placuit. Cf. I 11: *regna provinciae, tributa aut vectigalia.* 13: *divitem promptum, artibus egregiis et pari fama publice.* 21: *invidiam misericordiam, metum et iras.* II 5: *iuvari silvis paludibus, brevi aestate et praematura hieme.* 60: *Libya Aethiopia, Medisque et Persis — potitum.* III 1: *neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumve planctus.* 26: *sine probro scelere, eoque sine poena aut coërcitionibus.* VI 19: *inlustres ignobiles, dispersi aut aggerati.* XI 6: *Asinii Messalae, ac recentiorum Arruntii et Aesernini.* 16: *celebrari coli, modo comitatem — saepius vinolentiam usurpans.* 18: *stationes vigiliae, diurna nocturnaque munia.* XII 17: *arma munimenta, impediti vel eminentes loci.* 39: *ob iram ob praedam, iussu et aliquando ignaris ducibus.* XIII 3: *caelare pingere, cantus aut regimen equorum exercere.* 46: *nobilitatem pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium.* XV 27: *plana edita, validos invalidosque.* H. I 2: *nobilitas opes, omissi gestique honores.* H. II 11: *pedester horridus, incomptus famaeque dissimilis.* 42: *comminus eminus, catervis et cuneis.* H. III 84: *testudinem tormenta, aggeres facesque.* 86: *consulatum sacerdotia, nomen locumque inter primores.* A. 9: *gravis intentus, severus ac saepius misericors.* G. 46: *sermone cultu, sede ac domiciliis.* Cetera exempla lectori observanda relinquo.

medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. Meminissent Asinii, Messalae, ac recentiorum Arruntii et Aesernini: ad summa provectos incorrupta vita et facundia. Talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia qua lege repetundarum tenerentur, cum Suillius et Cossutianus et ceteri, qui non iudicium, quippe in manifestos, sed poenam statui videbant, circumsistunt Caesarem, ante acta deprecantes. Et postquam adnuit, agere incipiunt: quem 7
illum tanta superbia esse ut aeternitatem famae spe praesumat? Usui et rebus subsidium praeparari, ne quis inopia advoca-

2. *Asinii, Messalae* editor: vulgo *Gai Asinii et Messalae*, M^a *gali Asinii Messalaė*. *arũtii* M^a. 3. *praevectos* (per compendium) pr M^a, *provectos* item per comp. corr M^a. 6. *in ma* (incipit nova columna) *manifestos* M^a. 7. *caesarem* superscr. *claudium* M^a. 8. *dep̄cantes* M^a. *annuit* M^a. *agere* Parisiensis Ryckii: *tacere* M^a et B, *tacens* G. 9. *illum* M^a: *ullum* G. *fame* M^a. 10. *praeparare* M^a: correctum in G.

Huic iuncturae similis est ea ubi duobus vocabulis iuxta positis respondet alterum membrum, quod non duobus constat sed uno, eoque unde plerumque alia vox vel aliae pendent, veluti I 7: *excubiae arma, cetera aulae.* 28: *vigiliis stationibus, custodiis portarum.* II 30: *stolida vana, si mollius acciperes, miseranda.* 67: *monendo suadendo, et quanto longius abscedebatur, apertiore custodia.* 73: *formam aetatem, genus mortis.* ibid.: *clementia temperantia, ceteris bonis artibus.* 82: *dolor ira, et erumpebant questus.* III 17: *adspicere adloqui, eripere senatui.* 33: *saevum ambitiosum, potestatis avidum.* 67: *voce vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat.* IV 3: *metum prolationes, diversa interdum consilia.* 48: *vastare urere, trahere praedas.* ibid: *clamori telis, suo quisque periculo intentus.* VI 6: *saevitia libidine, malis consultis.* XIII 57: *equi viri, cuncta victa.* H. II 46: *bellum atrox lugubre, incertum victis et victoribus.* 68: *omnia indisposita temulenta, pervigilibus ac bacchanalibus — propiora.* H. V 12: *proelia dolus, incendia inter ipsos.* Inversus ordo verborum I 21: *centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem legionem* (ciere). H. II 86: *discordiis et seditionibus potens, raptor largitor.* Ab hac structura non multum disceditur, si in altero membro cum voce *cuncta* vel *omnia* vel *quaeque* pergitur, ut XIII 42: *crimen periculum, omnia.* XV 19: *gratiam honores, cuncta.* XII 36: *phalerae torques, quaeque bellis externis quaesiverat, traducta.* Tum in priore interdum plura vocabula quam duo iuxta posita sunt; I 9: *legiones provincias classes, cuncta.*

Summam sermonis curam offendimus ubi vocabulorum iuxta positorum duo paria, utrobique particula connectente remota, componuntur, ut I 7: *lacrimas gaudium, questus adulationem.* 41: *orant obsistunt, rediret maneret.* IV 67: *nuntios introitus, aperta secreta.* XI 38: *odii gaudii, irae tristitiae.* XII 37: *equos viros, arma opes.* 39: *temere proviso, ob iram ob praedam.* XIII 44: *iurgia preces, exprobratio satisfactio.* XIV 33: *caedes patibula, ignes cruces.* H. I 3: *laeta tristia, ambigua manifesta.* 10: *luxuria industria, co-*

torum potentibus obnoxius sit. Neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. Multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam; nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit. Facile Asinium et Messalam, inter Antonium et Augustum bellorum praemiis refertos, aut ditium familiarum heredes Aeserninos et Arruntios, magnum animum induisse. Prompta sibi exempla, quantis mercedibus Publius Clodius aut Gaius Curio contionari soliti sint. Se, modicos senatores, quieta re publica nulla nisi pacis emolumenta petere. Cogi-

2. *familiares* Mª (non *familiaris*). *quis* Mª: *qui* AG. 4. *tollerare* pr Mª. *nichil* Mª. 5. *providerit* per comp. Mª. 6. *refertos* Mª: *refectos* BG. 7. *eserninos* Mª. *arrũtios* Mª. 8. *P.* et statim *G.* Mª. 10. *quieta — petere* Pichena: BGMª aliique *qui et a — peterent.*

mitate adrogantia. 67: *auxilia equos, arma pecunias.* H. II 26: *apud fugientes occursantes, in acie pro vallo.* 80: *spes timor, ratio casus.* Postremo ea commemoranda sunt asyndeta in quibus nulla membrorum responsio cognoscitur, sed plures voces sine copulis simpliciter iunguntur, ut magni longique ordinis significatio oriatur. Etiam haec structura apud Tacitum frequens, ut I 7: *at Romae ruere in servitium consules patres eques.* 11: *at patres in questus lacrimas vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.* IV 46: *bellumque impeditum arduum cruentum.* H. I 73: *apud Galbam, Othonem, Vitellium.* G. 20: *fratres patrui avunculi.*

Asinii, Messalae, ac recentiorum Arruntii et Aesernini: comma post *Asinii* perspicuitatis causa adieci. Duobus nominibus ἀσυνδέτως iunctis annectuntur duo particula *et* copulata *Arruntii et Aesernini.* His ipsis per *ac* particulam nomen *recentiorum* adiungitur (*und unter den Männern neuerer Zeit*). Sic enim duce Mª restituendum. Ibi quod etiam *gali* ante *Asinii* legitur, id additum ab aliquo correctore, qui *Gallum Asinium*, filium Asinii Pollionis, ex I 8 et 12, III 11 aliisque locis memoriae infixum perperam habebat. Asinius Pollio et Messala Corvinus simplice nomine etiam in responsione adversariorum mox nominantur, et O. 12: *nec ullus Asinii aut Messalae liber tam inlustris.* Hoc certum est, praenomen in verbis de quibus nunc loquimur tam ab Asinio abesse debere quam a Messala, aut utrique concedendum esse. Sed facilior medicina est, si corruptum *gali* expungitur, quam si *Marci* praenomen ante *Messalae*, ut N. Heinsius voluit, inseritur. Illud *gali* non in *Gai* resolvendum esse vel hinc fides, quod hoc praenomen una littera (*C.*) in Mª scribi solet.

Cap. 7. *et postquam adnuit, agere incipiunt:* memorabilis est libri Mª scriptura *tacere* pro *agere* ad intelligendum, quomodo liber ille etiam in manifesto vitio veri vestigia servaverit. Nimirum in corrupto *tacere* prima littera ex antegresso *adnuit* imprudenter applicata est, qua semota restat ACERE, h. e. AGERE.

quieta re publica — petere: recte haec Pichena restituit, neque violento remedio, prius enim vitium *qui et a* alterum *peterent* sponte provocavit. Qui defendere codi-

taret plebem, quae toga enitesceret. Sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura. Ut minus decora haec, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis 8
* * Gai Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. Is rex Hiberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat discordare Parthos, summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi. Nam inter Gotarzis pleraque saeva, qui necem fratri Artabano coniugique ac filio eius praeparaverat, unde metus eius in ceteros, accivere Vardanen. Ille, ut erat magnis ausis prom-

1. *qua* BGM[a]; emendavit I. Fr. Gronovius. 2. *p̄tiis* M[a]. 3. *posuit* deest M[a], adest in G. 4. *quae* M[a], cum lin. a recentiore, ut videtur, manu ducta, ut dubium maneat, utrum sit *quae* Beroaldi et G an *quem* Pichenae. *repetundarum* superscr. *lege* M[a]. 5. *mitridates* M[a]. 6. *Gai Caesaris* editor: *cesaris* pr M[a]; *et ad praesentiam Caesaris* G et corr M[a]. *vinctum* M[a]: *vectum* G et Oxonienses, *victum* B. 7. *farasmanis* M[a]. *Hiberis* M[a], non *Iberis*. 8. *mitridatis* M[a]. 10. *gotharzes* M[a], qui mox aspirationis notam omittit. *seua* M[a]. 11. *praeparaberat* pr M[a]. 12. *ceteros et acciuere* M[a]: *et* omisum in G. *bardanen* h. l. M[a]. idem mox per litteram *v*.

cum scripturam conati sunt et iungunt *se modicos senatores* (esse), *qui et a re publica nulla nisi pacis emolumenta peterent*, illi haud reputaverunt advocatos istos non a re publica petere pacis emolumenta, immo a privatis hominibus quieta re publica. Iidem particulam *et* alieno loco positam admiserunt. Orellius inventum Halmii *qui quieta — peterent* admisit, sed id et longius abit a codicum vestigiis et *κακοφωνίαν* Tacito largitur.

cogitaret plebem, quae toga enitesceret: respiceret praeter se modicos senatores etiam plebem, quae causis agendis (toga) ad laudem aspiraret. Conf. XII 58: *utque studiis honestis et eloquentiae gloria enitesceret.* Plin. Paneg. 5: *enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace; alium toga, sed non et arma honestarunt.*

quae toga: Waltherus librorum vitium *qua* tenuit et explicuit, *cogitaret qua* (h. e. qua via, quomodo) *toga*, pacis artibus et eloquentia forensi, *enitesceret*, sed vehementer reprehendendus esset scriptor, si voces, quas formae aequalitas coniungi iubet, sic disiungi a legentibus voluisset.

pecuniis posuit modum: media vox, quae in libro antiquissimo intercidit, praeter G in ceteris quoque unde nihil affertur coniectura suppleta et inde immigrasse in editiones videtur. Excidendi causa nomen antegressum fuit ab eadem littera incipiens (*pecuniis*).

Cap. 8. *imperitasse Armeniis:* cf. VI 32—36. *Caesaris:* libri Medicei defectus in aliis codicibus ita expletus legitur, ut verbis insertis non nisi misellae coniecturae dignitas et pretium tribuendum sit: exhibent enim *et ad praesentiam Caesaris vinctum* vel *victum* vel *vectum;* quae supplendi conamina vel eo ut puerilia agnoscuntur,

ptus, biduo tria milia stadiorum invadit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat; neque cunctatur quin proximas praefecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem eius abnuentibus. In quos, ut patris sui quoque defectores, ira magis quam ex usu praesenti accensus, implicatur obsidione urbis validae et munimentis obiecti amnis muroque et commeatibus firmatae. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorumque opibus auctus bellum renovat; coactusque Vardanes omittere
9 Seleuciam Bactrianos apud campos castra contulit. Tunc distractis Orientis viribus et quonam inclinarent incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simul Hibero exercitu campos persultante. Nec enim resistere Armenii, fuso, qui proelium

3. *dominationes*, litteris *es* superscr. *ẽ* M[a]. 5. *inpl.* M[a], non *impl.* 7. *deharum* M[a]. 8. *auctos* M[a]. 11. *datus est*] *datue* cum duabus lineolis super *e* M[a]. 13. *resistere* M[a]: *restitere* G. *praelium* Or.

quod nomen Caesaris qui Mithridatem in vincula misit omittitur. Is fuit Gaius Caesar Caligula: v. Dio LX 8. Senec. de Tranq. 11. Taciti sententia (verba nemo reddiderit) fortasse fuit: *quem imperitasse Armeniis*, mox in urbem excitum iussu Gai *Caesaris vinctum memoravi.* Omissum in libris praenomen Caesaris a me additum in verborum contextu posui, a ceteris abstinendum ratus: cf. ad XI 1.

inter Gotarzis pleraque saeva: cf. Iosephus A. XX 3 §. 3, apud quem *Γοτάρζης*, non *Γοθάρζης*, mox *Οὐαρδάνης*, non *Βαρδάνης*.

qui necem fratri Artabano — praeparaverat: cave hunc Artabanum commutes cum eo Parthorum rege, qui pater fuit Gotarzis et Vardanis (Iosephus A. XX 3 §. 3) et Artabani a Gotarze sublati, de quo Tacitus II 3 et 4 et 58, VI 31 sqq. et 43—44. Hunc errorem commisit Broterius eoque a vero seductus alium addidit statim memorandum.

biduo tria milia stadiorum invadit: si Vardanes solus in Parthos redisset, ingens hic cursus aliorum cursorum exemplis, quorum multa collegit Lipsius Centur. Epistol. ad Italos. 59. (opp. t. II p. 600—606), quodammodo firmari posset: nunc vero cum res ipsa ostendat illum cum exercitu in terram Parthorum invadere et ad regnum occupandum venire, ille cursus non solum plane incredibilis est, sed etiam Vardanen non ut regni reciperatorem sed ut insanum cursorem ostenderet. Quapropter illud *tria milia stadiorum* de trium milium stadiorum spatio, quod Vardanes cum suis militibus in plura agmina divisis amplexus est, intelligendum existimo. Etiam verbum *invadit* eo ducere videatur. Cf. II 18: *quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem milia passuum* (h. e. spatium decem milium passuum) *cadaveribus atque armis opplevere.* III 62. Spreta hac brevitate I 51 scribit: *quinquaginta milium spatium ferro flammisque pervastat*, sed quis neget scribi potuisse *quinquaginta milia passuum?*

obiecti amnis: dicit Tigrim fluvium; v. ad VI 42.

ausus erat, Demonacte praefecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniae Cotys, versis illuc quibusdam procerum; dein litteris Caesaris coërcitus, et cuncta in Mithridaten fluxere, atrociorem quam novo regno conduceret. At Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente faciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit; congressique primo cunctanter, dein complexi dextras apud altaria deum pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere. Potiorque Vardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, ne quid aemulationis existeret, penitus in Hyrcaniam abiit. Regressoque Vardani deditur Seleucia, septimo post defectionem anno, non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tam diu eluserat. Exin validissimas prae- 10
fecturas invasit. Et recuperare Armeniam avebat, ni a Vibio Marso Syriae legato, bellum minitante, cohibitus foret. Atque interim Gotarzes paenitentia concessi regni, et vocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias. Et huic contra itum ad amnem Erinden; in cuius transgressu

3. *dein* Mª : *deinde* G. *fluxere quam atrociorem quam novo* Mª. 5. *faciunt* Lipsius : GMª *iaciunt*, A *iciunt*. 6. *cotarzes* Mª. 7. *cunctanter* Mª : *cunctantur* Reg. 8. *deum*] *dm* cum lin. Mª. 11. ante *abiit* littera erasa in Mª. *vardane* Mª : emendavit Lipsius. 13. *tandiu* Mª. 14. *invasit* G : Mª *invisit*. *avebat* Heinsius : Mª *habeat*, non *habebat*, G et Oxonienses *parabat*. 16. *penitentia* Mª. *vocante* Mª : *revocante* G. 18. *hinc* Mª : *huic* G. Mª *Erinden:* Budensis *Erindem*, G *syndem*. *transgressum* corr Mª.

Cap. 9. *foedus repente faciunt:* his verbis quid factum sit, subsequentibus *congressique — abiit* quomodo et quod foedus factum sit, narratur, id quod fefellit Waltherum. Ceterum quod est XV 50 *dum scelera principis, et finem adesse imperio, — inter se aut inter amicos iaciunt*, admisso zeugmatis schemate, inde non consequitur Latine dici *foedus iacere* pro *verba iniicere de foedere sanciendo*, ut opinantur Waltherus et Orellius. Perinde a Latinitate laborat *foedus iciunt:* v. Doederlinii Synonym. Lat. V p. 62.

Gotarzes fratri: non fratrem Gotarzis fuisse Vardanem sed filium fratris dicit Broterius, teste usus Iosepho A. XX 3, sed Iosephus cum Tacito plane consentiens Gotarzen vocavit *fratrem* Vardanis (XX 3 §. 3). Broterius ceteris imposuit editoribus. *atque ipsi inter se concedere:* conf. annot. ad III 40.

Cap. 10. *validissimas praefecturas invasit:* Vardanes a factione popularium accitus biduo tria milia stadiorum invaserat et statim proximas praefecturas (c. 8.) *corripuerat*, tum vero obsidione Seleucensium implicitus substitit, dein omissa interim Seleucia adversus fratrem Gotarzem profectus erat;

multum certato pervicit Vardanes, prosperisque proeliis medias nationes subegit ad flumen Sinden, quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi quamquam victores longinquam militiam aspernabantur. Igitur extructis monimentis, quibus opes suas testabatur nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur, ingens gloria, atque eo ferocior et subiectis intolerantior; qui dolo ante composito incautum venationique intentum interfecere, primam intra iuventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares quam metum apud hostes quaesivisset. Nece Vardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdaten prolem Phraatis, obsidio nobis datum. Dein praevaluit Gotarzes. Potitusque regiam, per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant.

1. *bardanes* pr M^a. *praeliis* Or. 4. *aspernebantur* M^a. 5. *estructis* M^a. 5. *munimentis* M^a: correxit Lipsius. *cuiqua* M^a. 6. *illis degentibus* M^a. *parata* GM^a: emendatum in corr Bud. 7. *intollerantior* M^a. 8. *conp.* M^a. *incautu* M^a. 9. *iuventa* M^a. 10. *inter se umregum* M^a. 11. *bardanis* M^a. 12. *res*] *rex* M^a. *in regno* M^a: correxit Lipsius. cf. ad H. 5 3. 13. *a gordazen* M^a. 14. *prahatis* M^a. 15. *positusque* M^a. *sevitiam* M^a. 16. *p̄ces* M^a.

pace cum eo pacta regressus Seleuciam in fidem recepit. Sic animo viribusque auctus *validissimas praefecturas* imperium eius detrectantes (id enim verbo *validissimas* significatur) *invasit.* Quod in M^a *invisit*, hoc ex confusione litterae *a* cum *i* non insolita natum est. *Invisas* esse praefecturas a Vardane, hoc utique non dignum est quod a Tacito memoretur. *Et* quod sequitur in principio novi enuntiati positum idem valet atque *et sane.*

Erinden: 'nusquam quod sciam extat fluminis huius mentio. Unde suspecta mihi scriptura legendumque fortasse *Charindam.* Nam Charinda a Ptolemaeo VI 2 ponitur inter Mediam et Hyrcaniam terminus. — — Meminit Charindae etiam Ammianus Marcellinus XXIII 6'. Ryckius.

prolem Phraatis: erat nepos Phraatis, filius Vononis: XII 10.

qui dolo — interfecere: interitus causam fuisse bellandi adversus Romanos studium dicit Iosephus XX 3 §. 3.

obsidio nobis datum: nota vocem semel, ut videtur, positam: facta est ab verbo *obsīdĕre obsīdium*, ab *obsĭdēre obsĭdio* et *obsĭdium.* Apud Ammianum XVI 12 25 est nominis forma *obsidatus* in barbarum corrupta.

adegit Parthos mittere — orabant: progressum rerum propter temporum ordinem differt narrandum usque ad XII 10 sqq.

Isdem consulibus ludi seculares octingentesimo post 11
Romam conditam, quarto et sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque principis rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani composui. Nam is quoque edidit ludos seculares, iisque intentius adfui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor. Quod non iactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura, et magistratus potissimum exequebantur officia caerimoniarum. Sedente Claudio circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent, interque eos Britannicus imperatore genitus, et Lucius Domitius adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est. Vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata: nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam

1. *saec.* h. l., mox *sec.* M^a^. *post roma condita* M^a^. 2. *agustus* M^a^. 3. *expectati* erasa syll. *ex* M^a^. 5. *nam his* M^a^. *hisque* eraso *h* M^a^. *affuit* M^a^. 6. *pretor* M^a^. 7. *quindecem uirum* M^a^. 9. *cerim.* M^a^. 10. *Brittannicus* M^a^. 11. *L.* M^a^. 12. *inp.* M^a^. *fabor pr* M^a^. 13. *acriori. domitium* M^a^. 15. *adsimilata* M^a^, non *adsimul.*

Cap. 11. *octingentesimo:* nomen *anno* omisit, propterea quod antegressum *isdem consulibus* idem valet quod *eodem anno.* Ceterum ex norma aerae Varronianae nunc annus agitur octingentesimus, cum Fasti consulares annum 799 praebeant. Itaque hoc indicio Varronis aeram etiam in meis ad Tacitum additamentis ubique secutus sum.

utriusque principis rationes: Augustus hoc rationis secutus est, quod in commentariis quindecimvirum scriptum repperit, primum a regibus exactis ludos eos anno 298 a. u. celebratos ac deinceps annorum serie centum et decem absoluta ter repetitos esse annis 408, 518, 628. Iuxta hanc rationem ipse a. 738 seculares ludos spectandos edere debuit; sed aliquanto prius a. 737 quintum celebravit, ceterum secutus commentarios quindecimvirum. Claudius vero tunc a condita urbe octo secula dinumerans, ununquodque centum annis expletum, eosdem ludos instituit. Domitianus rursum non Claudii sed Augusti et quindecimvirum rationem respiciens a. 841 secularia edidit, nisi quod neque seculum centum neque centum decem annorum accurate observavit. Vid. Censorin. de Die natali c. 17. Sueton. August. 31, Claud. 21, Domit. 4. Dio LIV 18. Plin. VII 49 (48) extrem., VIII 42. Zosim. II 4.

collegio quindecimvirum: inde Hor. Carm. secul. 70: *quindecim Diana preces virorum curet.*

ac tunc praetor: quod ante Bekkerum contra libri Medicei auctoritatem vulgo legebatur *ac tum praetor*, id Tacitum post sacerdotium quindecimvirale praetura functum esse significat, sed id secus fuisse patet ex verbis *et ma-*

12 narrare solitus est. Verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua suboles virilis; et matri Agrippinae miseratio augebatur ob saevitiam Messalinae, quae semper infesta et tunc commotior, quo minus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore distinebatur. Nam in Gaium Silium, iuventutis Romanae pulcherrimum, ita exarserat ut Iuniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret vacuoque adultero poteretur. Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo, si abnueret, exitio et nonnulla fallendi spe, simul magnis praemiis, opperiri futura, et praesentibus frui pro solatio habebat. Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, largiri opes honores. Postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud adulterum visebantur.

13 At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria

6. *G.* Mª. 8. *adultero* Mª: *adulterio* G. 10. *operiri* Mª. 12. *adher.* Mª. 14. *adulterum* Puteolanus: Mª *alterum* superscr. *filium*, G *adulterium.* 16. *censioria* Mª.

gistratus potissimum exequebantur officia caerimoniarum.

sedente Claudio circensibus ludis: verba *sedente Claudio* nihil significant nisi ipsum principem coram illis ludis fuisse. Eundem *praesedisse* neque demonstrari potest neque verisimile est, cum praetor circensibus praeesset.

unam omnino anguem: v. Sueton. Ner. 6. Dio apud Xiphilin. LXI 2. Hoc argumentum in Domitio suo (= Nerone) ex mea coniectura Curiatius Maternus tractavit, de quo copiose dixi in praefatione ad Octaviam praetextam Materno vindicatam p. XIII—XXII.

Cap. 12. *distinebatur:* fortius hoc est et exquisitius quam libri Budensis *detinebatur:* Messalinam enim, diversis animi motibus, hinc ira, inde amore occupatam iisque in diversum tractam, irae indulgere non potuisse quantum vellet, hoc verbo rerum scriptor indicavit; cf. XIV 25: *quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur.* H. IV 55: *omnis exercitus suis quemque bellis distineri.* De re conf. Dio LX 31. Iuven. X 329—345. Aliam Messalinae libidinem Iuvenalis VI 115—132 narravit.

opperiri futura, et praesentibus frui pro solatio habebat: post *futura* vox paulum inhibenda, quod commate indicavi: nam *opperiri* est infinitivus historicus, neque pendet ex subsequente *pro solatio habebat.* Scilicet *opperiri futura* Silio nullum solatium, immo iusta timendi causa erat.

Cap. 13. *munia censoria:* collegam censurae habuit L. Vitellium ante rebus prospere gestis et bonis artibus illustrem, tum proiectae adulationis artificio insignem: v. ad VI 32. Cf. Sueton. Claud. 16: *gessit et censuram, intermissam diu post Plancum Paulumque censores* (a. 732). Idem Vitell. 2. Plinius

usurpans, theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit, quod in Publium Pomponium consularem (is carmina scenae dabat) inque feminas inlustres probra iecerat. Et lege lata saevitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fenori darent. Fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit. Ac novas litterarum formas addidit vulgavitque, comperto Graecam quoque litteraturam non simul coeptam absolutamque. Primi per figuras **14**
animalium Aegyptii sensus mentis effingebant (ea antiquissima monimenta memoriae humanae inpressa saxis cernuntur), et litterarum semet inventores perhibent; inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae, gloriamque adeptos, tamquam reppererint quae acceperant. Quippe fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum

2. *is*] *his* eraso *h* M^a. 3. *inque*] *inquit* pr M^a, ut videtur. *ill.* M^a. 4. *morte* M^a: correxit Lipsius. 6. *Simbruinis* Rhenanus: M^a *sub Inbruinis*, lac. Gronovius *ab Simbr.* *urbis* pr M^a, ut videtur; ultima scil. litt. erasa est. 7. *quoque graecam* GM^a: correxit Lipsius. 8. *ceptam* M^a. 9. *ea* Lipsius: GM^a *et*. 12. *greciae* M^a. 14. *fenicum* M^a. *grec.* M^a.

N. H. X 2: *allatus est* (phoenix) *et in urbem, Claudii principis censura, anno urbis* DCCC.

P. Pomponium consularem: est Pomponius Secundus, sub Gaio Caesare a. 41 consul suffectus, de quo dixi ad V 8. Verum eius praenomen in codice M^a omnibus suis litteris expressum, h. l. incorruptum permansit: infra (XII 28) idem vulgo sed perperam *Lucius Pomponius* vocatur. Dio non minus falso *Quintum* nominat LIX 6: nam *Quintus* frater Pomponii nominabatur (Tacit. VI 18), et hinc error Dionis natus est.

et lege lata — fenori darent: legem dicit senatus consultum referente principe factum; v. l. 1 D. *de senatuscons. Macedoniano* (XIV 6). Eandem legem rettulit Vespasianus: Sueton. 11.

fontesque aquarum: cf. Sueton. Claud. 20. Plinius XXXVI 24 (15) §. 10. Frontin. de Aquaed. §. 14. Inscriptio in Orellii corpore 54. Tacitus XIV 22. Corruptela M^a *sub Inbruinis* (G *sub imbruinis*) ex *Simbruinis* inde nata videtur, quod librarius qui scripsit codicem M^a in *S*, a *Simbruinis* casu quodam discreto, notam praepositionis *sub* se agnoscere crederet.

Cap. 14. *Phoenicas — intulisse Graeciae:* cf. Herodotus V 58. Plinius N. H. VII 57: *litteras semper arbitror Assyrias fuisse, sed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius* (Annalium scriptor), *alii apud Syros repertas volunt*; *utique in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum sedecim numero. Quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor hac figura ΘΞΦΧ, totidem post Simonidem melicum, ΖΗΨΩ. Quarum omnium vis in nostris recognoscitur.* *Demaratum:* conf. Plinius XXXV 43, Livius I 34. Niebuhrius H. Rom. t. I p. 394 et 414 sq. ed. tert.

tres litteras adiecit: fuere novae litterae Aeolicum digamma inversa

populis artis eius auctorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum et temporibus Troianis Palamedem Argivum memorant sedecim litterarum formas, mox alios ac praecipuum Simoniden ceteras repperisse. At in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt; et forma litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum. Sed nobis quoque paucae primum fuere, deinde additae sunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quae usui imperitante eo, post oblitteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. Rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis rei publicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas; primoresque

4. *Simoniden* M^a, non *Simonidem*. 5. *aboriginib; arcades* M^a: correxit Puteolanus (*Archade*). 6. *formas* M^a: emendatum in BG. *grec.* M^a. 9. *obliteratae* M^a. 10. *publico. dis plebiscitis* M^a. *retulit* M^a. 12. *sepe* M^a. 13. *accitos* Ursinus ex vetere, ut ait, libro: GM^a *accitis*. 14. *cer.* M^a.

figura Ⅎ, scilicet ut V consona discerneretur a V vocali, ut in ⅎVLGVS, SERⅎVS, deinde antisigma)(pro *bs* aut *ps*, denique Ⱶ (iota affectum appellare licet), ut sonus inter *i* et *u* ambiguus proferatur, qualis audiebatur in MAXⱵMVS, OPTⱵMVS. Cf. Quintilianus I 7 27, Priscianus I pag. 545 et 546 et 558, Velius Longus p. 2235, Taylor ad Marmor Sandvic. p. 46 sqq. Seyfertus Gramm. Latin. I p. 99.

publicandis plebiscitis: plebiscita proprie dicta, h. e. a tribubus et tribunis in foro deliberata et facta, quamquam nulla iam erant, nomen tamen mansit iis principis senatusque decretis quae ad plebem pertinebant quaeque ab hac cognoscenda et observanda publicis tabulis incisa proponebantur. Conf. XII 53: *et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter milies possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.* Ut litteris a se additis civitatem pararet, Claudius in iis praecipue senatus consultis quae publicae notitiae destinabantur exprimendas illas curavit. Nonnulla ex monumentis illis Claudii etiamnum extant: v. Orellii Inscript. Lat. n. 650. 710. 711. 714. 2275. In his digamma est, non etiam reliquae litterae a Claudio inventae.

Cap. 15. *super collegio:* convertas Graece *περὶ συνεδρίου*, non *περὶ τοῦ συνεδρίου*: nam usque ad hoc tempus haruspices, si opus videretur, acciti sunt ex Tuscis, ubi origo sedesque illius disciplinae: in urbe ipsa nulli haruspices: v. Cic. de N. D. II 4. Sed cum per Etruriam illi ritus iam segnius colerentur, haec causa Claudio fuit, cur collegium haruspicum in urbe constituendum duceret. Non recte haec verba intellexit Odofred. Müllerus in Etruscis suis t. II p. 4. Illud Claudii collegium LX haruspicum fuit; v. Orellii Inscript. n. 2291—2295.

Etruriae sponte, aut patrum Romanorum impulsu, retinuisse scientiam et in familias propagasse; quod nunc segnius fieri publica circa bonas artes socordia, et quia externae superstitiones valescant: et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oblitterarentur. Factum ex eo senatus consultum, viderent pontifices quae retinenda firmandaque haruspicum.

Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit, 16
amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus. Paternum huic genus e Flavo fratre Arminii, mater ex Catumero principe Chattorum erat; ipse forma decorus, et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Caesar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere: illum primum Romae ortum, nec obsidem sed civem, ire externum ad imperium. Ac primo laetus Germanis adventus, atque eo, quod nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret, celebrari coli, modo comitatem et temperantiam nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidines,

1. *inp.* M^{a}. 4. *valescant* M^{a}: *invalescant* G. 6. *obliter.* M^{a}. 9. *romae* M^{a}: emendavit Rhenanus. 10. *ammissis* M^{a}. 11. *italus* M^{a}, qui mox ut vulgo. 12. *Flavo* M^{a}: G *Flavio*. *armenii* G et M^{a}. *catumero* G (non *Cattumero*, ut narrat Orellius) et infra M^{a}: idem nunc *Actumero*. *Chattorum*] *Cattorum* M^{a}, *cactorum* G. Medicei prioris scripturam dedi, quam alibi etiam alter praebet. 14. *auctum* G: M^{a} *augustus* (*s* finale ex correct.). 18. *eo*, *quod* M^{a}: *eo magis quod* G. *inb.* M^{a}. 20. *invisam* G: M^{a} *invisa*. *vinulentiam* superscr. *o* M^{a}.

gratiam referendam: per ipsam collegii sacerdotalis institutionem referre eam gratiam Claudius animum induxerat.

Cap. 16. *e Flavo fratre Arminii:* conf. II 9 cum annot.

nulli invisam: quod hanc ceterorum codicum scripturam praefero ei quam in Mediceo invenio *nulli invisa*, non ea causa quod hanc minus quam priorem Latinam esse credam, sed quia primum variationis amantem esse Tacitum scio, ideoque *invisam* maluisse iudico propter subsequens *ignara barbaris;* tum facilius extrema vocis *invisam* littera in codice Mediceo evanescere (sponte meministi, lector, vocabula in *m* desinentia fere per compendium notari in fine), quam addi a ceteris potuit.

exploratoris Flavi: Flavus satelles et custos Caesaris invidiose nominatur. Hoc enim est explorator: II. I 24 et 25 et 27, II 11.

infectum alimonio servitio cultu: cf. ad I 58. Eximie magnus imitandi artifex barbarorum odio atro-

grata barbaris, usurpans. Iamque apud proximos, iam longius clarescere, cum potentiam eius suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur adimi veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere. Adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavi progenies super cunctos attollatur? Frustra Arminium praescribi: cuius si filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio servitio cultu, omnibus externis. At si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam

17 ac deos penates quam parentem eius exercuisse. His atque talibus magnas copias coëgere. Nec pauciores Italicum sequebantur. Non enim inrupisse ad invitos, sed accitum memorabat. Quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero praeberet. Nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam nunquam omisisset. Falso libertatis vocabulum obtendi ab iis qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant.

5. *principem* Mᵃ: *principis* BG. 6. *flabii* Mᵃ. *super* Mᵃ per notam. 8. *venisse posse. Testimesci* Mᵃ: correxit Beroaldus. 9. *alimonio* Mᵃ: *alimonia* G. 9. *ac* Mᵃ in contextu, in mg. *at.* 11. *parentès* Mᵃ. 13. *irrup.* Or. *memorabat* editor: vulgo *memorabant.* 17. *numquam* Mᵃ. 18. *his* Mᵃ. 19. *nichil* M.

cium iram et intemperantiam animi expressit.

Cap. 17. *memorabat:* legebatur *memorabant*, sed ipsum Italicum fuisse qui subsequentia de se iactavit, non alios, luculente liquet ex iis quae finita adhortatione addita sunt: *adstrepebat huic* (Italico) *alacre vulgus.* Nam pronomen *huic* numero singulari positum nonnisi ad personam loquentis referri potest: si verba et argumentum orationis designaturus erat, scribendum fuit *his* aut eiusmodi verbum eligendum, ut pronomen casu nominativo vel accusativo (*hoc*) poneretur. Hoc cum Waltherus intelligeret, vulgare librariorum vitium *hinc* (id natum ex *huic*, littera *i* dum sine puncto scribitur) ex editione principe recepit. Ut nos emendavimus, clara omnia. In diverso exercitu proceres Cherusci et duces partium ad conterminos populos externasque copias loquuntur: Italicus ad vulgum qui in fide remanserat verba facit, et alacri strepitu auditur. Ne causa quidem corruptionis in obscuro latitat: quippe pronomen *se* post *inrupisse*, ut saepe alias, a Tacito omissum fecit, ut librarii crederent non ipsius ducis sed satellitum eius verba referri. In G, ut post vidi, dilucide est *memorabat.*

Adstrepebat huic alacre vulgus; et magno inter barbaros proelio victor rex, dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus refectus, per laeta per adversa res Cheruscas adflictabat.

Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, et 18
morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere duce Gannasco, qui natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus, post transfuga, levibus navigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites et imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus magna cum cura, et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quaeque habiles, per aestuaria et fossas adegit; lintribusque hostium depressis et exturbato Gannasco, ubi praesentia satis composita sunt, legiones operum et laboris ignaras, populationibus laetantes, veterem ad morem reduxit, ne quis agmine decederet, nec pugnam nisi iussus iniret. Stationes vigiliae, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur. Feruntque militem, quia

1. *alecre* M^{a}. *vulgus* M^{a}, non *volgus*, et ita plerumque. *inter*] *ut inter* Lipsius. 4. *affl*. Or. 5. *nulla* G: M^{a} *milia*. 6. *alacrex* superscr. *s* M^{a}. 7. *caninefas* M^{a} et G qui *cani nefas*. 8. *auxiliaris et diu meritus* Puteolanus: M^{a} *auxiliare ex diu meritis* (*ex* tamen ex correct.); *auxiliare aes diu meritus* Mercerus et Iac. Gronovius. 10. *inb*. M^{a}. 12. *reni* M^{a}. *quceque* M^{a}. 13. *estuaria* M^{a}. *luntribusque* M^{a}. 15. *ignauas* M^{a}: correxit Puteolanus. 18. *munia* M^{a}, non *minia*, ut narrat Victorius. *milites* pr M^{a}, *militẽ* corr M^{a}.

adstrepebat huic alacre vulgus: vocabulum *alacre* additum indicat vulgum vero affectu ducis verba accepisse et comprobasse. Vulgus tantum memoratur, quia proceres ad conterminos populos discesserant. Eo minus dubium quin orator modo auditus ipse fuerit dux et rex Italicus.

Cap. 18. *nulla dissensione domi:* pro gentis assuetudine vacui externo metu arma in se vertebant (II 44); nunc domestico statu non turbato exteros aggrediuntur.

Sanquinii: non diversus videtur esse ab eo qui VI 4 Sanquinius Maximus vocatur: sed de Sanquinio VI 7 in accusatoribus L. Aruntii relato et punito non facile nunc cogitabimus. Nomen ductum est a *Sanco*. Quod alterum eius nomen (praenomen aut cognomen) nunc omittitur, hoc inde factum est, quia Tacitus in perdita libri undecimi parte vel in decimo libro de hoc Germaniae inferioris legato rettulerat. Corbulo duobus nominibus iam III 31 consignatus est.

natione Canninefas: ea natio partem insulae Batavorum incoluit. H. IV 15 et 16 et 19 et 32 et 56 et 73 et 79.

vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. Quae nimia, et incertum an falso iacta, originem tamen e severitate ducis traxere; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum
19 asperitatis etiam adversus levia credebatur. Ceterum is terror milites hostesque in diversum adfecit. Nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum, post rebellionem clade Lucii Apronii coeptam infensa aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatus magistratus leges imposuit. Ac ne iussa exuerent, praesidium immunivit, missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo adgrederentur. Nec inritae aut degeneres insidiae fuere adversus transfugam et violatorem fidei. Sed caede eius motae Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis praebebat, ut laeta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fama. Cur hostem conciret? Adversa in rem publicam casura: sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, et ignavo principi prae-

3. *acta* M^{a}: correxit Rhenanus. *tracxere* (c puncto notatum) M^{a}. 4. *delectis* M^{a}. 6. *aff.* Or. *aucximus* (c punctis notatum) M^{a}. 7. *post* M^{a}; *per* G. 8. *L.* M^{a}. *ceptam* M^{a}. 9. *corbolone* M^{a}. 10. *inp.* M^{a}. 11. *immunibit* M^{a}. *cauchos* M^{a}. 12. *aggr.* Or. 13. *irr.* Or. 14. *caucorum* M^{a}. 16. *insinistra* iunctim M^{a}. 17. *re puplica* M^{a}. *casuras inprospere* M^{a}. 18. *ignabo* M^{a}.

at Corbulo sqq.: cf. Dio LX 30 et annot. ad III 31. Praeclara hominis gloria, cuius tot in subsequentibus libris argumenta, nunc annuntiatur. *cui principium illa militia fuit: cui* refer ad *gloriam*, non cum Pichena ad Corbulonem: ipse enim iam ante annos 26 *praetura fnnctus* erat: III 31. Fallitur Pichena scribens ad h. l. 'forte filius illius, qui libro 3. *Domitius Corbulo* appellatur. certe non idem. ille enim senex: *pro Corbulone aetas*' (immo adolescens erat, sed aetate maior quam Sulla ille nobilis iuvenis). 'at de hoc paulo infra ait: *cui principium illa militia fuit*'.

Cap. 19. *Clade L. Apronii:* eam rem narravit IV 72—74.

idem senatus magistratus leges imposuit: haec ille imposuit in iis civitatibus Frisiorum, quibus formam municipiorum Romanorum dedit. *Senatus* scriptura bene se habet, neque opus est coniectura Puteolani *senatum*.

immunivit: breviter dictum pro *in terra Frisiorum munivit.*

maiores Chaucos: minores Chauci proximi a Frisiis inter Amisiam et Visurgim, maiores a Visurgi ad Albim. Plinius XVI 1. Conf. G. 34 sq. Minoribus igitur Chaucis dux Romanus ordinatis Frisiorum rebus ipse cum exercitu proximus fuit, a maioribus longius remotus: hinc *missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent.*

gravem. Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit ut referri praesidia cis Rhenum iuberet. 20
Iam castra in hostili solo molienti Corbuloni eae litterae redduntur. Ille re subita, quamquam multa simul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. Ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur. Insignia tamen triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset.

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor, et fodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. Quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas

3. *littere* Mª. 4. *offundarentur* Mª. 5. *inp.* Mª. 6. *nichil* Mª. *prolocutus* Mª, non *perlocutus*. *quosdam* BGMª: correxit Lipsius. 7. *ut*] *ui* Mª, in mg. *ne: ut* Reg. 8. *p̄duxit*, id est *praeduxit*, Mª: correctum in G. 9. *vitarentur* Vertranius: Mª *vetarentur*, G *uectarentur*. *insigni* Mª. 11. malim *apiscitur*. v. ad 12 30. 12. *mathiaco* Mª. *quer.* Mª. 14. *et fodere*] *effodere* Lipsius. *rivos*, sed *v* in rasura, Mª.

Cap. 20. *beatos quondam duces Romanos:* Dio l. c. *ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες.*

perduxit: Dio l. c. *διετάφρευσε δι' αὐτῶν* (per legiones) *πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα, ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ Ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναρρέοντες πελαγίζωσιν.* 'Fuisse ergo necessum est fossam eam inferioris Bataviae parte, inter Rhenum veterem Mosamque, ubi fere ubique inter duos fluvios 23 milliarium intervallum. Supra agrum Batavorum, inter Mosam et adhuc integrum Rhenum, esse non potuit, quoniam illic certe periculum nullum ab aestu'. Lipsius. Sic etiam D'Anvillius et alii geographi.

qua incerta Oceani vitarentur: qua vitaretur ne Oceani aquae accrescente unda introrsus fluendo terrae solum stagnando corrumperent *incertumque* redderent. *Vetarentur* scriptura eandem sententiam praebet, sed inest magniloquentia a Tacito alienissima. Adoptanda igitur lenis Vertranii mutatio, sed reprobanda eius explicatio: opinatur enim fossam illam factam esse qua commeari a Mosa ad Rhenum posset neque necesse esset subire Oceani pericula.

cum damno labor: damnum dicit praedae partem negato bello militi demptam.

et fodere rivos: et particula subsequenti *que* in *quaeque* respondet, ut recte monuit Waltherus, sed uterque labor, tam *fodere rivos* quam *quae in aperto gravia, humum infra moliri*, praecipue ad fossam inter Mosam et Rhenum perductam pertinet: nam rivi fo-

litteras nomine exercituum, precantium imperatorem ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.

21 De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim et vera exequi pudet. Postquam adolevit, sectator quaestoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox 'tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.' Tali omine in spem sublatus digressusque in urbem, et largitione amicorum, simul acri ingenio, quaesturam, et mox nobiles inter candidatos praeturam principis suffragio adsequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset, 'Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.' Longa post haec senecta, et adversus superiores tristi adulatione, adrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit; atque ibi defunctus fatale praesagium implevit.

1. *p̄cantium* M[a]. 5. *opt.* M[a]. 9. *spe* M[a]. *degressusque* M[a]: correctum in G. 10. *urbe* M[a]. 12. *asseq.* Or. 13. *ex se*] *exe* (post *x* superscr. *s*) M[a]. 15. *arrog.* Or.

diebantur, ut aquae haud longe a fossa stagnantes ad eam complendam adducerentur; *quae in aperto gravia*, h. e. solida, ut lapides et arenae, infra humum molienda erant, ut iis immissis humus antea fallax et limosa emuniretur. Rivi tamen etiam in aurifodinis effodiri poterant.

ut — triumphalia ante tribueret: Sueton. Claud. 24: *epistola communi legionum nomine extitit petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur, ne causam belli quoquo modo quaererent.* Postrema *ne — quaererent* non bene ab ipso Suetonio, non ex illa epistola, adiecta sunt. Nam bella quaeri non gravabatur miles, sed aegre tulit triumphalia concedi pro eiusmodi laboribus, quales Tacitus modo descripsit.

Cap. 21. *Curtii Rufi:* huius filius fortasse Quintus Curtius fuit, qui principe Vespasiano res gestas Alexandri Magni composuit: nam ea aetate ille scripsit, quamvis alii aliter statuant, idque ex Curtii verbis X 9 recte intellectis agnoscitur, et primus agnovit Rutgersius *Var. Lect.* I c. 19.

et vera exequi pudet: exequi est accurate vel copiose exponere; cf. III 65, XII 58. Verbum *pudet* significat in Curtii rebus fuisse quae non sine pudore narrari possent, quae causa fuit cur carptim et paucis verbis Tacitus eas percurreret. *oblata ei species:* eandem famam paulo uberius tradit Plin. Epist. VII 27. *praeturam principis suffragio:* hinc liquet Curtium fuisse quaestorem Caesaris. Conf. ad XVI 34.

Interea Romae, nullis palam neque cognitis mox causis, 22
Gnaeus Nonius eques Romanus ferro accinctus reperitur in coetu salutantum principem. Nam postquam tormentis dilaniabatur, de se non infitiatus conscios non edidit, incertum an occultans.

Isdem consulibus Publius Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id

2. *G. N.* M^a^. *Roman'* (duabus litteris erasis) M^a^. *repperitur* M^a^. 3. *caetu* M^a^. *salutantum* M^a^, non *salutantium*. 4. *noni* (lacuna tredecim litterarum) *conscios* M^a^: supplementum a Iac. Gronovio. A *confessus*. 6. *cos* cum lin. M^a^. *P.* M^a^. *censui* M^a^. 8. *quest.* M^a^. malim *apiscerentur;* v. ad 12 30. *id*] *sit* M^a^.

Cap. 22. *isdem consulibus:* v. ad I 53.

censuit: eius sententiam a patribus acceptam esse et senatus decreto sancitam tam ex huiusce capitis fine quam ex Suetonii Claudio 24 patet: *collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit.* Mutavit Nero sub principium imperii; XIII 5: *ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset.* Claudii decretum revocavit Domitianus; Sueton. Dom. 4: *quaestoriis muneribus, quae olim omissa revocaverat, ita semper interfuit,* cet. Cf. Lampridius in Alexandro 43: *quaestores candidatos* (h. e. quaestores Caesaris) *ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed ut post quaesturam praeturam acciperent.* Ceterum *qui q. adipiscerentur* non est, ut dicit Orellius, *adipisci vellent,* sed ex cogitatione censentis positum est, *die zur Quästur gelangten.*

sed quaestores — instituti sunt (*aber Quästoren* — non 'die Quaestoren' — *sind schon unter der Regierung der Könige angeordnet worden*): quaestores variis temporibus varia Romae negotia sustinuerunt. Scilicet regibus imperantibus et primis liberae civitatis annis usque ad 307 a. u. quaestores a conquirendis publicis maleficiis appellati sunt, qui *parricidii quaestores* nominantur a Pomponio l. 2 §. 23 Dig. *de origine iuris* (I 2); cf. Pauli Excerpt. ex Festo s. v. *Parricidii quaestores appellabantur qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum.* Eiusmodi quaestores a Tullo Hostilio delectos Livius I 26, recentiore ut videtur vocabulo usus, designavit *duumviros qui perduellionem iudicent.* Cf. Ulpian. l. un. Dig. *de officio quaestoris* (I 13): *sed sicuti dubium est an Romulo et Numa regnantibus quaestor fuerit, ita Tullo Hostilio rege quaestores fuisse certum est. Sane crebrior apud veteres opinio est Tullum Hostilium primum in rem publicam induxisse quaestores.* De huius generis quaestoribus Livius loquitur II 41 in rebus anni 268, iterum III 24 et 25 in rebus anno 295 et 296 gestis et hos *lex curiata a Bruto repetita* respexit, id quod recte vidit Niebuhrius Hist. Rom. t. I p. 583 ed. 3, quamquam probabilibus admodum incerta admiscens. Sed ab anno 307, quo primum a populo quaestores creatos esse Tacitus paulo post tradit, illi rerum capitalium indices apud neminem ex veteribus scriptoribus *quaestores* iam appellantur, sed *duumviri qui de perduellione anquirerent:* v. Liv. VI 20. Cicero

praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. Sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt; quod lex curiata ostendit, ab Lucio Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus, sexagesimo tertio anno post Tarquinios

3. *quin*] *qui in* M[a]. 5. *L.* M[a]. 7. *potus* M[a]: correxit Lipsius. 8. *sexagesimo tertio* M[a], non *tertio et sexagesimo*. G LXIII.

pro Rabir. 4. Nam qui ab anno 307 prodeunt quaestores, aerarii curam in se suscipiebant et publicas pecunias conquirebant, id quod hic diligens et succinctus rerum narrator significavit subditis *ut rem militarem comitarentur.* Tacitus autem hoc discrimen nunc persequi noluit in hac brevi de quaestura digressione. Iniuria Tacitum erroris inscitiaeque accusavit Niebuhrius H. R. t. I pag. 583 et t. II annot. 836 et t. III annot. 1003; Niebuhrium alii imprudenter secuti sunt. Sed hanc reprehensionem vel collato Varronis (de Ling. Lat. V §. 81) loco repellere licet: ibi enim legimus: *quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia quae triumviri capitales nunc conquirunt.* Varro plane ut hic noster duas quaestorum *species* comprehendit et tamquam unum *genus* proponit. Quippe uterque brevitatis studiosus eam rem uberius explicare noluit.

mansitque consulibus potestas deligendi: haec falsa esse primus Niebuhrius I p. 583 pronuntiavit aliique vestigia eius legerunt. Tacitum nihilo minus vera tradere non difficile est ad intelligendum. Regibus enim hoc iuris fuisse, ut in causa capitali non ipsi iudicium invidiosum ferrent, sed quaestores deligerent, locuples auctor est praeter hunc nostrum Livius I 26, dum Tullum Hostilium haec proloquentem inducit, *duumviros qui Horatio perduellionem iudicent, secundum legem facio.* Atqui idem iuris ad consules regiae potestatis heredes pervenisse non solum per se verisimile est, sed idem testatur et Tacitus et lex curiata ab ipso pro testimonio posita. Sed quid tandem movit Niebuhrium, ut tantas auctoritates sperneret, quaestoresque priscos a curiis creatos assereret? Nimirum nimium tribuit Iunii Gracchani testimonio ab Ulpiano l. un. Dig. I 13 servato, quod quanti faciendum sit, immo quam incerta et fabulosa ille secutus sit, ut intelligant lectores, transscribere totum placuit: *Gracchanus denique Iunius libro septimo de Potestatibus etiam ipsum Romulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce sed populi suffragio crearent, refert.*

creatique primum — ut rem militarem comitarentur: qui ab hoc tempore quaestores comparent, nomen priscae dignitatis tenent, sed alia negotia procuraverunt. Consules enim ad bellum proficiscentes exercitumque hi comitantur, praedae vendendae curam sustinent, pecuniamque inde redactam in aerarium referunt. Hi iam annui magistratus erant, cum prisci illi quaestores, ubi usus esset, a regibus et deinceps a consulibus deligerentur. Hos item annuos fuisse dicit Beckerus (Enchirid. Ant. Rom. t. II part. II p. 331 sq.)

exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent. Mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

Aulo Vitellio Lucio Vipstano consulibus cum de sup- 23
plendo senatu agitaretur, primoresque Galliae quae Comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pridem adsecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea

4. *legē*, id est *legem*, M[a]: correctum inest G. *suillae* M[a]. 5. *receperavissent* M[a]. 9. *A.* M[a]. *L.* M[a]. *Vipstano* Rupertius Epist. 48 ad Reinesium: M[a] *uipsana*. *cos.* M[a]. 11. *ass.* Or. 12. *eas* pr M[a], ut videtur: nunc littera tertia erasa est.

et demonstrare conatur ex Livii verbis III 24—25, ubi post quaestores in causa capitali a. 295 (c. 24) commemoratos mox novi consules (anni 296) itemque *novi quaestores* eiusdem causae nominantur (c. 25). Sed consulibus potestas cum esset deligendi quaestores in causis capitalibus, a novis consulibus novos quaestores destinari consentaneum fuit, neque inde colligi potest hanc quaesturam annuum fuisse magistratum. Livius quaestorum aerarii curam tractantium institutionem suo loco non tradidit, sed demum in rebus anni a. u. 333, ubi numerus eorum duplicatus est, horum mentionem fecit IV 43: *necopinata moles discordiarum inter plebem ac patres exorta est, coepta ab duplicando quaestorum numero. Quam rem, praeter duos urbanos quaestores ut duo consulibus ad ministeria belli praesto essent, a consulibus relatam cum et patres summa ope approbassent*, cet. Falluntur qui Livium in his diversa a Tacitinis opinantur narrare, veluti Beckerus l. c. p. 337 sqq. Scilicet ex Livii verbis non id consequitur, quaestores qui adhuc erant (ab a. 307 usque ad 333), *urbanos* fuisse, immo quod in futurum constitui velint, consules referunt, ac Livius aliis verbis idem tradit quod statim Tacitus, *dein gliscentibus negotiis duo additi qui Romae curarent.* Illa Livii *praeter duos urbanos quaestores* interpretanda sunt *ἄνευ δυοῖν ταμιῶν ἀστυκῶν*, non *ἄνευ τῶν δυοῖν ταμιῶν τῶν ἀστυκῶν.*

mox duplicatus numerus: hoc factum est anno 487 Iulio Libone Atilio Regulo consulibus: v. Liv. Epit. 15: *quaestorum numerus ampliatus est, ut octo essent.* Lyd. de Mag. I 27. Niebuhrius II. R. t. III p. 645.

lege Sullae viginti creati supplendo senatui: qui quaesturam gessissent, in curiam recipiebantur: cf. Nieb. II p. 486.

iudicia reciperavissent: reciperaverunt ita, ut patres non excluderentur: lege enim Aurelia (684) patres et equites tribunique aerarii iudicia exercuerunt.

Cap. 23. *foedera et civitatem Romanam pridem adsecuti:* haec non de quibuscumque Galliae Comatae proceribus capienda sunt,

super re variusque rumor. Et studiis diversis apud principem certabatur, adseverantium non adeo aegram Italiam ut senatum suppeditare urbi suae nequiret. Suffecisse olim indigenas, consanguineis populis, nec paenitere veteris rei publicae. Quin adhuc memorari exempla quae priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? Quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator, fore? Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint. Recentia haec. Quid

2. *assev.* Or. 4. *consanguines* M[a]. *penit.* M[a]. 8. *uelud* M[a]. 9. *foret* M[a]: correxit Acidalius.

sed intelligenda de singulis huius terrae primoribus, qui domi magistratus gesserant ideoque, pro *iure Latii* populo suo concesso, civitatem Romanam assecuti erant. Itaque *primores Galliae quae Comata appellatur* non sunt omnes Galliae Comatae primores ('*Vornehme* aus Gallia Comata' non 'die *Vornehmen* aus Gallia Comata'), sed qui domi magistratu perfuncti erant. *Foedera* dicit ius Latii, *civitatem Romanam* optimum et plenum Romanae civitatis ius, gestis domi honoribus a primoribus illis impetratum. Nimirum *Latini iuris* qui erant, iis suffragii ius et honores in urbe concedebantur, si domi magistratus et honores gessissent (v. ad XV 32). Iuste igitur primores illi Galliae Comatae, qui apud suos munia magistratuum aut sacerdotum expleverant, nunc cum de supplendo senatu agitaretur, *expetiverunt* ut ipsi in senatum Romanum legerentur. Poscunt quod ex iure Latii et suis domi honoribus consectarium erat. Vulgus interpretum in his verbis nimium caecutire solet.

ius adipiscendorum in urbe honorum: suffragii iuris nulla hac aetate mentio: quippe iam nulla erant comitia in foro et campo: v. ad I 15. Qui honores in urbe adipiscuntur, iidem in senatu suffragia ferebant, et rursum qui in senatu, ad honores adspirare iis licuit: inde c. 25 legimus: *primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt.*

suffecisse olim indigenas, consanguineis populis: sic distinguendum erat, ut *cons. populis* ablativum esse, non dativum a *suffecisse* suspensum, liqueret. Sententia haec est, suffecisse olim supplendo senatui et capessendis honoribus indigenas civesque urbis, quamvis prope agentibus populis origine et sanguine Romano coniunctis, veluti Latinis, Sabinis, Tuscis. Respondet huic dicto Claudius c. 24: *plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos.*

divites illos: Gallia divitiis opulentiaque praecelluit; c. 18 *dites et imbelles esse.* Conf. ad I 31.

apud Alesiam: cf. Caesar B. G. VII 68 sqq. et quos magno numero laudavit Drumannus Hist. Rom. t. III p. 353—359.

si memoria eorum oreretur qui, *inspectante* Capitolio et arce Romana, manibus eorundem prostrati sint? Fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent. His atque talibus haud permotus princeps et statim 24
contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est: 'maiores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam et in familias patriciorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis rem publicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos, postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, et adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie

1. *oreretur*] *moreretur* M[a]: emendavere Seyffertus et Bezzenberger. *inspectante* editor: a codd. abest. *arce* Heinsius: codices *ara*. 2. *prostrati sint* editor: M[a] cum ceteris *per se satis*. 8. *rem publica capessenda* M[a]: correctum inest G. 9. *usqua* M[a]. 10. *Coruncanios* M[a] (non *Coruncanos*).

oreretur: in M[a] huic verbo extrema praecedentis (*eorum*) littera adhaesit, unde factum *moreretur*, ut in eodem libro XV 52 *ad libertate moreretur* scriptum est pro *ad libertatem oreretur;* idem vidit Seyffertus qui *oriretur*, et Bezzenberger qui formam *oreretur* recte tenuit. Puteolanus *inoriretur* expressit cum plerisque editoribus, verbum non Tacitinum. Possis coniectare cum Iac. Gronovio *moveretur*, at *moveri* non dicitur memoria quae excitatur, sed quae pellitur. *eorum* haud dubie pertinet ad eos qui a Gallis conflictati sunt, non ad Gallos ipsos.

inspectante Capitolio et arce Romana: accurate nunc loquitur duos colles Capitolini montes distinguendo, cum in quo templum Iovis (*Capitolium*) et alterum in quo *arx* urbis. Cf. annot. ad. H. III 71. *Arcis* pro *ara* restitutio satis certa Nic. Heinsio debetur. Idem in ceteris licenter egit. Ego, ut verbis nimium attentatis tandem iusta sententia conciliaretur, nunc hoc iuris mihi sumpsi, ut de meis adderem *inspectante*, inter voces eodem sono incipientes (*qui* et *Capitolio*) omissum.

Romana: post hoc vocabulum hiatum esse credidit Seyffertus eumque explere addito verbo *obsessa* conatus est. A vero aberravit: nam cum *seniores* Romanorum in vestibulis aedium suarum trucidabantur, Capitolium nondum obsidione a Gallis cinctum erat. Cf. Liv. V 41. Sed qui perfugerant in Capitolium et arcem, inde suorum in urbe caedem *inspectabant*.

prostrati sint: sic ego solvo vestigia libri M[a] *per se satis*, in quibus *per* sive *p* ex *,p*, id est *pro*, corruptum, *prosesati* autem ex *prostrati* natum, *s* nota verbi *sint*.

Cap. 24. *ita exorsus est:* argumentum orationis a Claudio habitae et cogitationes principis ser-

deductarum per orbem terrae legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenae in nos regnaverunt. Libertinorum filiis magistratus mandari non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus. Scilicet Volsci et Aequi nunquam adversam nobis aciem instruxere. Capti a Gallis sumus. Sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium iugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio quam adversus

1. *provincilium* M[a]. 2. *num* M[a]: BG *non.* *pen.* M[a]. 5. *lacedem.* M[a]. 6. *quanquam* M[a]. 7. *nostri* M[a]: *noster* Lipsius. 9. *dein*] *eodem* B. 10. *mandaret* (non *mandarent*) M[a], *mandati* G: emendavit Lipsius. 12. *uulsi* M[a]. *nunquam* h. l. M[a]. 14. *subivimus* G et veteres editi: M[a] media syllaba omissa *subimus*, Orellius *subiimus.*

vavit rerum scriptor, in ceteris liberrime dominatus. Luculento exemplo id discimus, cum verae orationis fragmenta Lugduni olim reperta et in aes incisa comparare possimus. Ea igitur in fine huius voluminis addenda curavi, ut comparanti in prompto sint, et ut idem teneatur de omnibus orationibus a Tacito ex ore aliorum insertis.

Clausus: cf. IV 9. *Coruncanios Camerio:* Cic. Planc. 8 et Sull. 7 eosdem Tusculo refert ortos fuisse. *ipsam:* Italiae nomine etiam Transpadani comprehendi coeperunt et ius ceteris Italis concessum adepti sunt: v. Dio XLI 36. Ernestius perperam intelligit *ipsam* civitatem Romanam.

cum Transpadani in civitatem recepti: non tam intelligit *ius Latii* lege Pompeia anno 665 Transpadanis concessum (cf. ad XV 32) quam optimum civitatis ius a Caesare iis anno 705 donatum: Dio XLI 36: *τοῖς Γαλάταις τοῖς ἐντὸς τῶν Ἄλπεων ὑπὲρ τὸν Ἠριδανὸν οἰκοῦσι τὴν πολιτείαν, ἅτε καὶ ἄρξας αὐτῶν, ἀπέδωκεν.*

cum specie deductarum per orbem terrae legionum: dicit colonias militares deductis legionibus conditas. In iis cum legionariorum militum civiumque minor interdum numerus esset, specie legiones deductas esse, re vera provinciales legionibus additos et civitate donatos earum urbium conditores habendos esse Claudius asserit. Sermonem esse de coloniis vel ex vocabulo *deductarum* patet.

libertinorum filiis — factitatum est: Claudii ignorantiam notat Suetonius in Claud. 24: *Appium Caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appii et deinceps aliquamdiu libertinos dictos non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* De vocabulo *repens* v. ad VI 7.

Gallos confectum. Continua inde ac fida pax. Iam moribus artibus adfinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius quam separati habeant. Omnia, patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque; et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.' Orationem principis secuto 25
patrum consulto, primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.

Isdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum quas Romulus maiorum et Lucius Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere. Laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam,

2. *affin.* Or. 3. *pc.* cum lin. M^a^. 9. *faederi* M^a^. 10. *PR.* cum lin. M^a^. *usurpabant* B. 11. *ascivit* M^a^, non *adscivit.* 14. *L.* M^a^. 15. *dictor* M^a^. 16. *senia* M^a^: correxit Lipsius. *RP.* cum lin. M^a^.

Cap. 25. *primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt:* non quemvis ex populo Aeduorum senatorem Romanum fieri posse patres decrevere, sed facto senatus consulto firmavere, ut qui apud suos magistratus obissent eoque civitatem Romanam impetrassent, etiam ad curiam urbanam aspirare possent. Ius senatorum in urbe omnibus Comatae Galliae primoribus concessum est: sed cum nonnisi certus numerus admitti posset, dignitatem senatorum Romanorum primum Aedui re vera adepti sunt.

fraternitatis nomen: conf. Cic. ad Famil. VII 10. Caesar B. G. I 33. Eumenii Panegyr. ad Constantinum c. 2 et 3. Diodor. V 25.

Lucius Brutus minorum gentium: conf. Liv. II 1, qui cum Tacito consentit. Festus s. v. *qui patres, qui conscripti* et Plutarchus in Publicola Valerium Publicolam minores gentes allegasse tradunt. Cf. Nieb. II. R. t. I pag. 584 sq. ed. 3. Tarquinii Prisci gentes minores a Livio I 35 et Cicerone de Re p. II 20 memoratas Cornelius aut ignoravit aut prudens praeteriit, quod ordinis iurisque discrimen inter Romuleas gentes et Tarquinias aut nullum in annalibus a se lectis traditum erat, aut certe non diutius obtinuit quam denuo minores gentes a Bruto legerentur. Discrimen dignitatis et iuris senatorum qui ex maioribus gentibus quique ex minoribus attigit acerrimeque persecutus est Niebuhrius H. R. t. II p. 129—131, 134—135, 198—201, 210, 237, 328 et 329, 358 et 359.

quam ex severitate prisca, rationem adhibuit, monendo, secum quisque de se consultaret, peteretque ius exuendi ordinis. Facilem eius rei veniam. Et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti ignominiam mollirent. Ob ea Vipstanus consul rettulit patrem senatus appellandum esse Claudium: quippe promiscuum patris patriae cognomentum; nova in rem publicam merita non usitatis vocabulis honoranda. Sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem. Condiditque lustrum, quo censa sunt civium quinquaginta novem centena octoginta quattuor milia septuaginta duo. Isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit: haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

26 Iam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urguebat. Quippe non eo ventum ut senectam principis opperirentur. Insontibus innoxia

2. *Exuendi* Lipsius: GM^{a} *exeundi.* 5. *uipsanius* M^{a}: *uipsanus* G: emendavit Ryckius. 10. *LVIIII. LXXXIIII. LXXII.* M^{a}. 14. *adulterorum* M^{a}: ex Spir. correxit Ernestius. 15. *abrupi* M^{a}. 17. *urguebat* (non *arguebat*) M^{a}. 18. *senecta principis opperiretur* M^{a}: corr. in G.

dictator Caesar lege Cassia: conf. Sueton. Caes. 41: *senatum supplevit, patricios allegit.*

princeps Augustus lege Saenia: Saenius a. 724 consul suffectus eam rem senatus consulto decernendam et populi suffragiis sanciendam curaverat. Secundum hanc legem senatusque decretum Augustus a. 725 *patricios sublegit.* Dio LII 42: *τό τε εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε, τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι, ἐπειδὴ τό γε πλεῖστον ἀπολώλει σφῶν.* Augustus ipse in monumento Ancyrano: *patriciorum numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus.*

recens repertam: v. Suetonius Aug. 35. Dio LII 42. *permixti:* insolens structura: quippe expectamus *permixta*, sed Tacitus *iudicium* et *pudorem* tamquam personas produxit: v. Reisigii Praelect. de sermonis Lat. doctrina p. 315; cf. annot. ad I 46.

Cap. 26. *adulteriorum:* facile Messalinae erat perpatrare adulteria ob inscitiam et imminutam Claudii mentem; adulteros eius faciles ac promptos ad flagitia fuisse memorare nihil attinet, ideoque diversa scriptura *adulterorum* spernenda est, quod non memorarem, nisi alios dubitasse viderem.

quippe non eo ventum: dicere vult iam ultra ventum, quam ut senectam principis opperiri salvi possent, sed invidiae vitandae causa lenioribus verbis utitur; statim altius insurgit audentiusque loquitur. Ceterum *senecta*, libri M^{a}

consilia, flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum. Adesse conscios paria metuentes. Se caelibem orbum, nuptiis et adoptando Britannico paratum. Mansuram eandem Messalinae potentiam, addita securitate, si praevenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita irae properum. Segniter eae voces acceptae, non amore in maritum, sed ne Silius summa adeptus sperneret adulteram, scelusque inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret. Nomen tamen matrimonii concupivit ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. Nec ultra expectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum sollemnia celebrat. Haud sum ignarus fabulosum visum iri tantum **27**

2. *patriă* Mª. 3. *brittannico* Mª. *messaline potentia* Mª. 5. *incautu* Mª. 6. *maritu* Mª. *summa* Mª: *summam* BG. 8. *p̃tiis* Mª. *estimaret* Mª. 9. *magnitudine* Mª. 10. *ult exp.* (syllaba *ex* corr.) Mª. 11. *hostiam* Mª. 12. *tanto nullis* Mª.

vitium, alterum illud *opperiretur* procreavit: librarius enim hoc verbum passiva significatione dictum esse putavit. Non bene *opperiretur* tenuit Bezzenberger et de uno Silio accepit. Immo Silius dicere voluit commune periculum imminere tam sibi quam Messalinae.

apud prodigos: ex praecedente nomine *infamiae ἀπὸ κοινοῦ famae* sive *bonae famae* cogitatione supplendum est: vide similem structurae licentiam XII 64.

sacrificii gratia: aliter Dio LX 31: *ἐς τὰ Ὤστια πρὸς ἐπίσκεψιν σίτου κατέβη.* Aurelius Victor de Caesaribus 4 §. 11 tradit *animi ac pellicum* causa profectum esse Ostiam, causa itineris ex Tacitinis XI 29—30 repetita et ficta.

Cap. 27. *auspicum verba:* Sueton. Claud. 26: *quam cum comperisset — C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata.* Iuvenal X 335: *veniet cum signatoribus auspex.*

domum subisse: tamquam nove nupta in domum mariti Silii transgressa est more sollemni, — ibi sacra fecit apud penates; hoc est illud quod subsequitur, *sacrificasse apud deos.* Tabulas nuptiales Silius apud Messalinam sive in Palatio sive in hortis Lucullianis fecerat, ut ex illis *consulem designatum — convenisse* colligitur. Iam cum in sequentibus sacrificium Messalinae *apud deos* commemoretur idque more Romano penatibus in domo mariti factum sit, ante narrandum erat, Messalinam ad Silii aedes venisse. Nihil igitur ante *subisse* probabilius suppleri potest quam nomen *domum*, quod per notam scriptum omitti facile poterat.

discubitum: 'et quidem forma nuptiali, quae volebat ut nova nupta in gremio mariti iaceret. Morem eum exprimit Iuvenalis II 119: *ingens coena, sed et gremio'* [*ingens coena sedet; gremio*] *iacuit nova nupta mariti.* Quasi ecce id inter solennia nuptiarum. Appuleius de nuptiis Psyches Met. 6: *accumbebat summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus.* Ideo recte in Catullo LXI 171: *adspice intus'* [codices *unus*, et recte] *ut accubans vir tuus Tyrio in thoro totus immineat tibi.'* cet. Lipsius. Morem illum interdum

ullis mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis, praedicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse, atque illam audisse auspicum verba, *domum* subisse, sacrificasse apud deos; discubitum inter convivas; oscula, complexus; noctem denique actam licentia coniugali. Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.

28 Igitur domus principis inhorruerat; maximeque quos penes potentia et, si res verterentur, formido, non iam secretis colloquiis, sed aperte fremere, dum histrio cubiculum principis exultaverit, dedecus quidem inlatum, sed excidium procul abfuisse: nunc

2. *nichil* M^{a}. 6. *discubitu* M^{a}. 7. *nichil* M^{a}. 10. *verterentur* BG: *ueterentur* M^{a}, *verterent* Lipsius. 11. *histruo* M^{a}. *exultabero* M^{a}: *exsultaverit* I. Fr. Gronovius. 12. *illatum* Or. *sed et scidium* M^{a}, non *sed discidium*, ut visum Victorio. *abfuisse* G: *affuisse* M^{a}, Orellius *afuisse*.

obtinuisse, et quidem apud lascivos homines, duo priores loci a Lipsio positi probant, semper observatum fuisse et apud pudicos minime ostendunt. Catulli verba, cum proximis et carmine eiusdem LXII 3: *surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas, iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus* collata, etiam contrarium declarant.

licentia coniugali: Iuven. X 334: *Tyriusque palam genialis in hortis* (domus Silii) *sternitur.* *tradam:* cf. Sueton. Claud. 26. Dio LX 31.

Cap. 28. *dum histrio — exultaverit:* ne ob insignem cum ceterorum librorum tum Medicei (*dum histruo — exultabero*) discrepantiam de veritate vulgatae lectionis dubites, memineris utrumque vitium uno assimilandi studio et licentia irrepsisse. Histrio Mnester est: vid. c. 4 et 36. *Exultare* cubiculum principis tam nove quam fortiter dictum est pro *saltando sibi conciliare* sive *expugnare*, ut explicuit Doederlinius: *so lange ein Schauspieler das Bett des Kaisers als Tänzer gewonnen habe.* Etiam nos Germani nove dicimus *ertanzen*, h. e. *durch Tanzen gewinnen.* Quippe *ex* praepositio effectum denotat. Mnester in scena saltans Messalinae libidinem et cupidinem sui moverat, et inde arcessitus erat adulter uxoris principalis: hoc est *exultare cubiculum principis.* Qui offendit ad insolitam structuram et vocem (et quis non iure haesitet?), recogitet ab his hominibus in summa indignatione exquisitum aliquod quaeri atque eligi. Qui interpretantur *infamare*, *dehonestare*, elumbem Tacitum faciunt mox suggerentem *dedecus quidem inlatum;* qui comparant ἐξορχεῖσθαι et explicant *in scena repraesentare*, impudentiam timido histrioni tribuunt minime credibilem et insanam temeritatem. Postremo Seyffertus qui scribendum suadet *cubiculo principis exsulaverit* et mox *exscidium*, fabellam suam de Mnestere Messalinae liberto et exilio eiusdem in cubiculo libidinosae feminae tolerato sibi, non aliis, approbaverit, male usus ingenii acumine. Bezzenberger: *dum histrio cubiculum principis exulgat, ab eo dedecus* cet.

iuvenem nobilem, dignitate formae, vi mentis ac propinquo consulatu, maiorem ad spem accingi; nec enim occultum quid post tale matrimonium superesset. Subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum, multasque mortes iussu Messalinae patratas. Rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausae aures etiam confitenti forent. Ac primo Callistus, iam mihi circa necem 29
Gai Caesaris narratus, et Appianae caedis molitor Narcissus, flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas agitavere, num Messalinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes. Dein metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam, Callistus prioris quoque regiae peritus, et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi; perstitit Narcissus, ut solum id immutans, ne quo ser-

1. *forma* M^a^: correxit Lipsius. 2. *adc.* M^a^. 4. *devinctu* M^a^. 7. *damnata* M^a^. 9. *Callistus* M^a^: *calistus* G. *mi* M^a^. 10. *Gai* abest a GM^a^: supplevere Faërnus aliique. *appiane cedis* M^a^. 13. *ultra* M^a^: *ultro* G. 15. *habere* pr M^a^, ut videtur. 16. *ut solum* M^a^: *et solum* G, *solum* A.

Cap. 29. *circa necem Gai Caesaris narratus:* Taciti narratio cum libro Annalium octavo intercidit. Cf. Ioseph. Antiquit. XIX 1 §. 10. Dio LIX 19. Seneca Epist. 47.

Appianae caedis molitor: quomodo Appius Silanus fraude Narcissi et Messalinae, timiditate et stupore Claudii abutentium, ad mortem raptus sit a. 42, Sueton. c. 37 et Dio LX 14 narrant. Tacitus rem a se in nono libro traditam respicit.

prioris quoque regiae peritus: v. Dio LIX 19. Senec. Epist. 47. Plinius XXXIII 47 tres Claudii libertos divitiis opulentissimos nominat Pallantem, Callistum, Narcissum. Idem XXXVI 12: *nos ampliores triginta* (columnas ex onyche factas) *vidimus in cenatione, quam Callistus Caesaris Claudii libertorum potentia notus sibi exaedificaverat.*

ut: particula vim explicandi habet, ac recte Waltherus comparat IV 33 *ut nimis ex propinquo diversa arguens.* Inest libris BM^a^R: *et*, a codice G oblatum, ad verbum *perpulit* nimis remotum referendum esset.

Cap. 30. *idem opperiens:* opperiebatur ut secretum a Claudio ei daretur. Hoc ipsum et Calpurnia et Cleopatra petiverant ad delationem exequendam. Auctorem suum non recte acceperunt qui *id ipsum* vel *id* rescribendum putarunt.

cis Vettios, cis Plautios dissimulavisset: mira brevitate et invidiosa deprecatione veniam a principe Narcissus petit, quod ei Messalinae adulteria cum Vettio Valente et Plautio Laterano (c. 35 et 36) commissa dissimulaverit. Narcissi conscientia *cis* ea flagitia adhuc se continuit, neque *ultra* ad Claudium pervasit.

mone praesciam criminis et accusatoris faceret: ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Caesaris mora, duas pellices, quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis, et uxore deiecta plus potentiae ostentando, perpulit
30 delationem subire. Exin Calpurnia (id pellici nomen), ubi datum secretum, genibus Caesaris provoluta nupsisse Messalinam Silio exclamat. Simul Cleopatram, quae idem opperiens adstabat, an comperisset interrogat, atque illa adnuente cieri Narcissum postulat. Is veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vettios, cis Plautios dissimulavisset, nec nunc adulteria obiecturum ait, nedum servitia et ceteros fortunae paratus reposceret. Frueretur immo his, et redderet uxorem rumperetque tabulas nuptiales. 'An discidium' inquit 'tuum nosti? Nam matrimonium Silii vidit populus et senatus et miles; ac ni propere agis, tenet urbem maritus.'
31 Tum potissimum quemque amicorum vocat; primumque rei

1. *accusatores* Mª. 2. *hostiam cesaris* Mª. *pelices* Mª. 3. *corpori* Mª: *corporibus* B. 4. *potentia eos tēptando* Mª, *potentia eas tentando* G. *perculit* Mª: correxit Puteolanus. 5. *exim* pr Mª. *pelici* Mª. 6. *genibus Caesaris* GMª, non *Caesaris gen.* 8. *ann.* Mª. 10. *ei cis uetticis plautio* Mª: emendavit Gronovius. *dimulavisset* Mª. 11. *nedum* editor: codices *ne domum.* 12. *iis, sed* Ernestius. 13. *discidium* (non *dissidium*) Mª. 16. *potissimum quemque* A: GMª *potissimum.*

nedum — reposceret: vafer libertus paulatim insurgens indignis addit indigniora, et crimina non singula recenset, immo quasi aliud agens et iudicis partes assimulans inopinato promit, ut animum Claudii admiratione et stupore impleat. Theodisce interpreteris: *auch wolle er jetzt nicht Ehebrüche vorwerfen, geschweige dass er Diener und sonstigen Hofstaat zurückfordern sollte.* Sed ut haec sententia sana et iusta prodiret, falsa autem et prava de loco moveretur, pro vulgato *ne domum* rescribendum erat *nedum:* domum enim Silius a Messalina non acceperat, sed haec in Silii domum servos libertos, paratus principis transtulerat (cap. 12), denique ipsa ad illum nova coniux transierat (c. 27 et 35). A Tacito non dissentit Dio Cassius, dum LX 31 scribit: *οἰκίαν αὐτῷ* (Silio Messalina) *βασιλικὴν ἐχαρίσατο, πάντα τὰ τιμιώτατα τῶν τοῦ Κλαυδίου κειμηλίων συμφορήσασα ἐς αὐτήν:* intelligit enim domum Silii Messalinae donis in regiam opulentiam ditatam. Forma *domum* ex *dum* nata est, eo quod librarius in *dum* aliquid notae compendiariae se videre putabat.

'an discidium' inquit 'tuum nosti?' h. e. an tua voluntate discidium factum est? *Oder weisst du um deine Ehescheidung?* Hoc ipsum cur verisimile sibi videatur, sequentibus eloquitur libertus. Bene monuit Waltherus.

Cap. 31. *potissimum quemque amicorum: quemque* in ceteris libris omissum sive in A legitur,

frumentariae praefectum Turranium, post Lusium Getam praetorianis impositum percontatur. Quis fatentibus certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra, firmaret praetorias cohortes, securitati ante quam vindictae consuleret. Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret an ipse imperii potens, an Silius privatus esset. At Messalina non alias solutior luxu, adulto autumno simulacrum vindemiae per domum celebrabat. Urgeri prela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae adsultabant ut sacrificantes vel insanientes Bacchae; ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro. Ferunt Vettium Valentem lascivia in praealtam arborem connisum, interrogantibus quid aspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive coeperat ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit. Non rumor 32
interea, sed undique nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta et venire promptum ultioni adferrent. Igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metu ad munia

2. *inpostum* M. *pcontatur* G: *percunct.* Or. cf. ad 4 17. *quis* superscripto *quibus* M^{a}. *fatentibus* M^{a}, non *facientibus*, ut narratur apud Bekkerum. *certium* M^{a}, *ticium certatum* G, *tum certatim* Puteolanus, *tum* expunctum ab Ernestio. 7. *auct.* Or. cf. 11 4. G *autumno.* 8. *celebrabat* M^{a}, non *celebrat.* *praela* Or. 10. *fuso* Oxon. 11. *coturnos* M^{a}. *capud* GM^{a}. 12. *Vettium* M^{a}, non *Vectium.* 14. *hostia* M^{a}. 15. *lassa* M^{a}: G *lapsa.* 17. *afferrent* Or. 18. *fucilianos* M^{a}, *fucillianos* G: correxit Beroaldus. *metu* M^{a}, *metum* B.

ut dicit Heinsius, sive ibi quoque abest, cum Ryckius taceat, certa coniectura restitutum videtur. Nam quo minus potissimum neutrius generis esse credatur (τὸ κράτιστον τῶν ἑταίρων), obstant Latinitas et usus Taciti. Provocavit Waltherus ad XV 61 *ubi haec a tribuno relata sunt, Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum;* tum ad G. 35 *si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque:* sed hos locos alius esse generis clarum est. Nempe *intimum* pendet e voce *consilium* eaque ex *consiliorum* facile assumitur (*der vertrauteste Beirath*). *Plurimum* autem et significatione et casu nominativo facile agnoscitur regimen esse *virorum equorumque.* Alii *potissimos* scripsere, ut *quemque* adhibere supersederent, sed non simul *potissimos* amicorum vocatos esse, sed unum post alterum, subsequentia docent. Itaque debet esse *potissimum quemque amicorum. quemque* vocabulum absorptum est per subsequentem vocalem.

adulto autumno (*bei schon vorgerücktem Herbste*), h. e. mense Novembri; v. ad II 23. Haec verba causam continent, cur Mes-

fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus adfuere centuriones, inditaque sunt vincla, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras. Messalina tamen, quamquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit, iussitque, ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent. Et Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Atque interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa, vehiculo quo purgamenta hortorum excipiuntur, Ostiensem viam intrat, nulla cuiusquam miseri-
33 cordia, quia flagitiorum deformitas praevalebat. Trepidabatur nihilo minus a Caesare: quippe Getae praetorii praefecto haud satis fidebant, ad honesta seu prava iuxta levi. Ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris adfirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; seque offert suscepturum.

2. *repper.* M^a. 3. *quanquam* M^a. 4. *eximirent* superscr. *e* M^a. 5. *misique* (non *missique*) M^a, *iussi que* G. 6. *britt.* M^a. 7. *pontifici* M^a. 8. *audire* pr M^a. 11. *excipiuntur* Heinsius: GM^a *eripiuntur.* *hostiensem* M^a. *cuiusq;* (id est *cuiusque*) M^a: *quoiusquam* G. 14. *fidebat* G. 16. *aff.* Or.

salina *simulacrum* vindemiae celebraverit. Orellius tacite scripsit *auctumno*, sed ad XI 4 idem *autumno* ex M^a rettulit.

Vectium Valentem: insignis medicus erat. Plin. N. H. XXIX 5 (4): *exortus deinde est Vettius Valens, adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitatus pariterque eloquentiae assectator. Is eam potentiam nactus novam instituit sectam* (medicorum). Scribonius Largus c. 22: *hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, praeceptoris Valentis et nostri.*

Cap. 32. *Lucullianos in hortos:* hos anno ante Valerio Asiatico eripuerat: XI 1. *quamquam res adversae consilium eximerent*: Messalina consilium pro rebus desperatis optimum cepit; itaque *eximerent* idem valet quod *eximere possent*, et *quamquam* ita positum ut *quamvis* apud Ciceronem aliosque aureae aetatis auctores: *wiewohl Missgeschick einen Entschluss entziehen konnte.* *pontificis maximi aures:* Caesar ipse summus erat in collegio pontificum: vid. c. 34 extr. et III 58 sq.

Cap. 33. *a Caesare:* hoc nomine et ipse et partes eius comprehenduntur. Nos dicimus *von Seiten des Caesar.* Recte igitur statim subsequitur in M^a *fidebant*, non *fidebat* quod ceteri codices agnoscunt. Scilicet timor et trepidatio et Caesarem et suos invaserat, sed soli comites veri timoris causam perspiciebant.

Ac ne, dum in urbem vehitur, ad paenitentiam a Lucio Vitellio et Publio Largo-Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit sumitque. Crebra post haec fama fuit, inter 34
diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugii et infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium quam 'o facinus! o scelus!' Instabat quidem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere: sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet, exemploque eius Largus-Caecina uteretur. Et iam erat in aspectu Messalina, clamitabatque audiret Octaviae et Britannici matrem, cum obstreperet accusator, Silium et nuptias referens. Simul codicillos libidinum indices tradidit, quis visus Caesaris averteret. Nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos iussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret ne indefensa coniux exitio daretur. Igitur auditurum principem et fore diluendi criminis facultatem respondit: iret interim virgo et sacra capesseret. Mirum inter haec silentium Claudii, Vi- 35

1. *in urbem refertur uehitur* Mª, non *in u. referatur v.* *L.* Mª. 2. *et* om Mª: insertum est a Broterio. *P.* Mª. *Largo-Caecina* et 10. *Largus-Caecina* editor: vulgo *Largo Caecina* et *Largus Caecina.* 3. *assumitque* Mª: error ortus ex praeced. *adsumptis* correctus est in BGR. 10. *etiam* GMª. 13. *quis* per compendium Mª. 16. *quid multa?* Mª: emendatum in G. 17. *coniux* pr Mª, *coniunx* corr Mª et G. 18. *respondit*] *R* cum arcu Mª, 19. *capesceret* pr Mª. *claudi iulius* Mª: correctum in G.

a Lucio Vitellio et Publio Largo-Caecina: cur alter horum contra Taciti consuetudinem tribus nominibus consignatur, prior iuxta perpetuum usum duobus? Nimirum *Largus-Caecina* pro uno valet, non pro duobus, duobus cognomentis in unum copulatis, ut apud nos *Hobel-Heinrich*, *Bethmann-Hollweg* cet. Clarum eius rei argumentum etiam hoc est, quod statim ubi iterum nominatur ille Caecina, non simplici vocabulo pro consuetudine Corneliana sed duobus (*Largus-Caecina*) appellatur. Cf. annot. ad III 49, XIII 30. *Gaius Largus* sive *C. Largus-Caecina* consul fuit a. 795, huius frater, ut videtur. Cf. Dio LX 10.

in eodem gestamine: gestamen fuisse currum, non sellam gestatoriam, adversus Lipsium vere monuit Ryckius, fretus praecipue illis *dum in urbem vehitur.* Nimirum etiam curru vehi modus est *gestationis.* Cf. Celsi Medic. II 15. Sed ex ignorata hac re nata est scriptura libri Mª *dum in urbem refertur vehitur: refertur* enim glossa est a docto quodam viro ad Tacitum corrigendum in margine prisci codicis vel supra versum posita, a scriba libri Mª in verborum contextum ascita.

tellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. Patefieri domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem iubet. Ac primum in vestibulo effigiem patris Silii consulto senatus abolitam demonstrat, tum, quicquid avitum Neronibus et Drusis, in pretium probri cessisse. Incensumque et ad minas erumpentem castris infert, parata contione militum; apud quos praemonente Narcisso pauca verba fecit: nam etsi iustum dolorem pudor impediebat. Continuus dehinc cohortium clamor nomina reorum et poenas flagitantium; admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras temptavit, precatus, ut mors acceleraretur. Eadem constantia et inlustres equites Romanos cupidos maturae necis fecit. Et Titium Proculum custodem a Silio Messalinae datum et indicium offerentem, Vettium Valentem confessum, et Pompeium Urbicum ac Saufeium Trogum ex consciis tradi ad supplicium iubet. Decrius quoque Calpurnianus vigilum praefectus, Sulpicius Rufus ludi procurator, Iuncus Vergilianus senator eadem
36 poena adfecti. Solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste clamitans aspiceret verberum notas, reminisceretur

4. *habitum* M^a: correxere Faërnus et Chiffletius apud Broterium. 5. *p̄tium* M^a. 9. *paenas* M^a. 11. *p̄catus* M^a. 12. *romani cupido mature necis fuit* M^a: emendatum in G et ceteris codd. *et titium* M^a, *et ticium* G: vulgo *Titium*. 15. *Saufeium* Lipsius: *saufelum* M^a, in quo litterae *i* et *l* sunt simillimae, *saufellum* G. 16. *vigilium* M^a: *vigilum* G. 17. *ugilianus* M^a cum lineola super litt. *u*, h. e. *ver: uirgilianus* G. 18. *paena* M^a. *Mnester* M^a, *menester* G.

Cap. 34. *instabat quidem:* voluit ut Messalinae supplicium a principe iuberetur, sed id ipsum eloqui veritus expostulabat, ut tandem verba incerta mitteret verumque animi sensum aperiret.

clamitabatque: cf. ad I 58.

Cap. 35. *effigiem patris Silii — demonstrat:* duplici de causa hoc facit libertus, primum ut antiquam domus Silianae maculam principi demonstret, tum ut filium contra decretum senatus, qui patris Silii maiestatis postulati (v. IV 19) imagines abolendas censuerat, hanc imaginem reposuisse criminaretur.

inlustres equites Romanos: nomina eorum reticentur; paulo post qui nominantur, alii sunt, et in iis certe Titius Proculus oblato indicio poenam vitaturus minime cupidus fuit *maturae necis.* Recte igitur codices *et* (= *etiam*) *Titium* cet.

indicium offerentem: oblato indicio impunitatem sibi parare studebat. Cf. VI 3: *summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.* 7: *sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere.*

Cap. 36. *dilaniata veste — verberum notas:* iam coeperant exequi supplicium, cum Mnester haec misericordiae movendae iactaret.

vocis qua se obnoxium iussis Messalinae dedisset. Aliis largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam; nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum poteretur. Commotum his et pronum ad misericordiam Caesarem perpulere liberti, ne tot inlustribus viris interfectis histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. Is modesta iuventa, sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suillio Caesonino et Plautio Laterano mors remittitur, huic ob patrui egregium meritum: Caesoninus vitiis protectus est, tamquam in illo foedissimo coetu passus muliebria. 37 Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe et aliquando ira: tantum inter extrema superbia egebat. Ac ni caedem eius Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus et tempestivis epulis delenitus, ubi vino incaluit, iri iubet nuntiarique miserae (hoc enim verbo usum ferunt) dicendam ad causam postera die adesset. Quod ubi auditum (et languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox et uxorii cubiculi memoria timebantur), prorumpit Narcissus, denuntiat-

2. *cuiqua* M^{a}. 6. *nichil* M^{a}. 10. *Suilio* M^{a}. 11. *gregium* M^{a}. 13. *lucilianis* M^{a}, *Lucianis* G: correctum in Alciatina. 14. *ortis* M^{a}. *p̄ces* M^{a}. 15. *tantum — egebat* M^{a}: *tanta — agebat* G. *superbiae* Bezzenberger. 16. *pernicies* M^{a}, *perniciem* G.

vocis qua — dedisset: 'commentum feminae lepidum: mimum istum deperibat Messalina: sollicitat. Ille tergiversari, metuere imperatorem. Quid ergo, si maritus ipse iubeat? inquit; et cum marito egit quasi opera Mnesteris aliqua in re illi usus. Ille vocatum mimum male accipit iubetque in omnibus uxori obediat pareatque; paruit; et id iussum valere sibi nunc vult ad veniam obtinendam et vitam. Dio LX 22.' Lipsius.

ob patrui egregium meritum: cf. Agr. 14: *consularium primus Aulus Plautius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius.* Plautii huius facinora libro decimo Annalium nobis deperdito executus est. Nepoti libidinoso mors remissa est adempto ordine senatorio: v. XIII 11.

Cap. 37. Recte se habet *tantum — egebat*, ut est in M^{a}, non *tanta — agebat*, ut vulgus librorum. Animum enim per libidines corruptum omnique honesto destitutum inter componendas preces superbe egisse non est veri simile, neque probatur illis *et aliquando ira:* nam quis nescit fracti debilitatique animi homines iram re-

que centurionibus et tribuno qui aderant, exequi caedem: ita imperatorem iubere. Custos et exactor e libertis Euodus datur. Isque raptim in hortos praegressus repperit fusam humi, adsidente matre Lepida, quae florenti filiae haud concors supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta erat, suadebatque ne percussorem opperiretur: transisse vitam, neque aliud quam morti decus quaerendum. Sed animo per libidines corrupto nihil honestum inerat; lacrimaeque et questus inriti ducebantur, cum impetu venientium pulsae fores, astititque tribunus per silentium, at libertus increpans multis et servilibus probris.

38 Tunc primum fortunam suam introspexit, ferrumque accepit, quod frustra iugulo aut pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transigitur. Corpus matri concessum. Nuntiatumque Claudio epulanti perisse Messalinam, non distincto sua an aliena manu. Nec ille quaesivit, poposcitque poculum et solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus odii gaudii, irae tristitiae, ullius denique humani adfectus signa dedit, non cum laetantes accusatores aspiceret, non cum filios maerentes. Iuvitque oblivionem eius senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas. Decreta Narcisso quaestoria insignia, levissimum fastidii eius, cum super Pallantem et Callistum ageret.

1. *aderant* G: M^a *aderat*. *cedem* M^a. 2. *exauctor* M^a. *datur* GM^a: *datus* ante Orellianam edd. 3. *ortos* M^a. *p̄gressus* M^a (lineola videtur a correctore, qui leg. significavit *praegressus*), *progressus* G. *ass.* Or. 4. *que* M^a. *supremis eius eius necessitatibus* M^a. 8. *nichil* M^a. *lacrimeque* M^a. *irriti* Or. 10. *at* M^a, *ac* BG. *et* M^a, *ac* G. 12. *aut* M^a, *ac* G. 18. *aff.* M^a. 19. *merentes* M^a. 20. *ac* M^a: *et* G. 22. *fastidii* M^a, *fastigii* G et alii codd. *super*] *s* cum cauda M^a, quam notam *super* explicat Ryckius, uti est c. 28 in v. *superesset* et 12 9: *secundum* G et Oxonienses. *ageret . honesta* M^a.

tinere, superbiam procul abiicere? Ceterum illud *tantum* non est *μόνον* (*seulement*), ut vult Orellius; id ostendit collocatio verborum, quae in Orelliana sententia esset *superbia tantum — egebat.* Immo *tantum* h. l. valet id quod *in tantum* vel *adeo.* *et languescere ira:* hoc *et* in principio enuntiati positum idem valet quod *et sane.*

Cap. 38. *non distincto sua an aliena manu:* simile imminutae Claudii mentis specimen vidimus XI 2 extr. *odii gaudii, irae tristitiae:* ita haec verba distinguenda sunt; v. ad XI 6. *filios maerentes:* Britannicum et Octaviam: v. ad I 55.

levissimum fastidii eius: converte *der geringste Gegenstand*

Honesta quidem, sed ex quis deterrima orerentur, tristitiis multis * * *

1. *quis* (per compendium) M[a]. *tristitiis multis* GM[a], *tristitiis inultis* B. *Cornelii Taciti Liber undecim; Exp.* (cum lineola) *Incip.* (cum lin.) *XII.* M[a].

seines Stolzes. Cum veram potentiam et eam, quae omnes magistratus ceterosque libertos superaret, assecutus esset, insignia illa vix aliquod superbiae incrementum efficere potuerunt. *Levissimum* positum est ut nomen substantivum. Altera scriptura *levissimum fastigii* non placet, quoniam ad *fastigium* altitudinemque vocabulum *levissimum*, quo pondus designatur, non aptum est.

Honesta quidem — tristitiis multis: praecedentibus si haec continuantur, incommoda plura oriuntur. Nam cum verbo *ageret* absolute posito bene apteque sententia concluditur. Contra Narcissum *honesta* (*Tugendsames*) egisse, immerita et nimia liberti laus foret. Nam Messalina quamvis meritas poenas solverit, in audacibus tamen Narcissi ausis quid honesti fuerit, agnoscere difficile est. Itaque ab *Honesta quidem* nova incipit sententia, sed imperfecta et hiatu truncata. In ea de vita et moribus Agrippinae Domitiique filii nonnihil, opinor, relatum fuit.

LIBER DVODECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—4. Anni a Chr. quadragesimi octavi menses duo postremi. Claudius caelibis vitae intolerans et coniugum imperiis obnoxius circumspicit uxorem. Eam ob rem liberti certant, nec minore ambitu feminae exardescunt. Agrippina praelata ceteris maiora struit nuptiasque Domitii sui et Octaviae filiae molitur. Ideo Lucius Silanus sponsus Octaviae senatorio ordine remotus et spe sua deiectus est. Pleraque Vitellii artibus et fallaciis ab Agrippina patrata sunt.

Cap. 5—24. Annus a Chr. quadragesimus nonus, Claudii principis nonus. Pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium orante Vitellio a patribus expostulatur, decretumque ut cum fratrum filiabus coniugia iusta in posterum haberentur. Nuptiae celebratae, Silanus salutis spe abrupta mortem sibi consciscit. Agrippinae mores et artes (5—8). *Oratur Claudius despondere Octaviam Domitio; is sponsus et*

gener Britannico iam aequatur matris studiis et arte eorum, qui ob interfectam Messalinam ultionem ex filio timebant (9). Parthi Meherdaten regem sibi a patribus postulant et principem propitium sibi offendunt. Datum Gaio Cassio deducere iuvenem ad Euphraten. Meherdates parum prompte in regnum remeando superatur a Gotarze, tum dolo clientis traditur victori, qui contumeliose increpitum decisis auribus vivere iubet. Gotarzi qui morbo obiit successit Vonones, huic post breve et inglorium imperium filius Vologeses (10—14). Mithridates Bosporanus Bospori regnum et Cotyn regem a Claudio impositum invasurus fortiter repellitur a Cotye sociisque, Romanis et Aorsis, ac nullo in armis subsidio, Eunonis Aorsorum regis fidem implorat. Qui supplicem benigne suscipit et salutem ei apud Claudium impetrat (15—21). Sed in urbe Agrippina Lolliam, paulo ante aemulam, evertit, item Calpurniam feminam illustrem, cuius formam princeps laudaverat. Galliae Narbonensi datum ut senatoribus eius provinciae liceret res suas invisere venia ab imperatore non petita. Ituraei et Iudaei Syriae additi. Salutis augurium 75 annis omissum repeti ac dein continuari placitum. Pomerium urbis auxit Caesar; qui ante auxerint et quos Romulus pomerii terminos posuerit (22—24).

Cap. 25—40. Annus a Chr. quinquagesimus, Claudii principis decimus. Adoptio in Domitium auctoritate Pallantis liberti festinata, rogataque lex qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret. Agrippina augetur cognomento Augustae; misera Britannici fortuna. In oppidum Ubiorum colonia deducta; cui nomen inditum ex Agrippinae vocabulo (25—27). In superiore Germania trepidatum adventu Chaucorum, qui repressi opera Pomponii legati (27—28). Vannius Suevis a Druso Caesare impositus pellitur; regnum Vangio ac Sido inter se partivere (29—30). Ostorii adversus Britanniae populos res prospere gestae, domiti Silures et rex Caratacus post grave proelium ad Cartimanduam reginam fugiens Romanis traditur, missus in urbem benigne excipitur. Novae adversus Siluras pugnae post amissum regem acriter coortos, et Ostorius taedio curarum fessus vita concedit (31—39). Didius novus legatus celeriter adveniens pellit Siluras iam late persultantes, Venutium e Brigantum civitate fundit bellumque componit (40).

Cap. 41—51. Annus a Chr. quinquagesimus primus, Claudii undecimus. Agrippina ad altiora nititur, maturata virili toga Neroni, Britannico desolato et fidis ministris spoliato, Burro cohortibus praetoriis praeposito; ipsa Capitolium carpento ingreditur, propugnatorem suum Vitellium prompte tuetur (41—42). Urbs terretur prodigiis et frugum egestate (43). Eodem anno bellum inter Armenios Hiberosque exortum, illiganturque Parthi ac Romani. Radamistus filius Pharasmanis Hiberi Mithridaten Armeniae regem fraude circumventum exercitu et fallaciis oppugnat, mox interficit (44—47). Quadratus Syriae rector de ultione deliberat, sed frustra, Pelignus Cappadociae procurator Armeniam reciperaturus Radamistum ultro hortatur sumere regium insigne. Sed Rada-

mistum pellit Vologeses Parthorum viribus, dein redit Radamistus et a subiectis obsequium rumpentibus eiicitur, coniux eius ad Tiridaten fratrem Vologesis et tunc Armeniae regem deducitur (48—51).

Cap. 52—57. *Annus a Chr. quinquagesimus secundus, Claudii duodecimus, rerum gestarum sterilis. Furius Scribonianus in exilium agitur, et per eam occasionem de mathematicis pellendis factum senatus consultum; statuitur de poena feminarum quae servis coniungerentur, Pallanti liberto honores decreti et laudes* (52—53). *Frater eius Felix Iudaeos in bellum et seditionem accendit; qui compositi a Quadrato Syriae praeside* (54). *Agrestes Cilices rebellantes rex eius orae Antiochus ad obsequium reducit* (55). *Eodem anno lacus Fucinus emissus, sed incuria operis manifesta, unde Agrippinae et Narcissi altercationes* (56—57).

Cap. 58—63. *Annus a Chr. quinquagesimus tertius, Claudii tertius decimus, qui rebus domesticis occupatur, pace in provinciis non lacessita. Nero Octaviam in matrimonium accipit, studiis honestis enitescit suscepta Iliensium causa et Bononiensium; Rhodiis libertas reddita; interim Claudius saevissima quaeque promere adigitur* (58—59). *Procuratorum in provinciis auctoritas stabilita, Cois immunitas concessa, Byzantiis tributa in quinquennium remissa* (60—63).

Cap. 64—69. *Anni a Chr. quinquagesimi quarti menses novem primi, Claudio supremi. Mutatio rerum in deterius cognita crebris prodigiis. Lepidae amitae Neronis mors indicta Agrippinae artibus, adversante Narcisso; huius liberae voces et in Agrippinam comminationes, sed adversa valetudine correptus Sinuessam pergit* (64—66). *Interim Agrippina Caesarem veneno tollit* (66—67); *eiusdem artibus Nero ad imperium promotus* (68—69).

Caede Messalinae convulsa est principis domus, orto 1
apud libertos certamine quis deligeret uxorem Claudio,

1. *Cede* M[a]. *est* editor adiecit.

Cap. 1. *caede Messalinae:* posteaquam exitio tradita Messalina est, Claudiani principatus novum incipit momentum atque omnium rerum inversio oboritur. Ante enim quamvis obnoxius esset imperator impudicissimae feminae arbitrio, ea tamen nonnisi per lasciviam atque libidinis explendae gratia rebus Romanis illusit, alioqui sua principi potestas, sua senatui auctoritas. Agrippina autem simulatque ad Claudii Penates translata est, adductum et quasi virile servitium fuit: haec enim imperio omnia ducens inferiora in eoque defixa, quaecumque potentiae conducunt, ea cupere agere, pudicitiam famam levia habere, ad altiora cito gradu, sive iure sive iniuria, festinare. Claudius ipse et liberti iam nihil valent: vilia potentiae instrumenta exequuntur quod a muliere inditum et iussum; quae cum tandem minus prompta minusque obnoxia fieri incipiunt, a superba ac potente femina abiiciuntur atque evertuntur. Quae, περιπέτεια ut melius a lectoribus observaretur, medio anno liber

caelibis vitae intoleranti et coniugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminae exarserant: suam quaeque nobilitatem formam opes contendere ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paulinam Marci Lollii consularis, et Iuliam Agrippinam Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus fautores aderant. At Aelia Paetina e familia Tuberonum Narcisso fovebatur. Ipse huc modo modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promptus, discordantes in consilium vocat, ac promere sententiam et adicere rationes
2 iubet. Narcissus vetus matrimonium, familiam communem

1. *caelibis* M^{a}, *caelibi* G. *intonanti* M^{a}: correxit Pichena. *imperatoriis* M^{a}: G *imperiis*. 2. *queque* M^{a}. 3. *contenderet* M^{a}: correctum inest G. *dignā* M^{a}, *dignā* G: *digna* ed. Spirensis, I. Fr. Gronovius *dignas*. *ostentaret* M^{a}. 4. *M.* M^{a}. 5. *germinico* M^{a}. 6. *calistus* M^{a}. *Paetina* M^{a}, non *Petina*. 8. *quenque* M^{a}.

undecimus concluditur, incipitque duodecimus a nuptiis Claudii cum Agrippina coeptis iunctisque. Idem in confinio libri quintidecimi et sextidecimi Annalium animadvertere licet. Nam quintusdecimus desinit, postquam coniurationis Pisonianae infelix exitus magnaque virorum illustrium strages narrata est: sed eo loco cum et rerum enarrator et lectores paulum respirare cupiant, liber finitur, quamquam annuo curriculo nondum absoluto. Alia causa movit scribentem ut librum quartumdecimum ante finem annui spatii desinere institueret, de qua dictum ad XIV 65. Praeterea ex deperditis liber septimus, ex superstitibus tertiusdecimus a novo anno exordium non sumpserunt. Nam cum Tiberius anno post Christum 37, Claudius 54 nondum finito de vita cessissent, a novi principis rebus novum librum incipere consentaneum videbatur. Idem haud dubie usu venit in principio libri noni post occisum Gaium Caesarem. Ceterum veteres editores novi anni numerum (49 et 802) in principio libri duodecimi perperam posuerunt, unde in ratione temporum turbae non paucae natae sunt.

convulsa est: tenor narrationis et participium *orto* — *certamine* utique postulant voculam *est*, neglectam in antiqua scriptura *convulsast*. *ac digna*: si lineola superscripta v. *digna* in M^{a} non temere addita est, ut sane in multis eiusdem libri locis usu venit, fuisse *dignam* se coniecerim.

M. Lollii consularis: pater Paulinae M. Lollius Paulinus, olim (sed quo anno incertum) consul suffectus, filius erat eius Lollii qui in Germania fugatus quique Gaio Caesari in Armeniam proficiscenti comes (I 10, III 48) et rector: huius enim *neptis* Lollia Paulina a Plinio vocatur N. H. IX 58. Ipsa Memmio quondam Regulo nupta, dein Gaio Caesari Caligulae: XII 22. Plin. l. c. Dio LIX 12. Sueton. Calig. 25. Vox *filiam* post *consularis* comparet in codice A, sed abest a BGM^{a}, et abesse vel potius cogitatione suppleri facile potest ob subsequentem *genitam*. Conf. annot. ad IV 11.

Cap. 2. *vetus matrimonium:* v. Suetonius Claudio 26: *uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam triumphali, et mox Aeliam Paetinam consulari patre. Cum utraque divortium fecit, sed cum Paetina ex*

(nam Antonia ex Paetina erat), nihil in penatibus eius novum disserebat, si sueta coniux rediret, haudquaquam novercalibus odiis visura Britannicum et Octaviam, proxima suis pignora. Callistus inprobatam longo discidio, ac si rursum adsumeretur, eo ipso superbam; longeque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam aemulatione et privignis parentis loco futuram. At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna, stirpem nobilem, et familiae Claudiae quae posteros coniungeret, ne femina expertae fecunditatis, integra iuventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret. Praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris, 3
quae ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum, ut praelata ceteris, et nondum uxor, potentia uxoria iam uteretur. Nam ubi sui matrimonii certa fuit, struere maiora, nuptiasque Domitii, quem ex Gnaeo Aenobarbo genuerat, et Octaviae Caesaris filiae moliri; quod sine scelere perpetrari non poterat, quia Lucio Silano desponderat

1. *nichil impenalibus* M[a]. 2. *coniux* pr M[a]: *coniunx* corr M[a]. 3. *visura* M[a], non *usuram in*, ut G et Oxonienses. *et* om M[a]. scilicet *britannicum* est in paginae fine. non deest G. *octabiam* M[a]. 4. *dissidio* BM[a]: emendatum in AR. *rursum* M[a], non *rursus*. 5. *lollia* M[a]. 10. *ne* M[a], non *nec*, ut in R. *experta* GM[a]: emendatum in A. 13. *quae* om M[a]: suppletum est in Spir. 14. *pontentia* M[a]. 16. *Gn.* M[a]. *henobarbo* M[a]: emendata scriptura est in G. 18. *L.* M[a].

levibus offensis. Quod statim sequitur *familiam communem*, id de uno capite, rem consulto augens, dicere libertus voluit. Quod non intelligens Muretus *filiam* coniecit.

nam Antonia ex Paetina erat: Sueton. Claud. 27. Haec Antonia iuncta matrimonio erat primum Cn. Pompeio, mox Fausto Sullae: Suet. c. 29. Dio LX 5.

stirpem nobilem, et familiae Claudiae quae posteros coniungeret: stirps Nero est, ut I 58 *Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit*, III 29 *Germanici stirpem* (Neronem Germanici filium) *iam puberem aspiciebat*, XII 52 *quod stirpem hostilem* (filium hostis Scriboniani) *iterum conservaret.* XIII 14: *Britannicum, veram dignamque stirpem.* Reliqua *familiae Claudiae quae posteros coniungeret* respiciunt futurum matrimonium Neronis et Octaviae Claudio genitae: nam Claudiae familiae posteri sunt Nero et Octavia. Verba *quae — coniungeret* idem valent quod *talem esse* vel *eam quae — coniungeret.* Quae sequuntur, *ne femina — ferret*, contrarium eventum, quo familiae illius posteri dispergantur, ostendunt (*damit eine Frau von erprobter Fruchtbarkeit, unversehrter Iugendblüthe den Adel der Caesaren in kein anderes Haus zu bringen brauche*). Coniectura

Octaviam Caesar, iuvenemque et alia clarum insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia protulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat nisi indita et iussa.

4 Igitur Vitellius, nomine censoris serviles fallacias obtegens ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinae pararet, consiliis eius inplicari, ferre crimina in Silanum, cui sane decora et procax soror, Iunia Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat. Hinc initium accusationis; fratrumque non incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. Et praebebat Caesar aures, accipiendis adversus generum suspicionibus caritate filiae promptior. At Silanus insidiarum nescius, ac forte eo anno praetor, repente per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem senatu lustroque condito. Simul adfinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus eiurare magistratum, et reliquus praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est.

1. *alias* ex recenti corr. M[a]. 3. *nichil* M[a]. 7. *impl.* Or. *ferre* M[a]: *serere* Puteolanus. 8. *galvina* M[a]: *caluina* G. 9. *frmq;* cum lin. M. 14. *quanquam* M[a]. 15. *affin.* Or. 16. *e iurare* M[a]. *magistratu* M[a]. 17. *praeture* M[a].

non opus esse mihi videtur, veluti Iac. Gronovii: *stirpem nobilem etiam Iuliae Claudiaeque posteros coniungere*, — aut N. Heinsii *stirpe nobilem* (Agrippinam) *et familiae Iuliae Claudiaeque posteros coniungere.*

Cap. 3. *Agrippinae inlecebris, quae — pellicit patruum:* Sueton. Claud. 26: *illecebris Agrippinae in amorem pellectus;* v. ad I 5.

quem ex Cn. Aenobarbo genuerat: v. IV 75.

gladiatorii muneris magnificentia: cum quaestor candidatus sive Caesaris erat, munus gladiatorium suo nomine, sed Claudii pecunia, ut videtur, dederat. De Silano praeter hunc nostrum cf. Sueton. Claud. 24: *triumphalia ornamenta Silano filiae suae sponso nondum puberi dedit.* Ibid. c. 27 et 29. Dio LX 5 et 31.

Cap. 4. *fratrumque*: vid. ad I 55. De re legendus etiam Seneca in Apocoloc.: *L. Silanum enim generum suum occidit. Oro propter quid? sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare.*

lecto pridem senatu lustroque condito: XI 25.

reliquus praeturae dies: Sueton. Claud. 29: *Silanus abdicare se praetura ante quartum kalendas Ianuarias morique initio anni coactus. in Eprium Marcellum:* emergere ex tenebris suis nunc incipit homo pravis artibus sub Nerone, eloquentia et prompto animo sub Vespasiano cognitus.

Gaio Pompeio Quinto Veranio consulibus pactum inter 5
Claudium et Agrippinam matrimonium iam fama, iam amore inlicito firmabatur; necdum celebrare sollemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae. Quin et incestum, ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. Nec ante omissa cunctatio quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. Percontatusque Caesarem an iussis populi, an auctoritati senatus cederet, ubi ille unum se civium et consensui imparem respondit, opperiri intra Palatium iubet. Ipse curiam ingreditur, summamque rem publicam agi obtestans veniam dicendi ante alios exposcit, orditurque gravissimos principis labores, quis orbem terrae capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus in commune consulat. Quod porro honestius censoriae mentis levamentum quam adsumere coniugem, prosperis dubiisque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab iuventa legibus obtemperavisset. Postquam haec favorabili 6
oratione praemisit multaque patrum adsentatio sequebatur,

1. *C.* Mª. *Q.* Mª. *uerania* Mª. cf. ad 3 10. *cos.* cum lin. Mª. 2. *agrippina* Mª. 3. *sollempnia* Mª. 4. *deductae — filia* Mª, unde codd. plerique et edd. ante Pichenam *deducta — filia.* 7. *percunt.* Or. 9. *consensui* GMª, non *consensu* Puteolani. 11. *summamque. R.* (cum lin.) *P.* Mª. 13. *capescat* pr Mª. 15. *levamentum quam* Petersen: *levamen unquam* Mª (non *levamen unquam et*). *ass.* Or. 17. *luxui* Mª, non *luxu.* 19. *assent.* Or.

Cap. 5. *si sperneretur — erumperet:* si prodigium incesti nulla procuratione expiaretur (v. ad c. 8), ne pestilentia ac malis a numine irato immissis populus plecteretur, metus erat.

summamque rem publicam agi obtestans: cf. Sueton. Claud. 26: *subornavit proximo senatu qui censerent cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi rei publicae maxime interesset.* Idem dicendi genus (*summam rem publicam agi*) XVI 28. De re etiam Dio LX 31.

censoriae mentis levamentum: h. e. quo mens censoris gravissimis negotiis districti levaretur sive recrearetur. Quod censorum erat exigere matrimonia, id huc nihil pertinet, falliturque I. Fr. Gronovius qui inde haec verba explicare conatus est. Forma *levamentum* etiam I 17 et 30, III 28 et 34, IV 8 et 66. H. I 8, II 44, altera H. V 3: *id levamen.*

Cap. 6. *abripi coniuges ad libita Caesarum:* prava assimilandi consuetudo, cui scriba libri Medicei obnoxius est, vulgatam *arripi* procreavit: *adripi* vero subsequenti *ad libita* iunctum omni caret arte et elegantia, *abripi* significat coniuges ex complexu maritorum duci

capto rursus initio, quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate puerperiis sanctimonia insignem. Nec diu anquirendum quin Agrippina claritudine generis anteiret: datum ab ea fecunditatis experimentum, et congruere artes honestas. Id vero egregium, quod provisu deum vidua iungeretur principi sua tantum matrimonia experto. Audivisse a parentibus, vidisse ipsos abripi coniuges ad libita Caesarum: procul id a praesenti modestia. Statueretur immo documentum, quo uxorem imperator * * * acciperet. At enim nova nobis in fratrum filias coniugia. Sed aliis gentibus sollemnia, neque lege ulla prohibita. Et sobrinarum diu ignorata tempore addito percrebruisse. Morem accommodari prout conducat, et fore hoc
7 quoque in iis quae mox usurpentur. Haud defuere qui certatim, si cunctaretur Caesar, vi acturos testificantes erumperent curia. Conglobatur promisca multitudo, populumque Romanum eadem orare clamitat. Nec Claudius ultra expectato obvius apud forum praebet se gratantibus. Senatumque ingressus decretum postulat quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. Nec tamen

8. *abripi* editor: vulgo *arripi*. 9. *imperator . . . . . . acciperet* cum spatio vacuo M^a. 10. *frm* cum lin. M^a. 11. *sollempnia* M^a. *neque* M^a, non *nec*. 12. *percrebuisse* M^a. 14. *in his* M^a: emendatum in G. 15. *vi* M^a, non *vim*, ut in G. 16. *promisca* pr M^a: *promiscua* corr M^a. 19. *frmque* cum lin. M^a. 20. *nec* M^a, non *neque*.

ad libita Caesarum. Respicit Vitellius Augustum et Gaium Caesarem.

favorabili: h. e. digna cui favor contingeret. Cf. ad II 36. Suetonius Nerone 7: *Circensibus ludis Troiam constantissime favorabiliterque lusit.*

vidua: post Gnaeum Domitium (IV 75), unde Neronem suscepit, nupta fuerat Crispo Passieno, qui sub principatu Claudiano decessit. Vid. ad VI 20.

*quo uxorem imperator * * * acciperet:* inter *imperator* et *acciperet* hiatus in M^a, quem cum non sine causa notatum esse admodum verisimile videatur, sententia fortasse sic explenda erit: *statueretur immo documentum, quo uxorem imperator a senatu populoque Romano oblatam acciperet.*

percrebruisse: scribae, non auctori, videtur deberi forma tenuior *percrebuisse*, ut h. l. in M^a, etiam, ut videtur, XV 19. Pleniorem quam probat analogia M offert VI 20; idem tamen *percrebuit* II 82, sed *crebrescit* II 39, *crebrescebat* III 60.

repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor, Alledius Severus eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia impulsum ferebant. Versa ex eo civitas, et cuncta feminae obediebant non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis inludenti. Adductum et quasi virile servitium: palam severitas, ac saepius superbia; nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret. Cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. Die nuptiarum Silanus 8
mortem sibi conscivit, sive eo usque spem vitae produxerat, seu delecto die augendam ad invidiam. Calvina soror eius Italia pulsa est. Addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda, inridentibus cunctis, quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur. At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem

1. *recepturus* M^a, non *receptus:* in marg. *repertus.* *Alledius* editor: M^a *talledius*, vulgo *T. Alledius.* 2. *inp.* M^a. 5. *ill.* Or. 6. *nichil* M^a. *inp.* M^a. 7. *inm.* M^a. 12. *irr.* Or. 14. *ad agrippinae* M^a: emendatum inest G. 15. *anneo* M^a. 16. *praetura* M^a.

Cap. 7. *nisi unus*: Suetonius Claud. 26: *ac vix uno interposito die confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam et altero primipilari, cuius officium nuptiarum et ipse cum Agrippina celebravit.* Levis discrepantiae hanc causam esse puto, quod libertinus non eodem hoc anno, cuius res Tacitus tradit, matrimonium suum iniverit.

Alledius Severus: in forma nominis *Alledius* a codicibus tradita (*Talledius*) prima littera adhaesit, opinor, ex antegresso vocabulo *cupi-tor.* Lipsius cum haec scripsit: '*T. Alledius* scribo, et vidi postea ita citare hunc locum Beroaldum. In monumentis priscis (ap. Grut. p. 667 2) M. Allidi; in Iuvenali V 118: *tibi habe frumentum, Alledius inquit,*' imperite offendit adversus legem a me ad XIII 30 vindicatam.

adductum et quasi virile servitium: adductum est servitium, ubi constringendae libertati habenae fortiter adducuntur; conf. XIV 4. H. III 7. G. 43. Quod sequitur *quasi virile* est *quod quasi vir exerceat.*

Cap. 8. *mortem sibi conscivit:* minus accurate Sueton. Claud. 27: *e generis — Pompeium atque Silanum non recusavit modo sed et interemit;* cf. c. 29. Videtur peccasse nimiae brevitatis studio.

addidit Claudius — per pontifices danda: cum Calvina ob incesti crimen a Vitellio fictum decreto senatus Italia pulsa esset, imperator idemque pontifex maximus, ne suo officio deesset, addidit sacra et piacula, quibus castae Dianae numen eo flagitio violatum propitium redderet et malum publicum averteret. Tullo rege cum multa mala rei Romanae accidisse et multa tentata esse ad placandam

studiorum eius, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret, et consiliis eiusdem ad spem dominationis uterentur, quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii et infensus

9 Claudio dolore iniuriae credebatur. Placitum dehinc non ultra cunctari, sed designatum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua oraretur Claudius despondere Octaviam Domitio; quod aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis ac nuper Vitellius censet; desponderturque Octavia, ac super priorem necessitudinem sponsus iam et gener Domitius aequari Britannico studiis matris, arte eorum quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur.

10 Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut rettuli, Meherdaten missi senatum ingrediuntur, mandataque in hunc modum incipiunt: non se foederis ignaros nec defectione a familia Arsacidarum venire, sed ad filium Vononis,

2. *uterentur* M[a]: *uteretur* G et Spir. 6. *inducunt* GM[a]: *inducit* CRV1864. 10. *super*] *s* cum cauda M[a]. 12. *quis ob* G: M[a] *qui sub* (*qui* per comp.). *uitio* M[a]. 14. *retuli* M[a]. 15. *federis* M[a]. 16. *ad* editor: *et* BGM[a].

iram caelestem fama ferret (v. Liv. I 31), etiam priscas incesti procurationes ex eo tempore manasse credebant, et Claudius antiquarius remotissimae aetatis piacula libenter amplexus est. De luco Dianae Plinius N. H. XVI 91 (44): *est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianae sacratus a Latio, velut arte tonsili coma fagi nemoris. Poenae* (*die Bussen*) sunt ipsa sacra et hostiae ad procurandum prodigium incesti oblata. *Procurationes incesti id temporis* sunt quae eo tempore usurpabantur. Sic Suetonius Nerone 26 *illud horae* pro *illa hora*, sed Galb. 14 *illud aetatis* pro *illius aetatis*. Cic. Verr. lib. II c. 37 §. 91 et Liv. X 24 *id aetatis* pro *eius aetatis*, Tacitus *id temporis* ponit pro *eo tempore* XII 12, XIII 18 et 20, XIV 2, XVI 15, idem V 9 *id aetatis corpora* pro *eius aetatis c.*

veniam exilii: 'relegatus enim Seneca post quaesturam (794) a Claudio in Corsicam insulam, ob suspicionem adulterii cum Iulia Germanici filia, Vinicii uxore. Cuius criminis scena a Messalina fuit — scena dico; non enim re ipsa expetit in te haec culpa, o Romani nominis et sapientiae magne sol.' Lipsius. V. Dio LX 8. Octaviae v. 381—384 et annot. ad XIV 63.

Cap. 9. *designatum consulem Memmium Pollionem:* Pollio in suffectis huius anni consulibus fuit, neque in ordinariis subsequentium annorum memoratur.

Cap. 10. *per idem tempus:* narrationem rerum Orientis supra (XI 8—10) inchoatam et abruptam iam temporum ordinem secutus excipit absolvitque.

sed ad filium: in scriptura a codicibus exhibita *sed et* priori voculae *set* subsequens *ad* ita as-

nepotem Phraatis accedere adversus dominationem Gotarzis nobilitati plebique iuxta intolerandam. Iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos; adici coniuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus ignaviam saevitia tegat. Veterem sibi ac publice coeptam nobiscum amicitiam, et subveniendum sociis virium aemulis cedentibusque per reverentiam. Ideo regum obsides liberos dari ut, si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem patresque, quorum moribus adsuefactus rex melior adscisceretur.

11 Ubi haec atque talia dissertavere, incipit orationem Caesar de fastigio Romano Parthorumque obsequiis: seque divo Augusto adaequabat, petitum ab eo regem referens, omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat. Addidit praecepta (etenim aderat Meherdates), ut non dominationem et servos sed rectorem et cives cogitaret, clementiamque ac iustitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret. Hinc versus ad legatos extollit laudibus alumnum urbis, spectatae ad id modestiae: ac tamen ferenda regum

1. *praatis* M^a^. 2. *intolleranda* M^a^, *tolerandam* G. 4. *socros* (*socors* in marg. ab eadem manu) M^a^. 5. *sevitia* M^a^. 9. *ass.* Or. 12. *aug.* cum lin. M^a^. *adequabat* M^a^. 13. *quanquam* M^a^. 14. *domitionem* pr M^a^. 15. *concitaret* M^a^: emendatum in G. 16. *ignata* M^a^. 17. *capesceret* M^a^.

similata est ut fieret *et.* Certe de veritate medicinae adhibitae dubitari nequit, neque de pravitate *sed et.* Verbo *accedere* nudum accusativum et nominativum passivo generi adiunxit Tacitus nonnisi in nominibus *locum* designantibus vel loci vicem implentibus, ut II 58 *daturumque honori Germanici ut ripam Euphratis accederet*, XII 33 *si qua clementer accedi poterant.* H. III 24 *ut quosque accesserat;* in his verbis militiae varia genera in campo disposita pro *locis* valent; item XIV 35 *ut quamque nationem accesserat.* Alias aut posuit accusativum cum praepositione *ad*, velut O. 31 *ad veritatem accedentibus controversiis*, aut dativum, qui est I 73. H. I 34 et 70. In verbis XII 31 *quia societatem nostram volentes accesserant* accusativus pendet a *volentes.* Rhenanus in Castigationibus scribit: 'mallem ego — scribere *sed ad filium.* Verum infra sic quoque (?) loquitur.'

Cap. 11. *quamquam is quoque miserat:* miserat Phraaten et Tiridaten (VI 31 sqq.), non autem Vononem (ab Augusto missum), ut Lipsius ad h. l. pronuntiavit et Orellius Lipsium imprudenter excribens, non accurate recordati quae Tacitus II 1 sqq. narrasset. Quemadmodum h. l. Tiberii memoriam consulto declinavit, sic c. 22 de Gaio Caesare reticuit.

quanto ignara barbaris, tanto toleratiora: v. ad I 57. Ceterum *ignata* libri M^a^ vitium ex praece-

ingenia, neque usui crebras mutationes. Rem Romanam huc satietate gloriae provectam ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum posthac Gaio Cassio, qui Syriae praeerat,
12 deducere iuvenem ripam ad Euphratis. Ea tempestate Cassius ceteros praeminebat peritia legum: nam militares artes per otium ignotae, industriosque aut ignavos pax in aequo tenet. Ac tamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura provisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis et familia Cassia per illas quoque gentes celebrata. Igitur excitis quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam inlustres Parthi rexque Arabum Acbarus advenerat, monet Meherdaten barbarorum impetus acres cunctatione languescere aut in perfidiam mutari: ita urgueret coepta. Quod spretum fraude Acbari, qui iuvenem ignarum et summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. Et vocante Carene promptasque res ostentante, si citi advenissent, non comminus

3. *posthac G.* M^a. *Suriae* M^a. 4. *eufratis* M^a. 5. *praeminebat* M^a, non *praeeminebat*, ut G et Oxonienses. 6. *ignote* M^a. 7. *ac tamen* M^a, non *attamen*. 9. *Cassia . . . . per* M^a, *ratus* superscr. a recentiore manu. G *casia ratus p.* 11. *peritus* M^a: correctum inest G. 12. *ill.* Or. 15. *ita* M^a, non *itaque*. *urgueret* M^a, non *urgeret*. *cepta* M^a. 16. *ratu* M^a. 17. *Carene* M^a, mox (c. 13) *carrenis*, tum (c. 14) *carenem*.

dente *quan-to* per assimilationem scribae excidit. Inde in CF factum *ignota*. Hoc minus probandum etiam ob eam causam, quod mox (c. 12) sequitur *per otium ignotae*.

Gaio Cassio: virum illustrem et suae aetatis lumen Tacitus celebrat etiam XIII 41, XIV 43, XV 52, XVI 7 et 9 et 22. De consulatu eius rettulit in parte deperdita libri quinti in actis a. 30 a Chr. Peritia legum statim memorata et iuris prudentia sectam aemulorum condidit, de qua Pomponius l. 2 §. 47 D. *de orig. iuris* I 2. Iurisconsultum laudat Gaius I §. 196, II 79 et 195 et 244, III 71 et 133 et 140 et 147 et 161, IV 79 et 114. De mortis tempore v. ad XVI 9.

Cap. 12. *ita dignum — familia Cassia:* quae sequuntur artissime cum his iuncta sunt neque ullo additamento ab iis secerni ita possunt, ut dicendi ars non pereat. Quapropter coniecturae librarii deberi mihi videtur hiatus in M^a notatus et imperite prorsus a recentiore manu expletus addita voce *ratus.* Notio verbi *putavit* vel *credidit* post *ita dignum* ex adiunctis suppleri facile potest. Verba *per illas quoque gentes celebrata* significant militarem gloriam C. Cassii ante caedem Iulii Caesaris adversus Parthos probatam: v. Vell. II 46. Dio XL 28.

Mesopotamiam sed flexu Armeniam petivit, id temporis importunam, quia hiems occipiebat. Exin nivibus et montibus fessi, **13** postquam campos propinquabant, copiis Carenis adiunguntur, tramissoque amne Tigri permeant Adiabenos, quorum rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat. Sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae, castellumque insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum proelio Persarum illic opes conciderant. Interea Gotarzes, apud montem cui nomen Sanbulos, vota dis loci suscipiebat, praecipua religione Herculi; qui tempore stato per quietem monet sacerdotes ut templum iuxta equos venatui adornatos sistant. Equi ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. Rursum deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat, reperiunturque fusae passim ferae. Ceterum Gotarzes, **14** nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento uti, et quamquam per insectationes et nuntios ad proelium vocaretur, nectere moras, locos mutare, et missis corruptoribus

1. *petiuit* M^a, non *petunt*. *inp.* M^a. 2. *hiemps* M^a. *exim* M^a. 3. *campos* M^a, non *campis*. 4. *tramissoque* pr M^a, *transmissoque* corr M^a. 5. *iuliates* M^a: emendavit Lipsius ex Iosepho 20 2 et 3. *societate* M^a. 7. *castellumque* editor: M^a a pr. manu *castello*, corr M^a et G *castellum*, Agricolae cod. *et Arbela castellum*. 8. *Darium* M^a, non *Dareum*. *prael.* Or. 9. *gortarzes* M^a. 10. *Sanbulos* M^a, non *Sambulos*. *praecipuae* M^a, non *praecipue*. 11. *Herculi* M^a, non *Herculis*. *stato* M^a, non *statuto*, ut G et Oxonienses. 13. *faretras* M^a. *telis onustas* M^a, non *telis omissis onustas*, ut in V 1863 et 1864. 14. *faretris* M^a. 15. *rursum* M^a, non *rursus*. *pererraberit* pr M^a. 16. *repperiunturque* M^a. *fere* M^a. 18. *quamquam*] *quam* pr M^a. *prael.* Or. 19. *mutaret* pr M^a.

petivit: hoc et M^a et variationis amor Taciti proprius prae altera h. l. scriptura *petunt* commendat. Hoc ipsum ex *petiuit* (puncta in codice M^a desunt) facillime nasci potuit.

Cap. 13. *campos propinquabant:* similis iunctura, ut in verbo *accedere*. Cf. ad XII 10. *permeant Adiabenos*: Assyriae olim partem et quidem Babyloniae campos trans Tigrim habitabant: Strabo XVI 1 §. 1 et 19. Plinius V 13, VI 10 et 16 et 31.

in transitu urbs Ninos — castellumque insigne fama: Tigri amne tramisso Meherdatis exercitus primum urbem Ninum in sinistra fluminis ripa sitam cepit, aliquantumque progressus castellum, ubi Persarum opes olim conciderant, expugnavit. Hoc castellum notis quibusdam designare quam nomine suo appellare scriptor maluit, sive ignoravit nomen sive alia de causa reticuit. Idem ab eo factum videmus II 62: *inrumpit regiam castellumque iuxta situm.* In codice

exuendam ad fidem hostes emercari. Ex quis Izates Adiabenus, mox Acbarus Arabum cum exercitu abscedunt, levitate gentili, et quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare proelioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes deminutis hostibus ferox. Concursumque magna caede et ambiguo eventu, donec Carenem profligatis obversis longius evectum integer a tergo globus circumveniret. Tum omni spe perdita Meherdates, promissa Parrhacis paterni clientis secutus, dolo eius vincitur traditurque victori. Atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum increpans, auribus decisis vivere iubet, ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in regnum Vonones Medos tum praesidens. Nulla huic prospera aut adversa quis memoraretur: brevi et inglorio imperio perfunctus est, resque Parthorum in filium eius Vologesen translatae.

1. *ezates* M[a]. 2. *abbarus* M[a], sed c. 12 idem *Acbarus* et *Acbari.* 4. *peteres* pr M[a]. *haberet* pr M[a]. 5. *unum reliquum* M[a], non *unum erat reliquum.* 6. *prael.* Or. 11. *parracis* M[a]. 16. *Medos* M[a], *Medis* G. 18. *rexque* pr M[a]. *uologese* M[a].

A legimus *et Arbela castellum;* Arbela autem non castellum fuit sed urbs, eaque sexcentis vel quingentis stadiis a proelio inter Alexandrum et Darium postremo distabat: v. Arrian. Exped. Al. VI 11. Strab. XVI 1 3 p. 737. Multo propius erant *Gaugamela,* sed vicus is fuit, non castellum. Copulam omissam esse a librario inde patet, quod urbis Nini castellum, si unquam extitit, certe non in loco proelii illius situm erat, neque aptiorem restitui potuisse liquet quam particulam *que,* ab subsequente *insigne* (considera scriptum *castellumqinsigne*) absorptam. Castellum illud a Macedonibus in monte Nicatorio in memoriam victoriae cognominato conditum fuisse coniicio: v. Strabo XVI 1 4.

Cap. 14. *Izates Adiabenus:* ingeniosa I. Fr. Gronovii coniectura *Adiabeno* membrorum concinnitati praeclare consulit, sed eam concinnitatem saepe a Tacito variationis causa vitari constat. Cum duce Adiabeno popularium catervam simul abscessisse, id per se probabile videtur et ex adiunctis *Acbarus Arabum cum exercitu* liquet.

obversis: nove hoc nomen posuit pro hostibus in adversa acie constitutis. Praepositio *ob* eadem vi fungitur qua praedita comparet in *obequitare*, *obsidere*, *occurrere.* Quod sequitur *evectum*, eo vocabulo Carenem cum suis a cetero exercitu discretum et ultra praelatum designavit.

At Mithridates Bosporanus amissis opibus vagus, post- **15** quam Didium ducem Romanum roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn iuventa rudem et paucas cohortium cum Iulio Aquila equite Romano, spretis utrisque concire nationes, inlicere perfugas; postremo exercitu coacto regem Dandaridarum exturbat imperioque eius potitur. Quae ubi cognita et iam iamque Bosporum invasurus habebatur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys, quia Zorsines Siracorum rex hostilia resumpserat, externas et ipsi gratias quaesivere missis legatis ad Eunonen, qui Aorsorum genti praecellebat. Nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus. Igitur pepigere, equestribus proeliis Eunones certaret, obsidia urbium Romani capesserent. Tunc composito agmine incedunt: cuius **16** frontem et terga Aorsi, media cohortes et Bosporani tutabantur nostris in armis. Sic pulsus hostis, ventumque Sozam oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi praesidio visum. Exin in Siracos pergunt, et transgressi amnem Pandam circumveniunt urbem Uspen, editam loco et moenibus ac fossis

1. *mitridates bosphoranus ammissis* M^a. 2. *abisse* M^a, *abiisse* G. 3. *cotyn* e corr. M^a. fortasse fuerat *cotym*. 5. *ill.* Or. 7. *Bosporum* h. l. M^a, non *Bosphorum*. 8. *diffisis* M^a, *diffisus* G: emendavit Pichena. 9. *syracusorum* M^a: correxit Lipsius. 10. *quesivere* M^a. *eunone* M^a. *Adorsorum* M^a, et sic deinceps: correxit Ryckius. 13. *prael.* Or. 14. *capescerent* M^a. *tunc* M, non *tum*. *cuius* M^a, *quoius* G. 17. *dandarice* M^a. *mitridate* M^a. 18. *optineri* M^a. *exim* M^a. 19. *seracos* M^a.

Cap. 15. *at Mithridates Bosporanus:* huic Claudius Bospori regnum ad Paludem Maeotin et Pontum Euxinum situm anno 41 concesserat, mox Didio adiutore eundem de imperio deiecerat fratre Coty (c. 18) substituto: Dio LX 8: *ἄλλῳ τέ τινι Μιθριδάτῃ* (proxime de Mithridate Hibero locutus erat, de quo Tacitus VI 32, XI 8) *τὸ γένος ἀπ' ἐκείνου τοῦ πάνυ ἔχοντι τὸν Βόσπορον ἐχαρίσατο.* Plinius N. H. VI 5: *ad hos* (ad Sauromatas) *profugerat Mithridates Claudio principe, narravitque Thallos iis esse confines.* Illud narravit, cum Romam perductus esset. Tacitus eas res ad quarum seriem revertitur, in libro nono vel decimo nobis perditis persecutus est.

Aorsorum: vera nominis forma a Taciti librariis varie obscurata est recordantibus sive verbi *adoriri, adorsus*, sive nominis *adversus* et cum alterutro nomen sibi incognitum commiscentibus. Ego cum Ryckio restitui *Aorsos* ex Strabone XI 5 9 (ubi nomen quin-

munitam, nisi quod moenia non saxo sed cratibus et vimentis
ac media humo adversum inrumpentes invalida erant; eductae-
que altius turres facibus atque hastis turbabant obsessos. Ac
ni proelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eun-
17 dem intra diem foret. Postero misere legatos, veniam liberis
corporibus orantes: servitii decem milia offerebant. Quod
aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam
multitudinem custodia cingere arduum, ut belli potius iure
caderent. Datumque militibus, qui scalis evaserant, signum
caedis. Excidio Uspensium metus ceteris iniectus, nihil tutum
ratis, cum arma munimenta, impediti vel eminentes loci,
amnesque et urbes iuxta perrumperentur. Igitur Zorsines,
diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an patrio regno
consuleret, postquam praevaluit gentilis utilitas, datis obsi-
dibus apud effigiem Caesaris procubuit, magna gloria exer-
citus Romani, quem incruentum et victorem tridui itinere
abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar
fortuna fuit, quia navium quasdam, quae mari remeabant,
in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto
18 cohortis et plerisque auxiliarium interfectis. Interea Mithri-

1. *gratibus* M[a]. *vimentis* M[a], non *vimentibus*, ut dicit Furia. 2. *irr.* Or. idem mox *prael.* *educta eque* M[a]. 4. *dirimisset* M[a]. *cepta* M[a]. 5. *postremo* M[a]: emendavit Lipsius. 8. *ut belli* M[a]: *belli* Ernestius. 10. *nichil* M[a]. 12. *perrumpentur* M[a], veteres editi *prorumperentur*: tacite correxit Rhenanus. 13. *mitr.* M[a]. 17. *aufuisse* M[a]. 20. *auxiliarium* Lipsius: M[a] *consiliarium.*

quies repetitur; cf. XI 21), Plinio IV 25, Ptolemaeo III 5 §. 22, VI 14 §. 10.

Cap. 16. *oppidum Dandaricae:* nomen gentis *Dandaridae*, ut modo apud Tacitum, vel *Dandarii*, ut apud Strabonem XI 2 11 et Plutarchum Lucullo 16 et Stephanum s. v., qui Hecataeo auctore utitur. Ab hac altera forma nomen terrae factum est. *nostris in armis*: ex cohortibus sive militia sociali Romanorum suppeditatis: de armis legionariorum non cogitandum.

Cap. 17. *cum arma munimenta:* cf. ad XI 6.

gentilis utilitas: h. e. *gentis suae utilitas;* v. ad VI 32.

praefecto cohortis et plerisque auxiliarium: et dux cohortis sociorum et plerique milites gregarii eiusdem cohortis interfecti sunt: praefectus enim qui memoratur, is sociorum cohortem levemque duxit, non Romanam gravemve. Quapropter non apte ab Agricolae codicis secunda manu *centuriones* inferuntur, qui nulli in cohortibus auxiliariis, neque bene comparatur alius Taciti locus (c. 38) *praefectus tamen et octo centuriones — cecidere:* hic enim non est prae-

dates, nullo in armis subsidio, consultat cuius misericordiam experiretur. Frater Cotys, proditor olim, deinde hostis, metuebatur: Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa eius magni penderentur. Ad Eunonen convertit, propriis odiis non infensum et recens coniuncta nobiscum amicitia validum. Igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato regiam ingreditur, genibusque eius provolutus 'Mithridates' inquit 'terra marique Romanis per tot annos quaesitus sponte adsum. Utere, ut voles, prole magni Achaemenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.'

19 At Eunones claritudine viri, mutatione rerum et prece haud degeneri permotus, adlevat supplicem, laudatque quod gentem Aorsorum, quod suam dextram petendae veniae delegerit. Simul legatos litterasque ad Caesarem in hunc modum mittit, populi Romani imperatoribus, magnarum nationum regibus primam ex similitudine fortunae amicitiam, sibi et Claudio etiam communionem victoriae esse. Bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigatur. Sic Zorsini victo nihil ereptum. Pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam neque regnum precari, sed ne triumpharetur neve poenas capite expenderet.

20 At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis an repetere armis rectius foret. Hinc dolor iniuriarum

3. *id* M^a, non *eius* Beroaldi. 5. *non* om GM^a: insertum ex A. 10. *achemenis* M^a. 11. *p̄ce* M^a. 12. *permotus* M^a, non *promotus*. 13. *aduorsorum* M^a. *dextram* M^a, non *dexteram*. 15. *PIR* cum lin. M^a. *magnarum* GM^a: non *magnarumque*. 16. *similitude* pr M^a. 18. *transigatur* M^a: *transsigatur* G (non *transigatur*, ut narrat Waltherus). *nichil* M^a. 20. *neque* M^a: *non* G. *paenas* M. 21. *at* GM^a, non *atque* Puteolani. *quanquam* M^a. 23. *hinc* GM^a: *huc* Lipsius.

fectus auxiliaris cohortis, sed *praefectus castrorum*. Ceterum si reputaveris *x* et *s* litteras a librariis mediae aetatis plerumque commutari, quomodo ex *auxiliarium* sive *ausiliarium* fieri potuerit *cō-siliarium* in M^a facile intelliges. Orellius sordes interpolati libri admisit.

Cap. 18. *prole magni Achaemenis:* ipse genus duxit a Mithridate (v. ad c. 15) claro quondam Ponti rege, isque Achaemenides fuit; v. Iustin. XXXVIII 7. De Achaemenidibus Herodotus I 125, III 65.

Cap. 19. *quotiens ignoscendo transigatur:* cf. Germ. 19: *melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur.* Add. II 65 H. III 46. Agr. 34.

et libido vindictae adigebat: sed disserebatur contra suscipi bellum avio itinere, importuoso mari; ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens; tum taedium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiae, si pellerentur. Quin arriperet oblata et servaret exulem; cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore. His permotus scripsit Eunoni meritum quidem novissima exempla Mithridaten, nec sibi vim ad exequendum deesse: verum ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. Nam
21 triumphos de populis regnisque integris acquiri. Traditus
posthac Mithridates, vectusque Romam per Iunium Cilonem procuratorem Ponti, ferocius quam pro fortuna disseruisse apud Caesarem ferebatur, elataque vox eius in vulgum hisce verbis 'non sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, dimitte et quaere.' Vultu quoque interrito permansit, cum Rostra iuxta, custodibus circumdatus, visui populo praeberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilae praetoria decernuntur.

22 Isdem consulibus atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa, quod secum de matrimonio principis certavisset, molitur crimina et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris.

2. *inp.* Mª. *ad hoc* Mª, non *ad haec.* 3. *egens*; *tum*] *egentum* (add. ex corr. *s*) Mª. 4. *pericula* Mª, *periculum* G. 5. *quin* G: Mª *cui.* 8. *mitridatē* Mª. 10. *hostem, tanta*] *hoc temptata* Mª: emendavit Muretus. 12. *posthac* Mª, non *post haec.* *roma* Mª. *colonem* Mª: correxit Lipsius ex Dione 60 33. 18. *coloni* Mª. 20. *mollitur* Mª. 21. *chaldeos* Mª.

capite expenderet: in fine sententiae quoniam et *solveret* et *lueret* non satis graviter ad aures accidebat, verbum elegit plenius et cognatum *expenderet.* Sic Virgilius II 229: *scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt.* VI 740: *veterumque malorum supplicia expendunt.* X 669: *tales voluisse expendere poenas?* XI 258: *scelerum poenas expendimus omnes.*

Cap. 20. *novissima exempla:* extremas poenas aliis in exempla cessuras. Nove dictum et breviter. Minor audacia in VI 10 *sua exempla in consultores recidisse,* h. e. exempla delationis a se consulendo edita in ipsos recidisse.

Cap. 21. *vultu — praeberetur:* de ceteris huius Mithridatis fatis v. Plutarch. Galb. 15. Post coniurationem Nymphidii Galbae suspectus mori adactus est. De Iunio Cilone Dio LX 33.

Cap. 22. *interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum:* interpretare *und die Frage vor einem Bilde des Clarischen Apollo.* Cogita si-

Exin Claudius inaudita rea, multa de claritudine eius apud senatum praefatus, sorore Lucii Volusii genitam, maiorem ei patruum Cottam Messalinum esse, Memmio quondam Regulo nuptam (nam de Gai Caesaris nuptiis consulto reticebat), addidit perniciosa in rem publicam consilia, et materiem sceleri detrahendam: proin publicatis bonis cederet Italia. Ita quinquagies sestertium ex opibus immensis exuli relictum. Et Calpurnia inlustris femina pervertitur, quia formam eius laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone; unde ira Agrippinae citra ultima stetit. In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus et lege

1. *exim* M[a]. 2. *praephatus* M[a]. *L.* M[a]. *genita* M[a]. 3. *Messalinum* M[a], non *Messallinam*, ut narrat Victorius. 4. *C.* M[a]. 5. *permitiosa* M[a]. 6. *celeri* pr M[a]. *puplicatis* M[a]. 7. *inmensis* M[a]. 8. *ill.* Or. 10. *ira* Boetticher: M[a] *irex* (non *ivet*), G *vis.*

mulacrum Apollinis Clarii Romae positum, unde oracula edebantur interrogantibus ex superstitiosa multitudine.

Memmio quondam Regulo: v. ad XII 1. *ex opibus immensis:* eas describit et originem atque initia narrat Plinius N. H. IX 58.

unde ira Agrippinae citra ultima stetit: ira Agrippinae in Calpurnia citra ultima stetit, in Lollia ad extrema processit, ut statim exponitur. Doederlinius suspicatur *ira ex Agrippina*, Bezzenberger *evicta Agrippina.* *Cadius Rufus:* restitutus est Othone principe anno 69; v. H. I 77.

Cap. 23. *non exquisita principis sententia:* pertinet hoc ad edictum ab Augusto censore a. 725 propositum: Dio LII 42: *προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ, καὶ τοῦτο καὶ δεῦρο* (principe Severo) *ἀεὶ φυλάσσεται· πλὴν γὰρ ὅτι ἔς τε τὴν Σικελίαν καὶ ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα, οὐδαμόσε ἄλλοσε βουλευτῇ ἀποδημεῖν ἔξεστιν.* Cf. LX 25.

provinciae Syriae additi: Iudaea Syriae addita iam est a. 759 principe Augusto; v. Dio LV 27. Ioseph. XVII 13 §. 2 et 5, XVIII 1 §. 1. Gaius autem Caesar Agrippae, filio Aristobuli, duas in Iudaea tetrarchias et regis nomen donavit (Ioseph. XVIII 6 §. 10 et 11. Dio LIX 12), Claudius eidem omne fere regnum Herodis Magni concessit; idem XIX 5 §. 1. Illo Agrippa mortuo iam iterum Iudaei provinciae Syriae additi sunt: cf. Ioseph. XIX 9 §. 1 et 2, B. I. II 11 §. 6. Huius rei mentionem nunc fecit Tacitus. Sed aliquanto post Claudius huius Agrippae filio, cui idem nomen, aliquot Iudaeae tetrarchias donavit. Ioseph. Antiq. XX 7 §. 1. Eius mentio fit apud Tacit. XIII 7 et H. II 8, V 1. Item apud Arabes Ituraeos Sohaemus iunior tetrarchiae munere auctus est (v. H. II 81, V 1), addita Sophenes regione a Nerone (XIII 7).

salutis augurium quinque et septuaginta annis omissum: salutis augurium (h. e. augurium de salute populi ab auguribus captum) sumptum erat, sed *addubitatum* (i. e. imperfectum, *οὐ καθαρόν*), consule Cicerone a. 691 a. u., dein repetitum principe Augusto a. 725, tum omissum usque ad hunc annum ab urbe 802: Cic. de Div. I 47, Dio XXXVII 24,

23 repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis. Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum ut senatoribus eius provinciae non exquisita principis sententia, iure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret. Ituraeique et Iudaei defunctis regibus, Sohaemo atque Agrippa, provinciae Syriae additi. Salutis augurium quinque et septuaginta annis omissum repeti ac deinde continuari placitum. Et pomerium urbis auxit Caesar, more prisco, quo iis qui protulere imperium etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi Lucius Sulla et divus Augustus.

1. *bithinis* Mª. 2. *Narbonensi* pr Mª, add. ex corr. littera *s*. 4. *itureique et iudei* Mª. 5. *sohemo* Mª. 6. *auguriu* Mª. *septuaginta* editor: Mª XX. 8. *pomerium urbis* Mª: omittunt *urbis* BG. *is* Mª. 10. *quanquam* Mª. 11. *L.* Mª. *silla* Mª. *agustus* pr Mª.

LI 20. Sueton. Aug. 31. Quod dicit Waltherus, anno 741 repetitum esse idem augurium ab Augusto pontificatum adepto (adeptus est pontificatum Lepido mortuo a. 741: Dio LIV 27), idque liquere ex Suetonii Aug. c. 31, hic error ipsius est ex ignorata narrandi consuetudine Suetonii susceptus: quippe is genera rerum sequitur, non annorum seriem, idemque l. c. haud dubie de salutis augurio anni 725 locutus est. Iam inter annum 725 et inter 802 medii interiecti sunt anni 76, et Tacitus uno discrepat ab annorum numero, qui ex Dionis loco (LI 20) cum hoc nostro comparato conficitur. Sed idem discreparet totis annis quinquaginta et amplius, si librarii *quinque et viginti* recte scripsissent. Id vero secus est. Nam si per quinque et viginti annos ante hunc 802 salutis augurium omissum erat, captum id est anno 776 Gaio Asinio et Gaio Antistio consulibus, principe Tiberio. Atqui in actis anni illius Tacitus (IV 1—16) nihil de salutis augurio rettulit, quamquam ea res digna prae ceteris erat, quae in annalibus commemoraretur, neque quidquam de eodem argumento apud alium scriptorem legimus. Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin librarii aut in numeri notis LXXV primam neglexerint a nobis postliminio restituendam, aut cum esset in vetustissimo exemplari V ET VIIGINTA (h. e. *quinque et septuaginta*), id perperam QVINQVE ET VIGINTI legerint.

et pomerium urbis auxit: auxit more exemploque (v. Liv. I 44. Gell. XIII 14) maiorum ob Britanniam orbi Romano adiectam. In lapide aevi Claudiani (v. Gruter. pag. 196. Orellii n. 710): TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XVI. COS. IIII. CENSOR. P. P. AVCTIS POPVLI ROMANI FINIBVS POMERIVM AMPLIAꟻIT TERMINAꟻITQ. *Pomerium*, non pomoerium, Mª et inscriptiones: conf. apud Orellium n. 1 et 811, Gruterum p. 1078 10. Graeci *πομήριον*. Quid sit pomerium explicat Livius I 44, Gellius XIII 14; cf. Varro L. L. V §. 143.

nisi Lucius Sulla et divus Augustus: usurpavit etiam Iulius Caesar; v. Gell. XIII 14. Dio XLIII 50, XLIV 49. Cic. ad Att. XIII 20: *de urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi; id sane scire velim.*

Regum in eo ambitio vel gloria varie vulgata. Sed initium 24
condendi, et quod pomerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro Boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interiecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi, mox curias veteres, tum ad sacellum Larum; forumque Romanum et Capitolium non a Romulo sed a Tito Tatio additum urbi credidere. Mox pro

3. *roario* M^a, in marg. *b.* 5. *ceptus* M^a. 7. *Palatini* G: M^a *palatii.* cf. 15 38. *consii* M^a. 8. *forumque* G: M^a *deforoque* (deleta a sec. manu syllaba *de*).

Cap. 24. *a foro Boario:* forum illud prope circum maximum et ima montis Palatini, ad occidentem Tiberi fluvio terminatum. Ovid. Fast. VI 477: *pontibus et magno iuncta est celeberrima circo area, quae posito de bove nomen habet.* In nomine explicando Tacitus consentit cum Ovidio et Plinio XXXIV 5: *Bos aereus inde (Aegina) captus in foro Boario est Romae.* In alia abit Paulus Excerpt. ex Festo: *Boarium forum Romae dicebatur, quod ibi venderentur boves.* Obiter meminit Varro de L. L. V §. 146. Idem §. 143 de hoc ritu: *Oppida condebant in Latio Etrusco ritu, ut multa, id est iunctis bobus, tauro et vacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa et muro essent muniti. Terram unde exculpserant, fossam vocabant, et introrsum iactam murum. Post ea qui fiebat orbis, urbis principium; qui, quod erat post murum, postmoerium dictum eius, quo auspicia urbana finiuntur.* Cf. Servius ad Virgil. Aen. V 755. Ovid. Fast. IV 825. Plutarch. Romulo 11.

ad aram Consi: hanc fuisse ad extremam partem circi maximi in parte australi montis Palatini bene dicit Becker in Enchiridio Antiquit. Roman. t. I p. 98.

mox: h. e. ab australi fine montis Palatini septentrionem versus intra convallem Palatini et Caelii.

mox curias veteres: nomina earum legimus apud Festum s. v. *Novae curiae proximae compitum Fabricium aedificatae sunt, quod parum amplae erant veteres a Romulo factae, ubi is populum et sacra in partis triginta distribuerat, ut in iis ea sacra curarent; quae cum ex veteribus in novas evocarentur, quattuor curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Raptae, Veliensis, Velitiae res divinae fiunt in veteribus curiis.* Add. Varr. de L. L. V §. 155: *curiae duorum generum: nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiae veteres, et ubi senatus humanas, ut curia Hostilia.* Veteres curiae in eo loco, ubi montis Palatini pars ad orientem spectans excurrit septentrionem versus (arcus Constantini): Becker p. 100. Praepositionem *ad* duce M^a ante *curias* delevi; eademque codici G non inest. Conf. VI 51, XIII 21 et 53, H. I 4, III 41. Agr. 35. Or. 28. Petersen Annotat. in Tacit. II p. 17.

tum ad sacellum Larum: ubi in convalle Palatini Caeliique montium, in extrema septentrionali parte Palatini versus orientem posita,

fortuna pomerium auctum. Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum.

25 Gaio Antistio Marco Suillio consulibus adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur, qui obstrictus Agrippinae ut conciliator nuptiarum, et mox stupro eius inligatus, stimulabat Claudium consuleret rei publicae, Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud divum Augustum, quamquam nepotibus subnixum, viguisse privignos; a Tiberio super propriam stirpem Germanicum adsumptum. Se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro. His evictus biennio

1. *actum* M^a^. *tum* M^a^, non *tunc*. 2. *cognitũ* M^a^. *perscr.* M^a^, non *praescr.* Puteolani. 3. *G.* M^a^. *M.* M^a^. *cos.* cum lin. M^a^. *optio* M^a^: emendavit Puteolanus. 6. *publicae*] *.p.* M^a^. *brittanici* M^a^. 7. *robor* pr M^a^. *agustum* pr M^a^. *quanq.* Or. 9. *ass.* Or. *acgingeret* M^a^. 10. *iuvenẽ* M^a^.

advenit, iam pergit intra septentrionalem partem Palatini montis et Sacram viam, donec non procul a foro Romano ad sacellum Larum veniat. Quo postquam accessit, iam non directa descriptione usus, sed *indirecta* addit: *forumque Romanum et Capitolium non a Romulo sed a Tito Tatio additum urbi credidere.* Nimirum hinc lectores cordati sponte intelligunt, pomerium Romuli a sacello Larum sic processisse, ut ad dextram forum Romanum et mox mons Capitolinus esset. Toto caelo errant qui aliquid deesse opinantur, in quorum numero etiam Beckerus l. c. p. 102. Nihil nisi Palatinum montem Romuli pomerium complexum est: Gell. l. c.: *antiquissimum autem pomerium, quod a Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur.* Convenit accurata Taciti descriptio. Ceterum in M^a^ memorabilis scripturae differentia (*deforoque* pro *forumque*) inde nata mihi videtur, quod cum in archetypo scriptum esset *forõque* (h. e. *forumque* evanido compendii signo, aut librarius codicis Florentini aut corrector eius *de* adiecit, ut esset unde penderet ablativus. Hoc ipsum *de foroque* perperam idem ille accepit de *foro Boario.* Orellius audenter rescripsit *Larundae* (M^a^ *larum deforoque*), confisus verbis Varronis L. L. V §. 74, ibi tradentis *Larundae* a Tatio rege *aram* dedicatam esse. Ego intelligo *geminos Lares qui compita servant* (Ovidii verba Fast. II 615), Mercurii Laraeque nymphae filios, de quibus Ovidius l. c. 599—616.

a Tito Tatio: Capitolium scilicet et collis Quirinalis pro antiquissimis Sabinorum sedibus habebantur, et Titus Tatius e Sabinis et Sabinorum dux auctorque fuit.

quos tum Claudius terminos posuerit: conf. Gell. l. c.: *sed de Aventino monte praetermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis grammatici veteris commentario offendi: in quo scriptum erat Aventinum antea, sicuti diximus, extra pomerium exclusum, post auctore divo Claudio receptum et intra pomerii fines observatum.*

publicis actis: dicit acta senatus et populi Romani diurnam scripturam: cf. III 3.

Cap. 25. *biennio maiorem:* sub finem anni a Chr. 54 Nero septendecim annos cum vix egressus esset (v. XIII 6), ineunte hoc anno 50 ingredi tertium decimum coe-

maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eundem quem a liberto acceperat modum. Adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso continuos duravisse. Ceterum actae principi grates, quaesitiore in Domitium adu- 26
latione; rogataque lex qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret. Augetur et Agrippina cognomento Augustae. Quibus patratis nemo adeo expers misericordiae fuit quem non Britannici fortunae maeror adficeret. Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis, perintempestiva novercae

2. *in* om M^a: inseruit G. post *eundem* littera una vel duae erasae in M^a. 4. *repperiri* M^a. 5. *quaestiore* M^a, *questore* G: correxit Pichena, ante quem erat *exquisitiore*. 7. *Augustae*, ab eadem manu eodemque atramento correcto *augusta* M^a. 9. *brittanici* M^a. *meror affigeret* M^a. 10. *perintempestiva* editor: M^a *per intempestiva*.

perat, Britannicus primum decimum. Cf. ad XIII 15. Concinit cum hac computatione quod Nero anni a Chr. 53 initio *sedecim annos natus* dicitur XII 58. Errat autem Suetonius, dum scribit *undecimo aetatis anno* Neronem adoptatum esse (Ner. 7), neque ipse sibi constat, cum paulo post (c. 8) narrat Neronem septendecim annos natum accessisse ad imperium: Claudius enim anno 54 expiravit. Idem paulo ante (c. 6) tradidit natum esse Neronem post nonum mensem quam Tiberius excessit, ante duodevicesimum kalendas Ianuarias, h. e. quinto decimo die Decembris (eundem mensem Tacitus XIII 10 prodidit) anni 37. Sueton. igitur primo loco (c. 7) Britannici aetatem falso pro Neroniana videtur posuisse: nam neque *undecimus* et *tertius decimus* neque XI et XIII commutari facile poterant.

adnotabant periti: cf. Agr. 22: *adnotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse.* Periti utroque loco sunt quos nos dicimus *die Sachverständigen*, et priore quidem rei militaris periti, hoc nostro iuris prudentes. Conf. XIII 3: *adnotabant seniores* cet. II. III 37: *adnotabant periti nunquam antea — alium suffectum.*

patricios Claudios: Suetonius Tib. 1: *patricia gens Claudia (fuit enim et alia plebeia, nec potentia minor nec dignitate) orta est ex Regillis oppido Sabinorum.*

ab Atto Clauso: conf. Liv. II 16, X 8. Ovid. Fast. IV 305.

Cap. 26. *rogataque lex*: lege curiata arbitrisque pontificibus Nero adrogandus erat: nam patre Domitio iam extincto sui iuris erat; v. ad II. I 15. *maeror adficeret:* Medicei *affigeret* forma nata est ex litterarum C et G in ἀρχετύπῳ permutatione. Non apte Orellius inde fecit *affligeret.*

perintempestiva: Ernestius praepositionem expunxit, ego sequenti vocabulo adiunxi, de quo cogitavit Kiesslingius, tum Waltherus: hic tamen codicum scripturam explicuit, *er wurde zum Gespött:* quippe verbum *vertebat* neutra significatione, ut VI 46 et alibi, praeditum putat. Sed primum miserrimus puer eo quod ministeriis desolatus est in ludibrium haud vertebat, immo maeroris et misericordiae causa extitit, tum vero non *ludibria* sed *ludibrium* scriptum oportuit: nam in verbis VI 46 *ne memoria*

officia in ludibria vertebat, intellegens falsi. Neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt, sive verum, seu periculis
27 commendatus retinuit famam sine experimento. Sed Agrippina quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat; cui nomen inditum e vocabulo ipsius. Ac forte acciderat ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.

Isdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Chattorum latrocinia agitantium. Deligit Pomponius

2. *seu* M^a^, non *sive*. 5. *ubi Iorum* M^a^. 6. *e* M^a^ non omittit, ut ait Victorius. 7. *transgressa* M^a^. 9. *advectu* M^a^. 10. *cattho-rum* M^a^. *deligit* editor: M^a^ *dein L.*

Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent, numerus multitudinis de duabus rebus positus recte se habet, in his de quibus loquimur haud perinde, et artificium ad eum tuendum ab Orellio adhibitum non dignum est quod memoretur. *Perintempestiva* nove sed recte dictum, ut IV 12 *peridoneus*, XV 45 *persimplex*, I 65 *pervigiles*. *Officia* illa *perintempestiva* vere vocantur, graviore voce prudenter delecta, quod Caesaris coniux et maximi imperii consors ipsa agere conata est quae servorum erant. Britannicus autem haec officia in ludibria vertebat, dum ea aut remittebat novercae aut simulata gratia sibi praestari patiebatur. Sic apte succedunt verba *intellegens falsi*, quae in diversa explicatione ceteris male conveniunt. De re cf. Dio LX 32.

Cap. 27. *cui nomen inditum e vocabulo ipsius:* Colonia Agrippinensium ab Agrippina nomen accepit, non ab Agrippa, ut perperam a Tacito in Germania c. 28 relatum est. Nimirum cum Tacitus Historias et Germaniam composuit, hanc rem parum exploratam habuit: cum scripsit Annales, melius edoctus erat.

in fidem acciperet: Strabo IV 3 4 pag. 194: πέραν δὲ ᾤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου. Germ. 28: *ne Ubii quidem, quamquam — libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt.* Accepti videntur Ubii a. 716 vel 715, cum Agrippa Rhenum transgressus Germaniae populos debellavit: Dio XLVIII 49. Cum Agrippa a. 735 Gallos a Germanis defendit (Dio LIV 11), iam Augusti auspiciis rem gessit, ut huius beneficio potius in sinistram Rheni ripam recepti dicerentur, si tunc translati essent, ut credidit Waltherus.

deligit Pomponius: verbum quod deerat ex corruptae scripturae vestigiis *dein L.* elicui: nam vitii sedes in his quaerenda est, cum Pomponius praenomine vocatus sit *Publius* (V 8), non *Lucius:* et in homine iam saepius in his Annalibus memorato unum nomen satis erat. Cui rei delecti sint auxiliares, indicatum est verbis *monitos ut anteirent populatores* cet. Idem alibi dativo vel praepositione cum accusativo significatur; v. I 64: *deliguntur legiones, quinta dextro lateri, unetvicesima in laevum, primani ducendum ad agmen.* V 4;

legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas, addito equite alario, monitos ut anteirent populatores vel dilapsis inprovisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui laevum iter petiverant, recens reversos praedaque per luxum usos et somno graves circumvenere. Aucta laetitia, quod quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemerant. At qui dextris 28
et propioribus compendiis ierant, obvio hosti et aciem auso plus cladis faciunt, et praeda famaque onusti ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Chatti cupidine ulciscendi casum pugnae praeberent. Illi metu, ne hinc Romanus inde Cherusci, cum quis aeternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere; decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit.

Per idem tempus Vannius Suevis a Druso Caesare impo- 29
situs pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque

1. *uangionas* M^{a}. *elario* M^{a}, idem G, non *clario*, ut tradit Waltherus. 2. *dilapsis* M^{a}, non *del.* 6. *qudragensimum* M^{a}. 7. *anum* M^{a}. 10. *Taunum* M^{a}, *taurum* G. 11. *catthi* M^{a}. 14. post v. *Pomponio* in M^{a} erasa est littera. 16. *tepus* M^{a}. *cesare* M^{a}. *inp.* M^{a}.

componendis patrum actis delectus a Caesare. VI 32: *reciperandaeque Armeniae Hiberum Mithridaten deligit.* Plerique auctore Puteolano *monuit* scribunt: sed sic et *dein* male adiectum est, et Pomponius falso praenomine vocatur, et vocabulum suspicioni non obnoxium intempestive tentatur.

qui laevum iter petiverant: expeditio Romana adversus Chattos suscepta est haud dubie a Magontiaco oppido primario Germaniae superioris. Chatti autem ex adversa regione venientes Rhenum petebant et proxima Rheno. Itaque *laevum iter* illud est quod Chattis dextrum erat advenientibus, revertentibus sinistrum, in dextra fortasse Moeni fluminis ripa.

Cap. 28. *at qui dextris — ierant:* viis dextrorsum a Magontiaco ducentibus, in laeva, ut videtur, Moeni ripa. Haec loca auxiliaribus Nemetum et Vangionum propiora erant. Victoria parta et ipsi ad Taunum in dextra amnis Moeni parte positum revertuntur.

propioribus compendiis: compendiis viarum quae propius ad hostem ducerent. *Compendia viarum* legimus I 63. *Taunum:* de situ montis v. dicta ad I 56. *in quis carminum gloria praecellit:* v. annot. ad V 8.

Cap. 29. *Suevis a Druso Caesare impositus:* iis ex gente Suevorum impositus, qui ultra Danubium inter amnes Cusum et Marum locati erant: II 63.

Palpellio Histro: hominem celebrat inscriptio apud Gruterum p. 443: *Sex. Palpelio P. f. Vel. Histro. leg. Ti. Claudi Caesaris Aug. pro. cos. pr. tr. pl. xvir. stl. iudic. tr. mil. leg. XIV Ger-*

popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Vibilius Hermundurorum rex et Vangio ac Sido sorore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam saepe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur; scripsitque Palpellio Histro, qui Pannoniam praesidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis et terrorem adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent. Nam vis innumera Lygii aliaeque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus et vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium; eoque
30 castellis sese defensare bellumque ducere statuerat. Sed Iazyges obsidionis impatientes et proximos per campos vagi necessitudinem pugnae attulere, quia Lygius Hermundurusque illic ingruerant. Igitur digressus castellis Vannius funditur

1. *diuturnitate* M^a^: *diuturnitatem* BG et Oxonienses. 3. *uibillius* M^a^. *Vangio ac Sido* M^a^ (non *Vando ac Sidio*). 5. *certantibus barbaris certantibus* M^a^: *cert. barb.* G. 6. *Palpellio* editor: Mª *P. Atellio. Pannoniam* M^a^, *Pannoniae* BG. 7. *presid.* M^a^. 8. *componere* GM^a^: corr. in Spir. 10. *uisi* pr M^a^. *Ligii* GM^a^: mox *Ligius*. 13. *iazigibus* GM^a^. 14. *iazigies* M^a^, *iaziges* G. 17. *ingruerant* M^a^, non *ingruebant*.

manicae comiti Ti. Caesaris. Aug. dato sub divo Aug. Quod ibi est nomen *Palpelius*, ei litteram liquidam duplicatam ex auctoritate codicum in Taciti verbis concessi: ceterum hunc ipsum esse eundem hominem, qui in lapide nominatur, recte credidit Lipsius et idem *scripsitque Palpelio* iam vere coniecit. Verum Lipsius *Palpelium* suum in contextum verborum recipere iure dubitavit: nobis hanc dubitationem praecidit lex ad XIII 30 declarata. Scilicet *P. Atellio Histro* aperte pugnat contra morem a Tacito constanter observatum. *Palpellio* praenomen fuit *Sextus*. Paulo ante *Vibilius* scripsi secutus maiorem auctoritatem Medicei libri prioris II 63.

Lygii: littera *y* Graecis scriptoribus nititur (Dio LXVII 5. Ptolem. II 11 18, ubi est *Λοῦγοι*). Latinorum codicum scriptores *i* substituere solent, ut statim usu venit in nomine *Iazygum.* Cf. G. 43.

triginta per annos: regnum acceperat a. 19 a Chr.: iam versamur in rebus anni 50; ratio igitur tam accurate subducta est, quam expectari in eiusmodi rebus potest. Erravit Lipsius scribens 'legitima ratio esset 33 *per annos*.' Nimirum Lipsius annum cuius res gestae nunc traduntur, pro quinquagesimo primo, ut omnes veteres editores, falso habuit.

Cap. 30. *digressus castellis:* Vannius castellis se suosque continere voluit, sed Iazygum impatientia coactus loca tuta invitus omisit.

proelio, quamquam rebus adversis, laudatus quod et pugnam manu capessiit et corpore adverso vulnera excepit. Ceterum ad classem in Danuvio opperientem perfugit. Secuti mox clientes, et acceptis agris in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide, subiectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.

At in Britannia Publium Ostorium pro praetore turbidae 31
res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus eo violentius, quod novum ducem exercitu ignoto et coepta hieme iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit, et caesis qui restiterunt,

1. *prael.* Or. *quanquam* M^{a}. 2. *capesciit* M^{a}. 3. *dauio* M^{a}, *dauĩo* G, h. e. *danuvio.* cf. 2 63. 5. *uagio* M^{a}. *sidio* M^{a}. 6. *dominationes* GM^{a}, *dominationis* amicus Ryckii. 8. *brittania* M^{a}. *P.* M^{a}. *pro praetore* GM^{a}, *propraetorem* B. 9. *et fusis* M^{a}: *effusis* G. 10. *caepta* M^{a}. *ghieme* M^{a}. 11. *obvia* M^{a}. 12. *restiterunt* GM^{a}: *restiterant* Spir.

regnum Vangio ac Sido inter se partivere: pro Vangione anno 69 successerat Italicus; alter ex regulis etiamtum in imperio ac fidus Romanis. H. III 5: *trahuntur in partes* (Flaviorum) *Sido atque Italicus reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos.*

dum adipiscerentur dominationes: equidem nonnihil dubito de sanitate verbi *adipiscerentur:* Tacitus enim pro suo verborum non compositorum amore simplex *apisci* praetulit, compositum participio *adeptus* et infinitivo *adipisci* reliquit. Certe haec norma in priore Mediceo diligentius scripto semper observatur, alter inter utramque formam incertus fluctuat. III 27: *apiscendi inlicitos honores.* 31: *materiem apiscendi favoris.* IV 1; *summa apiscendi libido.* 16: *qui id flaminium apisceretur.* 59: *apiscendae potentiae.* VI 3: *ut — ius apiscerentur.* 20: *cuius* (artis) *apiscendae otium.* 45: *dum dominationis apisceretur.* Iam XI 22: *qui quaesturam adipiscerentur.* 23: *ius adipiscendorum in urbe honorum.* XIII 21: *apiscendo imperio.* XIV 23: *clementiae famam adipisceretur.* 27: *cognomentum — apiscuntur.* 36: *quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur.* XV 43: *tempus intra quod — apiscerentur.* Contra I 13: *adipisci principem locum.* 32: *memoriam apud posteros adeptus.* 53: *imperium adeptus.* III 24: *neque honores adeptus est.* 55: *rerum adeptus est.* 75: *consulatum adeptus est.* XIII 43: *pretia scelerum adepti.* H. III 6: *primum pilum adepto.* I 7: *adepto principatu.* Quae cum ita sint, existimandum videtur quattuor illis locis vulgarem formam a librario qui confecit exemplar Medicei codicis, vel ab eo qui hunc scripsit, per errorem alteri substitutum esse. Id accidere in hoc nostro loco facilius poterat, quod subsequens *postquam adepti sunt* formam *adipiscerentur* pro *apiscerentur* scribentis menti suggessit.

Cap. 31. *turbidae res excepere:* consularium primus Aulus Plautius Britanniae praepositus fuerat, cui

disiectos consectatus, ne rursus conglobarentur infensaque et infida pax non duci non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis cunctaque castris Avonam usque et Sabrinam fluvios cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens, nec proeliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. Hisque auctoribus circumiectae nationes locum pugnae delegere saeptum agresti aggere et aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere adgreditur, et distributis cohortibus turmas quoque peditum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscientia

3. *Avonam usque* editor: Mª et pr G *Antonam.* 5. *prael.* Or. 7. *septum* Or. idem mox *obseptis.* 8. *quanquam* Mª. 10. *aggr.* Mª.

successit P. Ostorius Scapula: Agr. 14. Conf. XI 36. Dio LX 19—23. Belli Britannici principium Dio annum 43 (796) ponit LX 19, Claudio Caesare tertium et Lucio Vitellio iterum consulibus. Tacitus aut extremo libro Annalium nono aut in principio decimi domandae Britanniae initia tradidit.

citas cohortes rapit: cf. annot. ad I 60; *rapit* est *raptim ducit.*

cunctaque—cohibere parat: verba quae hic a codicibus suppeditantur cum explicari et ad leges linguae Latinae revocari commode non possint, cumque in singulis vocibus nulla prae ceteris suspicioni obnoxia sit, aliquid intercidisse certum est. Porro duo fluvii quaerendi sunt, qui *proximam Britanniae partem* (cf. Agr. 14) a terris eiusdem ad occidentem et septentrionem sitis secernant. Hoc ipsum faciunt Sabrina (*the Severn*) et Avona (*the Avon*) in aestuarium Sabrinae (sinum Bristoliensem) influentes: v. Camdeni Britannia p. 375. Quapropter Avonam pro Antona haud cognita vere Camdenus l. c. substituisse videatur, ipse scribens *Aufonam.* Sed etiamnum deest particula sive praepositio, qua terminus designetur, ad quem Ostorius provinciam Romanam extendere et porrigere voluerit. Eam fuisse *usque* certum videtur: nempe unice convenit notioni quae desideratur; eius voculae prior syllaba ab antecedente *Avonam*, altera ab subsequente *et* absorpta est. Halmius coniecit *cis Antonam* vel *Avonam.* Icenos Ptolemaeus non recensuit.

nec proeliis contusi: cf. annot. ad IV 46. *societatem nostram volentes accesserant:* accusativus pendet ex *volentes*, verbum *accesserant* absolute positum est. Cf. ad c. 10. Etiam apud Curtium IV 14 24 in verbis *quo propius crimen accedo*, accusativus pendet a v. *propius*, non ab *accedo.*

turmas: in turmis equites legionarii, qui *leves* ac *citas* sociorum cohortes in hac pugna, ut saepe alias, adiuvant. Sociales equites *alarii* sunt. Neque ante dixit nullos adfuisse ex legionariis, sed tantum defuisse *robur legionum*, h. e. peditem legionarium.

peditum ad munia: eiusdem collocationis verborum exempla ad IV 5 collecta sunt. De forma *munia* ad III 2.

rebellionis, et obsaeptis effugiis, multa et clara facinora fecere. Qua pugna filius legati Marcus Ostorius servati civis decus meruit. Ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter 32
et pacem dubitabant; et ductus in Decantas exercitus. Vastati agri, praedae passim actae, non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen temptarent, punito dolo. Iamque ventum haud procul mari quod Hiberniam insulam aspectat, cum ortae apud Brigantas discordiae retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis qui arma coeptabant interfectis, in reliquos data venia, resedere: Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret castrisque legionum premenda foret. Id quo promptius veniret, colonia

2. *M.* Mª. *servatis* pr Mª. 4. *in Decantas* editor: codices *inde Cangos*. 8. *orte* Mª. *Brigantes* litterae *e* superscripta *a*, ab eadem, ut videtur, manu Mª. 10. *ceptabant* GMª. 11. *siluarum* Mª, *Sylurarum* G (qui statim *siluras*): emendavit Rhenanus. 13. *p̄menda* Mª.

Cap. 32. *in Decantas:* hoc reposui duce Ptolemaeo, apud quem II 3 §. 12 *Δεκάνται* tamquam *ἀνατολικώτεροι Καληδονίων* memorantur. Ptolemaei tamen aetate Decantae magis in partem septentrionalem videntur secessisse. Pichena dedit *inde in Cangos*, ut c. 33 *itum inde in Siluras*, sed vel locus vocis *inde* et addita ante coniunctio *et* hoc falsum esse ostendunt, et Tacitus tunc scripturus erat: *inde ductus in Cangos exercitus*, ut paulo post fecit. Bezzenberger *et d. in Decangos.* Tam *Cangi* quam *Decangi* aliunde haud cogniti sunt. Deesse posse praepositionem ex Virgiliano (Ecl. I 65) *sitientes ibimus Afros* non facile quisquam persuaserit. Decantae Icenis finitimi praeter Siluras principatus Wales partem et quidem septentrionem versus tunc videntur habitasse.

qui arma coeptabant: conf. ad IV 46. *Camulodunum:* captum erat a Claudio sive legato eius Plautio a. 43. Dio LX 21: *τὸ Καμουλόδουνον τὸ τοῦ Κυνοβελλίνου βασίλειον εἷλε (Κλαύδιος).* Apud Plinium N. H. II 77 (75) est *Camaldunum*, Ptolemaeum II 3 17: *λεγίων ϛ̄ νικηφόρος· Καμουνλόδουνον.* In titulo apud Gruterum pag. 439 5 sive Orellium n. 208 *Camalodunum:* CENSITOR CIVIVM ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI. Vis nominis *oppidum Martis.* Camulus in inscriptionibus ap. Orellium n. 1960. 1977. 1978. Reliquias nominis in hodierno *Maldon* prope *Colchester* delitescere putant.

Cap. 33. *sed tum astu locorum fraude prior:* ante Caratacus prae ceteris Britannorum imperatoribus multum excelluit, iam vero cum legato consulari congressus astu tantummodo superior erat, sed ne eo quidem ducem Romanum superasset, nisi fraus locorum (*das trügerische Terrain*) ipsius astum iuvisset. Itaque *tum* particula praesentem Carataci statum et condicionem priori comparatam ostendit. Ablativorum unus (*astu*) pendet ex nomine *prior*, alter (*locorum fraude*)

Camulodunum, valida veteranorum manu, deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, et imbuendis sociis ad
33 officia legum. Itum inde in Siluras, super propriam ferociam Carataci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores praemineret. Sed tum astu locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas, additisque qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur, sumpto ad proelium loco, ut aditus abscessus, cuncta nobis importuna et suis in melius essent, tutus montibus arduis, et si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa praestruit. Et praefluebat amnis vado incerto, catervaeque armatorum pro muni-
34 mentis constiterant. Ad hoc gentium ductores circumire

2. *inb.* M[a]. 4. *carataci* M[a]. idem c. 34 *caratacus*, 35 *carattaci*, 36 *carataci* et *cataratacus*, 38 *carataci* et *carataco*, H. 3 45 *carataco*, 40 *caratacum*, Dio 60 20 *Καταράτακον*, Zonaras 11 10 *Καράτακος:* vulgo scribunt *Caractacus* auctore Puteolano, et sic saepius G. *confisis* M[a]: *confisos* G. 5. *brittanorum* M[a]. 6. *tum locorum* G. 7. *ordolucas* GM[a]: emendavit Rhenanus. 8. *prael.* Or. 9. *inp.* M[a]. *im* M[a]. 10. *tutus* editor: codices *tunc.* 11. *ballis* pr M[a], *vallis* corr M[a], *ualli* G. *saxa* M[a], *saxis* G. *prestr.* M[a]. 12. *catervaque* GM[a]: correxit Lipsius. *armatorum* Freinshemius: GM[a] *maiorum.*

rem denotat eodem tempore obtinentem (*einen gleichzeitigen Umstand*), qua adiutus Caratacus astu prior fuit: converte *durch Schlauheit bei dem trügerischen Terrain überlegen.* Ut hic *locorum fraude*, sic apud Virgilium Aen. IX 397: *fraude loci et noctis.* Falso Waltherus aliique *locorum fraudem* interpretantur *fraudulentam locorum occupationem* (*schlaue Benutzung des Terrain*), sed ea *fraudis* significatio nunquam obtinuit. Immo fraus alicuius rei ita dicitur, ut res aut ipsa fraudetur (v. c. *in fraudem legis agere*), aut fraudem res exerceat.

in melius essent, tutus montibus arduis: sic emendavi verba in libris scriptis editisque corrupta, vocula *tunc* per compendium scripturae (*tūc*) substituta in locum nominis *tutus* (*tutq*), qua clade tota sententia attentatur. Cum Romani mox amne tramisso ad hostes succedunt, tantummodo in locis clementer editis *aggerem* offendunt, quo perrupto in *iuga montium*, sive *montes arduos* enisi barbaros ibi positos aggrediuntur. Vulgatam olim explicare conatus sum, sed frustra. Bezzenberger coniecit *cincto* pro *tunc.*

catervaeque armatorum: codicum vitium *maiorum* ita natum est, ut syllaba *ar* a praecedente *que* absorberetur (sic c. 35 *et* post *praefectique* omissum est) et littera *t* in scriptura cursiva cum *i* mutaretur. *Maiores* sunt qui olim vixerunt, eoque significatu nomen hoc statim (c. 34) subsequitur, *vocabatque nomina maiorum, qui dictatorem Caesarem pepulissent.* Ceterum *armati* pro *militibus* vocabulum admodum frequens apud Tacitum est: I 25, XIV 34 et 35. H. II 61 et 66 et 87 et 88, III 13 et 32 et 33 et 55 et 81, IV 13 et 22. Agr. 29 et 37.

hortari, firmare animos minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimvero Caratacus huc illuc volitans illum diem, illam aciem testabatur aut recuperandae libertatis aut servitutis aeternae initium fore. Vocabatque nomina maiorum, qui dictatorem Caesarem pepulissent; quorum virtute vacui a securibus et tributis, intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent. Haec atque talia dicenti adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, non telis, non vulneribus cessuros. Obstupefecit ea alacritas ducem 35
Romanum; simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens terrebat. Sed miles proelium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare; praefectique et tribuni paria disserentes ardorem exercitus intendebant. Tum Ostorius, circumspectis quae impenetrabilia quaeque pervia, ducit infensos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos et pleraeque caedes orie-

1. *accenda* M^a^: *accendenda* G. 2. *caratacus* M^a^. 3. *recuperande* M^a^. 4. *eternae* M^a^. 7. *hec* M^a^. 8. *quisque religioni* GM^a^: emendavit Lipsius. 11. *nichil* M^a^. 12. *prael.* Or. *posceret* pr M^a^. *expugnabili* M^a^. 13. *praefectique et tribuni* Bezzenberger: M^a^ *praefectique tribuni.* 14. *intendebant* GM^a^: *incendebant* Lipsius ex Gryphiana. 15. *inp.* M^a^. 17. *cedes* B.

Cap. 34. *enimvero:* ea particula ducem Caratacum prae ceteris extollit eumque praecipua cura egisse denotat (*vollends aber*). *vocabatque:* v. ad I 59.

Cap. 35. *praefectique et tribuni:* praefecti sunt duces cohortium auxiliarium (v. XII 17 et 39. H. II 15 et 92, III 35, IV 31 et 32. Agr. 37), iisque in legionibus tribuni respondent: etenim sex cuique legioni praeerant tribuni subditi legato legionis: Polybius VI 19; idem de praefectis sociorum VI 26. Conf. VI 37 §. 8: *κύριος δ'ἐστὶ καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος, καὶ ἐνεχυριάζων καὶ μαστιγῶν, τοὺς δὲ συμμάχους οἱ πραιφέκτοι.* Bina haec ducum genera componuntur a Tacito etiam IV 73: *multi tribunorum praefectorumque;* H. IV 78 *a tribunis praefectisque;* H. IV 39 *Mucianus — tribunatus praefecturasque largitur.* Item et cum superioribus et inferioribus legionum ducibus componuntur, ut XIII 37 *legati praefectique*, H. III 19 *in sinu praefectorum legatorumque*, XII 45 *Pollio praefectus*, *centurio Casperius*, XIII 9 *ortum inter praefectum et centurionem iurgium*, H. IV 14 *tradi se praefectis centurionibusque.* Agr. 22 *seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat.* Utrosque, et praefectos et tribunos, princeps nominabat; v. Sueton. Tiber. 41: *rei publicae quidem curam usque adeo abiecit, ut postea non decurias equitum unquam supplerit, non tribunos praefectosque — ullos mutaverit.* Idem Augusto 38: *militiamque au-*

bantur. Postquam facta testudine rudes et informes saxorum compages distractae parque comminus acies, decedere barbari in iuga montium. Sed eo quoque inrupere ferentarius gravisque miles, illi telis adsultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina; et si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum, si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. Clara ea victoria fuit, captaque uxor
36 et filia Carataci, fratresque in deditionem accepti. Ipse, ut ferme intuta sunt adversa, cum fidem Cartimanduae reginae Brigantum petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia coeptum. Unde fama eius evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur; avebantque visere quis ille tot per annos opes nostras sprevisset. Ne Romae quidem ignobile Carataci nomen erat; et Caesar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe ut ad insigne specta-

2. *conp.* M^a. *distracta* M^a: G *distractae*. 3. *irr.* Or. 5. *brittannorum* M^a. 7. *spathis* M^a, non *spatis*. *astis* M^a. 8. *uxor* Bezzenberger: codices *uxore*. 10. *Cartimanduae*] M^a *cartimandus*, G *cartunanduae*. Lipsius *Cartismanduae*, ut H. 3 45. cf. c. 40. 12. *brittannia* M^a. *ceptum* M^a. 17. *spectalum* M^a.

spicantibus (liberis senatorum) *non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit.* Claudio 25: *equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret.* Liberae civitatis tempore praefecti a consulibus, tribunorum viginti quattuor a populo, ceteri, si opus esset, a consulibus deligebantur: v. Polyb. l. c.; de praefectis *alarum* diximus ad II 67.

ferentarius gravisque miles: ferentarius quicumque levis armaturae miles: v. Varro de L. L. VII §. 57. Pauli Excerpt. Fest. s. v. *Ferentarii* et *Adscripticii* et *Velati.* Veget. I 20, II 15. Nonius p. 554 26 v. *Ferentarii.* Huius loci ferentarii sunt auxiliares, hastas sive tela iacientes spathisque, h. e. gladiis maioribus, accincti.

fratresque: vulgo legunt *fratres quoque*, ut est in G, adversante M^a. Sed vera et incorrupta huius scriptura perbene se habet, postquam vitium in *uxore* latitans sublatum est.

Cap. 36. *nono post anno*: Dio LX 19 belli initium annum 43 (796) ponit, ut ab illo tempore septem tantum anni effluxerint. Hinc credidit Ryckius Tacitum supputationis initium duxisse a bello intestino, quod Romanos in Britanniam traxit. Eo artificio nihil opus est: opportune enim Tacitus ipse monuit c. 40 extremo, in hac narratione plures per annos gesta a se coniuncta esse. Versatur igitur haec scribens iam non intra annum 50, sed 52. Ceterum hanc narrationem non pugnare cum H. III 35 suo loco ostensum est.

culum populus. Stetere in armis praetoriae cohortes campo qui castra praeiacet. Tunc incedentibus regiis clientelis phalerae torques, quaeque bellis externis quaesiverat, traducta: mox fratres et coniux et filia, postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere ex metu. At non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens. Ubi tribunali astitit, in hunc modum locutus est: 'si, quanta 37 nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem foedere in pacem accipere. Praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est. Habui equos viros, arma opes. Quid mirum, si haec invitus amisi? Nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant? Si statim deditus traderer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset. Et supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero.' Ad ea Caesar veniam ipsique et

2. *castra* M^a, non *castris*. *tunc* GM^a, non *tum* Ernestii. *clientelis* M^a, *clientulis* G. 3. *falere* M^a. *torques* Doederlinius: M^a *torquibus*, G *torquesque*. *queque* M^a. 4. *coniux* M^a, *coniunx* G. 5. *p̄ces* M^a. *ad* M^a. 11. *inp.* M^a. *in pacem* Doederlinius: M^a et ceteri *pacem*, vulgo *pacis* Lipsio auctore. 13. *inui.tus* (littera erasa ante *t*) M^a.

campo qui castra praeiacet: conf. annot. ad I 60. Castra sunt cohortium praetoriarum. *phalerae torques, quaeque*: cf. annot ad XI 6. In M^a *torquibus* ex praegresso *incedentibus* per assimilationem corruptum est. Vulgata *torquesque* in artem peccat.

Cap. 37. *in pacem*: in praepositio (ī) absorpta est a praegressi vocabuli *foedere* littera extrema. Id qui recte vidit Doederlinius, mirifice *in pacem* interpretatur *sub imperium*. Immo *in pacem* rem effectam vel efficiendam denotat, quemadmodum *in mortem* IV 45 et 62, h. e. ita ut pax inter nos facta esset. Cogitat tributum a se populo Romano quotannis solvendum.

equos viros, arma opes: conf. annot. ad XI 6.

nam: si Medicei aliorumque codicum (inest G) scripturam *nam* tenemus, causa prioris interrogationis ita effertur, ut novae interrogationi particula causalis praeponatur. Praestaret haud dubie *an*. Vulgari interpolatori debetur *non*, quod Agricolae liber praebet; *num* coniecit Lipsius. *vinclis absoluti:* multum vereor, ut haec locutio sana sit et iure in novis et inusitatis Taciti referatur. Praepositio *ab* ex antecedentis *atque* initio videtur adhaesisse.

Cap. 38. *ad id:* vitavit *adhuc* vulgari usu tritum. *e vicis et castellis proximis subventum foret:* ne putes *e vicis* arbitraria conie-

coniugi et fratribus tribuit. Atque illi vinclis absoluti Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam, isdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. Novum sane et moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis praesidere: ipsa semet parti a maioribus suis imperii sociam

38 ferebat. Vocati posthac patres multa et magnifica super captivitate Carataci disseruere, neque minus id clarum quam quod Syphacem Publius Scipio, Persen Lucius Paulus, et si qui alii vinctos reges populo Romano ostendere. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus eius, mox ambiguis, sive amoto Carataco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit, sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere. Praefectum castrorum et legionarias cohortes extruendis apud Siluras praesidiis relictas circumfundunt. Ac ni cito e vicis et castellis proximis subventum foret copiarum obsidioni, occubuissent. Praefectus tamen et octo centuriones ac promptissimus quisque e manipulis cecidere. Nec multo post pabulantis nos [ipsos] missas-

1. *absoluti* M^a: Lipsius *exsoluti*, ego malim *soluti*. 3. *gratibusque* GM^a, non *gratiisque*. 5. *partim* M^a. 8. *quod* erasa littera una ante hoc v. M^a: *quum* G. *sifacem* M^a. *P.* M^a. *L.* M^a. 11. *sibe amoto* M^a. 14. *silulas* M^a. *relicta* M^a. 15. *cito nuntiis* M^a, *cito nunciis* G: correxit Muretus. 16. *obsidioni* Bezzenberger: GM^a *obsidione*. *obcub.* M^a: G *occub.* 17. *e manipulis* Lipsius: M^a *manipulus*. 18. *ipsos* seclusit editor.

ctura substitutum esse pro *nuntiis*, reputes velim praepositionem facile a praecedente *cito* absorberi, *uicis* autem sine punctis perscriptum et *nūcis* (h. e. *nunciis*) non minus facile commutari potuisse. *Nuntiis et castellis subvenire* est ipsis nuntiis et castellis ferre auxilium, idque a ceteris abhorret. Non monerem, nisi Waltherum ad incredibilia confugisse viderem.

copiarum obsidioni: vulgo Mureto duce legunt *copiae tum occidione occubuissent*, in quibus praeter audaciam particula *tum* prave posita est. *Obsidionis* nomen non mutandum esse cum *occidionis* etiam Medicei *obcubuissent* ostendit, vitium assimilandi errore ortum et ab Orellio superstitiose conservatum.

pabulantis nos [*ipsos*]: *ipsos* quin dittographia natum sit ex subsequente *missas* dubitandum mihi vix videtur. Hoc certum est, *nos ipsos* aptum h. l. non esse. Nam eo, si legitimum sermonis usum sequimur, pabulantes Romani opponuntur iis qui ante occisi dicuntur, sed ii ipsi Romani erant. Dicat alius pabulantes Romanos opponi turmis ad subsidium missis: sed turmae quoque legionarii equites sive Romani erant: nam si non essent, certe dedisset scriptor *turmas sociorum* sive *auxiliares*.

que ad subsidium turmas profligant. Tum Ostorius cohortes 39
expeditas opposuit; nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent. Earum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc proelia, et saepius in modum latrocinii per saltus per paludes, ut cuique sors aut virtus, temere proviso, ob iram ob praedam, iussu et aliquando ignaris ducibus. Ac praecipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox, ut quondam Sugambri excisi aut in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes avaritia praefectorum incautius populantes intercepere; spoliaque et captivos largiendo ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus Ostorius concessit vita, laetis hostibus, tamquam ducem haud spernendum, etsi non proelium, at certe bellum absumpsisset.
At Caesar cognita morte legati, ne provincia sine rectore 40
foret, Aulum Didium suffecit. Is propere vectus non tamen

2. *opposuit* Lipsius: M[a] et G *exposuit.* 3 et 5. *prael.* Or. 7. *proviso* M[a], non *provisu* Lipsii. 9. *inper.* omissis ceteris voc. litteris M[a]. 10. *sygambri* M[a], *sicambri* G. *excisia ut*, h. e. *excisi aut* M[a]: G *excisi ut.* 11. *auxiliare* M[a]. 13. *defectiones* pr M[a]: correctum eadem fortasse manu *es* in *ē*. 15. *uitā* M[a]: *uita* G. *tanquam* M[a]. 16. *prael.* Or. *at*] *ad* M[a]. *adsumpsiset* M[a]: *absumpsisset* G. 18. *A.* M[a].

Reliquum est ut Walthero suasore iungamus *pabulantis nos, ipsos* (pabulantes) *missasque ad subsidium turmas.* Sed quis non videt sic et structuram verborum valde contortam obscuramque et inanem oppositorum lusum Tacitoque indignum procreari? Hoc veteres interpolatores senserunt: nam Puteolanus *pabulantis nostros* scripsit, et in duobus libris Oxoniensibus *pabulantes nostros ipsos* repertum.

Cap. 39. *opposuit:* vitium librorum *exposuit* originem duxit e praecedente *expeditas.* Waltherus *exposuit* interpretatur *proelio instruxit*, sed hanc verbi vim nullis exemplis approbavit. *pro meliore fuit,* h. e. melior fuit, nihil amplius. *per saltus per paludes,* — *temere proviso, ob iram ob praedam, iussu et aliquando ignaris ducibus.* quattuor oppositorum κῶλα, unumquodque duabus partibus contrariis compositum. Tria eorum ἀσυνδέτως conformata sunt, extremum particula coniungente copulatum; conf. ad XI 6. *proviso* rara forma est, scripta ad analogiam *improviso.* *ut quondam Sugambri — forent:* cf. II 26 cum annot.

Cap. 40. *atque illo augente audita est:* absolute positum est *illo augente* (rei famam), et *audita est*, ut pro *audita* et ars postulat ob vicinum participium *augente* et sermonis perspicuitas, ex *auditast* in *audita* truncatum. *Audita* item

integras res invenit, adversa interim legionis pugna cui Manlius Valens praeerat, auctaque et apud hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent, atque illo augente audita est, ut maior laus compositis vel, si duravissent, venia iustior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant; lateque persultabant, donec accursu Didii pellerentur. Sed post captum Caratacum praecipuus scientia rei militaris Venutius, e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu et Romanis armis defensus, cum Cartimanduam reginam matrimonio teneret, mox orto discidio et statim bello etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartimandua artibus fratrem ac propinquos Venutii intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur. Valida et lecta armis iuventus regnum eius invadunt. Quod nobis praevisum; et missae auxilio cohortes acre proelium fecere, cuius initio ambiguo finis laetior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione cui Caesius Nasica praeerat. Nam Didius senectute gravis, et multa copia honorum, per ministros agere et

4. *est* adiecit editor. *compositis* Lipsius: *compositi* M[a]. 6. *adc.* M[a]. 8. *e Brigantum* cum Rudolpho Agricola Lipsius: M[a] *euigantum, iugantum* G. 9. *cartimandum* M[a]. 12. *cartimannus* M[a]. 13. *hostis* M[a]. 16. *prael.* Or. 18. *cesius* M[a].

ad verba *eius rei fama* refertur. Pertinet hoc ad litteras a legato ad principem missas.

ut maior laus compositis — tribueretur: et facilis est Lipsii correctio *compositis*, pro tradito *compositi*, et corruptionis (*compositi*) origo manifesta: quippe scriba codicis M[a] iunxit *compositi — duravissent.* Qui tenent *compositi* vocem *essent* omissam esse credunt, sed haec relata ad sequentem *tribueretur* omitti vix potuit; praeterea parum placet iunctura *ut laus compositi essent*, pro qua scripturus fuit *ut laudi compositi essent.*

ut supra memoravi: haec nonnisi ad verba *e Brigantum civitate* referenda sunt. Memoravit hoc in libris deperditis, cum societatem a Cartimandua cum Romanis initam narravit. Brevius et per digressionem easdem res complexus est H. III 45.

stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur: muliebribus artibus Cartimandua Venutii fratrem ac propinquos cum cepisset, ceteros hostes indignatio subibat et ignominia accendebat, ne feminae imperio subiicerentur. Hoc commiscere noli cum iusta successione et legitima: in ea enim veteres Britanni, item ut nostrae memoriae, sexum non discernebant: v. XIV 35. Agr. 16.

arcere hostem satis habebat. Haec, quamquam a duobus [Ostorio Didioque] propraetoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent. Ad temporum ordinem redeo.

Tiberio Claudio quintum Servio Cornelio [Orfito] con- 41
sulibus virilis toga Neroni maturata, quo capessendae rei publicae habilis videretur. Et Caesar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret, atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet ac princeps iuventutis appellaretur. Additum nomine eius donativum militi, congiarium plebei. Et ludicro circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in praetexta, Nero triumphalium veste travecti sunt. Spectaret

1. *quanquam* Mª. 2. *ostrio* Mª. duo haec nomina Freinshemio auctore seclusa. 3. *coniuxi* Mª. *proinde* per notam GMª. cf. ad 3 17. 5. *Tib.*] *T. L.* Mª. *Orfito* tamquam glossam seclusit editor. *cos.* cum lin. Mª. 6. *capescendae* Mª. *rei.p.* Mª. 12. *brittannicus* Mª. 13. *triumphalium* Mª: *triumphali cum* Freinshemius. *travectis* pr Mª.

a duobus [*Ostorio Didioque*] *propraetoribus:* qualis haec est collocatio et ordo verborum? Scribere hic noster potuit *a duobus propraetoribus*, *Ostorio Didioque*, aut *ab Ostorio Didioque propraetoribus.* Ut nunc est, quae iungenda sunt, divelluntur nominibus quae legentibus ex proxime praegressis satis nota sunt. Vere igitur glossam esse *Ostorio Didioque* Freinshemius perspexit.

Cap. 41. *Servio Cornelio* [*Orfito*]*:* tria nomina ponere a Taciti more cum abhorreat (v. ad XIII 30), isque duobus consulum nominibus tot locis ubique se continuerit, excepto II 1 ubi *Tauro* glossatoris opera insertum esse ostendi, cognomen Cornelii h. l. positum (Orfito) ex XVI 12, ubi est *testificante Cornelio Orfito*, a glossatore adiunctum esse iudico. Duobus contentus fuit etiam Plinius II 31: *et nostra aetas vidit* (trinos soles) *divo Claudio principe*, *consulatu eius*, *Cornelio Orfito collega.* Alia in lapidibus est ratio, veluti apud Fabrettium p. 472: Ti. CLAVDIO. CAESARE. AVG. GERMANICO. V. SER. CORNELIO. ORFITO. COS. ISIDI. INVICTAI. ET SERAPI M. AIDIVS. SERHILIAI. AHIOLAI LIB. AMERIMNVS.

virilis toga Neroni maturata: initio huius anni Nero quartum decimum aetatis annum ingressus erat: v. XII 58 et annot. ad XII 25. Igitur triennio maturius quam lex praescribebat virilem togam accepit. Ea enim induebantur qui pubertatis tempus adepti et ad rem militarem idonei erant, pubertas autem ab anno septimodecimo exacto lege definita erat. Conf. Gellius X 28. Livius XXII 57, XXV 5. Plutarchus C. Graccho 5. Huschkius in Politia Servii Tullii p. 143. Sed quoniam res publica non id spectabat, ut legitimum pubertatis tempus in sumenda virili toga observaretur, sed potius providebat ne puberes ac septimumdecimum annum egressi rei militari se subtraherent, eadem non

populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque praesumeret. Simul, qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis causis, et alii per speciem honoris. Etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur tali occasione. Obvii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. Quod ut discordiae initium Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem, quaeque censuerint patres, iusserit populus, intra penates abrogari; ac nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem. Commotus is quasi criminibus optimum quemque educatorem filii exilio aut morte adficit, datosque a noverca custodiae
42 eius imponit. Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat,

3. *brittannici* M^{a}. *remotis* M^{a}. 5. *pellitur* et supra versum litt. *d* cum lineola traversa M^{a}. 6. *brittannicum* M^{a}. 12. *aut* Petersen: codices *ac*. *aff*. Or. 13. *inp*. M^{a}.

prohibuit, quo minus etiam ante hoc tempus, si qui vellent, praetextam ponerent. Certe non solum principes viri sed etiam privati ante legitimum tempus in forum deducti ac virili toga ornati sunt. Interpretes ad h. l. Lipsio auctore falsa narrant.

proconsulare imperium extra urbem: v. annot. ad I 14. *princeps iuventutis* est primus iuventutis equestris, ut I 3. *donativum militi, congiarium plebei:* accurate loquitur, praesentem pecuniam militi datam *donativum*, nummos plebei donatos *congiarium* vocando: nam hoc nomen inde ductum est, quod priscis temporibus congios olei vel vini reges aut duces donasse plebi narrantur. Eiusdem rei mentionem Tacitus fecit III 29, XIII 31, XIV 11. H. I 18, II 82 et 94, IV 19 et 36 et 58. O. 17. Cf. Sueton. Ner. 7: *deductusque in forum tiro populo congiarium, militi donativum proposuit.* Hunc Suetonii *populum* vel *plebem* Taciti cogita cives per quinque et triginta tribus non descriptos et aere publico alendos; v. annot. ad H. III 58.

Britannicum nomine: toleravi additamentum *nomine*, sed a Tacito esse vix mihi persuadere possum. Suetonius Ner. 7: *Britannicum fratrem, quod se* (Neronem) *post adoptionem Aënobarbum ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est.*

iusserit populus: lex curiata qua Nero in gentem Claudiam arrogatus est, pontificibus moderantibus lata (c. 26), tamquam a populo curiisque iussa cogitabatur. Prudenter Agrippina coram marito antiquario antiquis verbis utitur.

exilio aut morte: alios exilio, morte alios Claudius multavit, prout Agrippina leviora aut graviora crimina finxerat. *ac morte* ferri tum posset, si primo exilium, mox supplicium Claudius adhibuisset, id quod usu venit in Lollia (c. 22), sed hanc ignaro principe sustulit Agrippina: ipse haud dubie simplicius agebat. Cf. III 24: *adulterosque earum morte aut fuga punivit.* VI 9: *ut accusatores — exilio aut morte multarentur.*

ni praetoriarum cohortium cura exolverentur Lusius Geta et Rufius Crispinus, quos Messalinae memores et liberis eius devinctos credebat. Igitur distrahi cohortes ambitu duorum, et si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiae militaris famae, gnarum tamen cuius sponte praeficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius; carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus venerationem augebat feminae, quam imperatore genitam, sororem eius qui rerum potitus sit et coniugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est. Inter quae praecipuus propugnator eius Vitellius, validissima gratia, aetate extrema (adeo incertae sunt potentium res) accusatione corripitur, deferente Iunio Lupo senatore. Is crimina maiestatis et cupidinem imperii obiectabat. Praebuissetque aures Caesar, nisi Agrippinae minis magis quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igni interdiceret. Hactenus Vitellius voluerat.

1. *exs.* Or. 2. *messalina ememores* M[a]. 6. *egregie* M[a]. 7. *proficeretur* per notam M[a]: G *praeficeretur.* 8. *mos*] *honos* Ursinus. 13. *etate* M[a].

Cap. 42. *carpento Capitolium ingredi:* ex honoribus Agrippinae a senatu concessis carpenti usum memorare Tacitus ideo voluit, quod hominum oculi hinc potissimum in eam conversi sunt. Conf. Dio LX 33: *καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλίνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τὸ καρπεντίῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν.*

qui mos sacerdotibus et sacris — concessus: sacerdotibus et sacris certis anni diebus in Capitolium vehentibus. *Sacra* intelligo apparatum sacrificalem, quem sacerdotes secum in carpento ducebant. Varro L. L. V 47: *caput Sacrae viae, — quae pertinet in Arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in Arcem.* Horat. Carm. III 30 8: *dum Capitolium scandet cum tacita virgine pontifex.* Cave nomen *sacris* sexto casu positum esse credas.

quam imperatore genitam — matrem: oblitus est hoc rarae fortunae exemplum sibi proximum Plinius, cum scripsit N. H. VII 42: *una feminarum in omni aevo Lampito Lacedaemonia reperitur, quae regis filia, regis uxor, regis mater fuerit.* *hactenus Vitellius voluerat:* ira eius citra ultima stetit, ut contentus esset exilio delatoris, cum Claudii socordia et Agrippinae saevitia etiam supplicium facile concessissent.

Cap. 43. *multa eo anno prod. evenere:* ne forte rebus externis, quae hoc anno gestas statim complectitur (c. 44—51), absolutis ad domesticas iterum se convertere Tacitus cogeretur, iam nunc ad-

43 Multa eo anno prodigia evenere. Insessum diris avibus Capitolium, crebris terrae motibus prorutae domus, ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi invalidus quisque obtriti. Frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus, sed iura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam fori partem vi urguebant, donec militum globo infensos perrupit. Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse constitit; magnaque deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum. At Hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat; nec nunc infecunditate laboratur. Sed Africam potius et Aegyptum exercemus, navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.

44 Eodem anno bellum inter Armenios Hiberosque exortum Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. Genti Parthorum Vologeses imperitabat, materna origine ex pellice Graeca, concessu fratrum regnum adeptus; Hiberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater

2. *prorupte* M^a: correxit Lipsius, ante quem *proruptae*, ut in G. 4. *orte* pr M^a. 7. *urguebant* M^a, *urgebant* G. 9. *dm* cum lineola M^a. 10. *subuenientum* M^a. *ad herculẽ* M: G *at hercule*. 11. *regionibus* GM^a: emendavit Ernestius. 13. *egyptum* M^a. *nabibusque* M^a. *P. R.* cum lin. M^a. 18. *pelice greca* M^a. 19. *farasmanes* M^a. *possessiones* cum puncto sub ultima litt. *s* M^a. *frs* (cum lineola supra versum et puncto sub litt. *s*) M^a.

iunxit quae eodem anno domi acciderint. Sic enim nihil impediebat, quo minus post enarratas Orientis res ad acta novi anni praeverteret. De prodigiis istis conf. Suetonius Claud. 18. Plinius II 31.

nec nunc infecunditate laboratur: non soli Italici infecunditas causa erat cur externae opis frumentique indigeret, sed magna pars eius agri villis hortisque et piscinis occupata erat: v. III 54. *nec nunc* idem valet ac *ne nunc quidem*; cf. ad II 82. *exercemus*: dicitur de aratoribus Romanis, provinciae Africae Aegyptique agrum per ministros colentibus. *Exercere* poetici sermonis est; cf. XIII 54: *utque patrium solum exercebant.* *navibusque — permissa est:* haec non sine aliquo acumine dicta sunt. Nimirum vita eorum qui procul maris intemperie in urbis luce versantur, tamen navibus et casibus permissa est: nam commeatus Africae Aegyptique si merguntur undis aut alio casu detinentur, Romani fame necantur; cf. III 54.

Cap. 44. *genti Parthorum Vologeses imp.* usque ad huius regis imperium res Parthorum Romanis innexas persecutus hic noster erat XII 14. *Hiberos Pharasmanes opibus nostris:* cf. VI 32—36.

eius Mithridates obtinebat opibus nostris. Erat Pharasmanis filius nomine Radamistus, decora proceritate, vi corporis insignis, et patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. Is modicum Hiberiae regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque iactabat quam ut cupidinem occultaret. Igitur Pharasmanes iuvenem potentiae promptum, et studio popularium accinctum, vergentibus iam annis suis metuens, aliam ad spem trahere, et Armeniam ostentare, pulsis Parthis datam Mithridati a semet memorando: sed vim differendam, et potiorem dolum, quo incautum opprimerent. Ita Radamistus simulata adversus patrem discordia, tamquam novercae odiis impar, pergit ad patruum; multaque ab eo comitate in speciem liberum cultus primores Armeniorum ad res novas inlicit, ignaro et ornante insuper Mithridate. Reconciliationis specie 45
adsumpta regressusque ad patrem, quae fraude confici potuerint, prompta nuntiat, cetera armis exequenda. Interim

1. *optinebat* M^a^. *farasmanis* M^a^. 2. *radamistus* M^a^, in quo nunquam aspirationis nota. 4. *hiberie* M^a^. 6. h. l. *Phar*. M^a^. *promptum* Lipsius: M^a^ *prompte*, G *promptae*. 10. *radamastus* M^a^. 11. *partem* pr M^a^. *tanq*. Or. 13. *cultŭ* M^a^: G *cultus*. *ill*. Or. idem statim *assumpta*. Victorius *inlicit* e M^a^ enotavit. 14. *orante* BGM^a^: correxit Lipsius. 15. *qua* M^a^: emendavit Lipsius. 16. *prompte* M^a^: emendavit idem.

potentiae promptum: ad suscipiendam potentiam inclinantem, h. e. potentiae regiae studiosum et affectantem. *Potentiae promptae*, ut vulgo legitur, iuvenis est is cuius potentia expedita est et parata, quae significatio nunc aliena. Error ortus est assimilandi consuetudine.

Cap. 45. *praefectus, centurio:* conf. annot. ad XII 35. *at nobis — gnara est:* post *ignarum* non grate succedit *gnara*, sed tamen glossam haec non sapiunt, ut olim putavi, vel propter additum pronomen *nobis*.

verterentur: h. e. everterentur sive pessum darentur; cf. II 42: *versa Caesarum subole.* III 54: *civitatem verti — clamitabunt.* Virg. Aen. I 24: *Tyrias olim quae verteret arces.*

Ummidium Quadratum: in Medicei scriptura *tŭmidium*, h. e. *tummidium*, prima littera ex fine praecedentis *absterruisset* adhaesit. Idem liber liquidam litteram praebet simplicem XIII 8 et 9, XIV 26, ut est in titulo apud Gruterum 579 3, et Norisium Epoch. Syro-Maced. diss. III p. 158, sed *Ummidii* apud Grut. 672 7, 895 10 et 11; conf. Orellii Inscript. n. 3665 et praecipue Boeckhii C. I. Gr. n. 2637, ubi in titulo Cyprio reperimus Ummidios Graecos, a praeside Syriae Boeckhio iudice nominatos, et quidem *Γάϊον Οὐμμίδιον, Τηρητίνᾳ, Κουαδρᾶτον, Γαΐου Οὐμμιδίου Πανταύχου υἱόν.* Sed imperite prorsus et antiqui editores et novi ex vitio ante memorato *Titum Ummidium Quadratum* nescio quem elicuerunt. Nam haec nominum

Pharasmanes belli causas confingit: proelianti sibi adversus regem Albanorum et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum, eamque iniuriam excidio ipsius ultum iturum. Simul magnas copias filio tradidit. Ille inruptione subita territum exutumque campis Mithridaten compulit in castellum Gorneas, tutum loco ac praesidio militum, quis Caelius Pollio praefectus, centurio Casperius praeerat. Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum: at nobis ea pars militiae maxime gnara est. Ita Radamistus frustra vel cum damno temptatis munitionibus obsidium incipit; et cum vis neglegeretur, avaritiam praefecti emercatur, obtestante Casperio ne socius rex, ne Armenia donum populi Romani scelere et pecunia verterentur. Postremo quia multitudinem hostium Pollio, iussa patris Radamistus obtendebant, pactus indutias abscedit, ut nisi Pharasmanen bello absterruisset, Ummidium Quadratum praesidem Syriae doceret quo in statu

1. *far.* M^{a}. *prael.* Or. 4. *irr.* Or. 7. *nichil* M^{a}. 12. *P. R.* M^{a}. 13. *pecuniā* M^{a}. *uterentur* M^{a} (non *muterentur*): emendatum in AB. 15. *indutias* M^{a}, non *inducias*. *pharasmanē* M^{a}, mox *Pharasmanen*. 16. *Ummidium* editor: M^{a} *tūmidium*, vulgo *T. Ummidium*. multitudo pugnat adversus Taciti morem (conf. ad XIII 30) et huic Ummidio praenomen fuit *Gaius*, non *Titus*; v. inscript. apud Fabrettium p. 673 vel Orellium n. 3665. *Ummidium Quadratum* nominat etiam Iosephus Ant. XX 6 §. 2, B. Iud. II 12 §. 5, ubi in antiquis editionibus perperam *Νουμίδιος*. Recentior Ummidius Quadratus apud Plinium Epist. VI 11, VII 24.

quo in statu Armenia foret: Armenia foret, ut reposui pro vulgata *Armeniae forent*, iam in editione principe comparet, atque *foret* quod est in M^{a} sic teneri potest. Et sane Armeniae regnum Tacitus semper ita consignavit, ut aut vocabulum *Armeniorum* (in H. II 6: *Armeniis praetenditur* perperam *Armenias* se deprehendisse credidit Orellius) aut terrae nomen singulari numero posuerit. Vitium *Armeniae* hinc irrepsit, quod librarius Medicei, in singulis vocibus defixus et totius sententiae parum gnarus, post *in statu* genitivum inde pendentem requiri opinabatur. Sed longius progressi sunt qui deteriores codices confecerunt: nam structuram non iustam adesse intelligentes pro *foret* substituere *forent*, ut *Armeniae* dicerentur, quemadmodum *Galliae*, *Germaniae*, *Hispaniae*, in quibus plures provinciae Romanorum, quod secus in Armeniae regno. Neque ad hunc usum approbandum sufficit quod semel apud Tacitum (XIII 7) *minor Armenia* et apud Iosephum XX 8 §. 4 *μικρὰ Ἀρμενία* nominatur: nam eodem loco Tacitus totum Armeniorum regnum numero singulari extulit idemque *maioris* Armeniae mentionem nusquam fecit. Cf. XV 25: *quo in statu Armenia esset.*

Armenia foret. Digressu centurionis velut custode exolutus 46
praefectus hortari Mithridaten ad sanciendum foedus, coniunctionem fratrum ac priorem aetate Pharasmanen et cetera necessitudinum nomina referens, quod filiam eius in matrimonio haberet, quod ipse Radamisto socer esset. Non abnuere pacem Hiberos, quamquam in tempore validiores; et satis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud subsidii quam castellum commeatu egenum. Ne dubitaret armis incruentas conditiones malle. Cunctante ad ea Mithridate, et suspectis praefecti consiliis, quod pellicem regiam polluerat inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanen pervadit, utque Hiberi obsidio decedant expostulat. Ille propalam incerta et saepius molliora respondens, secretis nuntiis monet Radamistum oppugnationem quoquo modo celerare. Augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione

1. *armeniae foret* $\mathrm{M^a}$. *uelud* $\mathrm{M^a}$. *exsol.* Or. 2. *fedus* $\mathrm{M^a}$. 6. *quanq.* $\mathrm{M^a}$. 7. *cognita — perfidiam* $\mathrm{M^a}$, *cognita — perfidia* G et Oxonienses: correxit Lipsius. 8. *commeatū* $\mathrm{M^a}$. *dubitare* $\mathrm{M^a}$: G *dubitaret.* *armis quā incruentas* $\mathrm{M^a}$: correxit Ursinus. 9. *condic.* Or. 10. *pelicem* $\mathrm{M^a}$. 13. *sepius* $\mathrm{M^a}$. 14. *obp.* $\mathrm{M^a}$.

Cap. 46. *armis incruentas conditiones malle:* comparavit I. Fr. Gronovius ex Appulei Apologia: *persuaserat idem Pontianus matri suae, ut me aliis omnibus mallet.* Ceterum *quam* ante *incruentas* non additum ab iis quibus rarum loquendi genus incognitum (hi enim *arma* pro *armis* dedissent), sed ex praegressis *quam castellum commeatu egenum* imprudenter repetitum est. *inque omnem libidinem venalis:* breviter hoc dictum pro *inque omnem libidinem pronus eoque venalis.*

praesidium omissuros: praesidium est τὸ φρούριον, h. e. castellum Gorneae, ut III 21 *praesidium cui Thala nomen.* Cf. XIV 33: *omissis castellis praesidiisque militarium.*

Cap. 47. *provisum illic sacrificium [imperatum]: provisum* a ministris, *imperatum* a Radamisto olim explicui: nunc video eiusmodi diligentiam obscuram et inanem prorsus abhorrere a stilo Tacitino, video *imperatum* prave collocatum esse ac nihil differre a priore *provisum*, nisi quod hoc exquisiti sermonis est, illud vulgare et protritum. Itaque glossam esse patet. Quod Seyffertus coniecit et ante hunc Pflugkius in Sched. crit. p. 11, *sacrificii paratum*, Bezzenberger *sacrificum paratum*, non *paratus* (*Zubehör*) *sacrificii*, ut II 69 *admotas hostias, sacrificalem apparatum — proturbat*, vel XIII 17 *proviso ante funebri paratu*, vel II. III 56 *profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu*, memoranda erat, sed ipsum sacrificium quo foedus se sancire velle Radamistus simulabat.

ubi sanguis artus extremos suffuderit: praepositio *in*, ante vocem *artus* in libris scriptis addita, aut imprudenter ex priore *in societatem* vel *in-plicare* repetita aut impe-

impellit milites, ut pacem flagitarent seque praesidium omissuros minitarentur. Qua necessitate Mithridates diem locum-
47 que foederi accepit, castelloque egreditur. Ac primo Radamistus in amplexus eius effusus simulare obsequium, socerum ac parentem appellare. Adicit ius iurandum, non ferro, non veneno vim adlaturum. Simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificium [imperatum] dictitans, ut dis testibus pax firmaretur. Mos est regibus, quotiens in societatem coëant, inplicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere: mox ubi sanguis artus extremos suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt. Id foedus arcanum habetur quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc qui ea vincla admovebat, decidisse simulans genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit; simulque concursu plurium iniciuntur catenae. Ac compede, quod dedecorum barbaris,

1. *inp.* M[a]. *seque praesidium omissuros* Freinshemius: *seque* (non *seqne*) *praesidiū ammis* M[a], *seque praesidio abituros* B a recentiore manu et G et Oxonienses. 2. *necissitate* M[a]. 3. *faederi* M[a]. *faramistus* M[a]. 6. *allat.* Or. 7. glossam *imperatum* seclusit editor. *diis* M[a]. 8. *societate* GM[a]. 9. *impl.* Or. 10. *perstringere* (per compendium) GM[a]: mutavit Lipsius. *artus* Heinsius: GM[a] *in artus.* 11. *fedus archanum* M[a]. 15. *compedes* M[a]: correxit Lipsius.

rite inserta a scribente videtur esse. Servari quidem poterit, si pronomen *se* cum Iac. Gronovio ante *extremos* vel suasore Doederlinio ante *in artus* interpositum erit, sed hanc rationem quo minus amplectar et loco incerto et ea cogitatione prohibeor, quod in formis compositis verbi *fundere* Tacitum alias non *se* ponere, sed formam passivam eligere reperio. Cf. I 11: *in questus lacrimas vota effundi.* 23: *ut — alii ad quaerendum corpus effunderentur.* 68: *tergis Germanorum circumfunduntur.* Ibidem: *hosti — sonus tubarum, fulgor armorum — offunduntur.* II 6: *in Oceanum effunditur.* XI 20: *quamquam multa simul offunderentur.* H. II 70: *inde circumfusas* (h. e. *se circumfudisse*) *auxiliorum manus.* H. IV 33: *auxilia passim circumfusa sunt.* O. 6: *coire populum, et circumfundi coronam.* Artus sanguis suffundit, dum infusus tumentes eos reddit. Sic idem noster *circumfundere* nudo accusativo iunxit, ut idem sit quod *circumdare*, includere, veluti XII 38 *praefectum — circumfundunt*, H. II 19 *si — tam paucas cohortes circumfudisset.* Adde XIII 40. H. IV 20. De re conf. Valerius Max. IX 11 3. Mela II 21.

quod dedecorum barbaris: trahi compede non solum barbaris dedecorum fuit sed etiam apud Romanos: barbari tamen non custodiae causa, ut Romani vinclis in custodia militari (v. ad III 22), sed ipsius ignominiae ergo compede utebantur. Nam *iniectis catenis* iam provisum erat ne effugeret Mithridates. Converte igitur: *was bei den Barbaren ein Act von Beschimpfung.* Iam adverte gradus

trahebatur; moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. Et erant contra qui tantam fortunae commutationem miserarentur. Secutaque cum parvis liberis coniux cuncta lamentatione complebat. Diversis et contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis iussa exquirerentur. Illi cupido regni fratre et filia potior, animusque sceleribus paratus. Visui tamen consuluit, ne coram interficeret. Et Radamistus, quasi iuris iurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit, sed proiectos in humum et veste multa gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quod caedibus parentum inlacrimaverant, trucidati sunt. At Quadratus cognoscens proditum Mithridaten et re- 48
gnum ab interfectoribus obtineri, vocat consilium, docet acta, et an ulcisceretur consultat. Paucis decus publicum curae; plures tuta disserunt. Omne scelus externum cum laetitia habendum; semina etiam odiorum iacienda, ut saepe principes Romani eandem Armeniam, specie largitionis, turbandis barbarorum animis praebuerint. Poteretur Radamistus male partis, dum invisus infamis, quando id magis ex usu quam si cum gloria adeptus foret. In hanc sententiam itum. Ne tamen adnuisse facinori viderentur et diversa Caesar iuberet, missi ad Pharasmanen nuntii ut abscederet a finibus Armeniis

1. *mox quia* $\mathrm{M^a}$: correctum in G. 2. *econtra* $\mathrm{M^a}$. 3. *commutationem* $\mathrm{M^a}$: *commotionem* G et Oxonienses. 4. *coniux* $\mathrm{M^a}$, *coniunx* G. 5. *far.* $\mathrm{M^a}$. 7. *interficeret* $\mathrm{M^a}$: G *interficeretur*, ante Bekkerum edebant *interficerentur.* 8. *ius iurandi* $\mathrm{M^a}$. 11. *ill.* Or. 13. *optineri* $\mathrm{M^a}$. 15. *oms* cum lin. $\mathrm{M^a}$, *omnes* G: correxit Lipsius. 16. *modiorum* pr $\mathrm{M^a}$. 22. *faramanen* $\mathrm{M^a}$.

et ordinem narrationis. Mithridates iniectis catenis custodiae traditus est; idem compede trahebatur publicae ignominiae causa, quo facto vulgus quasi invitatum probra ac verbera intentavit, nonnulli ipso dedecore moti tantam fortunae mutationem miserabantur.

Cap. 48. **semina etiam odiorum iacienda:** *odia* accipe status et animos eorum qui odio se prosequuntur. Nos dicimus *Verfeindungen.* XI 19: *Corbulo semina rebellionis praebebat.* I 69: *odia in longum iaciens*, ubi perinde serendi imago, sed nomen *odia* paulo aliter dictum est. Ob rem conf. G. 33.

Cap. 49. **ignavia animi:** littera *a* Mureti indicio restituta ante subsequentem vocem *animi* periit. *Ignavi* qui tenet, non genitivum praedicati qui dicitur habebit, sed casum e proximo *deridiculo* pendentem, reluctante sententia: nam in animo ignavo nihil ridiculi

49 filiumque abstraheret. Erat Cappadociae procurator Iulius Pelignus, ignavia animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret. Is Pelignus auxiliis provincialium contractis tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes praedatur, abscessu suorum et incursantibus barbaris praesidii egens ad Radamistum venit; donisque eius evictus ultro regium insigne sumere cohortatur, sumentique adest auctor et satelles. Quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno coniectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Igitur propere montem Taurum transgressus moderatione plura quam vi composuerat, cum redire in Syriam iubetur, ne initium belli
50 adversus Parthos existeret. Nam Vologeses casum invadendae Armeniae obvenisse ratus, quam a maioribus suis possessam externus rex flagitio obtineret, contrahit copias fratremque Tiridaten deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum sine acie pulsi Hiberi, urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta iugum accepere. Deinde atrox hiems, seu parum provisi commeatus,

2. *ignavia* Muretus: M[a] *ignavi.* *iusta* M[a]. 3. *privatis* (G *privatas*, alii *privatus*) *olim conversationes curaret* M[a]: emendavit Lipsius. 5. *tanq.* M[a]. 9. *aucto* M[a]. 14. *rediret* M[a]. *siriam* M[a]. 17. *opt.* M[a]. 21. *hiemps* M[a].

inest, sed contemptus aut miseratio. Aperte contraria sunt ignavia animi et corporis deridiculum.

conversatione scurrarum iners ot. oblectaret: de re Suetonius Claud. 5: *ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiae notam, ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit. Privatus* de Claudio accipiendum, non de Peligno. Conf. H. V 1: *Caesar Titus, — privatis utriusque rebus militia clarus.* VI 51: *egregium vita famaque, quoad privatus* (Tiberius) *fuit. Conversatione scurrarum* est conversatione cum scurris habita. Ne quis de palmaris emendationis Lipsianae veritate in posterum dubitet, moneo *conversationem* esse vocem Tacitinam (v. ad IV 69), *conversationes* non esse. Scripturam *is Pelignus* ad IV 10 defendi.

ne ceteri quoque ex Peligno coniectarentur: sollerter iam nunc admonet auctor parcus verborum, insignem virum fuisse Helvidium Priscum: quippe is in paucis luminibus aevi calliginosi a Tacito egregie celebratus est; conf. Ind. hist.

et orta ex utroque tabes perpellunt Vologesen omittere praesentia. Vacuamque rursus Armeniam Radamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. Atque illi, quamvis servitio sueti, patientiam abrumpunt armisque regiam circumveniunt. Nec aliud 51
Radamisto subsidium fuit quam pernicitas equorum, quis seque et coniugem abstulit. Sed coniux gravida primam utcumque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem toleravit; post festinatione continua, ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur. Ille primo amplecti adlevare adhortari, modo virtutem admirans, modo timore aeger, ne quis relicta poteretur. Postremo violentia amoris, et facinorum non rudis, destringit acinacen, vulneratamque ripam ad Araxis trahit, flumini tradit, ut corpus etiam auferretur. Ipse praeceps Hiberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida inluvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores, et dignitate formae haud degenerem reputantes obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent, cognitoque nomine et casu in

1. *perpellunt* B a rec. m. et Rhenanus: M^a *percellunt*. 3. *quanq.* M^a. 4. *bellaturos* M^a: correxit Rhenanus. 5. *circũueunt* M^a : emendatum in ABG. 7. *coniux* M^a, *coniunx* G. *utcunque* Or. 11. *ammirans* M^a. 13. *acinacen* M^a : G *acinacem*. 14. *trahit*] *trait* M^a. *flumine* pr M^a. 15. *ad Hiberos, patrium* Bezzenberger. 16. *ill.* Or. 18. *forme* M^a.

Cap. 50. *perpellunt Vologesen omittere praesentia:* sane *percellunt*, ut in M^a, Tacito admodum familiare et quasi in deliciis est, sive de impulsu dicitur quo corpus aliquod de loco deiicitur sive de affectu animum perrumpente (*treffen, erschüttern*). Sed ex eorum numero verborum est quae ita per se constant, ut infinitivum aspernentur. Ne igitur apertum soloecismum admitterem, veterem correctionem recipere debui.

Cap. 51. *ubi quati uterus et visc. vibr.:* haec structurae licentia quando concedatur dixi ad II 31. Imperite comparant XV 11: *ne dux quidem obniti adversus, sed — munia deseruerat;* item 27: *terrorem adicere, et megistanas — pellit sedibus. Hiberos ad patrium regnum:* in collocanda praepositione non eadem sed simili venia usus est, ut modo *ripam ad Araxis.*

placida inluvie: contrarium huius est aqua in fluminis alveo raptim decurrens. Nautae nostri illuviem nominant *todtes Wasser.*

Cap. 52. *Fausto Sulla:* conf. annot. ad XIII 17. Alter consul frater erat Othonis imperium adepti.

pater — moverat: Suetonius Claud. 13: *bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiae legatus, verum intra quintum diem oppressus est;* conf. XIII 43 cum annot. Clementiae laudem sibi Claudius arrogat, quod olim

urbem Artaxata ferunt; unde publica cura deducta ad Tiridaten, comiterque excepta cultu regio habita est.
52 Fausto Sulla Salvio Othone consulibus Furius Scribonianus in exilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur. Adnectebatur crimini Iunia mater eius ut casus prioris (nam relegata erat) impatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Delmatiam moverat; idque ad clementiam trahebat Caesar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. Neque tamen exuli longa posthac vita fuit: morte fortuita an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. De mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et inritum. Laudati dehinc oratione principis qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, moti-
53 que qui remanendo impudentiam paupertati adicerent. Inter quae refert ad patres de poena feminarum quae servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia et centies quinquagies sestertium censuit consul de-

3. *silla* M^a. *cos.* cum lin. M^a. 4. *chaldeos* M^a. 5. *adnectabatur* pr M^a. *uiuia* M^a: *Iunia* Puteolanus. 6. *inp.* M^a. *patre* pr M^a. 7. *Dalmatiam* M^a: in Annalibus formam *Delm.* constanter tenui secutus Mediceum priorem. 11. *italia* G: M^a *ita.* 12. *irr.* Or. 14. *inp.* M^a. *interque refert* M^a. 15. *paena* M^a. 16. *prolapsa* M^a. idem statim *sin*, non *sui*, ut visum Pichenae. *sui* G, item *prolapsa.* 19. *cos.* M^a.

filio Scriboniano pepercisset, cum pater civilia arma movisset, et iam mortem eidem remitteret, quamvis reo maiestatis. *Ad clementiam trahere* est clementiae laudem cupide petere ideoque causam laudis parum curare. Sic II 84: *cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat.* III 37: *utrumque in laudem Drusi trahebatur. Stirpem hostilem* accipe filium hostis Scriboniani patris; cf. ad XII 2.

de mathematicis — senatus consultum: crimen Scriboniano obiectum patres advertit in mathematicos sive Chaldaeos; cf. ad II 32.

ob angustias familiares: dicit eos quibus deerant decies sestertii; v. ad II 33.

Cap. 53. *de poena — coniungerentur:* hoc senatus consultum ab auctore *Claudianum* vocatum est, de quo exponit Paulus Rec. Sent. II 21 A. §. 1—18 ac praecipue Gaius Comment. I §. 84 et 91 et 160; conf. Ulpianus Fragm. 11 §. 11, Tertullianus de uxore II 8. Vespasianus nonnulla videtur addidisse vel immutasse: Sueton. 11: *auctor senatui fuit decernendi, ut quae se alieno servo coniunxisset, ancilla haberetur.*

praetoria — sestertium: foedam adulationem et senatus infamiam multis verbis exagitavit Plinius Epist. VIII 6. Cf. maior Plinius N. H. XXXV 58.

signatus Barea Soranus. Additum a Scipione Cornelio grates publice agendas quod regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros principis haberi sineret. Adseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter miliens possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.

At non frater eius, cognomento Felix, pari moderatione 54
agebat, iam pridem Iudaeae impositus et cuncta malefacta sibi impune ratus tanta potentia subnixo. Sane praebuerant Iudaei speciem motus orta seditione; * * * post cum cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus ne quis principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intem-

1. *sipione* M^{a}. 6. *est . . . . . publico* M^{a}: in marg. suppletur *aere*, quod etiam inest G. 7. *miliens* M^{a}: G *milies*. *antique* M^{a}. *parsimoniae* M^{a}, non *parcimoniae*. 10. *iam*] *tam* pr M^{a}. *inp.* M^{a}. 11. *patientia* M^{a}: emendatum in G. 12. *iudaeis* M^{a}, *iudei* G. * * * *post cum*] GM^{a} *postquam*, Anquetil *post, cum* cet. et ante idem ob *Caii edictum*, Bezzenberger *orta C. edicto seditione. post quum* cet. in M^{a} nullum indicium hiatus.

a Scipione Cornelio: est maritus Poppaeae a Messalina eversae: XI 2 et 4. Consul factus est a. 56: XIII 25.

regibus Arcadiae ortus: adulator Pallantis olim servi genus a prisco Pallante Arcade, proavo vel avo Euandri regis, repetivit. De Pallante Arcadiae rege v. Virgilii Aen. VIII 51—54, Servius ad v. 54. Pausanias VIII 3 §. 1 et 44 §. 5: Pallas olim inter venales in urbem advectus (Plin. XXXV 58) Antoniae Claudii matri servitutem serviverat cum fratre suo Felice: Iosephus Ant. VIII 6 §. 6. Uterque ab Antonia manumissus ad Claudium pervenit.

contentum honore — subsistere: h. e. accipere Pallantem praetoria ornamenta, recusare pecuniam ut paucis contentum. Plinius Epist. VIII 6: *imaginare Pallantem velut intercedentem senatus consulto moderantemque honores suos, et sestertium centies quinquagies ut nimium recusantem, cum praetoria ornamenta tamquam minus recepisset.*

fixum est — senatus consultum: noli commiscere hoc senatus consultum cum titulo mortuo Pallanti posito in monumento ad viam Tiburtinam, cuius exemplar transcriptum a Plinio Epist. VII 29: *huic senatus ob fidem pietatemque erga patronos* (Claudium et Agrippinam) *ornamenta praetoria decrevit et sestertium centies quinquagies; cuius honore contentus fuit.* Senatus consultum *tam copiosum fuit et effusum* (Plinii verba Epist. VIII 6), *ut ille superbissimus titulus modicus atque etiam demissus videretur.* *aes publicum* dicit Tacitus quod publice decretum et propositum. *fixum* intellige ad statuam loricatam divi Iulii: Plinius Epist. VIII 6 §. 13.

pestivis remediis delicta accendebat, aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent, discordes olim et tum contemptu regentium minus coërcitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, et aliquando proeliis congredi, spoliaque et praedas ad procuratores referre. Hique primo laetari; mox gliscente pernicie cum arma militum interiecissent, caesi milites. Arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriae rector subvenisset. Nec diu adversus Iudaeos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite poenas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis ius statuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter iudices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur; damnatus-

2. *Ventidio . . . . . . cui* M^{a}, in marg. suppletur *Cumano:* G *uentidio cumano quoi.* 3. *galileorum* M^{a}. 4. *contemptuj* M^{a}. *cohercitis* M^{a}. 6. *preliis* M^{a}. 8. *permitie* M^{a}. 10. *iudeos* M^{a}. 11. *quin*] *qui In* M^{a}; G *qn.* *paenas* M^{a}. 13. *iusta tuendi* M^{a}. 15. *damnatosque — cumanos* M^{a}: G *Damnatusque — cumanus.*

Cap. 54. *pari moderatione:* moderationem dicit pecuniae a patribus decretae recusationem Pallantis. Frater eius Antonius Felix praedae quovis modo corradendae cupidus erat. Ceterum vel sic illi nomini subesse ironiam apparet.

iam pridem Iudaeae impositus: conf. H. V 9. Sueton. Claud. 28. Act. Apost. 23 v. 24—35, 24 v. 10 sqq. *Antonium Felicem* Tacitus in Historiis nominat ut manumissum ab Antonia matre Claudii: sed Claudium vocari Felicem a Iosepho XX 7 §. 1 falso narrat Orellius, quippe deceptus prava lectione *Κλαύδιον* pro *Κλαύδιος*. *Iudaeam* hoc loco Tacitus dicit totam provinciam, excepta Galilaea cui rector Cumanus, h. e. Samariam, Iudaeam proprie dictam, etiam Peraeam ut videtur. Quod statim subiungit idem, Ventidium Cumanum qui partem provinciae curaret ad deterrima aemulum Felici fuisse, *ita divisis ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent,* inde noli colligere solos Samaritas Felici demandatos fuisse. Immo Samaritae et Galilaei, conterminae nationes, componuntur propterea quod intestino bello sese infestaverunt, utroque procuratore aut connivente aut adiuvante. Ceterum hi procuratores non solum res Caesaris in Iudaea curabant, sed simul rectores provinciae erant, Syriae propraetoris vicem sustinentes; v. H. I 11 et annot. ad Ann. I 80.

orta seditione: sententiam in hunc modum expleveris: *orta seditione* ob iussa Gai Caesaris, ut memoravi; *post cum cognita caede eius* cet. Rem breviter narrat hic noster H. V 9, copiose Iosephus XVIII 8 et B. Iud. II 10, Philo in legatione ad Gaium.

que flagitiorum quae duo deliquerant Cumanus, et quies provinciae reddita.

Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus Cli- 55
tarum cognomentum, saepe et alias commotae, tunc Troxobore duce montes asperos castris cepere: atque inde decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis, et missi e Syria in subsidium equites cum praefecto Curtio Severo turbantur, quod duri circum loci peditibusque ad pugnam idonei equestre proelium haud patiebantur. Dein rex eius orae Antiochus, blandimentis adversum

1. *quees* pr M[a]. *provincie* M[a]. 4. *Troxobore* M[a]: *Trosobore* B, *torosbore* G, mox *Trosobore*. 8. *e* M[a], non *a*. 10. *prael.* Or. 11. *ore* M[a].

et quies provinciae reddita: ab hoc tempore Felix totam provinciam administravit. Quae res Iosephum in eum errorem implicuit, ut narraverit XX 7 1 et B. Iud. II 12 §. 8, Felicem nunc demum in Iudaeam missum esse. Frustra Iosephi a Tacito discrepantiam tollere se posse credunt cum alii, tum Norisius Cenotaph. Pisan. II 16 §. 13. Etiam de Cumani damnatione aliter Iosephus XX 6 3: quippe a Claudio iudicatum et missum in exilium refert.

Cap. 55. *agrestium Cilicum nationes:* cf. VI 41. *Antiochus*: rex Commagenes cui caput Samosata et propinquae orae Cilicum a Gaio et Claudio constitutus erat; v. Dio LIX 8, LX 8. Cf. Tacit. XIII 7 et 37, XIV 26. H. II 81, V 1. Iosephus B. Iud. VII 7 §. 1—3, Ant. XIX 5 §. 1.

Cap. 56. *lacum Fucinum — proelium adornatur:* postremum nunc navalis proelii spectaculum homines in eo lacu visuri erant: nam pugna finita ut aqua illa in Lirim aperto emissario emitteretur, Caesar destinaverat. De re Suetonius Claud. 20: *Fucinum adgressus est non minus compendii spe quam gloriae, cum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum milia, partim effosso monte partim exciso, canalem absolvit aegre et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum milibus sine intermissione operantibus.* Conf. idem c. 21 extr. Dio LX 11 et 33. Plinius XXXVI 24.

Augustus structo circa Tiberim stagno: Sueton. Aug. 43: *navale proelium* (edidit) *circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Caesarum nemus est.* Tacitus XIV 15: *nemus quod navali stagno circumposuit Augustus.* Hoc nemus et stagnum in hortis *quos Tiberim iuxta Caesar dictator populo Romano legaverat:* II 41. Sueton. Caes. 83. Sed num horti illi nemusque *cis Tiberim*, ut vulgo legitur in transcriptis Taciti verbis, h. e. in sinistra Tiberis ripa? Immo ibi nihil loci relictum eiusmodi stagno, sed structum id est *trans Tiberim* in quartadecima urbis regione. Audi ipsum Augustum in monum. Ancyrano: *navalis proelii spectaculum populo dedi trans Tiberim, in quo loco nunc nemus est Caesarum, cavato solo in longitudinem mille et octingentos pedes, in latitudinem pedum mille et ducentum, quo triginta rostratae naves triremes et*

plebem, fraude in ducem cum barbarorum copias dissociasset, Troxobore paucisque primoribus interfectis ceteros clementia composuit.

56 Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale proelium adornatur, ut quondam Augustus structo circa Tiberim stagno sed levibus navigiis et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum milia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent, ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium et proelio solita.

1. *fraudē* M[a]: G *fraude*. 2. *troxoboro* (erasa litt. *t*) M[a]. 4. *liri* cum lin. M[a]. 6. *prael.* Or. 7. *circa Tiberim* editor: M[a] *cis tiberim.* 11. *prael.* Or.

quadriremes, plures autem minores inter se conflixerunt. In iis classibus pugnaverunt praeter remiges milia hominum tria circiter. Errare Tacitus in re quotidie oculis suis exposita non potuit; nam Caesarum nemus et horti Caesaris etiam suo aevo in ea regione extiterunt. Lege Suetonii verba modo posita et Statii Silv. IV 4 5: *Continuo dextras flavi pete Tibridis oras, Lydia* (Tusca) *qua penitus stagnum navale coërcet Ripa suburbanisque vadum praetexitur hortis* (Caesaris). De his locis *trans Tiberim* dicere in ore omnium erat: Horat. Serm. I 9 18: *Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.* Cum igitur adhibenda sit correctio voculae *cis*, nulla magis in propinquo est magisque apta quam *circa.* Sic Suetonius l. c. de hoc stagno scripsit et Tacitinum illud II 41 *Tiberim iuxta* de hortis Caesaris idem valet. Beckerus in Enchiridio Ant. Rom. t. I p. 657 annot. 1416, vitium vere agnoscens, *uls* pro *cis* substituendum suadet, sed hoc Varroni conveniet, non Tacito.

triremes quadriremesque: Lipsius, respiciens verba Dionis LX 33 *οἱ δὲ ναυμαχήσαντες θανάτῳ καταδεδικασμένοι ἦσαν, καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες*, apud Tacitum *centum triremes quadriremesque* reponere voluit, sed Dio omne genus navium in eo proelio certantium complexus est, quadriremes, triremes, liburnicas, lembos, Tacitus maiores nominasse contentus fuit. Ac sane triremium non plures quam duodenae utrobique conflixerunt: Sueton. Claud. 21: *hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulae.* Etiam haec verba Lipsius attentavit, non bene: nimirum ad lacum Fucinum in Marsis situm minores naves vehiculis portari poterant, maiores autem nullo ex mari accessu ad ipsum aedificandae erant; accedit quod lacu emisso triremes quadriremesque inutiles erant. His de causis in proelio navali a Claudio edito longarum navium numerus minor erat, et plurimi pugnantium levibus concurrebant.

cincto ratibus ambitu: ambitus h. l. est *περίοδός τις*, non *ἡ περίοδος*, *während ein runder Bezirk* (des Sees) *mit Flossbalken eingefasst war.* Proxima hanc explicationem postulant. Minus accurate Dio LX 33: *τεῖχός τε περὶ αὐτὴν* (*λίμνην*) *ξύλινον κατεσκεύασε καὶ ἴκρια ἔπηξε.*

In ratibus praetoriarum cohortium manipuli turmaeque adsti-
terant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultae ballistae-
que tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus ob-
tinebant. Ripas et colles montiumque edita in modum theatri
multitudo innumera complevit proximis e municipiis, et alii
urbe ex ipsa, visendi cupidine aut officio in principem.
Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde
aurata, praesedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium
virorum animo; ac post multum vulnerum occidioni exempti
sunt. Sed perfecto spectaculo apertum aquarum iter. In- 57
curia operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima
vel media. Eoque, tempore interiecto, altius effossi specus,
et contrahendae rursus multitudini gladiatorum spectaculum
editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. Quin et con-

1. *turmeque* M^a^. 2. *ballisteque* M^a^. 3. *opt.* M^a^. 4. *montiumque* Heraeus in Studiis crit. p. 172: M^a^ *montium*, vulgo *ac montium*, ut in G. 7. *clamide* M^a^: G *chlamyde.* 8. *praesidere* M^a^: emendavit Lipsius. *quanq.* M^a^. 12. *eo quo* M^a^.

Agrippina chlamyde aurata: Plinius XXXIII 19: *nos vidimus Agrippinam Claudii principis, edente eo navalis proelii spectaculum, adsidentem ei, indutam paludamento auro textili sine alia materia.* Dio l. c.

occidioni exempti sunt: Dio rem ita narrat, ut maior invidia cadat in Claudium: scilicet atrocia de Caesaribus referre, humanitatis signa aliquando reticere amat.

Cap. 57. *ad lacus ima vel media*: 'dixerat *ad lacus ima;* quod ut melius intelligeretur, adiecit *vel media;* inde namque colligimus id ei esse imum, quod in medio lacus foret, ubi plerumque maxime profundum est.' I. Fr. Gronovius. Sane haec explicatio longe praestat ei, qua canalem ne ad mediam quidem partem lacus depressum esse statuunt, quae immanis incuria fuisset in opere ideo suscepto, ut siccatum solum agris ibi colendis cederet. Sed vel sic adest aliquid a Tacito alienum: nam illud *ad lacus ima* tam perspicuum est, ut explicatione non indigeat, et ipsa explicatio cetera non illustrat, sed corrumpit: nam in medio lacu saepe quidem maxime profundum est, non tamen semper et ubique. Quapropter *vel media* tamquam glossa mihi suspecta est.

proxima trahebat: proxima nomen utrumque significat, et homines et convivii paratus proxime lacus effluvium; idem dicendum de *ulterioribus convulsis* cet. Suetonius Claud. 32. *Narcissum — praedarum:* avaritiam Agrippina Narcisso sibi inviso (XII 1) exprobrat et pecuniam interceptam operique subtractam. De eadem re Dio LX 33.

Cap. 58. *eloquentiaeque gloria:* studia honesta genus efficiunt, eloquentia speciem. Ad hanc indicandam praecipue apta est particula *que;* ea in ἀρχετύπῳ expressa per Q cum cauda ante subsequentem litteram G (*gloria*) excidere facile potuit.

Romanum Troia demissum: fortasse haec ipsa Neronis verba fuere,

vivium effluvio lacus adpositum magna formidine cunctos adfecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convulsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione principis usa ministrum operis Narcissum incusat cupidinis ac praedarum. Nec ille reticet, impotentiam muliebrem nimiasque spes eius arguens.

58 Decimo Iunio Quinto Haterio consulibus sedecim annos natus Nero Octaviam Caesaris filiam in matrimonium accepit. Utque studiis honestis eloquentiaeque gloria enitesceret, causa Iliensium suscepta, Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis vetera facunde executus, perpetrat ut Ilienses omni publico munere solverentur. Eodem oratore Bononiensi coloniae igni haustae subventum centies sestertii largitione; redditur Rhodiis libertas,

1. *app.* Or. *aff.* Or. 2. *convulsis* M^{a}. idem c. 58 *convolsis*. 3. *exterriti* M^{a}. 6. *inp.* M^{a}. 7. *D.* M^{a}. *Q. auterio* M^{a}. *consuli* M^{a}. 9. *eloquentiaeque* editor: M^{a} *eloquentiae*, vulgo *et eloquentiae*, et ita G. *gloriae nitesceret* M^{a}. 11. *vera* GM^{a}: e Bud. correxit Rhenanus. 13. *boniensi* addito ex corr. *no* M^{a}. 14. *rodiis* M^{a}.

certe *demissum* poetici sermonis est, quem aemulatus est Nero Senecae exemplo. Horat. Serm. II 5 63: *iuvenis Parthis horrendus, ab alto demissum genus Aenea.* Virg. Georg. III 35: *demissaeque ab Iove gentis nomina.* Aen. I 288: *Iulius, a magno demissum nomen Iulo.* De re cf. Sueton. Ner. 7, qui fallitur scribens: *apud eundem* (patrem Claudium) *consulem pro Bononiensibus Latine, pro Rhodiis atque Iliensibus Graece verba fecit:* consul enim Claudius biennio ante fuit.

omni — solverentur: omne munus populo Romano ab aliis civitatibus praestandum Iliensibus (novi Ilii habitatoribus: II 54) remissum et plena immunitas concessa est. Mox c. 61: *ut omni tributo vacui in posterum Coi — insulam colerent.* De libertate Iliensium suo aevo (Tiberii sub principatu) et ante Strabo XIII 1 27. De Claudii in eos liberalitate Suetonius in huius vita 25: *Iliensibus quasi Romanae gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit.* Conf. l. 17 Dig. *de excusationibus* (XXVII 1): *Iliensibus et propter inclytam nobilitatem civitatis et propter coniunctionem originis Romanae iam antiquitus et senatus consultis et constitutionibus principum plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelae excusationem habeant, scilicet eorum pupillorum qui Ilienses non sint.*

redditur Rhodiis libertas: 'adempta nuper ab ipso Claudio propter cives quosdam in crucem actos, ut notat Dio LX 24. Sed restituta orante Nerone, cuius honori iure epigramma illud adsero, quod nomine Antiphili legitur primo Anthologiae εἰς νήσους (Anthologiae Palat. IX 178):

Ὡς πάρος Ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἁ Ῥόδος εἰμὶ
νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων.

adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant; tributumque Apamensibus terrae motu convulsis in quinquennium remissum. At Clau- 59
dius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurum, opibus inlustrem, hortis eius inhians pervertit accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri Africam imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca repetundarum crimina, ceterum magicas superstitiones obiectabat. Nec ille diutius falsum accusatorem, indignas sordes perpessus, vim vitae suae attulit ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est; quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere.

3. *terre* Mª. 4. *sev.* Mª. 8. *caet.* Mª. 10. *indignas sordes* editor: *indigna sortes* Mª, *indignasque sortes* AR, *indigna sorte* G, *indignasque sordes* N. Heinsius.

῎Ηδη σβεννυμέναν με νέα κατεφώτισεν ἀκτίς,
Ἄλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων.
Πῶς εἴπω; τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν ἔδειξεν
ἐξ ἁλός, ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομέναν.

Argutum eprigramma. Et comparat Neronem ecce cum Sole, quia ut ille Rhodum retexit radiis fecitque oriri, sic iste pressam et occidentem restituit reduxitque in lucem.' Lipsius.

Cap. 59. *at Claudius*: opponuntur saeva Claudii facinora mitibus et salutaribus Neronis modo narratis; causa utrisque Agrippina, quae filium suum illustrari voluit eoque favorabilia huic delegavit, saeva per Claudium perpetravit, quem odio civium exponere, mox tollere decreverat. *hortis eius inhians:* cf. XI 1: *pariterque hortis inhians.* IV 12: *inhiare dominationi.* Vox a belluis sumpta his locis perapte de cupidine impotentium mulierum posita est; de Nerone non minus cupido XVI 17: *opibus eius inhians.*

falsum accusatorem, indignas sordes: contraria componuntur, falsus accusator Priscus, indignae sordes Tauri, ideoque non opus est particula *que* nomini *indignas* in duobus codicibus interpolatis adiecta. Seyffertus coniecit *indignas artes*, sed ita perit virtus oppositorum, et *artes* de Tarquitii falsa accusatione nimium videtur. Vitium Mª *sortes* pro *sordes* ex delicata pronuntiatione provenit, ac simili de causa *s* in v. *indignas* ante *sortes* ibidem neglectum est.

Cap. 60. *parem vim — statuisset:* in rebus fisci principalis quae procuratores iudicando statuerent, ea per se rata esse Claudius voluit. Procuratores autem rerum suarum cum libertos plerumque deligeret, sub finem huius capitis *libertos sibique et legibus* adaequavisse dicitur. Suetonius Claud. 12: *utque rata essent quae procuratores sui in iudicando statuerent, precario exegit.* Vox *sui* a Suetonio, *suis* a Tacito addita, ut procuratores fisci dici monerent, non minorum provinciarum rectores, qui impositi Iudaeae, duabus Mauretaniis, Raetiae aliis (v. ad I 80 et cf. II 54, XIII 31. H. I 11): nam his idem iuris iam ante fuisse Tacitus statim exequitur.

60 Eodem anno saepius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus suis iudicatarum ac si ipse statuisset. Ac ne fortuito prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius quam antea et uberius. Nam divus Augustus apud equestres qui Aegypto praesiderent lege agi, decretaque eorum perinde haberi iusserat ac si magistratus Romani constituissent. Mox alias per provincias et in urbe pleraque concessa sunt quae olim a praetoribus noscebantur. Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum Ser-

2. *iudicaturum* M^{a}, *iudicatorum* G: correxit Rhenanus. 5. *aug.* M^{a}. 6. *pde* (litt. *p* caudata, id est *prode*) M^{a}: G *perinde*. 10. *Semproniis* M^{a}: G *sempronii*.

nam divus Aug.: postquam dixit senatus consulto cautum esse plenius *quam antea* et uberius, exponere suscipit quomodo de stricti et antiqui moris norma iam prius recessum sit, ut non solum magistratus Romani, h. e. consules et praetores quique eorum vice fungerentur proconsules et propraetores, senatoria dignitate viri, sed etiam equites Aegypto ab Augusto, minoribus provinciis ab insequentibus principibus praepositi, postremum liberti rebus Caesarum administrandis delecti ius dicerent. De Augusto v. II 59.

mox alias — noscebantur: Romae praefecti praetorio, equestris dignitatis homines, in castris, per provincias inermes ac minores procuratores ius dicebant, in ceteris provinciis fisci curatores, quae item equestris nobilitas fuit (A. 4), de rebus Caesaris iudicaverunt.

omne ius: iurisdictionem sine appellatione ad principem (*das Recht in seinem ganzen Umfange*).

Semproniis rogationibus: dicit legem iudiciariam Gai Gracchi, latam a. 631 a. u: Livius Epit. 60. Velleius II 6 et 13 et 32, Appianus Civ. I 22. Plutarch. C. Graccho 5 et 6.

Serviliae leges: intellige legem iudiciariam a Q. Servilio Caepione, consule anni 648, latam (Cic. de Inv. I 49, Bruto 43 et 44, de Oratore I 52, II 48 et 49. Valerius Max. VI 9 13. Titulus apud Grut. pag. 468 5), sed mox (655 a. u.) a C. Servilio Glaucia tribuno plebis (Cic. pro Scauro 1, Brut. 62 §. 224) sublatam et a Cicerone consulto neglectam in Verr. act. I 13: *cum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos, in nullo iudice ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae.* Testes modo laudati cum Tacito consentiunt: contra Cassiodorus in Chronico: *Q. Servilius et C. Atilius Serranus. His coss. per Servilium Caepionem consulem iudicia equitibus et senatoribus communicata.* Perinde Obsequens c. 101. Conf. Klenzii Serviliae legis de pec. rep. fragmenta Berol. 1825. Ceterum Tacitus *Sempronias leges* indefinite dicit, non *legem*, quia C. Gracchus eodem anno plures rogationes ad populum tulit, in his etiam iudiciariam. Sed *Serviliae leges* cum de una dictae sint, hae de legis capitibus (*die gesetzlichen Bestimmungen des Servilius*) accipiendae sunt. Sic Cicero Sullae legem

viliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent. Sed tunc ordinum diversa studia, et quae vicerant, publice valebant. Gaius Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere condiciones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios et cetera equitum Romanorum praevalida nomina referre nihil attinuerit, cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequaverit.

Rettulit dein de immunitate Cois tribuenda, multaque 61
super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel Coeum Latonae parentem vetustissimos insulae cultores; mox adventu Aesculapii artem medendi inlatam maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens, et quibus quisque aetatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem familia ortum, precibusque eius dandum ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram et tantum dei ministram insulam colerent. Neque dubium habetur multa eorundem in populum Romanum merita socias-

3. *C.* Mª. 5. *mathios* GMª. 7. *nichil* Mª. 9. *inm.* Mª. 10. *argios* Mª: G *Argiuos*. *Coeum*] *cum* GMª: correxit Iosias Mercerus. 11. *parentem* Mª: *parente* BG. 14. *xenofontem* Mª. 15. *p̄cibusque* Mª. 17. *tantum* Mª: *tanti* Oxonienses et AG. 17. *insilam* Mª. 18. *haberetur* Mª: correxit Lipsius.

iudiciariam *leges Cornelias* dicit in Verr. lib. II 31, et Rupilia lex Siciliae modo numero multitudinis modo singulari nominatur.

Mariusque et Sulla: Sullae lex iudiciaria lata a. 673 unis senatoribus iudicia tradidit. Conf. Drumanni H. R. t. II p. 490 sqq.

sed tunc ordinum diversa studia: vis orationis in nomen *ordinum* cadit: olim ordo senatorius et equester certabant, mox singuli homines senatoriae dignitatis expertes summa adepti sunt.

Matios posthac et Vedios: posthac de Augusti temporibus intelligendum. Augusti amicus luxuriosus *C. Matius* non commiscendus est cum poeta et familiari Iulii Caesaris. Cf. annot. ad I 10, ubi etiam de Vedio Pollione.

Cap. 61. *Coeum Latonae parentem*: Mercerus praeclaram coniecturam suam cum Lipsio communicatam (*Coeum* pro *cum*) hausit ex Hesiodi Theog. v. 404. Conf. Ovid. Metam. VI 185. Athen. X p. 555 D. *Xenophontem — ortum:* meminit hominis Diogenes II c. 6 §. 59.

Cap. 62. *at Byzantii — repetivere:* de Cois rettulit princeps et senatu consentiente immunitatem eis concessit: at Byzantii suam causam apud patres ipsi egerunt. Quae contraria ut magis in aperto sint, facit nominativus *Byzantii*, quo totum enuntiatum suum habitum et formam adipiscitur. Dativus in Mª natus est, cum librarius casum eum proximo verbo (*data*) imprudenter accommodavit.

que victorias potuisse tradi: sed Claudius, facilitate solita quod uni concesserat, nullis extrinsecus adiumentis velavit.

62 At Byzantii data dicendi copia cum magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere, orsi a foedere quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum impositum. Missas posthac copias in Antiochum Persen Aristonicum, et piratico bello adiutum Antonium memorabant, quaeque Sullae aut Lucullo aut Pompeio obtulissent, mox recentia in Caesares merita, quando ea loca insiderent quae transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul

63 vehendo commeatu opportuna forent. Namque artissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium in extrema Europa posuere Graeci, quibus Pythium Apollinem consulentibus ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quaererent sedem caecorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate,

1. *potuisset tradidisset claudius* M^a: emendavit Rhenanus. *patuisse*, BG, non *potuisse*, ut narrat Orellius. 3. *ad* pr M^a. *Bizantii* G: M^a *bizantiis*. *dicenda* pr M^a. *bonerum* pr M^a. 4. *dep̄carentur* M^a. 5. *iecerant* GM^a: emendatum in Bodl. Ies. *tempesta* M^a. 6. *pseudofilippi* M^a. 7. *inp.* M^a. 8. *memorabantq; quae* M^a. 12. *commeatu* GM^a, non *commeatui*. *artissimo* M^a, *arctissimo* G. 13. *biz.* M^a. *extrema europae* GM^a. 14. *pithium* M^a. 16. *graecorum* M^a: correxit Rhenanus.

cui ut degeneri — impositum: Andriscus, Persei regis se filium ferens et mutato nomine Philippus vocatus (Pseudophilippus), a. 606 devictus est a Q. Metello Macedonico, Byzantiis res Romanorum iuvantibus eisque foedere sociatis. Livius Epit. 48—50. Velleius I 11. Flor. II 14. Eutrop. IV 13. Oros. IV 22. Obsequens c. 78. Pausan. VII 13 1. Sed cum Antiochus et Perses a Byzantiis statim memorati ante Andriscum a Romanis debellati sint, particula *posthac* non rei gestae tempus sed dictae notat, id quod vere monuit Lipsius. De Aristonico turbante a. 623, victo a Perperna a. 624 cf. Livius Epit. 59. Iustinus XXXVI 4.

piratico bello — Antonium: addidit *piratico bello*, ut appareret hunc Antonium non esse M. Antonium triumvirum, sed esse patrem eius M. Antonium, curatorem orae maritimae a. 680, cui ludibrii causa Cretici nomen inditum. Cicero divinatione in Caecil. 17, in Verr. lib. II 3 8, III 91 213. Livius Epit. 96—97. Velleius II 31. Appian. Civ. I 111.

Cap. 63. *Pythium Appollinem — adversam:* de eadem re diligenter exposuit Strabo VII 6 2, paulo aliter Herodotus IV 144; cf. Aristoteles H. A. VIII 13 (15), Aelianus H. A. IX 42, Plin. IX 20.

praevisa l. utilitate: ante visa, sed non intellecta, interpretatur Waltherus: Ernestio qui accepit *non visa* sermonis Latini usus adversatur,

peiora legissent. Quippe Byzantium fertili solo, fecundo mari, quia vis piscium, immensum Ponto erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur. Unde primo quaestuosi et opulenti; post magnitudine onerum urgente finem aut modum orabant, adnitente principe, qui Thracio Bosporanoque bello recens fessos iuvandosque rettulit. Ita tributa in quinquennium remissa.

Marco Asinio Marco Acilio consulibus mutationem rerum 64
in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis. Signa ac tentoria militum igne caelesti arsere. Fastigio Capitolii examen apium insedit. Biformes hominum partus, et suis fetum editum, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus, quaestore, aedili, tribuno ac praetore et consule paucos intra menses defunctis. Sed in praecipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatale sibi ut coniugum flagitia ferret,

1. *bizantium* $\mathrm{M^a}$. 2. *immensum Ponto* editor: $\mathrm{M^a}$ *in meta* (in extremo versu) *pontũ*, G *in metapontũ*. 4. *quaestosi* $\mathrm{M^a}$: G *quaestuosi*. 6. *threcio* $\mathrm{M^a}$. *bosphor.* $\mathrm{M^a}$. *fessus* $\mathrm{M^a}$: G *fessos*. 8. *masilinio macilio cos.* cum lin. $\mathrm{M^a}$: *.M. Asillino .M. accilio consulibus* (per comp.) G. 10. *igne* $\mathrm{M^a}$, non *igni*. 11. *paratus* $\mathrm{M^a}$: G *partus*. 12. *ediditum* $\mathrm{M^a}$. 13. *magistratum* $\mathrm{M^a}$. *questore* $\mathrm{M^a}$. 14. *aelidi* $\mathrm{M^a}$.

vis piscium immensum Ponto erumpens: ex his a me emendatis quomodo corrupta codicum scriptura prodierit non difficile est ad intelligendum. Nam in ἀρχετύπῳ cum esset *ĩmẽsũponto*, scriba recentior Italicae urbis Metaponti male memor *in Metapontum* dedit, accusativum pro ablativo ob praepositionem *in* male revulsam reponendo. *Immensum* est immensa multitudine vel sine modo et fine, vox Tacito adamata: III 30 et 52, IV 27 et 40, VI 37. Male faciunt qui formam *Pontum* Virgilii exemplo (Aen. I 584 *erumpere nubem*) et Valerii Flacci (V 466 *nebulamque erumpit Iason*) conantur vindicare: nam in his locis *erumpere* ita dictum est ut res accusativo iuncta deleatur (*zerreissen, zersprengen*). Quanto melius quid pedestris sermonis scriptori conveniat ostendit Sallustius apud Scholiastam Iuvenalis IV 42: *itaque tempestate piscium vis Ponto erupit.* Vetus lectio est *in Metapontum*, unde Rhenanus *in Pontum*, Lipsius *innumera Pontum*, Broterius *innumera Ponto* fecit. Nunc utrumque litus piscibus abundat. *Thracio Bosporanoque bello:* sunt bella a Tacito narrata IV 46, XII 15. De forma *Thracio* cf. annot. ad II 54.

Cap. 64. *M. Asinio M. Acilio:* in libro $\mathrm{M^a}$ ex altero nomine duae litterae priori admixtae sunt, cetera recte se habent. Nam illa *masilinio macilio* sic dissolvi debent: *M. Asi[li]nio M. Acilio.* Suetonius Claud. 45: *excessit tertio idus Octobris, Asinio Marcello Acilio Aviola consulibus.* Quod *Manii* praenomen Aciliis libera civitate frequens fuit, inde non consequitur idem huic consuli vindicandum esse.

dein puniret, metuens, agere et celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida, muliebribus causis, quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, Agrippinae sobrina prior ac Gnaei mariti eius soror, parem sibi claritudinem credebat. Nec forma aetas opes multum distabant; et utraque impudica infamis violenta, haud minus vitiis aemulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem praevaleret: nam Lepida blandimentis ac largitionibus iuvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.

65 Ceterum obiecta sunt quod coniugem principis devotionibus petivisset, quodque parum coërcitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret. Ob haec mors indicta, multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur certam sibi perniciem, seu

2. *domitiale muliebribus* M^a, *domitia leuibus et mul.* G: correxit Pichena. *qua* M^a. 3. *agrippine* M^a. 4. *C. N.* M^a. 5. *etas* M^a. *inp.* M^a. 12. *coniugẽ* M^a, *coniugium* BG.

crebris prodigiis: cf. Sueton. 46. Dio LX 35.

suis fetum editum — inessent: notio verbi *nuntiavere* perite forma subiunctivi *inessent* subsignificatur (*an dem Habichtsklauen gewesen sein sollten*). Prave igitur in libro Budensi et apud Rhenanum *inerant*, prave quoque *fetum* a nonnullis pro nominativo nominis in neutro genere hoc uno loco positi habitum est.

muliebribus causis: eiusmodi causis impulsa quae mulieres movent. Primarium eiusdem Agrippinae scelus quod parabat (mors Claudii), virile erat et virilibus causis susceptum a femina.

minore Antonia: cf. ad IV 44.

avunculo Augusto: intellige *avunculum magnum*, siquidem Augustus fuit frater Octaviae, haec mater Antoniae minoris et avia huius Lepidae Antonia genitae. Cf. annot. ad II 43.

Agrippinae sobrina prior: Lepida Germanico, Agrippinae patri, consobrina fuit: nam utriusque matres sorores, Germanici Antonia maior, Lepidae Antonia minor. Ipsi igitur Agrippinae *sobrinā prior* sive *sobrinā propior* Lepida fuit. Cf. l. 10 §. 16 Dig. *de gradibus* (XXXVIII 10): *nam, ut Masurius ait, quem quis appellat propiorem sobrino, qui est patris matrisve consobrinus aut consobrina, ab eo consobrini consobrinaeve filius, filia nominatur.* Cave igitur nomen *sobrina* in Taciti verbis pro nominativo capias, ut interpretibus accidit praeeunte Lipsio omnibus. *Sobrina priorem* Germani dicamus 'um einen Grad näher als eine Sobrine.' *Gnaei — soror:* conf. IV 44.

quae filio — nequibat: ex verbo *nequibat* contraria notio (*poterat*) mente suscipienda et iungenda cum *dare imperium;* conf. ad XI 26.

Britannicus rerum seu Nero poteretur; verum ita de se meritum Caesarem ut vitam usui eius impenderet. Convictam Messalinam et Silium; pares iterum accusandi causas esse, [si Nero imperitaret, Britannico successore, nullum principi meritum,] ac novercae insidiis domum omnem convelli, maiore flagitio quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset. Quamquam ne impudicitiam quidem nunc abesse, Pallante adultero, ne quis ambigat decus pudorem corpus, cuncta regno viliora habere. Haec atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur.

1. *brittannicus* M[a]. 2. *inp.* M[a]. 4. *si Nero — meritum* seclusit editor, *si Nero — meritum, ac* Bekkerus auctore Freinshemio. *brittannico* M[a]. 5. *ad* pr M[a], *a* corr M[a]: *ac* in Spir. *noverce* M[a]. 6. *inp.* bis M[a]. 7. *quanq.* M[a]. 10. *brittannicum* M[a]. *p̄cari* M[a].

Cap. 65. *si Nero — meritum:* en manifesta non dico interpolatoris sed glossatoris vestigia, quae qui non agnoscunt nihil agunt agentque, immo ad interpretationes linguae Latinae adversantes prolabuntur. Quippe verba *si Nero imperitaret* ascripta sunt his *seu Nero* (rerum) *poteretur*, proxima *Britannico successore* illis *seu Britannicus rerum* (poteretur); reliqua *nullum principi meritum* respiciunt priora *ita de se meritum Caesarem* atque continent morosi lectoris et Narcisso dissentientis annotationem, nullum Claudio esse meritum asseverantis. Haec ab antiquo lectore aut in margine aut super versum posita Tacitinis admixta sunt, purpurae egregie splendenti pannus turpis et vulgaris. Id primus divinavit Freinshemius, sed idem erravit et restitutionem loci retardavit addendo suppositis etiam particulam *ac* prorsus innocentem. Indignantis Narcissi haec est sententia: pares iterum accusandi Agrippinam, ut olim Messalinam, causas adesse. Huius enuntiati argumentum non particula causali sed copulativa adiungit: *ac novercae insidiis domum omnem convelli* (poterat etiam *nam novercae — convelli*); *omnem* domum dicit, quia Messalina et Silius unum Claudium, Agrippina etiam Britannicum et Antoniam de statu suo deiicere aut perdere parabat. Addit *maiore flagitio quam si — reticuisset*, h. e. eo incepto Agrippinae maius inesse flagitium, quam si ipso tacente *Messalina libidinem explere perrexisset*; sed hoc postremum suppressit rerum scriptor tamquam satis significatum illis *quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset:* id enim si fecisset Narcissus, Messalina ludibria sua porro patratura erat, minore tamen flagitio quam nunc Agrippina domum principis evertere studet. Sed accusationi columen imponit, cum adiicit ne impudicitiam quidem nunc abesse, sed eam adhiberi tamquam flagitiosum regni parandi adiumentum. Verbum *habere* haud dubie de Agrippina dictum, quod non monerem, nisi Orellium diversam explicandi viam delegisse viderem.

66 In tanta mole curarum valetudine adversa corripitur, refovendisque viribus mollitia caeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit. Tum Agrippina, sceleris olim certa et oblatae occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus proderetur; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. Exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita. Eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus fuit Ha-
67 lotus, inferre epulas et explorare gustu solitus. Adeoque

1. *valetudine* M^{a}, G *valit.* 2. *mollitia* M^{a}, *mollicie* G. *sabritate* (add. ex corr. *lu*) M^{a}. 6. *sup̄mis* M^{a}.

matris etiam interfectores ulc.: se ipsum dicit; praeclare haec pingunt hominem de salute sua plane desperantem atque obfirmato animo tristissima quaeque minaciter expectantem. Similia profert Agrippina XIII 14: *non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium.*

Cap. 66. *valetudine adversa corripitur:* et haec et proxima de Narcisso dicuntur, ut recte intellexere recentissimi editores: Claudius enim Romae sublatus est, non Sinuessae; ad aquas autem Sinuessanas libertus ille contendit et Agrippina hoc fido principis custode absente scelus suscipere ausa est, ut narrat Dio LX 34, qui pro Sinuessa, Latii urbe in Campaniae confinio, indefinite Campaniam nominat. Turbas dedit liber Vaticanus Genuae scriptus a. 1448, perinde Guelferbytanus, ubi *Claudius valitudine adv. corr.*, idemque haud dubie in aliis prave interpolatis legitur. De Sinuessa cf. H. I 72. Plinius XXXI 4.

oblatae occasionis propera: propere arripiens oblatam occasionem, h. e. profectionem et absentiam Narcissi. Sic XI 26: *Claudium — irae properum.* XIV 7: *vindictae properam.* IV 59: *apiscendae potentiae properis.* *Locusta:* conf. Sueton. Ner. 33, ubi *venenariorum inclita*, et Dio LX 34. Iusta poena affecit noxiam Galba: Dio LXIV 3.

inferre — gustu solitus: 'Sic XIII 16: *quia cibos potusque eius dilectus ex ministris gustu explorabat:* cui id munus is passim in lapidibus dicitur *praegustator:* in quodam etiam *a potione.* Athenaeus IV 71: ὃν νῦν καλοῦσι Ῥωμαῖοι προγεύστην, τότε οἱ Ἕλληνες προτένθην ὠνόμαζον. Mos qui libera rep. ignotus Romanis; quem tamen coepisse coniicio ab Augusto, non vano argumento lapidis qui Romae (Grut. p. 602): *genio Caeli Herodian. praegustator divi Augusti. idem postea villicus in hortis Sallustianis. decessit nonis Augustis M. Cocceio Nerva C. Vibio Rufino coss.* tenuitque Tiberius de quo lego (Grut. 582 1. Orell. n. 2993): *Ti. Claudius Flamma Clausus Ti. Aug. praegustator.* et deinceps alii. traductum morem opinor a Persis maxime, de quis Xenophon I 3 παιδείας' cet. Lipsius.

cuncta mox pernotuere ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii an vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia, provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille, tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio. Vocabatur interim senatus, votaque pro incolumitate principis 68
consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vesti-

2. *cibo* editor: M^a^ *cibo leto*, G *cibo boletorum*, Orellius *cibo* [*boleto*]. 3. *socordiane an Claudii ui an uinolentia* M^a^: tacite correxit Rhenanus. *socordia ne an claudii violentia* G. 7. *tanq.* M^a^. *nisus* M^a^, non *nissus*. *adiuvare* M^a^: G *adiuuaret*. 9. post v. *incipi* erasa est littera in M^a^. 10. *uacabatur* M^a^.

Cap. 67. *infusum delectabili cibo venenum:* quotidianae vitae instrumenta et alimenta generalibus nominibus consignare, vulgari usu trita et specialia vocabula vitare quamvis inclinet Tacitus, eam tamen consuetudinem non semper et ubique tenuit: sed id ultra omnem dubitationem positum est, nomen generis et speciei in iis rebus iungi non decere. Primum igitur signum glossam esse *boleto* (eius prima syllaba in M^a^ antegresso vocabulo *cibo* hausta est) praebent verba *delectabili cibo;* alterum non minus luculentum suggerit numerus singularis *boleto*: nam ubi de cibo et ferculo loquuntur Latini, *boletos* dicunt, non *boletum.* Neque redarguitur haec observatio Sueton. Claud. 44: *quae* (Agrippina) *boletum medicatum* (*einen vergifteten Pilz*) *avidissimo ciborum talium obtulerat*: scilicet Agrippina ex *cibo boletorum* tunc parato, unde ipsa cum coniuge edebat, unum insignem magnitudine et veneno perfusum Claudio obtulit; Dio LX 34: *φάρμακόν τι ἄφυκτον προκατασκευάσασα ἔς τινα τῶν καλουμένων μυκήτων* (boletorum) *ἐνέβαλε· καὶ αὐτὴ μὲν ἐκ τῶν ἄλλων ἤσθιεν, ἐκεῖνον δὲ ἐκ τοῦ τὸ φάρμακον ἔχοντος (καὶ γὰρ μέγιστος καὶ κάλλιστος ἦν) φαγεῖν ἐποίησε.* Eundem denotat Martialis I 21 2 et 4: *solus boletos, Caeciliane, voras: boletum* (*einen Pilz*) *qualem Claudius edit, edas;* Iuvenalis V 147: *vilibus ancipites fungi ponentur amicis, boletus domino* (*ein Pilz für den Herrn*), *sed quales Claudius edit ante illum uxoris, post quem nil amplius edit;* VI 620: *minus ergo nocens erit Agrippinae boletus, siquidem unius praecordia pressit ille senis tremulumque caput descendere* (lege *escendere*) *iussit in coelum et longa manantia labra saliva.* Contra lege Sueton. Ner. 33: *boletos, in quo cibi genere venenum is* (Claudius) *acceperat, quasi deorum cibum* (collaudare solitus est). Plinius XXII 46: *inter ea quae temere manduntur et boletos merito posuerim, optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem a coniuge Agrippina dato*: Glossa ex Suetonio vel Iuvenale sumpta est.

bus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. Iam primum Agrippina, velut dolore victa et solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit, et cunctos aditus custodiis clauserát, crebroque vulgabat ire in melius valetudinem principis, quo miles bona in spe ageret, tempusque prosperum ex moni-
69 tis Chaldaeorum adventaret. Tunc medio diei, tertium ante idus Octobris, foribus Palatii repente diductis, comitante Burro Nero egreditur ad cohortem quae more militiae excubiis adest. Ibi monente praefecto festis vocibus exceptus

1. *forent firmando* Mᵃ: *forent* omissum a BG. 2. *uelud* Mᵃ. 3. *solacia* Mᵃ. *brittannicum* Mᵃ. 7. *valit.* Or. 9. *chaldeorum* Mᵃ. 11. *ad cohortem* Mᵃ: *a cohorte* G et Oxonienses.

Orellius eam vocem tamquam sibi suspectam seclusit, sed neque certus iudicii neque firmo argumento usus.

socordiane Claudii an vinolentia: in scriptura Medicei *socordiane an Claudii ui an uinolentia* illud *ui* repetitum esse ex *uinolentia* manifestum est; simili modo paulo ante *an* originem duxit ex priore voce socordi*ane*: nam *socordiam* (*Bedachtlosigkeit*) Claudii dici, non Agrippinae et Haloti, qui anxia cura et minime socordes agebant, liquet. Quapropter sequi malui Rhenanum quam Doederlinium suspicantem *socordiane an Claudii vinolentia.* Aberrat Orellius et obscure loquentem Tacitum facit, convivarum Claudii et ministrorum intelligens socordiam. De convivis cogitavit etiam Waltherus.

Cap. 68. *vocabatur interim* seqq.: quae hic traduntur prae ceteris immanem et obduratum animum Agrippinae declarant. Scelere peracto nihil trepide, nihil anxie imprudenterve agit dira femina, immo multa cum ratione ac detestabili simulatione providit quaecumque filio suo sibique regnum conciliarent. Eandem magni artificis sollertiam ostendit hic noster, ubi paratum facinoris describit c. 66: *exquisitum aliquid* (*etwas besonders Feines*) *placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. Deligitur artifex* (*da fällt die Wahl auf eine Künstlerin*) *talium* cet., paulo post: *eius mulieris ingenio paratum virus* sqq.

dum res firmando — componuntur: forent quod ante *firmando* in Mᵃ aliisque libris additur, ex *firmando* obscure scripto per *διττογραφίαν* natum est. Quae corruptela ut tolerari quodammodo posset, in A interpolatum *quae res forent firmando Ner. imp. comp.*

Cap. 69. *tertium ante idus Octobris:* cf. annot. ad VI 25 et 50.

ad cohortem — adest: cf. II. I 24 et 29. Suetonius Ner. 8: *inter horam sextam septimamque processit ad excubitores. festis vocibus:* h. e. quae festis diebus et occasionibus audiri solent. *ad exemplum paternae largitionis:* Sueton. Claud. 10: *promisitque* (Claudius in castris urbanis) *quina dena sestertia.* Iosephus XIX 4 §. 2: *δωρεῖται τοὺς σωματοφύλακας πεντακισχιλίαις δραχμαῖς* (viginti sestertiis sive viginti milibus sestertiorum) *κατ' ἕκαστον ἄνδρα.*

inditur lecticae. Dubitavisse quosdam ferunt, respectantes rogitantesque ubi Britannicus esset: mox nullo in diversum auctore, quae offerebantur, secuti sunt. Inlatusque castris Nero et congruentia tempori praefatus, promisso donativo ad exemplum paternae largitionis, imperator consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. Caelestesque honores Claudio decernuntur, et funeris sollemne perinde ac divo Augusto celebratur, aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.

2. *brittannicus* M^a. 3. *ill.* Or. 5. *paterne* M^a. *consultatur* GM^a. 8. *sollēne*, id est *sollemne*, M^a. 9. *proavia aelibiae* M^a. 11. *animo* M^a: G *animos*. fini libri in M^a subscripta sunt: *Explicit cornelii taciti Liber duodecimus. Incip* (cum lineola) *XIII. Nero imperator efficitur.*

LIBER TERTIVS DECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—10. Anni a Chr. quinquagesimi quarti menses postremi quattuor, initia Neronis imperatoris. Prima novo principatu mors Iunii Silani proconsulis Asiae paratur, dein Narcissi liberti; qui subversi struente Agrippina, et iam in caedes ibatur, nisi obviam issent Burrus et Seneca atrocis mulieris ferociam cohibentes (1—2). Decretum Claudio censorium funus; laudationem princeps exorditur oratione a Seneca composita: Nero enim primus eorum qui rerum potiti sunt alienae facundiae indigus (3). Idem curiam ingressus capessendi a se imperii rationem describit, bona omnia pollicetur. Nec defuit fides, multaque arbitrio senatus constituta, adversante quamvis Agrippina (4—5). Fine anni turbidi rumores de Parthis in Armeniam prorumpentibus, sed a principe rebus Orientis sapienter provisum et Parthi Armenia prohibiti

sunt (6—7). Immodica senatus laetitia, eo magis quod Domitius Corbulo retinendae Armeniae praepositus erat. Is Vologesen Parthorum regem bello absterret obsidesque impetrat, non sine certamine adversus Ummidium Quadratum Syriae rectorem (8—9). Eodem anno Nero patris Gnaei Domitii memoriam recolit effigie a patribus petita, honores sibi oblatos prohibet, accusatores coërcet (10).

Cap. 11—24. Annus a Chr. quinquagesimus quintus, Neronis principis secundus. Faustum anni principium et bona de Nerone spes (11). Princeps delapsus in amorem libertae cui vocabulum Acte et matris potentia infracta; quae primo fremere, mox intemperanter demissa (12—13). Pallas ob amicitiam Agrippinae demotus cura rerum quibus a Claudio praepositus erat. Sed Agrippina praeceps ruit ad terrorem et minas, Britannicum crebris sermonibus ostentans tamquam veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio; quis commotus princeps et metu turbatus Britannicum inter convivales mensas veneno tollit, ingenti pavore Octaviae sororis et Agrippinae (14—17). Nero quo memoriam facinoris leniret, largitione potissimos amicorum auget; sed ira matris nullo remedio componi potuit. Ipsa periclitatur, sed insons reperta delatores evertit, amicis beneficia obtinet (18—22). Pallas ac Burrus delati et absoluti (23). Fine anni statio cohortis ludis assidere sueta demovetur; princeps urbem lustrat ex responso haruspicum (24).

Cap. 25—30. Annus a Chr. quinquagesimus sextus, tertius imperatoris Neronis, qui privatim degenerat, publice haud contemnendus. Neronis luxus et lascivi per urbem discursus; Iulius Montanus mori adactus (25). In senatu actum de fraudibus libertorum, sed nihil mutandum a principe decernitur (26—27). Imago veteris rei publicae et certamina apud patres. Cura tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos praetorios translata. Varie habita ac saepe mutata eius rei forma (28—29). Isdem consulibus aliquot accusationes, virorum illustrium mortes (30).

Cap. 31—33. Annus rerum gestarum inops, pace non lacessita. Coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae, plebei congiarium datum, pecunia aerario illata ad retinendam populi fidem; alia constituta et edicta (31). Dominorum securitati et ultioni, a servis si occiderentur, consultum. Ordini redditur L. Varius; Pomponia Graecina superstitionis externae rea insons iudicatur a marito (32). Idem annus plures reos habuit damnatos aut absolutos (33).

Cap. 34—58. Annus a Chr. quinquagesimus octavus, Neronis imperantis quintus. Principis liberalitas in viros nobiles. Cum Parthis bellum resumptum ob possessionem Armeniae. Corbulonis virtus et disciplina; Paccium Orfitum qui adversus praeceptum cum hoste congressus fususque erat extra vallum tendere iussit (34—36). Tiridates ope fratris Vologesis Parthorum regis adiutus infensat Armeniam, sed consilia eius in contrarium versa prudentia Corbulonis (37). Qui ad colloquium cum Tiridate venit, non incustoditus adversus insidias barbarorum (38).

Rex discedit, Corbulo bellum persequitur. Ipsum caput Armeniorum Artaxata aggreditur, quae capta et igne deleta. Romae ob ea honores dis et principi habiti profusius (39—41). *Publius Suillius delationibus sub Claudio infamis tandem damnatus* (42—43). *Octavius Sagitta amore vecors Pontiam de nuptiis tergiversantem ferro transverberat, libidine ante potitus* (44). *Nec minus insignis eodem anno impudicitia magnorum rei publicae malorum initium. Causa et principium a Sabina Poppaea. Eius feminae maiores, ingenium, mariti Crispinus et Otho. Ad Neronem transgressa Othoni causa cur in Lusitaniam seponeretur* (45—46). *Hinc versae res Neronis, qui hactenus flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. Cornelius Sulla ipsi suspectus Massiliensium moenibus coërcetur* (47). *Puteolanis concordia restituta* (48). *Syracusanis permissum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum; ea occasione notescere coepit Paetus Thrasea virtutis amantissimus* (49). *Princeps dubitavit an cuncta vectigalia omitti iuberet. Cohibita publicanorum immodestia* (50—51). *Rei ex provincia Africa* (52). *Opera legatorum per Germanias coepta* (53). *Frisii agros vacuos et militum usui sepositos insedere. Abscedere iussi ante ad principem preces deferunt. Legati civitate Romana donati, ipsi decedere coacti* (54). *Eosdem agros Amsivarii occupavere, item pulsi a Romanis, mox deleti a populis Germaniae* (55—56). *Eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certatum, et Chatti paene ad excidium gentis caesi. Civitas Ubiorum improviso malo afflicta* (57). *Eodem anno arbor Ruminalis arescente trunco deminuta, mox in novos fetus revirescit* (58).

Prima novo principatu mors Iunii Silani proconsulis Asiae, 1
ignaro Nerone, per dolum Agrippinae paratur, non quia ingenii violentia exitium inritaverat, segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo ut Gaius Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit. Verum Agrippina fratri eius Lucio

1. *asie* M[a]. 2. *agrippine* M[a]. *patratur* Aurelius et Freinshemius. 3. *exitum* GM[a]: correctum in A. *irr.* Or. 4. *G.* M[a]. 5. *L.* M[a].

Cap. 1. Postquam dominationem dirae mulieris artibus partam extremo libro priore tradidit, iam addere pergit rerum scriptor qua via et crudelitate exercere imperium eadem intenderit, ni probi homines et sapientes obviam issent.

prima novo principatu mors: de hoc infausto principatus Neroniani primordio dictum ad I 6. Interpositum *novo principatu* pendet a verbis *prima mors;* novus principatus orditur a morte Silani per dolum Agrippinae parata. *Paratur* mors ab Agrippina per conscios et ministros. XIV 58: *Plauto necem parari.* XIII 38: *ut dolus pararetur;* cf. I 39, III 54. II. IV 58. *pecudem auream:* socordiam ovilem et magnas divitias Gaius notabat. Dio haec ad M. Silanum, socerum Gai Caesaris, consulem sub Tiberio a. 772, falso rettulit LIX 8.

Silano necem molita ultorem metuebat, crebra vulgi fama anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem nobilem, et quod tunc spectaretur, e Caesarum posteris: quippe et Silanus divi Augusti abnepos erat. Haec causa necis. Ministri fuere Publius Celer eques Romanus et Helius libertus, rei familiari principis in Asia impositi. Ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus Claudii libertus, de cuius iurgiis adversus Agrippinam rettuli, aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur, invito principe, cuius abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire con-
2 gruebat. Ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. Hi rectores imperatoriae iuventae,

6. *P. celerius* GM[a]: correxit Lipsius ex c. 33. *aelius* M[a]: G *helius.* cf. Suet. Ner. 23 et Dio 63 12. 7. *familiaris* M[a]: G *familiari.* post v. *impositi* in M[a] erasa est littera. *procos.* cum lin. M[a]. 10. *retuli* M[a]. 13. *anneus* M[a]. 14. *Ii* M[a]: G *hi.*

quippe et Silanus divi Augusti abnepos erat: v. Plin. N. H. VII 11: *divus Augustus in reliqua exemplorum raritate neptis suae nepotem vidit genitum quo excessit anno, Marcum Silanum; qui cum Asiam obtineret gost consulatum, Neronis principis successione, veneno eius interemptus est.* Consulatu functus erat a. 799; v. ad XI 1. Ipsi fratrique Lucio Silano Agrippinae artibus everso (XII 4 et 8) pater fuit Appius Iunius Silanus, consul a. 781 (v. IV 68), Claudio socer et vitricus Messalinae, socer destinatus Octaviae filiae Claudii, sed ab hoc incerto crimine sublatus: Sueton. Claud. 29 et 37. Seneca Apocoloc. 11. Dio LX 14. Is Appius Silanus extremis Augusti annis filiam quandam Lucio Paulo et Iulia (v. Sueton. Aug. 64) Augusti nepte genitam, fortasse *Aemiliam Lepidam* (v. Sueton. Claud. 26), matrimonio sibi iunxisse et inde Lucium et Marcum Silanos videtur procreasse. Tum enim Marcus Augusti abnepos et Iuliae neptis Augusti nepos fuit. Plinius cum scribit Marcum Silanum veneno Neronis occisum esse, non accurate loquitur ac Neroni tribuit quae sub eius principatu a suis patrata sunt.

venenum — datum est: Dio ap. Xiphil. LXI 6. De Helio cf. Ind. hist. et Prooem. c. 12. *rettuli:* v. XII 57 et 65. *ad mortem agitur:* cf Dio LX 34.

Cap. 2. *obviam issent*: sciens volensque eodem verbo repetito haec scripsit post ea quae modo dixit *ibaturque in caedes.* Theodisce: *und so war man auf dem Wege zu morden, wären nicht Afranius Burrus und Annaeus Seneca in den Weg getreten.* XIII 11: *cum in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit.* H. I 16: *Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur.* 29: *affertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse qui raperetur.*

et rarum in societate potentiae, concordes, diversa arte ex aequo pollebant, Burrus militaribus curis et severitate morum, Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta, iuvantes in vicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinae, quae cunctis malae dominationis cupidinibus flagrans habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis et adoptione exitiosa semet perverterat. Sed neque Neroni infra servos ingenium, et Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiae petenti tribuno dedit 'optimae matris.' Decreti et a senatu duo lictores, flaminium Claudiale, simul Claudio censorium funus et mox consecratio. Die funeris laudationem eius prin- 3
ceps exorsus est; dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri;

1. *rarum in societate potentiae, concordes* Boxhornius: Mª *parum in societate potentia et concordes*, G *pari in s. potentiaque conc.* 3. *comite* Mª. 7. *malae* Mª, *malis* G. 11. *suae* Mª: G *sui*. 13. *optime* Mª. *et a* G: Mª *etas*. 14. *flamonium* Mª. 17. *ceteris* Mª: G *caeteri*.

Agr. 15: *recessuros, ut divus Iulius recessisset.* Nomina substantiva eodem modo interdum repetuntur, velut XIV 56: *rebusque et fructui rerum.* XV 29: *medio tribunal et sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat.* H. II 4: *quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexpertus belli labor.* 6: *quantum insularum mari cingitur, et parando interim bello secundum tutumque ipsum mare.* *Obviam ire* eadem vi mox (c. 5) positum et saepe alias.

rarum in societate potentiae: vitium Mª *parum* hinc ortum, quod scriba eius in ἀρχετύπῳ primam vocis *rarum* litteram R pro P habuit, aut altera in R lineola evanuerat. Cf. I 39 et 56, VI 10.

voluptatibus concessis: ut nulla cuiusquam iniuria libidines eius explerentur; conf. c. 12. Horat. Serm. I 4 113: *ne sequerer moechas, concessa cum venere uti possem.* De re cf. Dio LXI 4.

signumque: cf. I 7.

Cap. 3. *liberalium quoque artium commemoratio:* specimina eruditionis Claudii diligenter enumeravit Suetonius c. 41 et 42. Quae idem (Ner. 33) de Neronis in Claudium contemptu verbis prodito tradit, de sermone privato intelligenda sunt.

temporis eius auribus accommodatum: cf. Quintilianus X 1 125—131.

prompta ac profluens, quaeque deceret principem, eloquentia: vulgata (*quae*) recte se haberet, si prompta ac profluens eloquentia per se iam principem deceret; sed

liberalium quoque artium commemoratio, et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse, pronis animis audita: Postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem alienae facundiae eguisse. Nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens, quaeque deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam Gai Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit, caelare pingere, cantus aut regimen equorum exercere; et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.

1. *nichil* Mª. 2. *puplice* Mª. 5. *amenum* Mª. 8. *his* Mª: G *iis.* 9. *cesar* Mª. *emulus* Mª. 10. *quaeque* editor: GMª *quae,* A *et quae.* 12. *aut* Mª, *ac* G. 13. *C.* Mª. 14. *dissererentur* Mª: G *dissereret.* 15. *Ne pro* (per notam) Mª. 16. *celare* Mª. 18. *doctrine* Mª.

talis eloquentia potest esse et tamen principem vel maxime dedecere. Itaque tertia eloquentiae Augusti virtus enumeratur, quae posita in decore principali; quod ut fieri possit particula desideratur aut *et* aut *que.* Alteram praetuli, tum quia pro *queq;* facile *quae* substitui poterat, tum quod post singularia aliquid generale libenter per *que* annectitur; conf. II 54: *igitur adito Ilio, quaeque ibi — veneranda.* III 45: *memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent.* XIII 49: *de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis Romana continentur.* De Augusti eloquentia cf. Sueton. Aug. 84—86. Gellius X 24, XV 7.

turbata mens — non corrupit: turbatam valetudine mentem (Sueton. Calig. 50. Iuvenal. VI 614) Gai meminit, quod qui tenentur ea, corrumpere eloquentiam solent. De Gai eloquentia v. Sueton. 53. Orationem eius perite imitatur Dio LIX 16. *quotiens meditata dissereret:* aberratio *dissererentur*, a sincero Taciti stilo quam maxime aliena, ex linea caudave in vocabuli finem casu illata ducit originem. Exemplum meditatae orationis Claudii Tacitus expressit XI 24.

caelare pingere: non sunt infinitivi historici qui vocantur, sed pendent ex illis *animum in alia detorsit.* Tollenda igitur maior distinctio ante haec verba vulgo posita, et commate interpungendum erat. Cf. ad XI 6. De carminibus Neronis v. XIV 16.

Ceterum peractis tristitiae imitamentis curiam ingressus, 4 et de auctoritate patrum et consensu militum praefatus, consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit, neque iuventam armis civilibus aut domesticis discordiis imbutam; nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis adferre. Tum formam futuri principatus praescripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus et reis paucorum potentia grassaretur; nihil in penatibus suis venale aut ambitioni pervium; discretam domum et rem publicam. Teneret antiqua munia senatus; consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae adsisterent. Illi patrum aditum praeberent: se mandatis exercitibus consulturum. Nec defuit fides, multaque arbitrio senatus con- 5 stituta sunt: ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur; ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinuere patres; qui in Palatium ob id vocabantur, ut astaret obditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin et

2. *consensũ* M[a]: G *consensu.* 3. *capescendi* M[a]. 4. *neque inventam* M[a]. *inbuta* M[a], *imbutā* G. 5. *aff.* Or. 10. *nichil* M[a]. 11. *rem.p.* M[a]. 12. *ass.* Or. 16. *quidem quaest.* M[a] cum ceteris: emendarunt Ursinus et Acidalius. 17. *tanq.* M[a]. 19. *assaret* M[a]: G *adstaret.* *obditis* Lipsius: M[a] et B *additis*, G *abditis*, I. Fr. Gronovius *obdito.* 20. *auditus* Lipsius: GM[a] *aditus*, marg. Bodl. *auditum.*

Cap. 4. *consilia sibi et exempla:* utrumque de Augusto dictum accipio. Cf. XIV 53 et 55. Sueton. Ner. 10: *atque ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti praescripto imperaturum se professus* cet. Alii consilia Senecam dici Burrumque existimantes non reputaverunt orationem Neronis ab ipso Seneca compositam esse: cf. c. 3 et 11. Dio LXI 3.

ea maxime declinans: h. e. se declinaturum esse spondens.

non enim se — potentia grassaretur: cf. XI 2 et 5, XII 22 et 53 et 61.

publicae provinciae: publicae provinciae sunt populi senatusque, in quas proconsules sorte destinati mittuntur; v. ad I 74. Hae si praesidem accusare, acta eius rescindere velint, aut aliud quid impetrare cupiant, non Caesarem adiri, ut ante, sed consules senatumque Nero iussit.

se mandatis exercitibus consulturum: modeste *exercitus* dicit pro Caesaris provinciis, quae cum exercitibus curae principis commissae. Dio apud Xiphil. LXI 3: *τοσαῦτα δὲ καὶ πρὸς τὴν βουλήν, πρὸς τοῦ Σενέκου καὶ αὐτὰ γραφέντα,*

legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, nisi ceteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. Ita specie pietatis obviam itum dedecori.

6 Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam adlatum est, pulso Radamisto, qui saepe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. Igitur in urbe sermonum avida, quemadmodum princeps vix septendecim annos egressus suscipere eam molem aut propulsare posset, quod subsidium in eo qui a femina regeretur, num proelia quoque et oppugnationes urbium et cetera belli per magistros administrari possent, anquirebant. Contra alii melius evenisse disserunt quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militiae ad labores vocaretur, servilibus iussis obtemperaturus. Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos; et imperatori quantum ad robur deesse, cum octavo decimo aetatis anno Gnaeus Pompeius, nono decimo Caesar Octavianus civilia bella sustinuerint? Pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri. Daturum plane documentum,

2. *escendere* M^{a}, *ascendere* G. 6. *mallatum* M^{a}. 7. *potius* M^{a}: *potitus* G. 9. *septẽdecem* M^{a}. *prael.* Or. 11. *obp.* M^{a}. 17. *C N.* M^{a}.

ἀνέγνω, ὥστε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι.

Cap. 5. *ne quis ad causam — necessitas esset*: de his Claudii actis relatum XI 5—7 et 22. *ne designatis quaestoribus:* pro *designatis* supra (XI 22) scripsit *eorum qui quaesturam adipiscerentur*. Quaestores enim cum exceptis quattuor candidatis Caesaris duobusque aerarii quaestoribus munia sua non in urbe sed in populi provinciis obirent, pecunias illas quibus ederentur ludi gladiatorii, non in magistratu praebere poterant, sed cum designati essent ea munera exhibebant. Neronis decretum Domitianus sustulit referente Suetonio c. 4. Vocem *quidem* ante *quaestoribus* recte delevit Ursinus: nam ea particula ex subsequente versu perperam repetita est.

obditis a tergo foribus: fores apertae et ostium a tergo patrum consultantium *obditum* velo erat, ne conspiceretur Agrippinae praesentia. Doederlinius scripturam *abditis* cum Walthero tueri studet, et ipse interpretatur *remotis*, Waltherus *occultatis*. *quod visum arceret, auditus non adimeret*: variavit numerum, ut *visum* (conspectum Agrippinae patribus ademptum) passiva significatione positum, *auditus* activa (ea quae audiret Agrippina) significaret. De passiva *visus* potestate cf. Forcellinius.

Cap. 6. *vix septendecim annos egressus*: v. ad XII 25.

auspiciis et consiliis quam telis

honestis an secus amicis uteretur, si ducem amota invidia
egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per am-
bitum deligeret. Haec atque talia vulgantibus, Nero et iuven- 7
tutem proximas per provincias quaesitam supplendis Orientis
legionibus admovere, legionesque ipsas propius Armeniam
collocari iubet, duosque veteres reges Agrippam et Antiochum
expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent; simul
pontes per amnem Euphraten iungi. Et minorem Armeniam
Aristobulo, regionem Sophenen Sohaemo cum insignibus
regiis mandat. Exortusque in tempore aemulus Vologesi
filius Vardanes; et abscessere Armenia Parthi, tamquam differ-
rent bellum. Sed apud senatum omnia in maius celebrata 8
sunt sententiis eorum qui supplicationes et diebus supplica-

5. *regionibus* M^a: G *legionibus.* *admoveri* Pichena. *proius* M^a. 6. *iochum* M^a: correxit Lipsius. 8. *iunlu* M^a: G *iungi.* 9. *Sophenen* M^a, non *Sophenem.* *sohoemo* M^a. 10. *Vologesi* editor: codices et edd. *Vologeso.* 11. *Vardanes* Lipsius: *uardanis* GM^a. *tanq.* M^a.

et manibus: simplex particula *quam* pro *potius quam* posita est, loquendi compendio huic nostro solito. Cf. I 58: *pacem quam bellum probabam.* III 8: *quem* (Drusum) *haud fratris interitu trucem* (potius) *quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat.* 17: *miseratio* (potius) *quam invidia augebatur.* 32: *paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori* (potius) *quam ignominiae habendam ducebat.* IV 61: *claris maioribus quam vetustis.* V 6: *vos obtestor, ne memoriam nostri per maerorem* (potius) *quam laeti retineatis.* H. III 60: *praedae quam periculorum socius.* Adde H. III 70, IV 76 et 83, V 5. G. 6. Est usus Graecorum ἢ ponentium pro μᾶλλον ἤ.

Cap. 7. *Nero et iuventutem — admovere, legionesque — collocari iubet:* noli credere verbum admovere ex sequente iubet pendere: immo duo habemus orationis membra per particulas *et — que* iuxta posita, alterum infinitivo historico, alterum verbo finito instructum. In priore ad ipsum auctorem operis refertur quod is per ministros faciendum curavit. Cur coeptam infinitivi historici structuram paulo post omiserit, et *collocari iubet,* non *collocari iubere*, scripserit, causa in aperto est. Alterum orationis membrum duobus novis additis augetur.

Agrippam et Antiochum: conf. annot. ad XII 23 et 55. *minorem Armeniam Aristobulo:* v. Ioseph. XX 8 §. 4. De Sohaemo cf. ad XII 23. Sophene pars terrae Syriae qua Taurum transit: Plin. N. H. V 13. Iustin. XLII 3.

Vologesi: legebatur *Vologeso.* A forma nominativi apud Tacitum constanter exhibita *Vologeses* ceteri casus ad normam legitimam apud eundem conformantur, et quidem genitivus *Vologesis* XV 7 et 17 et 24 et 25, idemque extrema littera sibilante abiecta *Vologesi* XIII 37 et H. IV 51; porro dativus *Vologesi* XV 5 et 15, accusativus *Vologesen* XII 14 et 50, XIII 9 et 37, XIV 25, XV 5 et 10 et 13 et 27 et 31 et H. I 40, ablativus *Vologese* XV 3 et 6. Sed

tionum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiesque eius pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo censuere, praeter suetam adulationem laeti quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat, videbaturque locus virtutibus patefactus. Copiae Orientis ita dividuntur ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam et legatum eius Quadratum Ummidium remaneret, par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quae in Cappadocia hiemabant. Socii reges, prout bello conduceret, parere iussi. Sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant. Qui ut famae inserviret, quae in novis coeptis validissima est, itinere propere confecto, apud Aegeas civitatem Ciliciae obvium Quadratum

7. *Suriam* M[a], mox *syriam*. *umidium* M[a]. 8. *pars* GM[a]: correxit Puteol. 9. *aliis quaeq; cappadocia* M[a]: *in* addidit Bekkerus, ante quem *apud Cappadociam*, ut in G. *alisque, quae* primus tacite Rhenanus, non Beroaldus, ut Waltherus dicit. 10. *iussit* M[a]: *iussi* G. 11. *inserviret* om M[a], adest in G. 12. *nobis ceptis* M[a]. 13. *egeas* M[a].

dativi forma *Vologeso*, quam plerique libri hoc loco et H. IV 51 offerunt, non minus barbara est, quam essent *Vologesus* et *Vologesum*, quae satis redarguuntur similibus Parthorum nominibus, veluti *Monaeses* apud Horatium Carm. III 6 9, *Abdagaeses* Tacit. VI 36. Sed Taciti librarii bis decepti sunt breviore illa genitivi forma *Vologesi*, quam non a nominativo *Vologesus* factam sed ex genitivo *Vologesis* truncatam esse constat. Certe in altero illorum locorum (H. IV 51) genitivus *Vologesi* et casus barbarus *Vologeso* in confinio positi sunt. Hinc patebit *Vologeso* non magis tolerari posse quam *Themistoclo*, *Aristido*, *Neoclo*, quamquam *Themistocli*, *Aristidi*, *Neocli* secundo casu non raro reperiuntur.

filius Vardanes: vera est haud dubie haec Lipsii correctio. Nam filius Vardanis si scripsisset Tacitus, addendum erat quis fuerit ille Vardanes.

Cap. 8. *in Cappadocia:* in Cappadocia tunc nonnisi socialis militia, cohortes alaeque; nam legiones Vespasianus demum addidit; cf. Sueton. Vesp. 8. Tacit. H. II 81. Praepositionem *in* abesse posse opinatur Orellius et comparat c. 21 *cohortes urbe temptatas*, sed ibi clare *in urbe*, non *urbe*, qui manifestus foret soloecismus. Conf. mea ad I 60. *ut famae inserviret:* verbum *inserviret* a M[a] omissum in ceteris libris apta coniectura restitutum est. *Hortorum amoenitati inservire* est XVI 27, *liberis* O. 28, *fama cui soli inserviunt* O. 10, ubi v. annot.

apud Aegeas civitatem Ciliciae: apud Dionem XLVII 30 eadem nominis forma (ἐν Αἰγέαις), apud Strabonem XIV 4 18 et 19 p. 676 *Αἰγαῖαι*, apud Philostratum in Vita Apollon. I 7 (8) et Stephanum *Αἰγαί*, item apud Plinium N. H. V 22 et Lucanum III 227 *Aegae*. Formas *Αἰγαὶ* et *Αἰγέαι* veras esse, falsam *Αἰγαίας*, quae non nisi apud Strabonem legitur, ex his Stephani l. c. verbis colligo: τὸ ἐθνικὸν ἀπὸ μὲν δισυλλάβου *Αἰγαῖος*, ἀπὸ δὲ τρισυλλάβου (εὕρηται καὶ οὕτως) *Αἰγεάτης*.

habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret corpore ingens, verbis magnificis, et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus. Ceterum uterque ad Vologesen regem 9
nuntiis monebant, pacem quam bellum mallet, datisque obsidibus solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet, an ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepitque eos centurio Insteius, ab Ummidio missus forte priore de causa, adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est, ire praefectum cohortis Arrium Varum et reciperare obsides iubet. Hinc ortum inter praefectum et centurionem iurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum. Atque illi ob recentem gloriam, et inclinatione quadam etiam hostium, Corbulonem praetulere. Unde discordia inter duces, querente Ummidio praerepta quae suis consiliis patravisset, testante contra Corbulone non prius conversum regem ad offerendos obsides quam ipse dux bello delectus spes eius ad metum mutaret.

3. *magnificis* M^a, *magnificus* G. 4. *specie inanimum* M^a: correctum in G. *uterque ad uologesē* M^a, ceteri omittunt *ad*. 7. *quomodo* M^a: *aequo modo* G: emendarunt Mercerus et Muretus. *pararent* vel *pararetur* pr M^a. 8. *emulationis* M^a. 10. *Insteius* M^a, non *Histeius*: AGR et Oxonienses *Histerius*. *umidio* M^a. 15. *ille* corr. in *illi* M^a. *ob* om M^a: inest G. 16. *inclinationē* M^a. *corbulone*. M^a. 17. *umidio* M^a.

Cap. 9. *ad Vologesen regem nuntiis:* subest v. *nuntii* vel *legati* nonnulla *motus* ac *directionis* significatio, eaque efficit ut iungi possint cum praepositionibus *ad*, *in*, et aliis cum accusativo iunctis. Cf. Cic. in Verr. lib. I 15 §. 136: *cum sibi omnes ad istum adlegationes difficiles — viderent.* Ibid. II 44 109: *cum ei legatio iam Romam a suis civibus esset data.* Bonum sed rarum loquendi usum libri deteriores apud Tacitum expuncta praepositione removerunt.

Centurio Insteius: haec nominis forma etiam in titulis apud Gruterum 172 7, 362 1, Muratorium 2021 6, et Mediceus sibi constat etiam c. 39.

diversos: diversa sentientes et voluntate sua in contrarium tendentes, *die Entzweiten*. Cf. annot. ad II 10. *fascibus imperatoriis addi:* fasces et duodecim lictores in principum insignibus inde ab anno 735. v. Dio LIV 10: *ὁ δὲ Αὔγουστος τὴν τῶν ὑπάτων ἐξουσίαν διὰ βίου ἔλαβεν, ὥστε καὶ*

Nero quo componeret diversos, sic evulgari iussit, ob res a Quadrato et Corbulone prospere gestas laurum fascibus imperatoriis addi. Quae in alios consules egressa coniunxi.

10 Eodem anno Caesar effigiem Gnaeo Domitio patri, et consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit a senatu; sibique statuas argento vel auro solidas adversus offerentes prohibuit. Et quamquam censuissent patres, ut principium anni inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer senator, servo accusante, aut Iulius Densus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

11 Claudio Nerone Lucio Antistio consulibus cum in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit, magnis patrum laudibus, ut iuvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus maiores continuaret. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messalinae ordine demotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat.

1. *diversus* M[a]: G *diuersos*. 3. *addidit* GM[a]. *cos.* cum lin. M[a]. *coniuncxit* M[a], *coniunxit* G: tacite correxit Rhenanus. 4. *Gn.* M[a]. 7. *quanq.* M[a]. *censuisset* M[a]. 12. *fabor* M[a]. *brittannicum* M[a]. 13. *L.* M[a]. *cos.* cum lin. M[a]. 17. *platium* M[a]. 18. *demotum* corr M[a], *remotum* ceteri.

ταῖς δώδεκα ῥάβδοις ἀεὶ καὶ πανταχοῦ χρῆσθαι, καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθέζεσθαι.

ob res — addi: Vitium *addidit* ortum in M[a] eo quod scriba exitum antegressi verbi *iussit* huic quoque imprudenter applicavit. Corrumpunt sincerum Taciti stilum qui *addidi* scribunt. Nam is aliena ex suis, ubi fieri potest, segregare operam dedit.

Cap. 10. *Gnaeo Domitio:* cf. annot. ad IV 75 et Ind. hist.

mense Decembri, quo ortus erat Nero: cf. Sueton. Ner. 6 et annot. ad XII 25.

Carinas Celer senator: v. annot. ad III 36.

equester: h. e. ordinis equestris; v. XII 60.

Cap. 11. *Claudio Nerone:* ex quattuor Neronis consulatibus hic primus. Suetonius Ner. 14: *consulatus quattuor gessit, primum bimestrem, secundum et novissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos* (a. 810 et 811) *continuavit, reliquos* (hunc a. 808 et 813) *inter annua spatia variavit.*

ob adulterium Messalinae: v. XI 36.

vel iactandi ingenii: conf. II 59 ibique annot.

Ceterum infracta paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertae cui vocabulum Acte fuit, simul adsumptis in conscientiam Marco Othone et Claudio Senecione, adulescentulis decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio liberto Caesaris patre genitus ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta, ne senioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria cupidines principis explente, quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam an quia praevalent inlicita, abhorrebat; metuebaturque ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur. Sed Agrippina libertam aemulam, nurum ancillam, aliaque eundem in modum muliebriter fremere. 12 13

1. malim *infracta est.* *potentiā* M^a^. 2. *amore liberte* M^a^. *bocabulum* M^a^. *Acte* M^a^, *actae* G. *ass.* Or. 3. praenomen *Othonis* supplevit editor. 5. *obnitentē* M^a^: G *obtinente*. 9. *octabia* M^a^. *facto* M^a^. 10. *aborrebant* superscr. litteris *ba* litt. *t* M^a^. 12. *liberta* M^a^.

Cap. 12. *Acte:* Xiphilinus LXI 7: *ἡ δὲ δὴ Ἀκτὴ ἐπέπρατο μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας· ἀγαπηθεῖσα δὲ ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἔς τε τὸ τοῦ Ἀττάλου γένος ἐσήχθη* cet. Sueton. c. 28: *submissi consulares qui regio genere ortam peierarent.* Tituli de Acte apud Orellium Inscript. Lat. n. 735, Philippum a Turre Monum. vet. Antii p. 121, Fabrettium p. 125. Conf. Octavia (Materni) v. 199 sqq.

M. Othone: praenomen Othonis haustum est a priore nomine *conscientiam* vel ibi a recentiore scriba in *ἀρχετύπῳ* neglectum, ut c. 15 *securitate morarentur* pro *securitatem mor.:* certe nunc ubi primum mentio Othonis facta est in Annalibus, alterum nomen abesse nequit. Perinde in Historiis (I 13): *Vinius pro Marco Othone;* deinceps unum nomen in utroque opere et sufficit et invenitur.

familia consulari: subintelligendum v. *erat.* Quomodo Otho nobili loco natus in conscientiam a Nerone assumptus sit, ampliore narratione non indigebat; sufficiebant pauca illa *quorum Otho familia consulari;* sed in Senecione liberti filio sane memorandum erat, quibus artibus principis familiaritatem adeptus sit et rarae fortunae admotus. Hoc non intellexit Doederlinius, cum scripsit: 'peccavisset hercle Tacitus in artis suae leges, si de *τριταγωνιστῇ* aliquo tot in transitu verba fecisset.' Qui puncto post *genitus* posito proxima de Acte intelligunt, ii nunquam explicabunt quomodo haec *per luxum et ambigua secreta* adipisci Neronis amicitiam posset; an cogitabunt libertam cum Nerone Caesare certantem luxus apparatu? Neque alterum, *ambigua secreta*, Romano more de Acte recte dictum est: nam in secreto libertae et Neronis nihil *ambigui*, nihil dubitationis, immo explendae libidini principis Acte serviebat.

inrepserat: hoc verbum non nisi ad Senecionem referendum est, non etiam ad Othonem, ut Lipsius voluit commendans *inrepserant*, a viris alioqui cautis, Pichena et Iac. Gronovio, prave

Neque paenitentiam filii aut satietatem opperiri; quantoque foediora exprobrabat, acrius accendere, donec vi amoris subactus exueret obsequium in matrem seque Senecae permitteret, ex cuius familiaribus Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adulescentis cupidines velaverat, praebueratque nomen, ut quae princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina versis artibus per blandimenta iuvenem adgredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quae prima aetas et summa fortuna expeterent. Quin et fatebatur intempestivam severitatem, et suarum opum, quae haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat, ut nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quae mutatio neque Neronem fefellit, et proximi amicorum metuebant, orabantque cavere

1. *penitentiam* M^{a}. 2. *faediora* M^{a}. *accenderet* M^{a}: G *accendere*. 3. *exsueret* M^{a}. *seque Senecae* Lipsius: M^{a} *seque nece*, Oxonienses *Senecaeque*, G *senecique*, sed *i* in rasura, Rhenanus coni. *se Senecaeque*. 6. *uelaberat* M^{a}. 10. *intempestatẽ* M^{a}: correctum inest G. 12. *tradebant* superscr. litteris *ba* litt. *t*. M^{a}. 14. *cavere* M^{a}, *caveri* G.

receptum: ad antecedentia *Otho familia consulari* intelligitur *erat.* Enuntiatum secundarium paulo longius, *quorum Otho — ambigua secreta*, interiectum est ad adulescentulos illos accuratius designandos, dein praegressis absolutis ablativis, *delapso Nerone*, atque *simul assumptis — adulescentulis decoris*, adiunguntur alia eiusdem generis enuntiata duo, *ne senioribus — adversantibus*, tum *muliercula — explente.* Egregie fallitur ad h. l. Waltherus cum sectatoribus: vide eius annotationem.

Cap. 13. *seque Senecae permitteret:* nimiam hominis facilitatem paucis graviter indicat. Cf. XIV 7.

Annaeus Serenus: erat praefectus vigilum. Plinius XXII 47: *tertium genus suilli* (fungi) *venenis accommodatissimi. Familias nuper interemere et tota convivia, Annaeum Serenum praefectum Neronis vigilum et tribunos centurionesque.* Seneca ei superstes fuit, ut liquet ex eius Epist. 63 §. 12: *haec tibi scribo, is qui Annaeum Serenum carissimum mihi tam immodice flevi, ut quod minime velim inter exempla sim eorum quos dolor vicit. Hodie tamen factum meum damno et intellego maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quod nunquam cogitaveram mori eum ante me posse.* Vivo inscripsit Seneca librum *de Tranquillitate animi*, item disputationem *nec iniuriam nec contumeliam accipere sapientem.*

suum potius cubiculum ac sinum offerre: caute praeposuit *cubiculum*, ne *sinus* perperam de incesto Neroni a matre oblato intelligeretur. Quamvis enim ne ab eo quidem flagitio ista abhorreret (XIV 2), nunc tamen nondum ad ultima confugit. *Sinus* est quo quid absconditur velaturque, ut *sinus famae* A. 30.

orabantque cavere: sine causa *caveret* desiderabant Rhenanus et Pichena. Cf. XII 46: *monet Radamistum oppugnationem celerare.*

insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae. Forte illis diebus Caesar inspecto ornatu quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas, misitque donum matri, nulla parsimonia, cum praecipua et cupita aliis prior deferret. Sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat et dividere filium, quae cuncta ex ipsa haberet. Nec defuere qui in deterius referrent. Et Nero 14
infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum quis a Claudio impositus velut arbitrum regni agebat; ferebaturque degrediente eo magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse ire Pallantem ut eiuraret. Sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteritum interrogaretur, paresque rationes cum re publica haberet. Praeceps

1. *atrocius* M[a]. *false* M[a]. 3. *efulserant* M[a]. 4. *parsimonia* M[a], non *parcim.* 9. *velud* M[a]. *arbitrium* BGM[a]: emendatum in Vat. 1863 et 1864. 12. *ne*] *que* pr M[a], *quae* G. *quoiusque* G. *praeteritu* M[a]. 13. *cum. R P.* M[a]. *preceps* M[a] (non *preces*, ut Furia).

XIII 37: *regem Antiochum monet proximos sibi praefecturas petere.* XVI 11: *nuntiat patri abicere spem.* XV 25: *scribitur tetrarchis — iussis Corbulonis obsequi.*

Cap. 14. *cura rerum:* qui in provinciis rei familiari Caesaris praepositi erant, *procuratores* vocabantur, qui eadem negotia in urbe curabant, non eodem nomine appellabantur, sed *rationatores* audiebant vel *a rationibus.* Sueton. Claud. 28: *sed ante omnes* (suspexit) *Narcissum ab epistolis et Pallantem a rationibus.* Conf. Inscript. Lat. Orell. n. 32, ubi Pallas audit *adiutor a rationibus.*

non absurde dixisse ire Pallantem ut eiuraret: eiurat qui magistratu se abdicat; XII 4: *adactusque Silanus eiurare magistratum.* H. III 37: *pridie kalendas Novembris Rosius Regulus iniit* (consulatum) *eiuravitque.* Ibid. c. 68: *praevenerat rumor eiurari ab eo imperium.* Pallas nullo quidem magistratu, nullo rei publicae munere functus erat, immo a Claudio suis rebus impositus ob stuporem principis multum valuerat, quamvis nulla publica auctoritate et potestate legitima ornatus. Hinc dissimilis conditio eius et magistratus munus publicum deponentis; similis autem Pallas ea in re fuit magistratibus potestatem eiurantibus, quod cura rerum Caesaris exolutus et ipse magna prosequentium multitudine degressus est. Quae sequuntur *sane pepigerat — haberet*, ea causam afferunt, cur libertus cum de cura commissa decederet, non minus fidente animo esset ac magistratus solet esse qui liquido potestatem eiurare potest. *in praeteritum:* v. annot. ad III 24.

paresque rationes cum re publica haberet: Claudius magistratuum munia in se trahens liberto suo etiam publicam pecuniam tractandam aliquando concesserat. Iste igitur vir callidus item pepigit, ut neque a senatu postulari neque rationes suas patribus approbare iuberetur. *Pares rationes habere* post *ne* particulam idem est ac *nullas habere.* Theodisce locum sic interpretaberis: *wirklich hatte Pal-*

posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret. Non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium. Id solum dis et sibi provisum quod viveret privignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rursus Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes. Simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, et tot inrita facinora.

15 Turbatus his Nero, et propinquo die quo sextum decimum

1. *rueret* M^a: G *ruere*. 3. *brittannicum* M^a. 4. *adoptius* M^a. 5. *abnueret* M^a: G *abnuere*. *se quin* G: *sequi* M^a. 6. *beneficium* M^a. 8. *inde vilis* A corr B: M^a *indebilis*, ut Bodl. pr Bud. Reg. 10. *expostulantis* M^a. 11. *inferno* M^a. 13. *sextum* editor: codices *quartum*.

las sich ausbedungen, dass er wegen keiner Massregel aus der Vergangenheit zur Rechenschaft gezogen werden könne, und die nämliche Berechnung mit dem Staate habe.

inde vilis rursus Burrus et exul Seneca: Medicei *indebilis* iuxta artem solvendum est *inde vilis*, nihil enim frequentius commutatione litterarum *b* et *v*, ut in proximo *faborem* (favorem), *velaberat* (velaverat), *bocabulum* (vocabulum), *fabor* (favor), *albo* (alvo), *ferbore* (fervore), et sic milies. Idem sententiae unice convenit. Scilicet *rursus* idem valet quod iterum et pertinet ad Burrum, ut *exul* ad Senecam. Burrus nihil fuerat et nihil potuerat antequam Agrippinae favore ad praefecturam praetorii admotus erat, Seneca exul inter Corsos vitam toleraverat antequam ab eadem femina ad summa extollebatur; v. XII 8 et 42. Iam Agrippina hoc dicit, Senecam et Burrum omnia sua sibi debere et sine se nihil esse, si ipsa vellet, fore ut uterque priori fortunae redderetur, ut Burrus rursus nullius pretii existimationisque homo (*vilis*) evaderet, Seneca in exilium migraret; hoc statu venirent in castra praetoria generis humani regimen expostulantes. Conf. H. IV 80: *unde paulatim levior viliorque haberi* (Antonius). Lipsiana coniectura *inde debilis* Orellio probata resolvendi arti convenit, sententiae repugnat: nam *debilis*, h. e. trunca manu, Burrus esse non desiit, cum factus est praetorii praefectus. Ineptum igitur est dicere hoc, fore ut rursus debilis fiat. Quod statim sequitur *professoria lingua* (*mit schulmeisterlicher Zunge*) est ἅπαξ λεγόμενον: quippe ira mulieris atrocis insolita sectatur et profert.

Cap. 15. *quo sextum decimum aetatis annum:* quod ante me legebatur *quartum decimum*, planissime repugnat iis quae a Tacito XII 25 de aetate Britannici tradita legimus. Nero enim hoc tempore duodeviginti annos natus erat, ut apparet ex XII 58, XIII 6 (conf. Sueton. Ner. 6 et 8, etiam annot. ad XII 25), idemque *biennio maior*

aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam modo ipsius indolem, levi quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset. Festis Saturno diebus, inter alia aequalium ludicra, regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diversa nec ruborem adlatura: ubi Britannico iussit exurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis, ille constanter exorsus est carmen quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. Unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero intellecta invidia odium intendit; urgentibusque Agrippinae minis, quia nullum crimen neque iubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur, pararique venenum iubet, ministro Pollione Iulio praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama. Nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit,

1. *brittannicus* Mª. 2. *levi quidem* Freinshemius: Mª *ut quidam*, G *ut quidem*. 3. *faborem* pr Mª. 4. *equalium ludicā* Mª. *R* (cum lineola superducta) *regnum* Mª. 6. *allatura* Mª. *brittannico* Mª. *exurgeret* GMª, non *exs*. 14. *cedem* Mª. 18. *brittannico* Mª.

fuit quam Britannicus, referente Tacito XII 25. Porro artis criticae leges praecipiunt, ut potius hoc loco numerum XIV pro XVI perperam a librario positum existimemus, quam in illis verbis (XII 25) *biennio maiorem* vitium quaeramus.

levi: huius vocabuli feliciter a Freinshemio restituti prior pars post *indolē* periit, altera delitescit in corrupto *ut*, h. e. *ui* sive *vi*. Talem emendationem Orellius appellat 'coniecturam prorsus improbabilem'! *Leve* id experimentum erat ut in ludo editum.

regnum lusu sortientium: lusum describit Pollux IX 110: *βασιλίνδα μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν διακληρωθέντες ὁ μὲν βασιλεὺς τάττῃ τὸ πρακτέον, ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πᾶν τὸ ταχθὲν ὑπεκπονῇ.* Cf. Arriani Dissert. Epictet. I 25. Luciani Saturn. 4. Quod Mª praebet *R. regnum* (Regius *Ro. regnum*, A *Rome regnum*, G *Ro.* habet a recentiore manu supra versum), sigla illa haud dubie ita prodiit, ut primo littera *r* ante *regnum* casu quodam repeteretur (*rregnum*), deinde perperam *R. regnum* solveretur et explicaretur. *Regnum Romanum* nullum erat, sed erat *imperium*, ut imperator Romanus et princeps, non rex et dominus, neque, si esset, nunc de eo regno Tacitus locutus est.

nam ut proximus — olim provisum erat: haec interponit narrator, ut lector intelligat cur tam

tramisitque exoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat ne statim saeviret. Sed Nero lenti sceleris impatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam praecipitem necem quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus
16 cognitis antea venenis rapidum. Mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria et parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit ut vox pariter et spiritus raperentur. Trepidatur a circumsedentibus; diffugiunt inprudentes. At quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis et nescio

1. *tramisitque* M^a, *transmisitque* G. *albo* M^a. 2. *sevirct* M^a. *inp.* M^a. 3. *iubere sup* (in fine versus) *supplicium* M^a. *venefice* M^a. 4. *securitale* M^a. 6. *urgerentur* M^a: G *urgeretur*. *deqquitur* superscr. *o* priori *q* M^a. 10. *brittanico* M^a. *cibus — delectus ex ministri gustu explorabatur* G et M^a, in quo post v. *ministri* una littera erasa est: *cibos — ministris — explorabat* Danesius, referente Ursino, probante Lipsio. 11. *omitteret* GM^a: emendavit Beroaldus. 12. *proderet* G. 13. *brittannico* M^a. 14. *ferbore* M^a. *affunditur* M^a. 16. *spiritus eius* GM^a: delevit *eius* auctoritate cod. Regii Ernestius.

facile et secure Neronis intimi grassari veneno in Britannicum potuerint. Falso his verbis etiam Pollionem Iulium significari putat Orellius. De Locusta v. XII 66.

cognitis antea venenis: Sueton. Ner. 33: *coegitque* (Nero Locustam) *se coram in cubiculo quam posset velocissimum ac praesentaneum coquere. Deinde in haedo expertus, postquam is quinque horas protraxit, iterum ac saepius recoctum porcello obiecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium darique coenanti secum Britannico imperavit.*

Cap. 16. *cibos — delectus ex ministris gustu explorabat:* ad scripturam *ministris* pro *ministri* vetustissimus codex ipse ducit, eo quod littera post *ministri* erasa est; itaque vocabulum *delectus* attentare minime licet, ut Dübnerus fecit scribens *delecti ex ministris gustu explorabatur.* Immo corruptio profecta est a nomine *cibos*, quod cum *cibus* scripsisset librarius in eum errorem inductus sequente voce *potusque*, consequens erat ut mox *explorabatur* pro *explorabat* daret et in *ministris*, ut recte repraesentaverat, ultimam eradendo deleret.

similis, solitum ita ait, per comitialem morbum, quo primum ab infantia adflictaretur, et redituros paulatim visus sensusque. At Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse ac sororem Britannici constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem caritatem, omnis adfectus abscondere didicerat. Ita post breve silentium repetita convivii laetitia. 17
Nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique iam homi-

2. *adflictaretur* editor: Mª *afflictaretur brittannicus*. 3. *agrippina* Mª. 4. *p̄meretur* Mª. *ac* editor: Mª *octabiam*. 5. *sup̄mum* Mª. 7. *omnis afectus* Mª. 9. *brittannici* Mª. *coniuncxit* Mª. 11. *dm* cum lin. Mª. 12. *ptendi* (*p* caudata, id est *protendi*) Mª. *iam* editor: codices et edd. *etiam*.

quo primum ab infantia adflictaretur: bis per hunc locum nomina quae sponte se offerunt permoleste vulgo comparent, h. l. *Britannicus* post *adflictaretur*, mox *Octaviam* ante *sororem*. *Britannicus* vero non ab ipso operis auctore profectus esse potest, quod eius nomen paulo ante positum recens in legentium mente haeret, nunc vero in fine enuntiati claudicans et loco inepto succedit in tradita scriptura. Etenim Neronis verba *ad praesentes de praesente dicta* referuntur, qua in re nomina iustum est reticeri ab artifice ad imitandum in primis valido. Quippe oratione recta iste sic loquetur: *solet ita, comitialis morbus est*: *infans etiam eo adflictabatur; visus sensusque paulatim redibunt.* Simul causam, lector, intelliges cur nullo pronomine adiecto (verbi causa *solitum eum*) Tacitus Britannicum designaverit, nedum nomen plane inutile artique adversum et infestum posuerit. Accedo ad *Octaviam*, cuius nomen alia ratione ortum est. Nam quod in Mª legitur *fuisse octabiam sororem brittannici*, in hac lectione omissa particula *ac*, ad sententiam utique necessaria, ostendit nomen supervacaneum natum esse inde, quod scriba Medicei in ἀρχετύπῳ *oc* pro *ac* aut legit aut legere se credidit, idque *Octaviam* perperam interpretatus est. Inde libri interpolati duo (G et Bodl.) soloece *ac Octaviam*, alii correcto vitio *atque Octaviam*, postremo Regius et editio princeps *fuisse Britannici sororem Octaviam*, quae conamina ex impuro fonte profecta inania sunt et a veritate semper magis deflectunt. *Primum ab infantia* est *statim ab inf.* Cf. XIV 63: *huic* (Octaviae) *primum nuptiarum dies loco funeris fuit.*

Cap. 17. *in campo tamen Martis sepultus est:* reliquias Britannici monumento Augusti illatas esse vere statuit Lipsius: v. I 8, III 4. Id postero die factum est. Suetonius Ner. 33: *postero die raptim inter maximos imbres translaticio extulit funere.* A Tacito discedit Dio LXI 7.

num ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. Tradunt plerique eorum temporum scriptores crebris ante exitium diebus inlusum isse pueritiae Britannici Neronem, ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae, ne tempore quidem ad complexum sororum dato, ante oculos inimici properata sit in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quam veneno pollutum. Festinationem exequiarum edicto Caesar defendit, a maioribus institutum referens subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere. Ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque

2. *aestimantes* Vat. 1958: *extimantes* in *est.* corr. fortasse ab eadem manu M^{a}, *existimantes* BR, *estim.* G. 3. *esse* M^{a} cum ceteris: correxit Lipsius. *brittannici* M^{a}. 4. *seva* M^{a}. 5. *mense* M^{a}. 6. *sororum* M^{a}, *sorori* G. 7. *sup̄mum* M^{a}. 8. *exs.* Or. *ediceo* M^{a}. 9. *defendit Id* (*a* supra ascripto) *maioribus* M^{a}: *defendit id amaioribus* G. 11. *et sibi* G: *exibi* M^{a}. *ãmisso* M^{a}. *re.p.* M^{a}. 12. *fobendum* M^{a}.

cui plerique iam hominum ignoscebant: converte *womit bereits viele von den Menschen Nachsicht hatten.* Notat vir gravis levitatem et facilitatem aequalium Neronis, postquam non perinde deos sensisse subsignificavit. *Iam* dedit respiciens conversionem animorum a consternatione proximae noctis usque ad sepulturae tempus (posterum diem) consecutam. Sed perinepte *etiam* vulgo legitur et hoc sicco pede praetereunt interpretes, quasi ante dictum esset deos ignovisse facinori Neronis, ut consequi posset *etiam* homines ignovisse. Sed plane contrarium de ira deorum praecessit. Sin quis dicat opponi *vulgus* et *plerosque hominum*, equidem edoceri velim quomodo Tacitus sic *plerique etiam* collocare potuerit, ubi debuit *etiam plerique.* Vitium *etiam* ita emersit, ut tracta ex priore *plerique* ultima littera primum *eiam* et a proximo librario *etiam* scriberetur.

antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes: h. e. animo suo reputantes et pendentes antiquas fratrum discordias cet. Hoc reputare et expendere Latine est *aestimare*, non *existimare.*

inlusum isse pueritiae Britannici Neronem: *pueritiae* est Graecorum τῇ ὥρᾳ. Caste pro more loquitur in re lubrica et abominanda. Cf. annot. ad VI 1. *ad complexum sororum dato:* sorores intelliguntur Octavia coniux Neronis et Antonia Cornelio Sullae, cui Fausto cognomen, tunc matrimonio iuncta; v. c. 23 et 47. Sueton. Claud. 27. Ner. 35.

defendit: vocula *id* aut ex postrema verbi antecedentis syllaba perperam repetita, dein male correcta (*defendit it, defendit id*) originem duxisse, ut Ernestius opinabatur, aut ex praepositione *a* iuxta solitam aberrationem *u* scripta, mox in *id* prave mutata prodisse videatur: nam *a* in M^{a} super inutilem hanc vocem ascripta est.

principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita. Exin largitione potissimos amicorum auxit. Nec de- 18
fuere qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod domos villas id temporis quasi praedam divisissent. Alii necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos et centuriones comiter excipere: nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes. Cognitum id Neroni, excubiasque militares, quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri servabantur, et Germanos super eundem honorem custodes additos digredi iubet. Ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam quae Antoniae fuerat, quotiens ipse illuc ventitaret, saeptus

3. *arguerent* (*nt* ex corr.) M^a. 4. *villas* M^a cum ceteris, *villasque* Puteolanus. 5. *scelere* M^a. 6. *quenque* M^a. 7. *obstrincxisset* M^a. *liniri* M^a. 8. *amici* M^a. 10. *corripere* coni. Lipsius. 12. *quereret* M^a. 13. *imperatoris solitum ut* M^a: correxit Lipsius. 15. *degredi* coni. Ernestius. *coetus* pr M^a. 17. *antonie* M^a.

Cap. 18. *viros gravitatem adseverantes:* Senecam significat et Burrum. Cf. Dionis excerpta LXI 10. *Asseverare* est verbis ostendere et prae se ferre. *pecunias quasi in subsidium corripiens:* haec addidit ut quo tenderent praecedentia *crebra cum amicis secreta habere*, recte intelligeretur: nam Romano lectori mulieris cum amicis secreta vulgo longe aliud significant. Ideo participium infinitivi formae nunc praelatum est.

quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri servabantur: qui codicum lectione acquiescunt, *quae ut coniugi imperatoris solitum, ut matri servabantur*, ii non reputaverunt sic alterum *ut* plane supervacaneum esse: sic enim prius non refertur ad nomen *coniugi* sed ad verbum *solitum*, ut aut nullam subsequi particulam aut aliam (*ita*) oporteat. Dexterrima Lipsii emendatione Taciti ars qua opposita varia componere amat, egregie vindicatur.

digredi iubet: verbum *digredi* nihil significat nisi stationem illam omitti militesque in alium usum transferri, id quod satis est. Ernestius memor locutionis *de statione degredi* scripsit *degredi iubet*, sed quod statim sequitur *digrediens*, eo etiam hoc *digredi* defenditur. Cf. Suetonius Ner. 34: *abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque et Palatio expulit.*

Cap. 19. *amore an odio incertum:* forma *incertas* praegresso nomini *feminas* imprudenter assimilata est. Significatu passivo apud Latinos *incertus* tunc ponitur, cum

19 turba centurionum et post breve osculum digrediens. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixa. Statim relictum Agrippinae limen. Nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas, amore an odio incertum. Ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio Gai Silii a Messalina depulsam supra rettuli, insignis genere forma lascivia, et Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuvenem a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, impudicam et vergentem annis dictitans, non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanae maritus poteretur. Illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et saepius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere, coniugioque eius et iam imperio rem publi-

1. *nichil* Mª. 3. *nixae* coni. Lipsius. 5. *incertum* G: Mª Bud. Reg. Bodl. *incertas*. *iulia* Mª: correxit Lipsius. 6. *C.* Mª. *Silia messalina* Mª, *silii ac messalina* G. 7. *lauscivia* Mª. 9. *silane* Mª. *inp.* Mª. 12. *speculationis oblata* Mª, *speculationis causa oblata* BG: tacite correxit Lipsius, praeeunte Puteolano qui *spe ultionis causa obl.* 13. *Titurium* coni. Lipsius. *differens* Mª. 14. *brittannici* Mª. *octavie* Mª. 16. *dibo* Mª. 17. *etiam perio* Mª. *rem.p.* Mª.

enuntiatum explicativum cum verbo *esse* aut alio subsequitur. Sallust. Iugurth. 49: *Numidae — neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti quidnam esset.* Liv. XXVII 37: *is quoque* (infans) *incertus mas an femina esset natus erat.* XXX 35: *Italicos intervallo quoque diremptos* (instruxit), *incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos.* XXXI 12: *in Sabinis incertus infans natus masculus an femina esset.* Tacit. XI 9: *distractis Orientis viribus et quonam inclinarent incertis.* Quemadmodum nunc *incertum*, sic XIV 7: *quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros.*

supra rettuli: XII 12. *Sextium Africanum*: conf. XIV 46. Acta fratrum arvalium tab. XIV apud Marinium pag. CXVII: *T. Sextius Africanus Salvius Otho.*

opibus et orbitate: h. e. orbae opibus. *Iturium*: nominis forma aliunde non cognita. In titulis nonnulli *Titurii* memorantur, nemo *Iturius*, sed sic constanter pluribus locis et Mª et ceteri libri, excepto XIV 12, ubi additum *t* facilem habet explicationem.

per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto: mater Plauto fuit Iulia, filia Drusi Caesaris (huic pater Tiberius, avus Augustus), quae primum Neroni Germanici filio (III 29), dein Rubellio Blando, patri huius Rubellii Plauti, nupserat (VI 27). Et Plauto et Neroni Augustus abavus fuit;

cam rursus invadere. Haec Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiae Neronis amitae liberto, aperiunt. Qui laetus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur) Paridem histrionem, libertum et ipsum Domitiae, impulit ire propere crimenque atrociter deferre. Provecta 20 nox erat, et Neroni per vinolentiam trahebatur, cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret tamquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad

2. *domitie* Mª. *letus* Mª. 3. *emulatio* Mª. 6. *vinulentiam* Mª. 8. *mest.* Mª. 11. *tanq.* Mª.

v. XIII 34, XIV 53 et 55 et 57. Iuvenalis VIII 39: *tecum est mihi sermo, Rubelli Plaute, tumes alto Drusorum stemmate.* Plauti fata et extrema necessitas narrantur XIV 22 et 57—59: cf. XVI 10 et 30. H. I 14.

Domitiae Neronis amitae: soror fuit Domitiae Lepidae ab Agrippina perditae (XII 64 et 65). Ipsa veneno necata est a Nerone. Dionis excerpta LXI 17. Alia autem, puto, fuit cuius meminit Quintilianus VI 1 50: *quod est genus egregie tractatum a Passieno, cum Domitiae uxoris suae pecuniaria lite adversus fratrem eius Aënobarbum ageret.* Nam Crispo Passieno Agrippina, mater Neronis, nupta fuit post mortem Domitii mariti prioris et aliquamdiu ante quam Claudio iungebatur. Cui matrimonio ut locus fieret, priorem Passieni uxorem (Domitiam) aut morte aut discidio concessisse oportuit. De morte facilius creditur, cum Agrippinam in locum sororis mariti prioris discidio separatae venisse haud verisimile videatur. Itaque Domitia illa Passieno ante Agrippinam matrimonio iuncta soror aetate minor huius Domitiae videtur fuisse. De Passieno dictum ad VI 20.

Cap. 20. *luxus principis*: IV 67: *occultos in luxus et malum otium resolutus.* De noctibus Neronis cf. XVI 20. *Fabius Rusticus:* cf. Ind. hist. Non est quem Quintilianus significat nomine non appellato X 1 104; v. Prooemii cap. 8.

Caecinam Tuscum: postea Nero hominem Aegypto praefecit et sub finem imperii relegavit. Dio apud Xiphilinum LXIII 18. Sueton. 35. Neroni tamen superstes fuit et patriae redditus, ut liquet ex H. III 38.

Plinius: in *historia temporum suorum*, quam composuerat *a fine Aufidii Bassi libris triginta uno*, excipiens narrationem rerum ab Aufidio Basso (Quintil. X 1 103. Tacit. O. 23. Seneca Epist. 30. Seneca pater Suasor. 7), extremis Claudii annis, ut videtur, vita defuncto, relictam. Plin. Epist. III 5: *a fine Aufidii Bassi triginta unus.* Plin. N. H. ad Titum Vespasianum Praefat.: *nos quidem omnes, patrem, te, fratremque diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii Bassi.* Idem II 85: *non minus mirum ostentum et nostra cognovit aetas anno Neronis principis su-*

Caecinam Tuscum codicillos, mandata ei praetoriarum cohortium cura, sed ope Senecae dignationem Burro retentam. Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. Sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus, et interficiendae matris avidus, non prius differri potuit quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuicumque, nedum parenti, defensionem tribuendam; nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo adferri. Refugitare tenebras et vigilatam convivio noctem, omniaque teme-
21 ritati et inscitiae propiora. Sic lenito principis metu, et luce

1. *cecinam* M^{a}. 2 et 4. *senece* M^{a}. 3. *Cluvius* M^{a}: G *clivius*. *nichil* M^{a}. 5. *secuturi* GM^{a}, *secuti* Reg. *q* cum lineola traversa M^{a}, unde *qui* ABR, *quae* G. 6. *interficiende* M^{a}. 8. *cuicunque* Or. 10. *aff.* Or. *refugitare* editor: codices *refutare*.

premo, sicut in rebus eius exposuimus. 106 sub finem: *amnes retro fluere et nostra vidit aetas Neronis principis annis supremis, sicut in rebus eius rettulimus.* Cf. Tacit. XV 53. H. III 28 et annot. ad I 69.

Cluvius: iterum ad hunc provocat XIV 2. Sed virum consularem Cluvium Rufum, eloquentiae laude celebratum H. IV 43 (eodem spectat H. I 8 *vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus*), a Tacito nunquam nisi cognomine addito laudatum (v. Ind. hist.), hunc rerum esse scriptorem non verisimile videtur. Viri consularis meminit cognomine haud neglecto Suetonius in Nerone 21 et Dio apud Xiphilinum LXIII 14. Contra historici mentionem iniicit, nullo memorato cognomine, ut apud Tacitum, Plinius Epist. IX 19, ubi Cluvius haec locutus traditur: *scis, Vergini, quae historiae fides debeatur. Proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velis, rogo ignoscas.*

refugitare tenebras et vigilatam convivio noctem: haec de sua animi sententia Burrus dicit, ut Nero inde petat quod imitetur; simul vir gravis eloqui reformidat quod audientis et legentis mens facile supplet, *ad hoc facinus patrandum.* Theodisce convertas: *besondere Scheu habe er vor Finsterniss und einer schmausend durchwachten Nacht, und alles sehe ja nach Unbesonnenheit und Unwissenheit aus.* Verba *omniaqne temeritati et inscitiae propiora* respiciunt ea quae delata erant ad principem. Structuram explicavi ad III 40. Si tenemus *refutare*, ut est in codicibus, gravem obscuritatis notam hic noster non effugiet. Id Huetius sic accepit: tenebras et vigilatam convivio noctem refutare ac reiicere et indicium tam praepostero tempore per insidias ac dolum malum factum et omne consilium tali ex indicio captum. Sed *refutare* apud Tacitum neque idem valet unquam quod reiicere, neque notionem refutandi et reiiciendi complecti potest, et obiectum ab Huetio suppletum omnino deest. Neque vero vigiliae Neronis et convivium refutare possunt indicium allatum ex alia domo, ubi eadem non celebrata sunt.

orta, itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poenas lueret. Burrus iis mandatis, Seneca coram, fungebatur: aderant et ex libertis arbitri sermonis. Deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum. Et Agrippina ferociae memor 'non miror' inquit 'Silanam, nunquam edito partu, matrum adfectus ignotos habere. Neque enim perinde a parentibus liberi quam ab impudica adulteri mutantur. Nec si Iturius et Calvisius adesis omnibus fortunis novissimam suscipiendae accusationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii aut Caesari conscientia subeunda est. Nam Domitiae inimicitiis gratias agerem, si benivolentia mecum in Neronem meum certaret: nunc per concubinum Atimetum et histrionem Paridem quasi scenae fabulas componit. Baiarum suarum piscinas extollebat, cum meis consiliis adoptio et proconsulare ius et designatio consulatus et cetera apiscendo imperio praepararentur. At exi-

2. *pena* addito *s* ex corr. M^a. 3. *arbitris* pr M^a. 6. *numquam* M^a. *aff.* Or. 7. *pinde* (*p* caudata, id est *proinde*) M^a. *inp.* M^a. 9. *suscipiendă* M^a: G *suscipiendae*. 13. *concubinam* GM^a. *scene* M^a. 16. *aut* BGM^a. *exs.* Or.

Sin Burrum subiectum esse, ut est sane, existimemus, neque *redarguendi* significatio neque *reiiciendi*, etiamsi hanc commodi admittamus, ceteris apta erit. Lipsii coniectura *reputaret* vim orationis infringit. Quid multa? media syllaba hoc loco, ut centum aliis, omissa est (refug*it*are).

Cap. 21. *aderant et ex libertis arbitri sermonis:* admonitio est, unde discat lector cum omnibus in rebus ire in deterius novam aulam, tum libertis maiorem fidem haberi quam viris fidis et gravitatis cognitae, iamque res gravissimas nullius dignitatis pretiique hominibus committi. Cf. XI 37: *custos et exactor e libertis Euodus datus.* XIV 59: *talem eum* (Plautum) *centurio trucidavit, coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, praeposuerat.* Cf. XIV 39. H. I 87.

nec — ideo mihi infamia parricidii aut Caesari conscientia subeunda est: parricidii infamia caedes Neronis intelligitur, infamiam facturа matri, si audere eam sustinuisset, non Agrippinae exitium, quae morte a filio illata nullam infamiam subire potuit. Rursus *conscientiam parricidii subire* de Nerone dictum est conscientiam suam *parricidii* (*matricidii*) scelere illigaturo. *Parricidium* nunc ampliore significatu de caede a proximis et carissimis invicem patrata positum est, cum proprie sit *patricidium*, unde factum *pāricidium* et porro duplicata littera quotidianae pronuntiationis usu *parricidium.*

extollebat: cf. XI 1 *quos* (hortos) *ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat*: add. I 2 et 3, VI 42. *at existat:* postquam exposuit quae pro Nerone eiusque imperio molita sit, pergit

stat qui cohortes in urbe temptatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat. Vivere ego Britannico potiente rerum poteram? Ac si Plautus aut quis alius rem publicam iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina obiciant, quibus nisi a filio absolvi non possim.' Commotis qui aderant, ultroque spiritus eius mitigantibus, colloquium filii exposcit; ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et
22 praemia amicis obtinuit. Praefectura annonae Faenio Rufo, cura ludorum, qui a Caesare parabantur, Arruntio Stellae, Aegyptus Gaio Balbillo permittuntur. Syria Publio Anteio destinata: sed variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est. At Silana in exilium acta. Calvisius quoque et Iturius relegantur. De Atimeto supplicium sumptum,

2. *labefactatam* M^a, non *labefactam*. 3. *brittannico* M^a. *potentie* pr M^a. 4. *ac* M^a (non Lipsii *at*). *rem.p.* M^a. 8. *spm* cum lin. super litt. *m*, quae litt. est a manu recentiore. *expos* (in fine versus) *scit* M^a. 9. *nichil* M^a. 11. *senio* M^a. idem *Faenii* nomen septies per *ae* effert (et sic tituli plerumque) 14 51, 15 50 et 53 et 61 et 66 (bis) et 68, bis per *e* 14 57, 16 12. Orellius ad 14 51: '*Faenii* septem sunt apud Gruterum, decem apud Muratorium, *Fenius* unus apud Gruterum.' 13. *G.* M^a. 13. *panteIo* M^a: correxit Lipsius. cf. 16 14. 14. *sed* Heinsius: codices *et*.

ad contrarium '*at existat qui* coarguat me unquam fecisse quidquam, quo idem imperium Neroni eriperetur.' Huic sententiae efferendae egregie servit particula *at*, ut est in editione principe et omnibus ante Rhenanum, non *aut* ex M^a et B G a nonnullis editoribus reposita. *Aut* apta erat, si Agrippina ante dicta subsequentibus confirmare ac probare voluisset; cf. III 54 *aut si quis* cet. Sed Agrippina id potius intendit, ut ex ante positis argumenta petat quibus redarguat quae sequuntur plane contraria prioribus.

rem publicam iudicaturus obtinuerit: *rem publicam iudicaturus* noli coniungere, *rem* enim *publicam iudicare* neque alii Latini scriptores neque Tacitus unquam dixit, sed *iudicaturus* absolute interpositum: converte: *und wenn Plautus oder ein Anderer über den Staat im Besitze der richterlichen Gewalt gebieten würde.*

Cap. 22. *Gaio Balbillo*: Seneca N. Q. IV 2: *Balbillus vir optimus profectusque in omni litterarum genere rarissimi auctor est, cum ipse praefectus obtineret Aegyptum, Heracleotico ostio Nili — spectaculo sibi fuisse delphinorum a mari concurrentium et crocodilorum a flumine adversum agmen agentium velut pro partibus proelium.* Cf. Plin. N. H. XIX 1. *P. Anteio*: XVI 14: *caritate Agrippinae invisus Neroni.*

validiore apud libidines principis Paride quam ut poena adficeretur. Plautus ad praesens silentio transmissus est.

23 Deferuntur dehinc consensisse Pallas ac Burrus, ut Cornelius Sulla, claritudine generis et adfinitate Claudii, cui per nuptias Antoniae gener erat, ad imperium vocaretur. Eius accusationis auctor extitit Paetus quidam, exercendis apud aerarium sectionibus famosus et tum vanitatis manifestus. Nec tam grata Pallantis innocentia quam gravis superbia fuit: quippe nominatis libertis eius, quos conscios haberet, respondit nihil unquam se domi nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret. Burrus, quamvis reus, inter iudices sententiam dixit. Exiliumque accusatori inrogatum, et tabulae exustae sunt, quibus oblitterata aerarii nomina retrahebat.

24 Fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis esset, utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret, et plebes daret ex-

1. *aff.* Or. 4. *cui*] *q* cum lin. traversa (*qui*) M^a: emendavit Rhenanus. 7. *erarium* M^a. 10. *nichil* M^a. *ũquam* M^a. 13. *auxiliumque* M^a: *exiliumque* G. *exuste* M^a. 14. *monimenta* M^a, *monumenta* G: *nomina* I. Fr. Gronovius. *retrahebãt* M^a: G *trahebat.* 15. *finẽ annis* M^a: correctum in G.

Cap. 23. *per nuptias Antoniae:* vid. ad XIII 17. Faustus Sulla, gener Claudii, consul erat a. 52 (805): XII 52; relegatus est a. 58 (811): XIII 47; interemptus a. 62: XIV 57. *exercendis apud aerarium sectionibus famosus:* aerarii nomina acerbius quam aequius exquirebat, quorum in bona damnatione et hasta (h. e. sectionibus) saeviret, quemadmodum, sed aliis in rebus, Corbulonem fecisse legimus III 31. Cf. H. I 20 et 90. *et tabulae exustae sunt, quibus — retrahebat:* cum Paeti mendacitas modo cognita esset et illustri documento probata, etiam in ceteris rebus fides ei derogata est. *Oblitterata aerarii nomina* (*Schuldtitel*) sunt debitores, quorum aes alienum aerario solvendum certis rationibus tabulisque vindicari non potuit. Quod codices praebent *monimenta* pro nominibus, librarii vitium est: nam *aerarii monimenta* ipsae tabulae sunt modo memoratae, in quibus debitores (*nomina*) Paetus perscripserat.

Cap. 24. *ex responso haruspicum:* haruspicum collegium a Claudio institutum: v. XI 15. Ceterum *et* in M^a pro *ex* originem cepit ex ea Italorum pronuntiatione qua *ex* fere tamquam *es* effertur. Cf. I 2 *novis ex rebus aucti.* 24 *ex re consulturum.* G. 29 *non multum ex ripa.* Plinius XV 40 (30) *lauriferam tellurem illam osculatus ex responso.* Semper tamen *e re publica*, ubi idem quod utile rei publicae, ut II 33, III 53, IV 31.

Cap. 25. *qua Nero itinera:* de eadem re cf. Sueton. Ner. 26

perimentum, an amotis custodibus modestiam retineret. Urbem princeps lustravit ex responso haruspicum, quod Iovis ac Minervae aedes de caelo tactae erant.

25 Quinto Volusio Publio Scipione consulibus otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera urbis et lupanaria et deverticula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent venditioni exposita et obviis vulnera inferrent, adversus ignaros adeo ut ipse quoque exciperet ictus et ore praeferret. Deinde ubi Caesarem esse qui grassaretur pernotuit augebanturque iniuriae adversus viros feminasque insignes, et quidam permissa semel licentia sub nomine Neronis inulti propriis cum globis eadem exercebant, et in modum captivitatis nox agebatur. Iuliusque Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, quia vi attemptantem acriter reppulerat, deinde adgnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero autem metuentior

2. *ex* editor: M^{a} *et*, G *e* cum cauda superne, vulgo *e*. *aruspicum* GM^{a}. *iobis* M^{a}. 3. *tacte* M^{a}. 4. *Q.* M^{a}. *P.* M^{a}. *cos.* cum lin. M^{a}. 5. *faeda* M^{a}. 7. *venditioni* Spirensis et G a sec. manu: M^{a} *venditionē*, B pr G *ad venditionem*. 13. *et in* G: *T.* M^{a}. *Iuliusque* Orellius duce M^{a} qui *Iulius quē: Iulius quidem* G (in marg. a pr. m.) R, *quidem* om B et Oxonienses, *quidam* Lipsius. in M^{a} hic ut saepe abundat nota litterae *m*. 15. *congressi* M^{a}: G *congressus*. *qauia temptantem* cum lin. traversa in litt. *q* M^{a}: emendatum in A. 16. *adgnitum*] *adagnitum* M^{a}, *agnitum* G et vulgo. 17. *autem*] utrum M^{a} habeat *aū* an *tū*, Baiterus distinguere nequivit.

et Dionis excerpta apud Xiphilinum LXI 8 et 9. *venditioni exposita:* falsam scripturam *venditionem* procrearunt verba male iuncta *raperent venditionem*. *et quidam:* hinc ἀπόδοσις incipit, quae est duplex, *et quidam — exercebant, et — nox agebatur*. Adversus artem et elegantiam peccat Orellius tertia apodosi a voce *Iuliusque* inchoata.

sed qui nondum honorem capessisset: in senatum allectus non erat, quia quaesturam nondum gesserat. Itaque senator non erat, sed tamen senatorii ordinis ob censum; v. annot. ad II 59. Dio parum accurate βουλευτήν appellavit, rectius Suetonius *laticlavium*.

deinde adgnitum oraverat: per litteras veniam petivit sive *oravit* principem et immiti Neronis responso exceptus vim vitae attulit, ut Dio tradit. Quapropter repudianda Doederlinii coniectura *adoraverat*. *Adagnitum*, quod BM^{a} praebent, natum ex forma *adgnitum* a librario corrupta et mollita.

quasi exprobrasset: quasi non preces essent veniam orantis, sed exprobratio. *Nero autem:* si constaret in M^{a} *tū* inesse, cum Petersenio *tamen* restituerem; nunc acquiescere in vulgata tutius videtur.

in posterum milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent: si a laesis validius ageretur, arma inferebant. Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit impunitate et praemiis, atque ipse occultus et plerumque coram prospectans, donec discordi populo, et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur milesque theatro rursum adsideret.

26 Per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur. Nec deerant qui censerent.

3. *lesis* M^{a}. *inferebant* GM^{a}, non *inserebant* Regii, nec *inferrent* Puteolani. 4. *uelud* M^{a}. *prael.* Or. 5. *inp.* M^{a}. 10. *et flagitatumque* M^{a}: G *efflagitatumque.*

et fautores histrionum: hoc addidit, ut quam *licentiam ludicram* dixerit, in aperto esset.

Cap. 26. *perscripsere tamen consensum senatus*: conf. XIV 49: *consules perficere decretum senatus non ausi de consensu scripsere Caesari.* Id ipsum quod consensum Caesari scribebant, modus quidam fuit percontandi, unde usus subsequentis particulae *(an)* explicandus est. Quod legimus in Mª *Icsensum* est *in consensum*, ut scriptum in BG; *in* repetitum ex versu praecedente, cum in antiquo exemplo sic scriptum esset:
incipere non ausi — perscr. tamen *~~c~~sensum senatus, ille an auct. const.*

ut, vine an aequo — consultarent: enuntiatum *vine an aequo cum patronis iure agerent* pendet e verbis *ut sententiam eorum consultarent.* Liberti per ludibrium sententiam patronorum exquirunt, vine an aequo iure cum iis agi a sese velint, inter quae iidem manus intentando ad vim promptos se esse ostendunt. III 36: *liberlique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur.* Ceterum particulam VT, ante VI in ἀρχετύπῳ aut omissam aut a recentiore librario non visam, et sententia requirit et praegressum *eo* postulat. Idem vidit Ernestius; Seyffertus proposuit *ut vine — agerent, sententiam amicorum consultarent*, et mox *verberibus placitis* commendavit. Quae tentavit Bezzenberger in his verbis, apud ipsum recognoscenda lectoribus relinquo.

impune vel poenam suam dissuadentes: hoc dicunt, 'liberti eo ludibrii prolabuntur ut poenam sui impune dissuadeant patronis.' Nam si, quod unum laeso patrono concessum est, ultra centesimum lapidem relegentur, sese lucrum facere, patronos damnum capere iactant: quippe futurum ut ipsi remoti a patronis omni in eos officio soluti sint et in fecundissimam Italiae regionem abeant. Verbum *impulere*, ut est in codicibus, non aptum est ac sententiam plane pessumdat. Natum illud esse puto ex syllaba perperam repetita (impun*ene*), mox sinistre correcta (*impulere*). Post restitutum *impune* perapte succedunt *quid enim — relegel?*

centesimum ultra l. in oram Campaniae: vicesimum (id codices exhibent) vere correctum est: Cam-

Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen consensum senatus, ille an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos ei sententiae adversos, quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, ut, vine an aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune vel poenam suam dissuadentes. Quid enim aliud laeso patrono concessum quam ut centesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? Ceteras actiones promiscas et pares esse. Tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat. Nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem,

2. *tamen Icsènsum* cum lin. super litt. c. Mª. 3. *ei* Freinshemius: GMª *et*. 4. *libertatẽ* Mª. 5. *ut vine* editor: Mª *uine*, G *ui ne*. *equo* Mª. 6. *impune* mg. Gryphianae: codices *impulere*. 7. *penam* Mª. *leso* Mª. 8. *quam ut centesimum* praeeunte Lipsio Ryckius: Mª et G *quam uicesimum*. *campaniã* Mª. 9. *promissas* Mª, *permissas* G. 11. vix dubium quin fuerit *retinere*.

pania enim ab urbe non viginti lapidibus sed centum et amplius distat; Antonini Itinerarium CVII milliaria refert. Conf. l. 1 §. 4 Dig. *de officio praef. urbi* (I 12): *quidquid igitur intra urbem admittitur, ad praefectum urbi videtur pertinere: sed et si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad praefectum urbi pertinet.* Originem vitii sic explico: particula praecedente (*ut*) perperam adiuncta, in illo antiquo exemplari scriptum erat VTCENTESIMVM vel VICENTESIMVM: inde recentior scriba fecit VICESIMVM. Iam intelliges, lector, cur *ut* in Mª ante *uicesimum* desit. Ceterum dubitari vix poterit quin vel hanc poenam, dico centesimum ultra lapidem relegationem, non suo arbitrio patroni decernere potuerint: immo praefectum urbi adeuntes et libertorum in se contumeliam deferentes poenam illam irrogare solebant. Hoc tamen non erat *aequo iure* agere. Apte igitur pergunt illi libertorum vituperatores *ceteras actiones promiscas et pares esse.* Quid iuris hac in re Severo imperante et post fuerit, exponit l. 1 D. *de officio praefecti urbi* (I 12): *cum patronus contemni se a liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertum queratur, vel convicium se ab eo passum liberosque suos vel uxorem, vel quid huic simile obiiciat, praefectus urbi adiri solet, et pro modo querelae corrigere eum aut comminari aut fustibus castigare aut ulterius procedere in poena eius solet: nam et puniendi plerumque sunt liberti,* cet. Neronis seculo libertos contumeliae in patronos admissae manifestos *dediticiorum* numero fuisse crediderim: dediticii enim intra centesimum ab urbe lapidem morari prohibebantur, ac dediticiorum numero infimum libertorum genus erat; v. Gai Instit. Comment. I §. 12—15 et 26 et 27.

nec grave — retinendi libertatem: rara sane structura verborum, quam equidem tribuerim aberrationi describentis et verbum *retinere* prave cum *libertatem* ita iungentis, ut esset *retinendi libertatem* idem quod *retinendae libertatis* et utraque vox penderet ex

per quod adsecuti sint. At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coërceantur quos beneficia non mutavissent. Disserebatur contra paucorum culpam ipsis 27
exitiosam esse debere, nihil universorum iuri derogandum. Quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas; et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi. Si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum. Non frustra maiores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. Quin et manumittendi duas species institutas, ut

1. *abseculi* Mª. 2. *detrahi*, sed corr *r*, Mª. 4. *nichil* Mª.

priore *obsequium*, non ex *grave*, quae infinitivum requirit. Hoc video, sinistre provocari ad XV 5 *Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi*, item XV 21 *maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi:* nam in altero exemplo ex *tali modo* subiectum verbi *maneat* suppletur *modus*, in priore *vetus et infixum* substantivi vicem explere possunt (*firmum et vetus consilium*): idem nunc in voce exigua (*grave*) evenire vix potest.

Cap. 27. *late fusum id corpus:* prudens declinat nomen *ordinis:* liberti enim ordinem non efficiunt, sed posteri libertorum fusi sunt per ordinem senatorium, equestrem, etiam per tribus.

hinc plerumque tribus — in urbe conscriptas: tribus corpus est eorum qui suo aere suaque re aluntur, neque frumento publico sustentantur; v. ad. H. III 58. *Decuriae* cum varia significatione dicantur, nam et *equitum* decuriae sunt et *iudicum*, additis verbis *ministeria magistratibus et sacerdotibus* Tacitus indicavit, quas *decurias* nunc dici vellet. Liberti qua liberti non in tribubus, sed iidem multis modis ad civitatem pervenire poterant (v. Gai Instit. Comment. I §. 17 et 28 sqq. Ulpiani tit. III), et ita recte dictum *hinc tribus — conscriptas. Ministeria magistratibus et sacerdotibus* cogita scribas, lictores, viatores, praecones, calatores. Serior aetas *ministeriales et officiales* appellavit, quorum classes et genera in Notitia Dignitatum enumerantur. *Cohortes in urbe* sunt tres cohortes urbanae quibus praefectus urbis praeerat (v. ad I 8), et septem vigilum quas Augustus ex libertinis scripserat; v. Strabo V 3 7. Dio LV 26. L. 1 et 3 D. *de officio praefecti vigilum* (I 15). Hae vigilum cohortes, a Tacito H. III 64 memoratae, sub Augusti successoribus partim civibus partim libertis compositae erant; v. Dionis l. c.

manumittendi duas species institutas: altera iusta ac legitima erat manumissio, quae fiebat *vindicta* aut *censu* aut *testamento*, altera cum *per epistolam* aut *inter amicos* aut *convivii adhibitione* patronus servo libertatem donabat. Qui per hanc speciem manumissi, ii Latini Iuniani erant ac novo beneficio patroni per vindictam manumitti (Plin. Epist. VII 16: *facile deflectet ad te, si voles vindicta liberare quos proxime inter amicos manumisisti*) civitatemque assequi poterant. Gai Instit. Comm.

relinqueretur paenitentiae aut novo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinclo servitutis attineri. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet quod datum non adimeretur. Haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent. Nec multo post ereptus amitae libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat.

28 Manebat nihilo minus quaedam imago rei publicae. Nam inter Vibullium praetorem et plebei tribunum Antistium ortum

1. *penitentiae* Mª. 4. *hec* Mª. *scriptaque*, in mg. *scripsit*, Mª: *scripsitque* G. 5. *causa* Mª. 6. *nichil* Mª. *derogarent* Muretus: GMª omissa media syllaba *derogent*. 7. *amite* Mª. 10. *nichilo* Mª. *rei.p.* Mª. 11. *bibullium* Mª.

I §. 16—24, III §. 56. Epitom. I 1 §. 1 et 2. Ulpiani tit. I §. 5—10. *Paenitentiae* nomen quod sequitur, non spectat ad libertatis ademptionem, quae patronis etiam in Latinos Iunianos ante Commodi aetatem non competebat, ut vere docuit Ernestius, sed potius ad iustam manumissionem a patronis omittendam.

quos vindicta patronus non liberaverit: vulgarem legitime manumittendi modum memoravit: nam ea iustae manumissionis ratio, secundum quam libertas *testamento* data est, ob rei quae agebatur naturam omitti debebat. Idem de *censu* dicendum: censu enim lustrali qui iussu dominorum inter cives Romanos censum professi erant, ii in tribus descripti omni obsequii vinculo liberati et a domo patroni separati iam erant. Conf. Ulpiani t. I §. 8: *censu manumittebantur olim qui lustrali censu iussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur.*

in commune nihil derogarent: non eadem Claudii aequitas in libertos. Vid. c. 25: *ingratos et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem.* Dio LX 13.

ereptus amitae: Domitiae (vid. c. 19) ereptus est, falsum ingenuitatis iudicium pronuntiante praetore urbano: hoc enim illud est *quasi iure civili.* Cf. l. 3 §. 5 D. *de condictione caus.* (XII 4): *Neratius etiam libro Membranarum refert Paridem pantomimum a Domitia Neronis filia* (legendum cum Lipsio *Neronis consilio*) *decem* (sestertia), *quae ei pro libertate dederat, repetiisse per iudicem, nec fuisse quaesitum, an Domitia sciens liberum accepisset.* Inde discimus calumniam iuris sic institutam fuisse. Paris praetorem urbanum adiit ac decem sestertia repetivit quae olim Domitiae, cum bona fide quamvis ingenuus serviret, pro libertate dedisset. Praetor struente Nerone iudicem dabat non qui quaereret ingenuusne Paris esset necne, sed qui iudicaret utrum decem dederit an non dederit. Illo iudicante, id quod opus erat, dedisse Paridem, Domitiam reddere pecuniam Paridi eoque hunc ingenuum esse praetor pronuntiavit. Similem calumniam iuris cognoscas ex Ciceronis Divin. in Caecil. 17.

certamen, quod immodestos fautores histrionum et a praetore in vincla ductos tribunus omitti iussisset. Comprobavere patres, incusata Antistii licentia. Simul prohibiti tribuni ius praetorum et consulum praeripere, aut vocare ex Italia cum quibus lege agi posset. Addidit Lucius Piso designatus consul ne quid intra domum pro potestate adverterent, neve multam ab iis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent; medio temporis contra dicere liceret, deque eo consules statuerent. Cohibita artius et aedilium potestas, statutumque quantum curules, quantum plebei pignoris caperent vel poenae inrogarent. Eo Helvidius Priscus tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum aerarii

1. *inm.* M^a. 2. *conpr.* M^a. 4. *cos.* M^a. 5. *L.* M^a. *cos.* M^a. 7. *his* GM^a. *erarii* M^a. 9. *cos.* cum lin. M^a. *artius* M^a, *arcius* G. 10. *statumque*, ex corr. addito *tu*, M^a. 11. *paenae* M^a. *irr.* Or. 12. *tr. pl.* M^a.

Cap. 28. *comprobavere patres:* patres praetorem recte fecisse, licenter Antistium decreverunt. Verba *incusata Antistii licentia* modum comprobandi definiunt. *ne quid — adverterent:* formam Tacito solitam et in M^a servatam recentior G mutavit in *animadverterent:* sed Tacitum ubi de puniendo sermo est ponere constanter *advertere* recte Waltherus monuit comparatis locis II 32, III 52, IV 35 et 54, V 9, VI 40, adiecto non apte XII 51 *spirantem — advertere pastores:* nam ibi est *conspicari;* huic autem exprimendae notioni et cognatae *intelligere* tam *advertere* quam *animadvertere* Tacitus adhibet, veluti XV 74: *in praesens haud animadversum.*

ageret: h. e. *exerceret. Augere* ius hastae est numerum sectionum augere; Helvidio autem non id curae erat, *quotiens* ius hastae exerceretur, sed *quomodo.* Qui dictitant *ius hastae augere* idem esse ac ius legibus descriptum excedere, ii doceant velim verbum *augere* unquam eo significatu positum esse. Contra *agere* optime se habet. Conf. Sueton. Tit. 6: *praefecturam quoque praetorii suscepit, — egitque aliquanto incivilius;* idem Claud. 18: *urbis annonaeque curam sollicitissime semper egit.* Cf. Tiber. 24.

Cap. 29. *nam Augustus — praefectos*: quo anno hoc instituere Augustus coeperit definiri nequit. Cum ille haec novavit, quaestores aerario praepositi erant, non aediles, quod Lipsius existimavit Dionis verbis (XLIII 48) falso intellectis in excursu ad lib. 13. Dio et Suetonius hunc deligendi praefectos aerarii morem memorare aut obliti sunt aut neglexerunt, contenti alterum Augusti decretum rettulisse, ut statim videbimus. Lipsii error duplex est, primum quod ex his Dionis verbis *ἐν δ' οὖν τῷ ἔτει ἐκείνῳ* (709 a. u.) — *ἐπὶ τῆς διοικήσεως δύο τῶν πολιανομούντων, ἐπειδὴ ταμίας οὐδεὶς προκεχειροτόνητο, ἐγένοντο, aediles* sumpsit: immo illi praefecti duo aerarii ex numero eorum erant quos Iulius Caesar, cum in Hispaniam proficisceretur, custodes urbis (*πολιανομοῦντας*) cum Lepido reliquerat (v. Dio XLIII 28), iisque illa cura aerarii *extra ordinem* in

quaestorem contentiones proprias exercuit, tamquam ius hastae adversus inopes inclementer ageret. Dein princeps curam tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos transtulit.

29 Varie habita ac saepe mutata eius rei forma. Nam Augustus senatui permisit deligere praefectos; deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero praetorum qui praeessent. Neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quaestores rursum imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores promisit. Sed deerat robur aetatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.

1. *questorem* M^a^. *tāquam* M^a^. 2. *ageret* Riclefs Theodiscus interpres: corr M^a^ et ceteri *augeret;* ante videtur fuisse *auderet.* 3. *quest.* M^a^. 4. *sepe* M^a^. *mutata* Spirensis: Mª *Imitata* (sine puncto in l. *i*), G et edd. ante Orellianam *immutata.* 5. *senatui permisit deligere* hoc ordine M^a^, non *promisit*, ut narrat Pichena. *deinde* M^a^ (non *dein*). 8. *quest.* M^a^. 10. *etatis* M^a^. 11. *praefectura* GM^a^: correxit Pichena. 12. utrum in M^a^ *delecit* an *delexit* incertum erat Baitero.

unum annum commissa est. Sed gravius a vero aberrat, dum statuit quaestoribus post illa non rediisse eam curam et aediles aerario praefuisse per annos fere decem et septem usque ad a. 726 a. u. Hoc Lipsius temere collegit ex eodem Dionis loco, ubi legimus, *τὸ δ' οὖν κατὰ τὴν διοίκησιν, ἐξ ἐκείνου δι' ἅπερ εἶπον παρατραπέν, οὐκέτι τοῖς ταμίαις ἀεὶ ἐπετράπη, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον τοῖς ἐστρατηγηκόσι προσετάχθη*, sed Dio hoc dicit, aerarii curam, tum primum ob dictas causas extra ordinem commissam (*ἐξ ἐκείνου δι' ἅπερ εἶπον παρατραπέν*), iam quaestoribus *non semper* (*οὐκέτι — ἀεί*) traditam esse, sed *postremo* (*τὸ τελευταῖον*) praetorios praepositos fuisse. Dio igitur hac admonitione id egit, ut quae ipse postea in operis contextu (LIII 2) sub anno 726 a. u. narravit, interim praeciperet.

sorte ducebantur ex numero praetorum qui praeessent: hoc factum est ab anno 726. Dio LIII 2 in eius anni actis: *πρός τε τὴν διοίκησιν σφῶν* (pecuniarum aerarii) *δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων, αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε.* Adde eiusdem libri c. 32. Sueton. Aug. 33: *ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresve transiret*, (auctor fuit). Tacitus eos qui praetura fungerentur quique functi essent breviter *praetores* designavit, ut verba Suetonii comparanti liquet. Idem H. IV 9 *praetores aerarii* vocat qui praetura perfuncti erant.

Claudius quaestores rursum imposuit: Sueton. Claud. 24: *curam aerarii Saturni reddidit* (quaestoribus), *quam medio tempore praetores aut, uti nunc, praetura functi sustinuerant.*

Nero praetura perfunctos — delegit: mos a Nerone inductus valuit etiam imperante Vespasiano (H. IV 9), neque omissus erat Hadriano principe, ut Suetonii verba modo transcripta docent.

Damnatus isdem consulibus Vipsanius Laenas ob Sardi- 30
niam provinciam avare habitam. Absolutus Cestius Proculus repetundarum, cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, quod praefectus remigum qui Ravennae haberentur, velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque adflictavisset, veneno damnationem anteiit. Caninius Rebilus, ex primoribus peritia legum et pecuniae magnitudine, cruciatus aegrae senectae misso per venas sanguine effugit, haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis, ob libidines muliebriter infamis. At Lucius Volusius egregia fama concessit;

1. *cos* M^a. *lenas* M^a. 2. *abare* M^a. *cestus* M^a, *cesius* G in rasura: tacite correxit Rhenanus. 3. *credentibus* GM^a, *caedentibus* Puteolanus: correxit Beroaldus. *accusantibus* M^a (non *accusatibus*): emendatum in G et a Puteolano. 4. *rabenne* M^a. *uelud* M^a. 5. *sevitiaque* M^a. *affl.* Or. 6. *damnatione anteiit* M^a, *damnationē anteuertit* G. *Caninius Rebilus* Lipsius: Mª *G. Aminius Rebius*, G *C.* (*C* in rasura) *Aminius rebius.* 7. *egre senecte* M^a. 9. *sumende* M^a. 10. *L.* M^a.

Cap. 30. *isdem consulibus:* v. ad I 53. *velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque adflictasset:* Italiam intellige Galliae togatae partem quae mari supero proxima erat. Eam provinciam, cui nomen Gallicae, ante unus ex quaestoribus rexit, sed Claudius detracta quaestoribus Ostiensi et Gallica provincia curam aerarii Saturni reddiderat, v. ad IV 27. Itaque ab illo tempore usque ad hunc diem praefectum remigum qui Ravennae haberentur illa munia quaestoria obisse coniicio.

Caninius Rebilus: quod Lipsius pro tradito *C. Aminius Rebius* dubitanter prompsit, id ego sine haesitatione recepi et recipere debui. Tacitus enim ex tribus nominibus Romanorum *duo* ponit, ubi homines nobiles primum nominat, mox uno contentus est, nisi post maius intervallum rursus memorantur; unum praebet in commemoratione aut obscurorum hominum aut praeter ceteros illustrium, ut in Caesaribus et principibus. Ab ea consuetudine semel tantum neque sine iusta causa cessit Agr. c. 4, vitam Agricolae soceri narraturus et totum librum huic uni destinaturus. Aliam exceptionem vidimus XI 33, sed eam quae regulam comprobet. Restant in Annalibus diversae consuetudinis exempla praeter hoc sex II 1, III 49, XII 29 et 41 et 45, XV 70, quae cum adversus ingentem ceterorum copiam minus valent, tum omnia etiam aliis de causis vitii suspicionem movent, ut ad singula ostensum est. In Historiis nonnisi in duobus nominibus *Cluvii Rufi* II 65 et *Tamphili Flaviani* (II 86, III 4 et 10) hoc genus corruptionis grassatum est, sed ita ut neque dubitari possit de corruptela utque mendarum origo attentum lectorem latere nequeat. Ex tribus Romanorum nominibus Tacitus duo pro arbitrio aut pro re nata eligere solet et persaepe gentis nomen et cognomen refert, ut paulo ante *Vipsanius Laenas, Cestius Proculus, Clodius Quirinalis.* Sic etiam hoc loco habebimus scita mutatione *Caninium Rebilum. Aminia* enim

cui tres et nonaginta anni spatium vivendi, praecipuaeque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit.

31 Nerone iterum Lucio Pisone consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar extruxerat, volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res inlustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. Ceterum coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae sunt; plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati, et sestertium quadringenties aerario in-

1. *annis* pr Mª. 3. *II. L.* Mª, G *secundo L.* *cos.* cum lin. Mª. 6. *PR.* cum lin. Mª. 7. *ill.* Or. *actissimā dare.* Mª: correctum in G et ceteris. 8. *ceterae* Mª. 9. *quadrigeni* Mª, *cccc* apposito *ti* G: Lipsio suadente correxit Pichena.

gens nulla cognita est, ac littera male distracta ceteris adiuncta, facile exit *Caninius.* Porro nomen *Rebius*, cui littera *l* subtracta est imprudentis librarii errore et assimilandi inclinatione (Canin*ius* Re*bius*), ignotum est neque *Caninio* convenit tamquam cognomen, sed ipsum, si extitit unquam, nomen est gentile nunc minime aptum. Contra *Rebilus* notum est ac fere perpetuum Caniniorum cognomentum, de quo cf. Drumannus Hist. R. t. II p. 107—110. Hic Caninius fortasse ille fuit, abs quo pecuniam ad impensam ludorum sibi oblatam accipere noluit Iulius Graecinus a Gaio Caesare interfectus. Seneca de Benef. II 21: *cum ille Rebilus consularis, homo eiusdem infamiae, maiorem summam misisset instaretque, ut accipi iuberet, 'rogo,' inquit, 'ignoscas, et a Persico non accepi.'* Est dives et infamis qualem Tacitus notavit. Eius pater, opinor, C. Caninius Rebilus, a. 742 consul suffectus, mortuus est in magistratu, atque huius pater uno die a. 709 consulatum gessit: cf. H. III 37.

inoffensa tot imperatorum malitia fuit: ita egit ut tot imperatorum malitiam nunquam offenderet. Sic H. I 47 *cursu honorum inoffenso*, h. e. ut cursum honorum non offenderet. 'De L. Volusio v. Plin. N. H. VII 12 et 49. Eiusdem meminit apud Tacitum Nero XIV 56. Filius eius fuit Q. Volusius, consul a. 809 (56): v. XIII 25, XIV 46.

Cap. 31. *Nerone iterum:* numeri notam II Bekkerus et Waltherus per *secundum* reddiderunt: sed cf. II 53: *sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit.* H. I 1: *initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt.* H. IV 38: *interea Vespasianus iterum ac Titus consulatum absentes inierunt.*

molem amphitheatri apud campum Martis: Suetonius Ner. 12: *munere quod in amphitheatro ligneo, regione Martii campi intra anni spatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem.*

diurnis urbis actis: de his diximus ad III 3.

plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati: Sueton. 10: *divisis populo viritim quadringenis nummis, senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, et quibusdam quingena constituit.*

latum est, ad retinendam populi fidem. Vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum remissum, specie magis quam vi, quia cum venditor pendere iuberetur, in partem pretii emptoribus adcrescebat. Edixit Caesar ne quis magistratus aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione quam corripiendis pecuniis subiectos adfligebant, dum quae libidine deliquerant, ambitu propugnant. Factum et senatus consultum ultioni iuxta et 32

2. *uicesime* M^a. 4. *p̄tii* M^a. *accr.* Or. 5. *procurator in provincia* GM^a, omisso *qui* quod inseruit Rhenanus. *provinciam* iam Beroaldus. *opt.* M^a. 6. *quod* M^a (non *quid*). 8. *affl.* Or. *dumque lib.* M^a. 9. *S C* cum lin. M^a.

ad retinendam populi fidem: providit Caesar, ut ne quibus aere alieno opus esset quique cavere aerario satis possent, eos pecuniae mutuo sumendae inopia urgeret. Simile auxilium Tiberius tulerat ad fidem reficiendam: VI 17.

vectigal — venalium mancipiorum: instituerat Augustus a. 760, et quidem *quinquagesimam* (Dio LV 31), post a successoribus (fortasse a Gaio) duplicatam, ut esset *quinta et vicesima*, quae primum memoratur in titulo apud Fabretium c. 1 n. 176 sub Claudii principatu posito. *cum venditor pendere iuberetur:* venditores mancipiorum externi, emptores plerumque cives Romani. His cum Nero consulere vellet, vectigal ad venditores transtulit, quod ante emptores pendebant, sed id remedium usu sterile fuit et inutile.

aut procurator: eiusmodi procuratores h. l. intelligendi, qui non solum rebus Caesaris impositi essent, sed simul minorem provinciam regerent; v. ad I 80, XII 60.

ambitu propugnant: provincialium gratiam editis spectaculis ambiunt et aucupantur, ut accusationem illi cohibeant, immo legatos ad laudandum provinciae suae rectorem in urbem mittant.

Cap. 32. *senatus consultum:* latum erat ea de re a. 10 = 763 P. Cornelio Dolabella C. Iunio Silano consulibus, unde *senatus consultum Silanianum:* cf. l. 1 D. *de SC. Silaniano et Claud.* (XXIX 5). Cod. Iust. VI 35. Nunc cautum plenius quam antea: Paulus Rec. Sent. III 5: *Neroniano senatus consulto cavetur, ut occisa uxore etiam de familia viri quaestio habeatur, idemque ut iuxta uxoris familiam observetur, si vir dicatur occisus. Servi qui sub eodem tecto fuerint, ubi dominus perhibetur occisus, et torquentur et puniuntur, etsi testamento occisi manumissi sint.* Conf. infra XIV 42—45, cui narrationi iam viam munivit Tacitus.

Lucius Varius: prioribus Claudiani principatus annis avaritiae crimine eversus videtur esse. Quod cum M^a plerique codices (etiam G *Lurius uarius*) offerunt *Lurius Varius*, in eo antecedentis vocabuli exitus perperam ad similitudinem succedentis a librariis inversus est, ut ex *Lucio* praenomine fierit nomen gentile *Lurius*. Sed gentis nomen est *Varius*, iuxta quod *Lurius* tolerari nequit. Neque vero *Lurio* in *Lusium* mutato (id fecit Rhenanus) quidquam lucramur;

securitati, ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent. Redditur ordini Lucius Varius consularis, avaritiae criminibus olim perculsus. Et Pomponia Graecina insignis femina Plautio, qui ovans se de Britannis rettulit, nupta ac superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque coniugis cognovit, et insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia fuit. Nam

1. *securitatis* M[a]: G *securitati.* *hii* pr M[a]. 3. *lurius uarius* GM[a]. 5. *platio* M[a], *plantio* G. 5. *Britannis* AG et Oxonienses: M[a] *brittanniis.* 6. *suptionis* M[a].

nam *Lusii* et *Lurii* iidem sunt, ut *Furii* et *Fusii.* *Lusium Getam* apud hunc nostrum invenimus XI 31, XII 42, *Lusium Saturninum* XIII 43. Alioqui habes *M. Lurium* Sardiniae a. 714 praefectum apud Dionem XLVIII 30, eique dextrum Iulianarum navium cornu commissum esse in pugna Actiaca refert Velleius II 85. Adde inscriptiones apud Gruterum evolvendas.

qui ovans se de Britannis rettulit: imitatus est sermonem poetarum, ut vidit I. Frid. Gronovius collatis Virgil. Georg. IV 180: *fessae multa referunt se nocte minores.* Aen. VII 286: *ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis saeva Iovis coniux.* Hor. Sat. I 6 114: *inde domum me ad porri et ciceris refero laganique catinum.* Cicero N. D. III 14: *cur sol se referat nec longius progrediatur.* Locutio ad similitudinem cognatae satisque tritae (*se conferre*) conformata est. De Plautio conf. ad XI 36. Ceterum scripsi *Britannis,* secutus testes alias haud fidos, non *Britanniis*, ut vulgo legitur consentiente M[a]. Nimirum Britanniae terrae in unam provinciam iunctae et uni legato Caesaris subditae *Britannia* numero singulari, ut decet, tot locis a Tacito nominantur, nunquam *Britanniae,* ut *Germaniae, Galliae, Hispaniae,* ubi plures provinciae. Idem usus apud Suetonium et Plinium, nisi quod Plinius semel (XXV 6) *nisi forte confines Oceano Britanniae, velut propinquae, dicavere*, sed ibi latiore nominis significatu non unam Britanniam quae proprie vocabatur, sed insulas Britannicas omnes complexus est, de quo dicendi usu ipse IV 30: *Albion ipsi* (Britanniae) *nomen fuit, cum Britanniae vocarentur omnes.* Neque quidquam praesidii numero multitudinis suggerit Catullus XLV 22: *unam Septumius misellus Acmen mavult quam Syrias Britanniasque*, nam is terras amplas dicit, quales Syria Britanniaque, et *genus* numero denotavit. Alius eiusdem versus (XXIX 20), *hunc Galliae timet et Britanniae*, graviter corruptus est et legendum aut cum Lachmanno *time Britannia, hunc timete Galliae,* aut duce Hauptio *timete Galliae, hunc time Britannia.*

insontem nuntiavit: pro suo more verbum simplex posuit, ubi vulgaris usus *pronuntiavit* commendabat. Qui de nuntio a marito ad principem senatumque cum Ernestio cogitant, factum esse statuunt quod usu venisse neque ostendi potest neque per se verisimile videtur. *Superstitio externa* est Christiana doctrina aut Iudaeorum.

post Iuliam Drusi filiam dolo Messalinae interfectam per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi maesto egit. Idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit.

33 Idem annus plures reos habuit. Quorum Publium Celerem accusante Asia, quia absolvere nequibat Caesar, traxit, senecta donec mortem obiret. Nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano proconsule magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum foedumque, et idem ius audaciae in provincia ratum quod in urbe exercuerat. Sed pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus praevaluit ut quidam accusatorum eius exilio multarentur, tamquam insonti periculum fecissent.

34 Nerone tertium consule simul iniit consulatum Valerius Messala, cuius proavum, oratorem Corvinum, divo Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant. Sed nobili familiae honor auctus est oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottae et

2. *mesto* M^a. 3. *inpune* M^a. 4. *P.* M^a. 5. *asya* M^a. 7. *procos.* cum lin. M^a. 8. *fedumque* M^a. 9. *audacie* M^a. 12. *licires repetebat* M^a: G *Lycii res repetebant.* 14. *tāquam* M^a. 15. *iniit* Spirensis et Rhenanus: GM^a *init.* 17. *collega* M^a: G *collegā.* 18. *familie* M^a. 20. *cotte* M^a.

post Iuliam Drusi filiam — interfectam: Drusus est Tiberii filius; Iulia, primum Neroni Germanici filio, deinde Rubellio Blando nupta (VI 27 et 45), occisa est a. 796 principe Claudio; v. Dio LX 18. Sueton. Claud. 29. Pomponia eius mortem ut propinquae (v. II 43) continua tristitia prosecuta est usque ad a. 836, quo vita excessit Domitiano principe.

Cap. 33. *idem annus:* cf. ad I 53. *ut memoravi:* v. XIII 1. *Cossutianum Capitonem:* Iuvenal. VIII 91: *respice — quam fulmine iusto et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu, piratae Cilicum.* Quintil. VI 1 14: *egregieque nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Graece quidem sed in hunc sensum, 'erubescis Caesarem timere.'* De nominibus *maculosus foedusque* v. dicta ad II. I 7. *periculum fecissent:* antiquae notae est *periculum facessere,* ut Cic. Divinat. in Caecil. 14: *ipse profecto metuere incipies ne innocenti periculum facesseris,* et sic Tacitus I 74, II. IV 43. Nunc et XVI 19 formam *facere* praetulit.

Cap. 34. *collegam in eo magistratu:* M. Valerius Messala Corvinus consulatu functus est cum

Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent.

Eius anni principio mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur, quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridaten dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habére, et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. Ad hoc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti, ac libertate ignota illuc magis ad servitium inclinantes.

35 Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotae legiones, pace longa segnes, munia armatorum aegerrime tolerabant. Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, sine galeis sine loricis, nitidi et quaestuosi, militia per oppida expleta. Igitur dimissis quibus senectus aut valitudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam Cappadociamque delectus, adie-

1. *Haterio* Lipsius: M[a] *atherio*, G *Acherino*, idem *Antonio*. 2. *habitas* M[a]. 5. *tiridatẽ* M[a]. cf. 6 32 et 42, 13 41, 14 26, 15 2. 6. *exepertem* M[a]. 7. *PR.* cum lin. M[a]. *reuatur* M[a]. 8. *luculo* M[a]. *hoc* M[a]: *haec* G. 10. *conubiisque* M[a]. 13. *trasmote* M[a]. 14. *armatorum* editor: codices *Romanorum*, Freinshemius *armorum*. *egerrime* M[a]. 15. *tollerabant* M[a]. *exercito* M[a]. 18. *quaestiosi* pr M[a]. 19. *sectus* M[a]. 20. *galitiam* M[a], *gallaciam* G. *cappodiciamque* M[a]. *dilectus* M[a].

collega Octaviano Caesare a. 723 = 31 ante Chr. *quingenis sestertiis*: dimidius est census senatorius. Cf. Sueton. Ner. 10, cuius verba transcripta sunt ad XIII 31.

eius anni principio: contextum historiae c. 9 extr. interruptum iam recipit, telamque perficere pergit. Mox Tacitus verbum simplex *sumitur* quam *resumitur* ponere maluit.

Cap. 35. *munia armatorum:* codicum scripturam *Romanorum*, olim a me cum aliis editoribus servatam, nunc haud cunctanter relinquo. Nam sermo est de *legionibus*, h. e. de civibus Romanis (*πολιτικῷ πλήθει*), eosque in hunc modum *Romanis* opponi plane ineptum videtur. Contra *pax longa* et *munia armatorum* egregie se excipiunt. De nomine *armatorum* conf. ad XII 33. Origo vitii ex prima vocis littera post *munia* absorpta; sic restabat *rmatorum*, unde factum *romanorum*.

ctaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium. Retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme saeva adeo ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. Adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine in laboribus frequens adesse; laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam caeli militiaeque multi abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite poenas luebat. Idque usu salubre et misericordia melius apparuit: quippe pauciores illa castra deseruere quam ea in quibus ignoscebatur. Interim Corbulo legionibus intra castra 36
habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores adirent praedicit. Curam praesidiorum Paccio Orfito primipili honore perfuncto mandat. Is quamquam incautos barbaros et bene gerendae

4. *praeberent* (super litt. *n* posito *t*) M[a]. 6. *fasce* M[a]. 7. *adher.* M[a]. 8. *eui* M[a], *leui* G. 9. *solacium* M[a]. 10. *duritia celi* M[a]: *duriciẽ caeli* G. *militiae que* M[a], etiam G qui ita solet. 14. *paenas* M[a]. 18. *audirent* M[a]: emendatum in ABG et Harl. Bodl. Ies. *auderent* Lipsii Vaticanus. 19. *Paccio* 15 12 M[a], ut constanter in inscriptionibus: M[a] nunc *Pactio*, ut G. *Orfito* M[a] et sic tituli, *orphito* G. 20. *quanq.* M[a]. *gerende* M[a].

cum equitibus alariis et peditatu cohortium: utrumque copiarum genus auxilia erant sociorum.

ambusti multorum artus: quod proprie de ignis calore dicitur, idem ad vim frigoris exprimendam in diversam sedem migravit. Cf. Forcellinius s. v. *uro*, *ambustus*, *aduro*. Cui id causae videtur subesse, quod ingentis frigoris idem et effectus et sensus est qui caloris.

praeriguisse, h. e. admodum riguisse, a *praerigescere* ductum; *ἅπαξ λεγόμενον* esse monet Orellius.

Cap. 36. *praefectos:* intellige duces militiae socialis per idoneos locos moderante Paccio dispositae. Fuerunt tres cohortium praefecti, duo alarum, ut tradit Frontinus verbis statim afferendis. *tendere extra vallum iussit:* non solum ignominiosum hoc poenae genus erat, sed puniendos etiam hostium telis exposuit. Cf. Frontin. Strateg. IV 1 20: *Domitius Corbulo in Armenia duas alas et tres cohortes, quae ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum iussit tendere, donec assiduo labore et prosperis excursionibus redime-*

rei casum offerri scripserat, tenere se munimentis et maiores copias opperiri iubetur. Sed rupto imperio, postquam paucae e proximis castellis turmae advenerant pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. Et damno eius exterriti qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. Quod graviter Corbulo accepit, increpitumque Paccium et praefectos militesque tendere extra vallum iussit. Inque ea contumelia detenti, nec nisi precibus
37 universi exercitus exoluti sunt. At Tiridates super proprias clientelas ope Vologesi fratris adiutus, non furtim iam sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari, et si copiae contra ducerentur, eludere, hucque et illuc volitans plura fama quam pugna exterrere. Igitur Corbulo quaesito diu proelio frustra habitus, et exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispertit vires, ut legati praefectique diversos locos pariter invaderent. Simul regem Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere. Nam Pharasmanes interfecto filio Radamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. Tuncque primum inlecti Moschi, gens ante alias

2. *pauca* M^a: G *paucae*. 3. *turme* M^a. 7. *pacium* M^a, *pactium* G. 8. *p̄cibus* M^a. 10. *clientalas* M^a: G *clientelas*. 11. *cosque* M^a. 12. *copia econtra duceretur* M^a: correctum in G. *hucqq;* (*o* posito super priore *q*) M^a, *huc quoque* G: emendavit Lipsius. 13. *exterrere* GM^a: *extrahere* B, *exercere* C. 14. *prael.* Or. 20. *ill.* Or. *Moschi* editor: Mª *Insochi*, G *ischi*, alii *Insechi* aut *Insichi* aut *Isichi*.

rent ignominiam. Eiusdem poenae mentionem faciunt Livius X 4 et Valerius II 7 15. Cf. Polybius VI 38 §. 3.

Cap. 37. *Antiochum:* ipse rex Commagenes Armeniis conterminus erat; v. ad XIII 7.

Moschi: dum Antiochus ab Euphrate profectus proximas sibi praefecturas Armeniae, h. e. meridionales, petit, Pharasmanes Hiberus et Moschi vicini Hiberorum a septentrione Armeniam ingressi sunt et terras Armeniae a Romanis copiis remotas (*avia Armeniae*) incursaverunt. De Moschis inter Colchos et Hiberos agentibus et Armeniam e septentrione aspicientibus v. Strabo XI 2 14 et 18 p. 497 et 499 et c. 14 §. 1 p. 527. Mela I 2 et 19, III 5. Plin. N. H. VI 4. Eorum iam mentio apud Herodotum III 94, VII 78, adeo in Genesi X 2, Ezech. XXVII 13. Conf. Ioseph. Antiq. I 6 1. Sed vulgo hoc loco *Insochos* vel *Insechos* incurrimus, populum inauditum et hoc uno loco nitentem. Sed quod legimus in Mediceo libro *insochi* nihil est nisi corrupta nominis *moschi* forma: nam *in* ex *m* nato et littera *o* de loco suo paulum demota, prodierunt *insochi*, iam ex antiquo orbe relegandi.

socia Romanis, avia Armeniae incursarunt. Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant, mittebatque oratores qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur datis nuper obsidibus redintegrataque amicitia, quae novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniae possessione depelleretur. Ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia causa quam vi agere mallent. Sin perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutem fortunamque saepius iam clade Romana expertam. Ad ea Corbulo, satis comperto Vologesen defectione Hyrcaniae attineri, suadet Tiridati precibus Caesarem adgredi: posse illi regnum stabile et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera praesentem potioremque sequeretur. Placitum dehinc, quia commeantibus in vicem nuntiis 38
nihil in summam pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum praesidium Tiridates adfore sibi dicebat: quantum Corbuloni cuiusque generis militum adsisteret, non statuere, dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur. Cuicumque mortalium, nedum veteri et provido duci, barbarae astutiae patuissent, ideo artum inde numerum finiri et hinc maiorem offerri, ut dolus pararetur: nam equiti sagittarum usu exercito si detecta corpora obicerentur, nihil profuturam multitudinem. Dissimulato tamen in-

1. *incursarunt* editor: codices *incursavit*. *ritidati* M^a^. 2. *vertebant* M^a^ (non *vertebantur*). 4. *nobis* M^a^. 6. *uologesẽ* M^a^ h. l. 7. *mallent* M^a^, G *mallet*. 9. *yrcaniae* M^a^. 10. *p̄cibus* M^a^. *aggr*. Or. 14. *nichil* M^a^. *summam* Faërnus: M^a^ cum ceteris *summa*. 15. *aff*. Or. idem 17. *ass*. 18. *cuicũque* M^a^. 20. *offerri* cum A Ryckius: M^a^ cum ceteris *afferri*. 21. *equitis* pr M^a^. 22. *nichil* M^a^.

incursarunt: quod codices praebent *incursavit*, manifesto vitio laborat, et interpositum *gens ante alias socia Romanis* ad vindicandum numerum singularem adhiberi nullo modo potest: etenim apertum enuntiati subiectum est *Moschi*, iique tunc primum illecti avia Armeniae *incursarunt*. Quod interiectum est, *gens ante alias socia Romanis*, id per se constat neque numerum verbi ad *Moschos* pertinentis potest afficere. Origo vitii *incursavit* duobus modis explicari potest: nam scriba aut imprudenter proximo nomini (*gens*) formam verbi accommodavit, aut in ἀρχετύπῳ libro quod erat INCVRSARVN̄ (= *incursarunt*) falso accepit pro INCVRSAVIT. Si erunt qui vitium non dubium attractionis nomine tueri se posse putent, eos velim rogatos ut ante quid sit attractio secum reputent, aut locos plane similes ex Tacito proferant.

Cap. 38. *in summam pacis*:

tellectu, rectius de iis quae in publicum consulerentur totis exercitibus coram dissertaturos respondit. Locumque delegit cuius pars altera colles erant clementer adsurgentes accipiendis peditum ordinibus, pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto prior Corbulo socias cohortes et auxilia regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit, cui accita per noctem aliis ex castris tria milia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates vergente iam die procul adstitit, unde videri magis quam audiri posset. Ita sine congressu dux Romanus abscedere militem, sua quemque in castra, iubet.

39 Rex sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes interciperet, propere discedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur praesidiis nostris insessos; et Corbulo, ne inritum bellum traheretur utque Armenios ad sua defendenda cogeret, excindere parat castella, sibique, quod validissimum in ea praefectura, cognomento Volandum, sumit; minora Cornelio Flacco legato et Insteio Capitoni castrorum praefecto mandat. Tum circumspectis munimentis, et quae expugnationi idonea provisis, hortatur milites ut hostem vagum neque paci aut proelio

16. *irritum* Or. idem 22. *prael.*

h. e. ut summa pacis efficeretur. Vitium *summa* debet originem compendii notae in ultima littera aut omissae aut temporis vi consumptae. Idem peccatum H. II 16. *Summa* autem teneri nequit, quia iam neque ulla pax neque summa pacis aderat, neque simile est exemplum ab Orellio ex Caesare (B. G. VII 20) prolatum: *si nihil in oppugnatione oppidi profecisset.* Conf. Liv. III 61: *parvaque certamina in summam totius profecerant spei.* XXXI 37: *non in praesentis modo certaminis gloriam sed in summam etiam belli profectum foret.*

offerri: M[a] vitium *afferri* Orellius interpretatur *concedi,* Waltherus *memorari,* repugnante usu loquendi. Sententia loci *offerri* postulat, idque fuisse in *ἀρχετύπῳ* etiam id quodammodo pro argumento est, quod in M[a] non *adferri* sed *afferri* legitur.

una cum aquila: una est nomen, non adverbium. Ubi aquila, ibi robur unius legionis, non, ut nunc, legio et electi. Cf. ad H. I 61.

Cap. 39. *Insteio Capitoni castrorum praefecto:* Insteius, paulo ante centurio (c. 9), iam ad maiorem ordinem promotus erat eoque non uno nomine, ut ante, sed duobus vocatur, etiam ob sermonis concinnitatem, cum proxime *Cornelius Flaccus* legatus memoratus esset.

paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem exuerent sedibus, gloriaeque pariter et praedae consulerent. Tum quadripertito exercitu, hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere iubet. Libratoribus funditoribusque attributus locus unde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret pari undique motu. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta, omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis. Et imbelle vulgus sub corona venundatum; reliqua praeda victoribus cessit. Pari fortuna legatus ac praefectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis cetera terrore et alia sponte incolarum in deditionem veniebant. Unde orta fiducia caput gentis Artaxata adgrediendi. Nec tamen proximo itinere ductae legiones, quae si amnem Araxen, qui moenia

1. *exsuerent* M^a. 2. *praede* M^a. *quadripertito* M^a, *quadripartito* G. 5. *libratoribus* G, *libritoribus* M^a. cf. ad 2 20. 7. *motu* GM^a: Lipsius tacite *metu*. 9. *nudatis* M^a: G *nudati*. 10. *escensu* M^a, *ascensu* G. 11. *ammodum* M^a. 12. *inb.* M^a. 16. *capti* (corr. *capitis*) M^a, *capud* G. *aggr.* Or. 17. *ducte* M^a. *araxẽ* M^a. *menia* M^a.

libratoribus — glandes torquerent: *libratores* non iidem sunt de quibus ante dictum *multos tormentis faces et hastas incutere iubet*, sed hi tertiam, *libratores et funditores* quartam exercitus partem efficiebant. Zeugmatis licentia ita usus est, ut unum missilium genus a funditoribus immissum nominaret. *Librator* enim universe dicitur de eo qui missilia librato (aequato) ictu ingerit, sive glandes sunt sive lapides sive tela ferro facta. Cf. II 20: *funditores libratoresque excutere tela — iubet.* Ibi *telorum* vocabulum et glandes et maiora missilia (lapides et iacula) significat. H. V 17: *saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur.* Sallust. Iug. 57: *pars eminus glande aut lapidibus pugnare. Artaxata:* cf. annot. ad II 56.

Cap. 40. *dato die:* non quolibet die proelium incipere animus erat, sed *datum* diem, h. e. talem qualem res et causa sua praeberent, expectare voluit. Conf. IV 40: *datoque tempore — non reticebo.*

in cornibus — manus equitum ibat: falso Waltherus aliique distinguunt *pedes, sagittarius*, immo pedes excepto sagittario non in cornibus sed in latere dextro sinistroque et medio agmine ibat, ut modo legimus. Quod *pedes sagittarius* memoratur, inde necessario non consequitur etiam equitem sagittarium in illo exercitu fuisse, sed *pedes* accessit ob hanc causam, ut lector verba *et cetera manus equitum* recte intelligeret, h. e. ut ceteram manum eam esse sciret, quae praeter mille equites

adluit, ponte transgrederentur, sub ictum dabantur: procul et
40 latioribus vadis transiere. At Tiridates pudore et metu, ne si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur, si prohiberet, impeditis locis seque et equestres copias inligaret, statuit postremo ostendere aciem et dato die proelium incipere, vel simulatione fugae locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viae pariter et pugnae composuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat, mediis decimanorum delectis; recepta inter ordines impedimenta, et tergum mille equites tuebantur, quibus iusserat, ut instantibus comminus resisterent, refugos non sequerentur. In cornibus pedes sagittarius et cetera manus equitum ibat, productior cornu in sinistro per ima collium, ut si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur. Adsultare ex diverso Tiridates, non usque ad iactum teli, sed tum minitans tum specie trepidantis, si laxare ordines et diversos consectari posset. Ubi nihil

1. *all.* Or. 3. *nichil* M^a^. 4. *inp.* M^a^. *ill.* atque 5. *prael.* Or. 10. *delectis* M^a^, non *dil.* 13. *productiore* M^a^: emendatum in BG Harl. Bodl. *cornus* GM^a^: emendatum in B Harl. Bodl., *productiore cornuum sinistro* Lipsius. 16. *ad iactum teli* G: M^a^ *addictum telis.* 17. *diverso* M^a^. *nichil* M^a^.

tergum agminis tuentes superesset. Cf. Agr. 35 *covinarius eques.*

productior cornu in sinistro: sagittarius et eques in sinistro cornu locatus productior sive porrectior ingrediebatur, ut si hostis agmen intravisset, legiones a fronte, cornu sinistrum a tergo haberet. Quod Lipsius dedit *productiore cornuum sinistro* et propter genitivi formam (*cornuum*) et propter amotam collocationem verborum Tacito propriam non placet. Cf. XII 56 *lacu in ipso*, ibidem *urbe ex ipsa*, XIII 42 *senatuque in ipso*, XV 18 *portu in ipso*, 25 *quo in statu.*

non usque ad iactum teli: inventum Baiteri *ad ictum teli* ab Orellio comprobatum spernere debui: nam primum in Medicei reliquiis *addictum*, detracta praepositione, in *d* initiali manifesto *a* indicatum est, unde suspicio in *ἀρχετύπῳ* fuisse *iactum*, ut est in G, et in ceteris libris inesse silentium probat, in M^a^ autem sedem litterarum *i* et *a* mutatum esse. Sed aliud idque gravius accedit. Quippe *non usque ad iactum teli* hoc vult, Tiridatis militem telo iacto penetrare ad Romanum eumque vulnerare non potuisse, id est non tam prope ut tela in hostes iacere possent; *non usque ad ictum teli* hoc narrat, Parthum telis Romanorum vulnerari non potuisse. Verum Tacitus irritos Parthorum conatus dum exponit, haud dubie prius dicere voluit. Conf. c. 39: *quae si amnem Araxen — ponte transgrederentur, sub ictum teli* (h. e. teli hostilis) *dabantur.* H. II 22: *ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis et certo ictu*

temeritate solutum, nec amplius quam decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis iam tenebris abscessit. Et 41 Corbulo castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret obsidioque circumdaret agitavit, concessisse illuc Tiridaten ratus. Dein postquam exploratores attulere longinquum regis iter et Medi an Albani peterentur incertum, lucem opperitur; praemissaque levis armatura, quae muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet. Sed oppidani portis sponte patefactis se suaque Romanis permisere. Quod salutem ipsis tulit; Artaxatis ignis immissus, deletaque et solo aequata sunt, quia nec teneri sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur: vel si integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria quod capta essent. Adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra [tectis hactenus] sole inlustria fuere, quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube

5. *obsidioque* M^a^, *obsidioneque* G. 8. *levi* M^a^: correctum in G. 11. *artaxati* M^a^. *inm.* M^a^. 12. *equata* M^a^. 14. *capessendo* GM^a^ (non *capescendo*). 16. *cappta* M^a^. *uelud* M^a^. 17. glossam *tectis hactenus* seclusit editor: M^a^ *tectis actenus* (h. e. *tectis hactenus*), GR et Oxonienses *tecta hactenus*. *ill.* Or. 18. *quod repente moenibus cingebatur ita atra* AGM^a^: tacite correxit Rhenanus.

adversus temere subeuntes. H. III 23: *et falso, ut in corpora, ictu tela hostium citra cadebant.* Ex altera parte conf. XIV 37: *hostis certo iactu tela exhauserat.* XV 9: *saxa et hastae longius permeabant, quam ut contrario sagittarum iactu adaequarentur.* 11: *donec ignium iactu circumveniretur.* H. V 7: *campi, quos ferunt — fulminum iactu arsisse.*

Cap. 41. *quia nec teneri:* notio verbi *poterant* in sequentibus quodammodo latitans infinitivum sustinet. *firmando praesidio*: h. e. ut *firmum praesidium* facere possemus. *Praesidium* de loco nunc dictum est.

cuncta extra — moenibus cingebatur: diu est cum verba *tectis hactenus* ex glossa nata esse vidi, sed originis rationem perperam explicavi. Scilicet illa non addita sunt prioribus *cuncta extra* quasi in supplementum, quo minime opus erat, sed pro glossa sive interpretatione ascripta sunt in margine ἀρχετύπου codicis adversus *quod moenibus cingebatur*, eoque casus vocabuli *moenibus* etiam in glossa servatus est, ut esset *quod moenibus*, *hactenus tectis* (= ea quae usque ad hoc tempus tecta erant, *wo bisher Häuser waren*), *cingebatur.* Sic ablativus *tectis* iustam habet explicationem. Qui Lipsio auctore *tectis tenus* legunt,

coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur. Ob haec consalutatus imperator Nero, et senatus consulto supplicationes habitae; statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur, adeó modum egressa ut Gaius Cassius de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit, eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.

42 Variis deinde casibus iactatus et multorum odia meritus reus, haud tamen sine invidia Senecae damnatur. Is fuit Publius Suillius, imperitante Claudio terribilis ac venalis, et mutatione temporum non quantum inimici cuperent demissus, quique se nocentem videri quam supplicem mallet. Eius opprimendi gratia repetitum credebatur senatus consultum poenaque Cinciae legis adversum eos qui pretio causas oravissent.

1. *fulgoribusque* M^a. *infensantibus dedeis* M^a. 2. *consolatus* M^a, *consulatus* G, *consultatus* corr G: tacite emendavit Rhenanus. *imp.* cum lin. M^a. 3. *SC.* cum lin. M^a. *habite* M^a. *statuae que* M^a. 5. *refereretur* M^a. 7. *G.* M^a. 8. *fortune* M^a. 13. *senece* M^a. 17. *SC.* cum lin. M^a. *penaque cincie* M^a. 18. *p̄tio* M^a.

non possunt explicare primum quomodo ex *tenus* factum sit *hactenus*, tum cur Tacitus adiicere voluerit idem quod statim subsequi fecit *quod moenibus cingebatur*. Quod inest in M^a *actenus* nihil est nisi *hactenus* neglecta aspiratione. Ex margine haec admonitio in verborum contextum et sedem alienam migravit. Ibi ut constaret, correctores librorum interpolatorum quos in superiore annotatione enumeravi, dederunt *tecta hactenus;* sic casus priori v. *cuncta* conveniebat. Quid recentiores critici tentaverint (nam inutile in re manifesta errores exagitare), ex ipsis discendum relinquo.

fulguribusque discretum: h. e. a cetera regione distinctum. Ernestius non bene comparavit Horatii Carm. I 34 5: *Diespiter igni corusco nubila dividens. Fulgoribus* ex GM^a enotatum (in G *o* in rasura) leve vitium librarii videtur esse.

oportere dividi sacros et negotiosos dies: eiusmodi dies intelligit quos vetus aetas appellavit *intercisos;* vid. Varro de L. L. VI §. 31: *intercisi dies sunt per quos mane et vesperi est nefas* (lege agere), *medio tempore inter hostiam caesam et exta porrecta fas.* Cf. Macrob. Saturn. I 16.

Cap. 42. *poenaque Cinciae legis — causas oravissent:* his adiectis senatus consultum non multo ante factum (v. cap. 5) designatur.

Nec Suillius questu aut exprobratione abstinebat, praeter ferociam animi extrema senecta liber, et Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exilium pertulisset. Simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae suetum livere iis qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. Se quaestorem Germanici, illum domus eius adulterum fuisse. An gravius aestimandum sponte litigatoris praemium honestae operae adsequi, quam corrumpere cubicula principum feminarum? Qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter milies sestertium paravisset? Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi, Italiam et provincias immenso fenore hauriri. At sibi labore quaesitam et modicam pecuniam esse. Crimen periculum, omnia potius toleraturum quam veterem ac domi partam dignationem subitae felicitati submitteret.

4. *inp.* Mª, 7. *extimandum* Mª, *existim.* B: G *estim.* ab altera manu in rasura. 8. *ass.* Or. 9. *philosoforum* Mª. 10. *regie* Mª. 12. *uelud* Mª. *inm.* Mª. 14. *tolleraturum* Mª. 15. *ac do* cum lin. super litt. *o* Mª, *adeo* G et Oxonienses: correxit Iac. Gronovius. *subite* Mª. *submittere* GMª: correxit Lipsius.

se quaestorem — adulterum fuisse: cf. IV 31. Adulterium cum Iulia Germanici filia Senecae obiectum est; v. annot. ad XII 8, XIV 63.

an gravius aestimandum: *aestimandum* idem est quod *censendum*, non distincto utrum iudicio id fiat necne: *existimandum* iudicium et peritiam designaret, quod alienum ab hoc loco. *Extimandum* libri Medicei scriptura ita orta, ut *e* pro *ae*, *x* pro *s* scriberentur: ac sane utravis aberratione vix ulla crebrior est mediae aetatis librariis. Cf. c. 17.

ter milies sestertium: census senatorius (decies sestertium) est ter centies multiplicatus. Cf. Dio LXI 10. *provincias immenso fenore hauriri:* Dio iniquus Senecae iudex in causis rebellantis Britanniae refert (LXII 2), *ὅτι ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας ἄκουσιν ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας, ἔπειτ' ἀθρόας τε ἅμα αὐτὰς καὶ βιαίως εἰσέπραξεν.* Vera ingentium divitiarum causa in Neronis improba cupidine prodigendi ac sine modo donandi: v. XIV 52—56.

domi partam: h. e. a semet ipso partam, nullius hominis opera aliunde accedente. Cf. Or. 9: *hi* (versus) *enim Basso domi nascuntur.* Seneca opes suas nuper (*intra quadriennium regiae amicitiae*) et subito donationibus accepit, Suillius suo labore et diuturna opera pecuniam se parasse iactavit.

Cap. 43. *inquisitionem annuam impetraverant:* quid haec *inquisitio* sibi velit, rerum Romanarum minus periti discant ex Cic. in Verrem act. I 2 6: *itaque cum ego diem inquirendi in Sicilia perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaia biduo breviorem diem postularet.— Ille Achaicus inquisitor ne Brundusium quidem pervenit, ego Siciliam totam quinquaginta*

43 Nec deerant qui haec isdem verbis, aut versa in deterius, Senecae deferrent. Repertique accusatores direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum detulerunt. Mox quia inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum urbana crimina incipi, quorum obvii testes erant. Ii acerbitate accusationis Quintum Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum, Iuliam Drusi filiam Sabinamque Poppaeam ad mortem actas, et Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos; iam equitum Romanorum agmina damnata, omnemque Claudii saevitiam Suillio obiectabant. Ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat, donec eam orationem Caesar cohibuit, compertum sibi referens ex commentariis patris sui nullam cuiusquam accusationem ab eo coactam. Tum iussa Messalinae praetendi et labare defensio: cur enim

1. *hec* M[a]. 3. *asyam* M[a]. 4. *detulerχ* M[a], quod compendium Spir. recte explicavit *detulerunt: detulere* ceteri. 5. *uisum sub urbana* M[a]. 6. *ii* M[a] (non *hi*). *QV.* cum lin. M[a]. 8. *poppeam* M[a]. 11. *sev.* M[a]. *nichil* M[a]. 15. *messaline* M[a]. *ptendi* cum *p* caudato, id est *protendi*, ut B, *pretendi* G.

diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque litteras iniuriasque cognoscerem. Suillii accusatores ad Asiam obeundam et Suillii quondam ibi quaestoris in socios delicta investiganda, etiam ad testes evocandos anni tempus impetraverant. Cf. c. 52.

urbana crimina: omittebant interim crimina in provincia Asia commissa et urbana ad iudices detulerunt. Vitium M[a] *sub urbana*, ceterorum *suburbana*, ab Ernestio vere correctum, a Walthero prave revocatum, natum est ex repetitione syllabae praecedentis *visum*.

ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum: unum bellum civile Claudio principe exardere per quinque dies coeperat, idque movit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiae legatus: v. Sueton. Claud. 13. Tacit. XII 52. H. I 89, II 75. Plin. Epist. III 16. Dio LX 15. Itaque Quintus Pomponius, frater Pomponii Secundi (VI 18), ad Scribonianum ex urbe confugit in partes transgressurus: multi enim et senatores et equites ad illum se contulerunt. Dio l. c.: πράξαντος δὲ αὐτοῦ τοῦτο, συχνοὶ μὲν καὶ βουλευταὶ καὶ ἱππεῖς πρὸς αὐτὸν ὥρμησαν. Interpretes ad h. l. sine causa haerent.

Iuliam Drusi filiam: v. ad XIII 32. Poppaeae et Valerii exitus XI 1—3 narrati sunt. Lusius Saturninus et Cornelius Lupus in numero eorum fuisse puto, de quibus Tacitus XI 5 haec pauca tradidisse contentus fuit; *continuus inde et saevus accusandis reis Suillius* cet. Cf. Seneca de Morte Claud. ludus c. 13, ubi falsa nominis forma *Saturnius Luscius* corrigenda est *Saturninus Lusius.* Conf. *Lusius Geta* XI 31, XII 42.

equitum Romanorum agmina: Seneca l. c.: *accisos* (a Claudio) *senatores triginta, equites Romanos trecentos quindecim.*

neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem praeberet? Puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent. Igitur adempta bonorum parte (nam filio et nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam quae testamento matris aut aviae acceperant) in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse. Filium eius Nerullinum adgressis accusatoribus per invidiam patris et crimina repetundarum, intercessit princeps tamquam satis expleta ultione.

Per idem tempus Octavius Sagitta plebei tribunus, 44
Pontiae mulieris nuptae amore vecors, ingentibus donis adulterium et mox, ut omitteret maritum, emercatur, suum matrimonium promittens ac nuptias eius pactus. Sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, adversam patris voluntatem causari, repertaque spe ditioris coniugis promissa exuere. Octavius contra modo conqueri modo minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans, denique salutem, quae sola reliqua esset, arbitrio eius permittens. Ac postquam spernebatur, noctem unam ad solatium poscit, qua delenitus modum

1. *sevienti impudice* Ma. 2. *p̄tia* Ma. 3. *adeptis* Ma. 5. *avia* Ma, non *aviae*, ut narrat Iac. Gronovius: *avi* BG. 6. *insulā* Ma. 8. *tolleravisse* Ma. *Nerullinum* Ma. ante Bekkerum edebant *Nerulinum*, ut est in G. *aggr*. Or. 9. *per invidia* Ma. 20. *solacium* Ma. *delenitus* Ma, *delinitus* G.

matris aut aviae: de una Suillii coniuge sermo est: nam quae filio eius *mater*, eadem nepti *avia* erat. Cf. III 68.

Cap. 44. *iurgia preces:* conf. annot. ad XI 6. *libidine seposita:* caste rem turpem significat; dum hoc agebant illi, oculos ancillae custodientis et liberti vitabant in aliud cubiculum congressi, idque indicatum verbo *seposita*. Nomen *libidine* est casus quidam instrumenti. Bezzenbergeri *libidinose posita* Taciti stilum non sapit.

qua incensus — transverberat: in Mediceo (ibi *et quastim census*) *et* ante *qua* ex proximo membro (*et pars tenebrarum libidine seposita*) scribentis imprudentia adoptavit: certe tolerari nequit. Porro ex *quastim census* postquam, resoluto *in* ex *m*, *qua incensus* factum est, restat *sti* raro casu me iudice procreatum, dum ex proximo vocabulo (*seposita*) aliquot litterae repetuntur. Si quis *iste* substituerit, ductibus libri manuscripti bene obtemperabit, sed Tacitum faciet elumbem, isque saltem *qua incensus iste* posuisset. Latinitati adversatur Bekkeri coniectura *ex qua incensus*, ob inertiam vocis *quasi* displicet Gronovii *et quasi incensus*, stilum Taciti minime as-

in posterum adhiberet. Statuitur nox, et Pontia consciae ancillae custodiam cubiculi mandat. Ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. Tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia preces, exprobratio satisfactio, et pars tenebrarum libidine seposita; qua incensus nihil metuentem ferro transverberat, et accurrentem ancillam vulnere absterret cubiculoque prorumpit. Postera die manifesta caedes, haud ambiguus percussor; quippe mansitasse una convincebatur. Sed libertus suum illud facinus profiteri, se patroni iniurias ultum esse. Commoveratque quosdam magnitudine exempli, donec ancilla ex vulnere refecta verum aperuit. Postulatusque apud consules a patre interfectae, postquam tribunatu abierat, sententia patrum et lege de sicariis condemnatur.

45 Non minus insignis eo anno impudicitia magnorum rei publicae malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppaea, Tito Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, inlustri memoria Poppaei Sabini, consulari et triumphali decore praefulgentis: nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum. Quippe mater eius, aetatis

1. *postremum* GM^a: correctum in Spir. 4. *p̄ces* M^a. 5. *qua incensus* editor: M^a *et quastim census*, G *et questu incensus*. *nichil* M^a. 6. *accurentem* M^a. 7. *cedes* M^a. 10. *commeveratque* M^a. 11. *cos.* cum lin. M^a. 13. *condempnatur* M^a. 14. *inp.* M^a. *rei p.* M^a. 15. *poppea* M^a. 16. *T.* M^a. 17. *ill.* Or. *poppei* M^a. *consularis et triumphalis* M^a, *consularis et triumphali* G: correxit Puteolanus.

sequitur Orellii *et quasi istinc cessurus*, ne quid de audacia dicam: nam in tali loco fortiter feliciterque audenti venia dabitur a peritis. Alii tentavere *qua statim incensus*, *ex qua statim incensus*, *atque ita infensus*, *atque aestu infensus*, *ei quasi intentus* (Seyffertus).

sententia patrum et lege de sicariis condemnatur: publicatis bonis in exilium actus est. Cf. II. IV 44.

Cap. 45. *huic mulieri:* conf. Semproniae descriptio apud Sallustium in Catil. 25, praecipue: *haec mulier genere atque forma, viro liberis satis fortunata, litteris Graecis atque Latinis docta.* Mater huius Poppaeae fuit Poppaea, olim Tito Ollio, dein Scipioni nupta (XI 2—4), avus maternus Sabinus, principe Tiberio clarus: I 80, IV 46, V 10, VI 39; conf. Sueton. Ner. 35.

consulari — praefulgentis: consul fuit sub Augusto 762: Dio LVI 1. Triumphi ornamenta Thracio bello meruit: Tacit. IV 46. Quod in M^a *consularis et triumphalis*, in G *consularis et triumphali* scriptum est, ad id vitium genitivus proxime superior *Sabini* scribam induxit.

suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat. Opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis, nec absurdum ingenium. Modestiam praeferre et lascivia uti. Rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens, neque adfectui suo aut alieno obnoxia: unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufii Crispini equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuventa ac luxu, et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora quin adulterio matrimonium iungeretur.

46 Otho sive amore incautus laudare formam elegantiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet ac, si eadem femina poterentur, id quoque vinculum potentiam ei adiceret. Saepe auditus est consurgens e convivio Caesaris, se ire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem

1. *sue* M^a^. 5. *fame* M^a^. 7. *afectui* M^a^. 9. sitne in M^a^ *rufii* an *rufri*, distingui nequit. *crispi* M^a^ cum ceteris: correxit Lipsius. 14. *potirentur* vulgo. 15. *ei adiiceret* G: *ea diceret* M^a^, non *addiceret*, ut narratur apud Bekkerum. 16. *se* ABG: M^a^ *seque*. *sibi*] *ubi* M^a^, *ibi* G: correxit Lipsius.

Rufii Crispini: cf. XII 42, ubi est *Rufius Crispinus;* in M^a^ si nunc est *rufri*, quod Baiterus certe pronuntiare nequivit, *r* littera ex subsequente vocabulo Crispini illata est perinde ut XV 71, ubi in M^a^ *rufrius Crispinus;* paulo aliter ab eodem peccatum XVI 17 (*rufus Crispinus*). Filius Crispini et ipse *Rufius Crispinus* vocatur a Suetonio Ner. 35.

quin adulterio matrimonium iungeretur: non hoc tempus respicit, sed quod paulo post consecutum est, cum H. I 13 scribit hic noster: *eoque iam Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium* (Othonem) *libidinum deposuerat* (Nero), *donec Octaviam uxorem amoliretur.* Aliter Suetonius Oth. 3: *item Poppaeam Sabinam, tunc adhuc amicam eius* (Neronis), *abductam marito demandatamque interim sibi, nuptiarum specie recepit.* Cf. Dio ap. Xiphil. LXI 11.

Cap. 46. *se ire ad illam:* Medicei scriptura *seque* ex proximi versus voce quo*que* ultimam syllabam traxit, infeliciter restitutam ab Orellio. In ἀρχετύπῳ unde descriptus M^a^, duo versus sic videntur dispositi fuisse, ut vocabula *quoque* et *se* aut in fine aut in principio utriusque scripta legerentur. *nobilitatem pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium:* cf. annot. ad XI 6.

nec posse matrimonium amittere: vulgari usui magis respondet *omittere*, ut est in codice Agricolae (in G *a* est a manu secunda), sed callida mulier consulto paulo graviorem vocem videtur elegisse.

pellice ancilla et adsuetudine Actes devinctum: invidiae augendae ad vocabulum *pellice* accedit *an-*

pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium. His atque talibus inritamentis non longa cunctatio interponitur. Sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans; mox acri iam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitae, quod nemo adaequaret. Illum animo et cultu magnificum; ibi se summa fortuna digna visere. At Neronem, pellice ancilla et adsuetudine Actes devinctum, nihil e contubernio servili nisi abiectum et sordidum traxisse. Deicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et ad postremum, ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitaniae praeficitur; ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia sed integre sancteque egit, procax otii et potestatis temperantior.

2. *irr.* Or. 3. *poppea* M^{a}. 4. *cupidinis et* M^{a}: correctum in G. *similans* M^{a}. 7. *omittere* A. 10. *pelicē ancillā et adsuetudinē* M^{a}: correctum inest G. *nichil* M^{a}. 13. *emulatus* M^{a}. *aemulus* coni. Grotius.

cilla: quippe dicit devinctum esse Neronem pellice quae ne libera quidem sit. Explicationis gratia additur *et adsuetudine Actes.* Quod ex M^{a} enotatum est *pelicem ancillam et adsuetudinem*, in iis scriba aberravit proximis accusativis subsequente infinitivo conturbatus. Nero ipse *pellex ancilla* quomodo vocari possit, de quo mire cogitavit Waltherus et pedisequus eius Bachius, non facile quisquam demonstrabit. Bezzenberger: *at Neronem pellicere ancillam.*

aemulatus: h. e. *qui aemularetur.* Participium verbo *ageret* definitur, idque tempus futurum h. l. indicat. Saepius cum verbis praeteritum tempus designantibus idem participium iungitur, ut II 56: *is — instituta et cultum Armeniorum aemulatus — proceres plebemque iuxta devinxerat.* III 30: *ille — Maecenatem aemulatus — multos triumphalium — potentia anteiit.* H. III 81: *miscuerat se legatis Musonius Rufus, — studium philosophiae aemulatus.* Cf. Agr. 33: *Agricola — militem accendendum adhuc ratus ita disseruit.* Nomen substantivum *aemulatus* perperam nonnulli deprehendunt h. l. et H. III 66.

integre sancteque: cf. H. I 13. Sueton. Oth. 3: *provinciam administravit quaestorius per decem annos moderatione atque abstinentia singulari.* Cum abiit in provinciam, viginti sex annos natus erat: quippe tricesimo septimo aetatis et sexagesimo nono a Christo anno vitae finem invenit: H. II 50. Sueton. l. c. 11 ibique interpretes. Quaesturam igitur, cum missus est, biennio ante administraverat: eius enim tempus legitimum sub Caesaribus aetatis annus vicesimus quartus. Cf. Prooemium c. 2.

Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. **47**
Suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium eius in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando. Quem metum Graptus ex libertis Caesaris, usu et senecta Tiberio abusque domum principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons Mulvius in eo tempore celebris nocturnis inlecebris erat; ventitabatque illuc Nero, quo solutius urbem extra lasciviret. Igitur regredienti per viam Flaminiam compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit, auctoremque eius doli Sullam ementitur, quia forte redeuntibus ministris principis quidam per iuvenilem licentiam, quae tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. Neque servorum quisquam neque clientium Sullae adgnitus; maximeque despecta et nullius ausi capax natura eius a crimine abhorrebat: perinde tamen quasi convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus coërceri iubetur.

3. *interp̄tando* M^{a}. 5. *auousque* M^{a}, ceteri *avo usque:* correxit Lipsius ante quem erat *a Tiberio usque* Puteolano auctore. 6. *Mulvius* M^{a}: *miluius* G et Oxonienses. 7. *uentabatque* M^{a}: correctum inest G. *solitius* M^{a}: G *solutius*. 8. *flamineam* M^{a}. 9. *fato quieuit atas* M^{a}: correctum in G. 10. *Salustianos* M^{a}. *ortos* M^{a}. 12. *iuenalem* M^{a}. 14. *syllae* M^{a}. *adgn.* M^{a}, non *agn.* 15. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M^{a}, *ꝓinde* G.

Cap. 47. *Cornelium Sullam*: conf. annot. ad XIII 17. *pons Mulvius:* is aedificatus ubi via Flaminia septentrionem versus ad Tuscos Umbrosque ducens Tiberim fluvium non procul ab urbe transit. Struxit M. Aemilius Scaurus: Aurel. Victor de Vir. ill. c. 72. Tacitus eius meminit etiam H. I 87, II 89, III 82.

quoniam remeaverit: Nero non via et porta Flaminia rediit in urbem, sed devertit ad sinistram partem et via Salaria per portam Collinam perrexit ad hortos Sallustianos, sitos inter Quirinalem et collem Hortorum portamque Collinam in sexta regione urbis. Cf. Beckeri Enchirid. antiq. Rom. t. I p. 583 sqq. Formam *Sallustianos* dedi secutus maiorem Medicei prioris (I 6, II 40, III 30) auctoritatem.

per iuvenilem licentiam: quod in M^{a} est *iuvenalis*, in hoc equidem vocalis *a* et *i* commutationem illam de qua dixi ad I 59 malim agnoscere quam deprehendere robiginem antiquitatis. Nam Tacitus *a* praebet in ludis *iuvenalibus* (XIV 15, XV 33, XVI 21. H. III 62) qui ubique sic vocantur, alioqui IV 10 idem scripsit *iuveniliter*, non *iuvenaliter* (ac sane prioris Medicei auctoritas plus valet quam alterius), item O. 2 *ardore iuvenili.* Bekkerus et Orellius *iuvenalem* receperunt.

Massiliensium moenibus coërceri: 'relegandi genus tunc fre-

48 Isdem consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas diversas ordo plebs ad senatum miserant, illi vim multitudinis, hi magistratuum et primi cuiusque avaritiam increpantes. Eaque seditio ad saxa et minas ignium progressa ne necem et arma proliceret, Gaius Cassius adhibendo remedio delectus. Quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte praetoria, cuius terrore et paucorum supplicio rediit oppidanis concordia.

49 Non referrem vulgatissimum senatus consultum, quo civitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur, nisi Paetus Thrasea contra dixisset, praebuissetque materiem obtrectatoribus arguendae sententiae. Cur enim, si rem publicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? Quin de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis Romana continentur, suaderet

1. *cos.* cum lin. Mª. *audite* Mª. 2. *plebs* Mª: *plebsque* ABCG et Harl. Ies. copulam *que* superscriptam in Mª, de qua narrat Iac. Gronovius, Baiterus non notavit, recentiorum interpolationum plerumque incuriosus. 4. *eaque* Mª: *cumque* G. *et* GMª: *ad* B. *ne necem* Waltherus: Mª cum ceteris *necem.* 14 7 *ne* item excidit post v. *discrimine.* 5. *proliceret* Mª: *perliceret* BG Harl. Bodl. Ies. *G.* Mª. 6. *tollerabant* Mª. *p̄cante* Mª. 9. *SC* cum lin. Mª. *civitate* Mª: G *civitati.* 10. *sirac.* Mª et G. 11. *petus* Mª. 12. *praebuitsetque* Mª. 13. *rem p.* Mª. 15. *romana continentur* GMª: *Romana continetur* Reg. *suadere dissuadereve* GMª: tacite correxit Lipsius.

quens; sic Iulia oppido Rheginorum ab Augusto clausa, Silanus a Nerone Bario municipio Apuliae, Dolabella in coloniam Aquinatem ab Othone sepositus.' LIPSIUS.

Cap. 48. *ordo:* est ordo decurionum sive curialium, h. e. senatorum in municipiis coloniisque Romanorum; *ordo Mutinensis* II. III 52. V. Savinii (Savigny) *Ius Rom. per med. aev.* t. I sub initium. Paulo post ubi *primi cuiusque*, non tam cogitaverim de *decem primis* aliquoties ab antiquis rerum scriptoribus memoratis, quam de iis qui honoribus oppidanis perfuncti essent.

ad Scribonios fratres: interempti sunt a Nerone per Achaiam lasciviente: Dio LXIII 17.

Cap. 49. *egredi numerum edendis gladiatoribus finitum:* numerum in urbe Roma usque ad centum viginti definiverat Augustus a. 732: Dio LIV 2: *μήθ' ὁπλομαχίαν μήτ' ἄλλως εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, μήτ' αὖ πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν.* Cf. Sueton. Tiber. 34: *ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis.*

quibusque aliis Romana continentur: videtur indignantium brevitatem et loquendi audaciam exprimere voluisse. Eam Taciti elegantiam removet coniectura Lipsii *res Romana continetur.*

dissuaderetve? Licere patribus, quotiens ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere relationemque in ea postulare. An solum emendatione dignum ne Syracusis spectacula largius ederentur? Cetera per omnes imperii partes perinde egregia quam si non Nero sed Thrasea regimen eorum teneret? Quodsi summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum? Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, non praesentium ignarum respondebat eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare, ut manifestum fieret magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.

Eodem anno crebris populi flagitationibus, immodestiam 50
publicanorum arguentis, dubitavit Nero an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus quibus res publica sustineretur deminuerentur: quippe sublatis portoriis sequens ut tributorum abolitio expostularetur.

12. *flagitionibus* M[a]: G *flagitationibus*. *inmodestia* M[a]. 17. *res p.* M[a]. *deminuerentur* M[a], *diminuerentur* G.

Cap. 50. *cuncta vectigalia*: vectigalia dicit quae proprie vocantur; eadem mox *portoria* (*Zölle, péages*). Quae succedunt *tributa*, sunt quae ex decumis agri provincialis quaeque ex pascuis aut stipendiis redirent. Et portoria et decumas et pascua societates publicanorum redimere et exigere solebant. Utrumque quaestuum genus coniunctum I 11: *tributa aut vectigalia*. *sequens*: forma minus vulgata utitur pro *consequens* vel *consectarium*.

acri etiam populi Romani tum libertate: noli cum Ursino *acri etiam tum* reponere: nam hoc recepto senatores significant, iam non esse acrem populi Romani libertatem, quod coram Nerone pronuntiare nemo audebat; cf. I 3. Vulgata, quae est in BM[d] (G *ac etiam pop. Rom. cum lib.*), hoc dicit, et olim fuisse et nunc esse acrem p. R. libertatem. Hoc dignum est senatu illius aetatis.

plane: eleganter per hanc particulam saepe ita rem concedunt, ut quod negant concesso altero lenire velint. Cf. annot. ad III 34: *bella plane accinctis obeunda*.

Cap. 51. *cuiusque publici*: publicum est τὸ δημόσιον, omnia quae res publica postulare et exigere suo iure potest. *Cuiusque* addit, ut etiam *tributa* complectatur. De nomine cf. Forcellinius s. v. *publicus*. *proscriberentur* breviter dictum est pro *scripta publicarentur*.

veno exercerent: ob haec negotia extra ordinem exercita Syriae milites c. 35 *nitidi et quaestuosi* nominantur.

abolitio quadragesimae quinquagesimaeque: quod dicit *quadragesimae quinquagesimaeque* hoc valet, in aliis locis ac provinciis qua-

Plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas acri etiam populi Romani tum libertate; reliqua mox ita provisa ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata novis acerbi-
51 tatibus ad invidiam verterent. Ergo edixit princeps ut leges cuiusque publici, occultae ad id tempus, proscriberentur; omissas petitiones non ultra annum resumerent; Romae praetor, per provincias qui pro praetore aut consule essent, iura adversus publicanos extra ordinem redderent; militibus immunitas servaretur, nisi in iis quae veno exercerent; aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque, et quae alia exactionibus inlicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio; et ne censibus negotiatorum naves ascriberentur tributumque pro illis penderent, constitutum.

2. *p. R.* M[a]. 4. *congruere* M[a]: emendatum in G. 7. *publicis* M[a]: G *publici.* 9. *pro praetore* G: *pro.p.R.* M[a]. *cos.* cum lin. M[a]. 11. *immunita* M[a]. *his* M[a]. 13. *quadringentesimae* GM[a] et tres Vaticani: correxit Puteolanus. 14. *etque alia* M[a]. *exauctionibus* GM[a]: correxit Rhenanus. *ill.* Or. 16. *ascr.* M[a], *ad scrib.* G.

dragesimam, in aliis quinquagesimam exactam fuisse. Particulae *que* eadem vis est atque in Agricola c. 12 *duabus tribusque civitatibus.* Sed haec quadragesima quinquagesimaque quae fuerit, certo definiri nequit: dubium autem non est falli eos qui cogitant de illa quadragesima litium, cuius meminit Suetonius Calig. 40: *pro litibus atque iudiciis ubicumque conceptis quadragesima summae de qua litigaretur* (exigebatur). Non magis verum asseculi sunt qui de mercium transvectarum aut venalium eduliorum portorio a Caligula instituto (v. Sueton. l. c.), aut de macelli vectigali a Plinio XIX 19 §. 2 memorato cogitant; immo non loquitur Tacitus de vectigalibus a principe senatuve impositis sed de *illicitis exactionibus* quas publicani sibi petiverint. Equidem coniicio haec accipienda esse de publicanis earum provinciarum quae frumentariae essent, atque in his id sibi iuris illos arrogasse ut pro ipso decumarum frumento pecuniam acciperent, sed eo nomine quadragesimam vel quinquagesimam super legitimam pecuniae summam postularent.

temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio: non ut provinciis patres consulerent, sed in urbe frumenti pretium levarent, onera eorum qui in transmarinis provinciis frumentum emerent Romamque subveherent, *temperata* sunt. Transmarinas provincias cum dicit, Africam prae ceteris cogitat. Unum et praecipuum genus eius moderationis statim per particulam *et* explicatur.

Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium 52 illic habuerant, Sulpicium Camerinum et Pomponium Silvanum absolvit Caesar, Camerinum adversus privatos et paucos, saevitiae magis quam captarum pecuniarum crimina obicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque tempus evocandorum testium: reus illico defendi postulabat. Valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit quorum ambitu evaserat.

Quietae ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio 53 ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent. Paulinus Pompeius et Lucius Vetus ea tempestate exercitui praeerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres et sexaginta annos a Druso aggerem coërcendo Rheno absolvit, Vetus Mosellam atque Ararim facta inter utrumque fossa connectere parabat, ut copiae per mare, dein Rhodano et Arare subvectae per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque itineris difficultatibus navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque

2. *habuerunt* GM^a: mutavit Rhenanus. *supplicium camelinum* M^a: correctum in G. 4. *sev.* M^a. 6. *ilico* M^a et pr G, *illico* corr G. 9. *quiete* M^a. 10. *pervulgati* GM^a: *pervulgatis* apud Puteolanum. 11. *Paulinus* M^a, non *Paullinus.* 12. *L.* M^a. *nec* M^a: *ne* G. 14. *cohercendo* M^a. 15. *Ararim* om GM^a: supplevit Puteolanus. 16. *conectere* M^a. *parabant* pr M^a. *rodano* M^a. 17. *subuecte* M^a. 18. *exim* M^a.

Scilicet negotiatorum censibus cum naves non ascriberentur tributumque pro iis solvendum non esset, subvectio frumenti minore pretio stetit. Falsa de verbo *temperata* protulit Waltherus.

Cap. 52. *absolvit Caesar:* Nero auctor erat patribus, ut Camerinum captarum pecuniarum crimine absolverent. Sulpicius Camerinus in Actis fratrum arvalium (tab. XIV — XVII) memoratur eius collegii magister. Interfectus est ab Helio liberto Neronis: Dio LXIII 18.

adversus privatos et paucos: non civitates populique provinciae accusabant, sed privati et pauci, iique non tam proferebant quae nomen causae (*de repetundis*) promittebat, quam alia crimina in delationis libello non perscripta.

evocandorum testium: cf. c. 43 cum annot. *quam ultra vitam — evaserat:* ambitum intellige eorum qui reum protegentes huius favorem ambiebant et pro tali beneficio orbi testamentum expectabant. At homo lentus longa vita eas spes frustratus est.

Cap. 53. *pervulgatis triumphi insignibus:* respicit Tacitus a se narrata XI 20. *Paulinus Pompeius et Lucius Vetus:* Plin. XXXIII 50 cum Pompeium Paulinum —

litora fierent. Invidit operi Aelius Gracilis Belgicae legatus, deterrendo Veterem ne legiones alienae provinciae inferret studiaque Galliarum adfectaret, formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti. 54 Ceterum continuo exercituum otio fama incessit ereptum ius legatis ducendi in hostem. Eoque Frisii iuventutem saltibus aut paludibus, imbellem aetatem per lacus admovere ripae, agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere, auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. Iamque fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patrium solum exercebant, cum Dubius Avitus, accepta a Paulino provincia, minitando vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare impetrarent, perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. Profectique Romam dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quae barbaris ostentantur intravere Pompei theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caveae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percon-

1. *belgice* M[a]. 2. *de deterrendo* M[a], sed *de* est in versus fine. *inferret in studiaque* GM[a]: correxit Rhenanus. 3. *aff.* Or. 7. *inb.* M[a]. 9. *malorie* M[a]: G *malorige*. *quia* GM[a]. 13. *Frisii* tamquam glossa Acidalio suspecta. 14. *inp.* M[a]. *mallorigem* M[a]. *p̄ces* M[a]. 15. *profecitque* M[a]: G *profecti que*. 16. *intereaque barbaris* M[a]. *pompei* M[a], *popei* G. 19. *percunct.* Or.

ferocissimis gentibus oppositum esse scribit, gentes Germanorum inferiori Germaniae in altera ripa oppositas cogitavit. Idem Romae fuit a. 62: v. XV 15. Seneca ei inscripsit librum de brevitate vitae. De Vetere v. Ind. hist.

inchoatum — a Druso aggerem: agger ille coeptus est, ne nimium aquae ei Rheno qui servat nomen per Vahalem subtraheretur; v. H. V 19. Ceterum Tacitus pauca supra repetit, ex anno 811 in 808 regressus: Drusus enim a. 745 vita decesserat, et opus ab illo ante 63 annos inchoatum Paulinus absolvit.

Cap. 54. *ripae:* h. e. ripae Rheni fluminis inter fossam Drusianam (*Yssel*) et Vahalem (*Waal*) servato nomine procurrentis. Lacus per quos imbellem aetatem admovent, intellige aquas Flevi (*Zuydersee*).

Dubius Avitus: Lipsius nominis formam *Vibius Avitus* reponendam putabat, propter Plinii (XXXIV 18) verba *statuam Arvernorum cum faceret* (Zenodorus), *provinciae Vibio Avito praesidente;* sed Plinii codices nonnulli item *Dubio* praebent, idemque in titulis Romanorum. Dubii nomen fortasse a Galliae flumine *Dubi* factum, ut ab Atace fluvio Gallico cognomen duxit Varro Atacinus.

tantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum; et quinam forent rogitantes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant, degrediunturque et inter patres considunt. Quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione. Nero civitate Romana ambos donavit, Frisios decedere agris iussit. Atque illis aspernantibus auxiliaris eques repente immissus necessitatem attulit, captis caesisve qui pervicacius restiterant.

55 Eosdem agros Amsivarii occupavere, validior gens non modo sua copia, sed adiacentium populorum miseratione, quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus,

2. *fore* M[a]: G *forent*. 3. *legatis* G: M[a] *legum*, sed *um* in rasura. 5. *degrediunturque* M[a], *digrediunturque* G. *partes* M[a]: *patres* G. 7. *emulatione* M[a]. 10. *cesisue* M[a]. 11. *amsibarii* M[a], *ansybarii* G. 14. *his* ACGM[a].

degrediunturque et inter patres considunt: degressi sunt in orchestram, locum senatoribus discretum. Eandem rem in Claudii aevum contulit Suetonius c. 25: *Germanorum legatis in orchestra sedere permisit simplicitate eorum et fiducia motus, quod in popularia* (in caveam populi) *deducti, cum animadvertissent Parthos et Armenios sedere in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam praedicantes.* Suetonio commune utriusque principis nomen gentile (*Claudius*) fraudi fuit: Tacitum enim, qui hanc rem tam accurate exposuit neque occasionem quae legatos illos in urbem duxit, referre praetermisit, errasse statui nequit.

Cap. 55. *Amsivarii:* cum h. l. in optimo libro *Amsibarii*, mox (c. 56) *Ampsivariis* et *Ampsivariorum* scriptum exhibeatur, equidem iuncta utriusque scripturae dote nomen *Amsivarii* procudendum putavi. Cf. annot. ad II 8. Ammiani (XX 10) *Attuarii*, quamquam codices inter *Ampsivarios*, *Ansuarios*, *Attuarios* fluctuant, huc nihil pertinent. Neque Strabonis VII 1 3 et 4 p. 291 *Καμψιανοὺς* (altero loco inconstanter *Ἄμψανοι* vulg.) huc vocare ausim.

mox Tiberio ac Germanico ducibus: orator duo tempora componit, prius verbis *vinctum se rebellione Cherusca iussu Arminii referens*, alterum *Tiberio ac Germanico ducibus stipendia meruisse*, in quo sermonis tenore *ἀσύνδετον Tiberio, Germanico ducibus*, quod Orellius duce Mediceo reposuit, tolerari nequit, id quod recte senserunt auctores interpolatae scripturae *Tiberio et Germ. ducibus*. Ego vero praeferendum putavi *Tiberio ac Germanico*, unde corruptionis origo melius perspicitur. Quippe in *ἀρχετύπῳ A* absorpta est per litteram *O* proxime superiorem (*Tiberio*), *C* delituit ante subsequentem *G* (*Germanico*).

quantam partem — transmitterentur: dicit tantum agri superesse,

nomine Boiocalus, vinctum se rebellione Cherusca iussu Arminii referens, mox Tiberio ac Germanico ducibus stipendia meruisse, et quinquaginta annorum obsequio id quoque adiungere, quod gentem suam ditioni nostrae subiceret. Quantam partem campi iacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur! Servarent sane receptos [gregibus] inter hominum famam, modo ne vastitatem et solitudinem mallent quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum et post Usipiorum fuisse. Sicuti caelum deis, ita terras generi mortalium datas; quaeque vacuae, eas publicas esse. Solem deinde suspiciens et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, vellentne contueri inane solum: potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores.

1. *boicalus* M[a], G *biocalus*, in margine *boiocalus*. 2. *Tiberio ac* editor: M[a] *tiberio* in fine versus, G et plerique editores *Tiberio et*. 3. *et quinquaginta* M[a]: *quinquaginta* G et Harl. Bodl. 4. *dicioni* M[a]. *quantam* editor: codices *quotam*. 5. *qua* M[a]: *quā* G. 6. glossam *gregibus* seclusit editor. 9. *usiporum* M[a], *usipporum* G. 10. *queque* M[a]. 11. *deinde* M[a], non *inde*. *suspiciens* Heinsius: *despiciens* M[a], *respiciens* G. *caetera* M[a]. *sydera* M[a]. 12. *uelletne* M[a]: *uellent ne* G. 13. *superfundere* M[a]: correctum in G.

ut in magnam eius partem armenta militum aut admodum sero aut nunquam (*aliquando*) transmitterentur. *Iacere* est incultam iacere et sine fructu. Quae sententia huic loco conveniens ut restitueretur, pro *quotam* scribendum erat *quantam*. Illud ex prava solutione siglae *qtam*, qua et *quantam* et *quotam* significari solet, ortum puto.

servarent sane receptos [gregibus] inter hominum famam: cum proxime de *pecoribus armentisque* sermo fuerit, iam oratorem ad homines (ad Amsivarios) pervenire aequum videtur. Sed ecce interturbat additum *gregibus* et bestias iterum inculcat ubi minime velis, et ita ponit ut nisi reiectis iis (hoc tibi, lector, expertus spondeo) quidquam in structura expedienda proficias. Mihi nomen *gregibus* ex glossa invectum videtur: scilicet lector adversus verba *quantam partem campi iacere* in margine scripsit *gregibus*, ut esset *in usum gregum* (*für die Heerden*). Nomen inde translatum locum non aptum accepit. Qui precantur, ut *recepti inter hominum famam serventur* (h. e. ne ipsi nomenque eorum omnino intereant), Amsivarii sunt. *Receptos* agros camposve ne interpretemur, vel linguae leges impediunt, idemque dicendum de ingenio Waltheriano, secundum quod *gregibus* idem valet atque *in greges* vel *gregibus immixtos*, ne quid dicam de stultitia precantis. Novissime Bezzenberger praeeunte aliquatenus Freinshemio excogitavit: *servarent sane receptus gregibus, modo citra hominum famem, neu v.*

solem deinde suspiciens: perite Doederlinius de scriptura M[a] *despiciens:* 'videtur *de* ex dittographia ortum, rursusque *su* a sequente *s* absorptum.'

Et commotus his Avitus, patienda meliorum imperia: id dis 56 quos inplorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent quid adimerent, neque alios iudices quam se ipsos paterentur. Haec in publicum Amsivariis respondit, ipsi Boiocalo ob memoriam amicitiae daturum agros. Quod ille ut proditionis pretium aspernatus, addidit 'deesse nobis terra ubi vivamus *potest*, in qua moriamur non potest.' Atque ita infensis utrimque animis discessum. Illi Bructeros Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant. Avitus scripto ad Curtilium Manciam superioris exercitus legatum, ut Rhenum transgressus arma a tergo ostenderet, ipse legiones in agrum Tencterum induxit, excidium minitans, ni causam suam dissociarent. Igitur absistentibus his pari metu exterriti Bructeri. Et ceteris quoque aliena pericula defendentibus sola Amsivariorum gens retro ad Usipios et

1 *habitus* M[a]. 2. *inpl.* M[a], non *impl.* 5. *bolocalo* M[a]. 6. *p̄tium* M[a]. 7. *terra ubi vivamus potest* editor (*ubi* praeivit Silligius in diurnis Ienens. a. 1834 et Doederlinius): M[a] *terrā uiuam*, G *terrā uiuā*, A et Rhenanus *terra in qua vivamus*. *mori amor* M[a]. 8. *utrimque* M[a], non *utrinque*. *discesum* M[a]. 10. *auitu* M[a]. 12. *tenerum* M[a]. *exscidium* M[a]. 13. *asistentibus* post primum *s* superscripto altero M[a], *adsistentibus* G: correxit Rhenanus. 15. *usipsos* M[a].

Cap. 56. *et commotus his Avitus: et* breviter dictum pro *etiam* vel *et ipse*. Commotis verbis et minando orationem finiverat Boiocalus: cui respondet graviter et severe dux Romanus. Ceterum post *imperia* verbum *ait* excidisse reor, *a* littera post praegressum nomen *imperia*, *it* haustis a proximo *id*.

deesse nobis terra ubi vivamus potest, in qua moriamur non potest: Medicei illud *uiuam* feliciter Silligius interpretatus est *ubi vivamus*. Nam in *ubi*, quod frequenti usu *uvi* scribitur, extrema littera et proxima ante *vivamus* periit, prima post vocabulum *terra* intercidit, exitus autem verbi *vivamus* ob neglectam vel temporis spatio evanidam compendii notam delituit, et *uiuam* ita corruptum etiam *terram* in vitium traxit. Sed subest aliud vulnus: nam in gravissima sententia et commoti hominis oratione alterum ex contrariis verbis deesse nequit ob vim ei delegatam. Longe aliter res se habet XII 64: *quae filio dare imperium* (poterat), *tolerare imperantem nequibat;* etiam in Ciceronis verbis a Doederlinio ascriptis Fin. I 1: *veritus ne movere hominum studia* (posse) *viderer, retinere non posse*. Quapropter dubitare noli quin verbum *potest* a scriba neglectum sit ad proximum *potest* intento.

socias bello vocabant: vocabant ut bello sociae essent.

hospites, egeni, hostes, in alieno: bina membra sunt, binis quodque partibus constans, unum *hospites* et *egeni* alterum *hostes* et *in alieno*, sed commata contra morem post *hospites* et *hostes* reliqui, ne falso

Tubantes concessit. Quorum terris exacti cum Chattos, dein Cheruscos petissent, errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod iuventutis erat, caeduntur; imbellis aetas in praedam divisa est.

57 Eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certatum magno proelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum vi trahunt, super libidinem cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare caelo, precesque mortalium a deis nusquam propius audiri. Inde indulgentia numinum illo in amne illisque silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis, concretum. Sed bellum Hermunduris prosperum, Chattis exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi viri,

1. *catthos* M^a. 2. *etrore* M^a. 3. *in alio* M^a: *in alieno* G. *erant ceduntur* M^a, *erat ceduntur* G. *inb.* M^a. 5. *estate* M^a. *catthosque* M^a. 6. *prael.* Or. 7. *libidine* GM^a: correxit Rhenanus. 8. *p̄cesque* M^a. 9. *deis* M^a, non *dis*. 10. *salem*] *item* M^a et B (a man. sec., a prima abest) G Bodl. Harl.: correxit Puteolanus. 12. *arentem* GM^a: emendavit Rhenanus. 13. *alimentis* M^a, *clementis* G: correctum in aliis. *concreta* GM^a: emendavit Lipsius. 14. *catthis* M^a. *exitio sius* M^a: *exitio* G et Oxonienses.

egeni hospites et *hostes in alieno* iungerentur; v. ad XI 6.

quod iuventutis erat, caeduntur: imbellis aetas in praedam divisa est: haec causa est, quod in Germania Tacitina nulli iam Amsivarii comparent: illa enim describit Germaniae populorum statum, qualis erat a. 98 p. Chr.

Cap. 57. *super ardentem arborum struem fusa — concretum:* Plin. XXXI 39 extr.: *Galliae Germaniaeque ardentibus lignis aquam salsam infundunt.* Varro de R. R. I 7: *in Gallia Transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi — ubi salem nec fossicium nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis carbonibus salsis pro eo uterentur.*

Chattis exitiosius fuit: h. e. magis exitio fuit quam si iusto bello et humano more confligere decrevissent. Excisam tunc esse gentem Chattorum, id tradere his verbis non fuit animus scriptoris. Minus apte G et Oxonienses *exitio* pro *exitiosius.* Quod sequitur *quia victores (weil sie im Falle des Sieges)* idem valet ac *quia*, *si ipsi* (Chatti) *victores futuri erant.* Inde enim Tacitus dicit *minae hostiles in ipsos vertebant*, id est in ipsos immanitatis illius auctores. Etiam in Germania c. 9 Mercurium et Martem unos Germanorum deos recenset: cf. ibi annot.

equi viri, cuncta victa: conf. annot. ad XI 6. *Equi* praeponuntur *viris*, quod eos immolari minus mirum erat. Rem per se atrocem atrociorem fecit Iac. Grimmius in Mythol. Theod. II

cuncta victa occidioni dantur. Et minae quidem hostiles in ipsos vertebant. Sed civitas Ubiorum socia nobis malo inproviso adflicta est. Nam ignes terra editi villas arva vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditae nuper coloniae moenia. Neque extingui poterant, non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis aut quo alio humore, donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis propius suggressi ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant. Postremo tegmina corpori derepta iniciunt, quanto magis profana et usu polluta, tanto magis oppressura ignes.

Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae octin- 58
gentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam

1. *hostile* (*s* addito ex corr.) M[a]. 2. *Ubiorum* Heinsius: M[a] et G *uibonum* (sine puncto super litt. *i*). 3. *affl.* Or. 5. *menia* Ma. 7. *remedio* M[a]: G *remedii.* fortasse fuit *remediorum.* *agrestis* M[a]: G *agrestes.* 8. *resistentibus* GM[a]: correctum in B et apud Puteolanum. *proprius* M[a]. 10. *direpta* GM[a]: A *derepta.* 12. *quae octingentos* Vatic. 1958: *quae septingentos* M[a], *quae super octingentos* G.

p. 999, dum fingit etiam feminas et liberos neci datos esse. Aperte Tacitus nonnisi viros proelio congressos dicit quaeque cum his in manus hostium venerant, equi, currus, commeatus, arma.

civitas Ubiorum: hanc N. Heinsii coniecturam egregie vindicavere duumviri rerum naturalium peritissimi, E. G. Nees ab Esenbeck et I. Noeggerath. Vide Noeggerathii librum qui inscribitur 'Das Gebirge in Rheinland-Westphalen' vol. III p. 59—112, ubi commentatio docte conscripta hoc titulo: *gibt Tacitus einen historischen Beweis von vulkanischen Eruptionen am Niederrhein? Vibonum* populus, qui nullus fuit neque in Germaniae terris neque in orbe antiquo, horum amatoribus reliquendus est.

condita nuper colonia est Colonia Aprippinensium. Cf. XII 27. Ab eo inde tempore (a. 50 a Chr.) alia colonia in Germaniam nulla deducta erat; eo minus dubitandum, quin Agrippinenses h. l. memorentur. Tacitus describit incendium in terrae superficie grassatum (*Erdbrand*, *Moorbrand*).

non si fluvialibus aquis aut quo alio humore: ex eo quod praecedit *neque extingui poterant* coniunctioni *si* verbum *extinguerent*, h. e. extinguere conarentur, ἀπὸ κοινοῦ petendum. Codices interpolati, veluti G et duo Oxonienses, post *humore* addunt *niterentur.* *donec — iacere:* de libertate constructionis dictum ad II 31.

Cap. 58. *eodem anno:* cf. ad I 53.

octingentos et quadraginta ante annos: fama, quam h. l. secutus est Tacitus, urbis Romae conditoribus cum opus aggrederentur triginta annos tribuebat. Iam enim in anni 811 rebus enarrandis scriptor versatur, et annum nondum finitum ex computatione exemit. Ceterum prisca ficus Ruminalis ad Lupercal fuit in radicibus montis Palatini, sed in comitium sponte

texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revirescеret.

2. *habitum*] *abditum* M[a], om G. *reuiuesceret* M[a]. *Explicit Cornelii Taciti liber tertius decimus. Incip.* (cum lin.) *XIIII.* M[a].

transisse credebatur. Cf. Dionys. A. R. I 79. Plin. XV 18. Festus s. v. *Navia*. Becker Enchirid. A. R. I p. 292—294.

LIBER QUARTVS DECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—19. Annus a Chr. quinquagesimus nonus, imperatoris Neronis sextus, qui totus occupatur principis flagitiis et populi Romani patrumque infamia. Nero amore Poppaeae in dies flagrantior matricidium diu meditatum aggredi statuit, dum Agrippina ad retinendam potentiam extrema conatur (*1—3*). *Nero eam Baias elicit, inde Baulos regredientem ac navis et maris insidias elapsam per Anicetum occidit* (*4—9*). *A Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est, sed tribunorum centurionumque adulatione ad spem firmatur; amici dehinc et proxima Campaniae laetitiam ostentant. Neronis ad senatum litterae facinus cum mendacio narrantis et excusantis, et Seneca* (*is composuerat*) *adverso rumore* (*10—11*). *Sed miro certamine procerum decernuntur supplicationes et foedae adulationes peraguntur, inter quae Thraseae verus animus et rara libertas, sed inutilis* (*12*). *Romam regressus laeta et prompta omnia habet. Hinc superbus et publici servitii victor in omnes libidines se effundere coepit, quas male coërcitas qualiscumque matris reverentia tardaverat. Iam curriculo quadrigarum insistere et canere cithara intendit. Prius concessum a Seneca et Burro, ne utrumque pervinceret, et clausum valle Vaticano spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo. Sed mox populus ultro convocatur, laudibusque extollit principis curam et artem* (*13—14*). *Ne iam publico theatro dehonestaretur, ludos Iuvenalium instituit Caesar, in quos passim nomina data a viris nobilibus et honoratis, et ipse scenam incessit cantans cithara; conscripti Augustani collaudantes principis formam et vocem* (*15*). *Etiam carminum studium affectat et scientiae doctoribus operam impendit post epulas* (*16*). *Discordiae inter colonos Nucerinos*

Pompeianosque (17). Motus senatu Pedius Blaesus, Cyrenenses pecunia iuvantur (18). Mortes virorum illustrium, Domitii Afri et Marci Servilii (19).

Cap. 20—28. Annus a Chr. sexagesimus, rebus gestis haud inglorius, domi nullo insigni dehonestamento. Quinquennale ludicrum Romae institutum, idque ab aliis vituperatum, ab aliis defensum et excusatum. Ne modica quidem plebis studia exarsere. Eloquentiae victorem esse Caesarem pronuntiatum (20—21). Prodigia et ob ea Rubellius Plautus in Asiam demotus; Nero nimii luxus cupidine periculum vitae adit (22). Corbulonis post deleta Artaxata per Armeniam facinora. Tigranocerta in deditionem accepta; Tiridaten extrema Armeniae intrantem dux Romanus depellit, Tigrani misso ex urbe ad capessendum Armeniae imperium tradit regnum, ipse in Syriam sibi permissam abscedit (23—26). Eodem anno Laodicea tremore terrae prolapsa; in Italia coloniis nonnullis subventum; comitia praetoria in ambitionem versa a principe composita; Vibius Secundus repetundarum damnatus (27—28).

Cap. 29—47. Annus a Chr. sexagesimus primus, Neronis principis octavus, victoriis insignis, nullis infectus Caesaris sceleribus. Per Britanniam Suetonii Paulini coepta, pericula, victoria (29—37). Cuius laudibus obtrectat Classicianus procurator, et missus ad Britanniae statum spectandum Polyclitus libertus, terribilis suis, contemptus a Britannis. Suetonius ob amissas paucas naves revocatus exercitum tradit Petronio Turpiliano (38—39). Eodem anno Romae insignia scelera admissa, alterum audacia senatoris (ei nomen Valerius Fabianus), falsum testamentum cum consciis Domitio Balbo subiicere tentantis, alterum admissum a servo, qui occidit praefectum urbis Pedanium Secundum; familia omnis quae sub eodem tecto mansitaverat ad supplicium ducta post diversas in senatu super ea poena sententias et plebis turbas (40—45). Isdem consulibus damnatus Tarquitius Priscus, census per Gallias acti, mortuus Memmius Regulus (46—47).

Cap. 48—65. Anni a Chr. sexagesimi secundi, qui est nonus Neronis Caesaris, ad scelera et flagitia prorumpentis iamque suo tantum ingenio utentis, res domesticae. Revocatur lex maiestatis atque exercetur in Antistium praetorem, ob factitata in principem carmina delatum, qui Thraseae libertate supplicium evadit, in insulam mittitur (48—49). Haud dispari crimine Veiento Italia depulsus (50). Burrus vita concedit, valitudine an veneno incertum; praetoriis cohortibus impositi Faenius Rufus, vir militaris et bonus, Sofonius Tigellinus, deterrimus mortalium (51). Burri mors Senecae potentiam infregit; is tempus sermoni orat, quietem petit, fenus et villas a Nerone dono acceptas redditurus. Qui modeste negat; Seneca prohibet coetus salutantium, vitat comitantes, rarus in urbe (52—56). Etiam Faenius imminutus, validior in dies Tigellinus, qui metus principis rimatus Plauto et Sullae perniciem struit. Quibus sublatis Nero nuptias Poppaeae parat maturare et amoliri Octaviam coniugem (57—59). Exturbatur Octavia, mox instigante Poppaea servilis amoris accusatur, in Campaniam pellitur. Inde ob crebros vulgi

questus revocata a Nerone, et turbae propter immodicam plebis laetitiam in urbe. Poppaea ira et metu atrox cum Nerone expostulat, eum perpellit ut falso adulterii crimine Octaviam in insulam Pandateriam releget, dein interficiat (60—64). *Isdem temporibus libertorum praecipuos Nero interfecisse veneno creditus est* (65). *Externae eius anni res in proximum librum differuntur.*

1 Gaio Vipstano Gaio Fonteio consulibus diu meditatum scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia, et flagrantior in dies amore Poppaeae, quae sibi matrimonium et discidium Octaviae incolumi Agrippina haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusaret principem et pupillum vocaret, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii sed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri nuptias suas? Formam scilicet displicere et triumphales avos, an fecunditatem et verum animum? Timeri ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. Quodsi nurum Agrippina nonnisi filio infestam

7. *Gaio uipsano* GM^a^: *C. Vipstano* Ryckius. *Gaio Fonteio* editor: libri *Fonteio*. *consuli.* M^a^: *consulibus* (per comp.) G. 9. *poppee* M^a^. 11. *facecias* M^a^.

Cap. 1. *Gaio Vipstano:* est Gaius Vipstanus Apronianus, qui anno 69 = 822 proconsulatum Africae gessit: H. I 76. Gentis *Vipstanae* esse, non *Vipsaniae*, liquet ex actis fratrum Arvalium ap. Marinium tab. 14 et 15 et 16 et 19 et 21 et 22 et 23, ubi totiens ipse hic C. VIPSTANVS APRONIANVS luculente tabulis marmoreis incisus legitur.

Gaio Fonteio: praenomen codicibus et editionibus deerat: sed Tacitus ubi consules in anni principio nominat, exceptis Caesaribus, semper bina nomina posuit, nunquam unum, neque causa cogitari potest ulla, cur ab ea consuetudine h. l. deficeret. Immo *C.* nota in antiquo libro (M^a^) delituit aut potius omissa est, sive librarius eam post *C. Vipstani* nomen falso repeti putavit, sive *Gaio Vipstano Fonteio* unius hominis nomina esse perperam credidit, et sane hoc ei videtur accidisse, cum statim *consuli* scripserit pro *consulibus*. Sed nonne facilius est scribere cum I. Fr. Gronovio *Gaiis Vipstano Fonteio consulibus?* Taciti mos et concinnitas verborum aliter suadet; conf. IV 1: *Gaio Asinio Gaio Antistio consulibus*; XII 64: *Marco Asinio Marco Acilio consulibus*; V 1: *Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat.* Fonteius est *C. Fonteius Capito*, eius collega *C. Vipstanus Apronianus*, quae nomina confirmantur inscriptione Neapolitana non ita pridem reperta et edita in *Bulletino dell' Instit. arch.* a. 1831 p. 50.

verum animum: h. e. verum affectum sive non dubiam voluntatem. H. I 15: *pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.*

ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio. Ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quam viseret periculis eius immixta. Haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi potentiam matris, et credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia. Tradit Cluvius ardore re- 2
tinendae [Agrippinam] potentiae eo usque provectam ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam. Iamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis, Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petivisse, immissamque Acten libertam, quae

1. *redditur* M^a: G *reddatur*. 3. *inm.* M^a. 7. glossam *Agrippinam* notavit editor. 9. *se* om pr M^a, additum ex corr. 10. *flagitiis* AGM^a: tacite correxit Rhenanus. 12. *inm.* M^a.

Cap. 2. *ardore retinendae [Agrippinam] potentiae eo usque provectam:* quae dicatur sponte patet ac verbi forma *provectam* luculente exprimitur, sed loco non apto nomen supervacaneum intervenit, quod incommodum auctor codicis C sublaturus scripsit *Agrippinam ardore retinendae potentiae*, suo haud dubie arbitratu, quamvis Latinitas hunc ordinem postulet. Walthero facile fuit pronuntiare recte se habere ceterorum librorum scripturam, sed vindicare insolitam collocationem verborum nullo exemplo potuit. Itaque glossa h. l. irrepsit ei similis quam XIII 16 offendimus. Quippe adversus versum *ardore retinendae potentiae eo usque provectam* in margine antiqui libri, unde derivatus M^a, ascriptum erat vocabulum *Agrippinam* atque hinc in sedem non aptam translatum est. De Cluvio diximus ad XIII 20.

medio diei — incalesceret: pingit improbam aulae lasciviam et insolentiam. Scilicet dum alii vergente die cenam sumunt, princeps medio die iam vino et epulis incalescere solebat. Eidem moris fuit trahere noctes conviviis et per vinolentiam: XIII 20. Sueton. 27.

cum Lepido spe dominationis: 'qui Lepidus antea maritus Drusillae, convictus postea coniurationis in Caium (Sueton. Cal. 24, Dio LIX 11 et 22) itemque stupri in Agrippinam et Livillam. Rutilius in Itin. de Lepidis v. 293:

Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus:
Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia sermo retexit
Sardoam, Lepido praecipitante, fugam.
Litore namque Cosae cognatos depulit hostes
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior, civilibus armis
Qui gessit sociis impia bella tribus.
Insidias paci moliri tertius ausus,
Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus Caesareo dum vult irrepere regno,
Incesti poenam solvit adulterii.

simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat, eiusdemque libertae astu disiectum. Sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat, seu concepit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, et exercita ad omne flagitium patrui

3 nuptiis. Igitur Nero vitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium capesseret. Postremo, ubicumque habe-

7. *inm.* Mª. 9. *dominitationis* Mª. *ammiserat* Mª: G *admiserat.* 13. *capesseret* Heinsius: codices *lacesseret.* *ubicũque* Mª.

Primum mali fati Lepidum intellegit, qui cum Q. Catulo dissensit post obitum Sullae et in Sardinia periit; alterum qui triumvir. Tertium qui conspiravit in Augustum, illius filium; quartum de quo hic. Sed cur poeta ait incestum eius adulterium cum Agrippina et Livia? Ideo quia maritus Drusillae Lepidus, et cum Agrippina etiam sanguine iunctus. Credo enim hunc Lepidum natum ex Aemilio Paullo et Iulia nepte Augusti. At Iulia soror Agrippinae, quae mater Caii et sororum. Hinc clarum cur Caius successorem illum imperii destinaverit, et quinquennio maturius quam per leges magistratum capere voluerit; quod Dio tradidit LIX 22. Erat enim sanguinis gentisque Augustae, pari cum Caligula gradu. Praeter rem haec dixi, ad Suetonii historiaeque lucem.' Lipsius. Rem, cuius nunc strictim mentionem iniicit Lipsius, copiosius in Gaiana historia rettulerat, de qua cf. tom. I p. 367. Adde de hoc Lepido Suetonium Claud. 9.

quae — stuprum — admiserat: admittitur adulter vel stuprator, sed *committitur* stuprum vel adulterium, et *admitti* novum et insolitum, ubi uterque, vir ac mulier, certam ob spem flagitium committunt. *Admittit* scelus qui ab alio commissum non prohibet sed fieri permittit, velut XIV 62 *post admissum scelus*, h. e. admissum a Nerone, patratum ab Aniceto. Sed Tacitus vulgaria devitans consulto *admiserat* videtur elegisse, ut in flagitium a Lepido excogitatum et oblatum consensisse Agrippinam, nulla libidine, sed una dominandi spe permotam, etiam verbo significaret. Si quis in forma *ammiserat* latere crediderit *commiserat*, is ubi comparaverit XIV 62 *ammissum* pro *admissum*, ab ea opinione desistere non dubitabit.

Cap. 3. *quod otium capesseret*: nimium patienter adhuc toleraverunt naevum manifestum *lacesseret*, quem leni remedio detersit Heinsius. *Lacessere* cum sit *irritare* otium lacessere is recte dicetur, qui rixas aut certamen quam pacem et quietem maluerit. Tacitus contrarium dicere intendit. Qui putant gravius verbum delegisse Neronem, ut otium tamquam rem insolitam matri significaret,

retur, praegravem ratus, interficere constituit, hactenus consultans, veneno an ferro vel qua alia vi. Placuitque primo venenum. Sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat tali iam Britannici exitio; et ministros temptare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus insidias intentae; atque ipsa praesumendo remedia munierat corpus. Ferrum et caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; et ne quis illi tanto facinori delectus iussa sperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis Agrippinae invisus. Ergo navem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram. Nihil tam capax fortuitorum quam mare; et si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum ut sceleri adsignet quod venti et fluctus deliquerint? Additurum principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati.

1. *praegrave* M[a]. 3. *princis* M[a]. 4. *brittannici* M[a]. 6. *intente* M[a]. 7. *cedes* M[a]. 8. *repperiebat* M[a]. *illo* M[a]. 9. *metuebant* M[a]: G *metuebat.* *optulit* M[a]. *anicaetus* M[a]. 10. *et ducator* M[a]. 13. *nichil* M[a]. 16. *ostentande* M[a].

male cognitum habent animum Neronis, facti natura et exerciti consuetudine velare odium fallacibus blanditiis.

et ne quis — sperneret, metuebat: opponuntur ex altera parte *nemo — reperiebat*, ex altera (*Nero*) — *metuebat*, nam subiectum *Nero* inest in verbis *illi delectus.* Medicei *metuebant* vulgare vitium scribae puto esse, cui *illi* nominativus pluralis numeri visus est, vere correctum in ceteris codicibus et antiquis editionibus.

quem adeo iniquum — ostentandae pietati: hominum colloquentium perditus et immanis animus nulla re magis perlucet, quam quod alter eorum in conatu atrocissimo risum captat, alter adeoque filius periturae mulieris verba eius non modo patienter sed cum voluptate excipit. Hoc magnus ingeniorum pictor cum ipsius sermonis indole denotasset, insuper significavit addito *placuit sollertia* (*der feine Gedanke fand Beifall*).

Cap. 4. *obvius in litora* (*nam Antio adventabat*): Agrippina apud Antium navem conscenderat Liburnicam (Sueton. Ner. 34) marique litora Baiarum petebat. Sed ante visura villam suam Baulos ad oram huic proximam paulum infra Baias appulit. Nero matrem in litore accipit ducitque in villam. Quod scriptum *in litora*, non *in litus*, hinc explicandum videtur quod ex comitatu Neronis alii alias litoris partes adierunt, ut ubi appulerit Agrippina, principem statim facerent certiorem. Supersedebimus igitur coniectura Bezzenbergeri *in Literna litora.*

ducitque Baulos: non procul Baiis meridiem versus prope oram maris haec villa Agrippinae sita erat. Plinius N. H. III 9. Ante possessor eius Hortensius orator fuerat, deinde Antonia Drusi uxor,

4 Placuit sollertia, tempore etiam iuta, quando Quinquatruum festos dies apud Baias frequentabat. Illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc obvius in litora (nam Antio adventabat) excepit manu et complexu, ducitque Baulos. Id villae nomen est quae promuntorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari adluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi et classiariorum remigio vehi. Ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit extitisse proditorem, et Agrippinam auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellae Baias pervectam. Ibi blandimentum sublevavit metum; comiter excepta superque ipsum collocata.

1. *iuta* M^a: *adiuta* BG et Oxonienses. *quinquatrium* GM^a. 3. *ferenda* M^a. *parentium* M^a, non *parentum*. 4. *quorum more*: correctum inest G. *Agrippina* M^a, non *Agrippinam*, ut narrat Iac. Gronovius. inde Bezzenberger *acciretque Agrippinam*. 6. *excaepit* M^a, *excepit* G, *excipit* Puteolanus. 7. *promuntorium* M^a. cf. 2 39. 8. *allauitur* M: correctum in G et Vatic. 1958. 9. *tanq.* M^a. 10. *matri* BM^a et corr G, ubi *i* est in rasura a manu rec.: correxit Lipsius. 14. *Baias*] *baulos* M^a, *bahulos* G: correxit Puteolanus. 15. *metu* M^a: G *metum*.

Agrippinae avia: Varro de Re r. III 17. Plinius IX 81 (55). Symmach. Ep. I 1.

stabat inter alias: stabat adversus Baulos accita e classe Misenensi. Liburnicam qua advecta erat Agrippina trierarchi veluti fortuito concursu confregerunt iussi a Nerone. Sueton. 34: *iucundissimis litteris Baias evocavit ad sollemnia Quinquatruum simul celebranda; datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam qua advecta erat velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium* (a se Baiis paratum). Suetonius brevi narratione defungens illud omisit, Agrippinam post adventum Baulos comite filio atque inde Baias adisse.

ac tum invitata ad epulas erat: simulatque villam suam Agrippina invisisset, ut Baias navi veniret invitata erat a filio ad celebrandas ibi epulas, quae non Baulis sed Baiis dabantur, non ab Agrippina sed a Nerone; v. Sueton. l. c. Dio (LXI 13) Baulos suo errore transtulit eas epulas, brevi Taciti narratione a vero seductus.

gestamine sellae Baias pervectam: non hoc itinere, si Agrippina navem illam ornatiorem ad Baulos conscendisset eaque Baias adisset, peritura erat, sed post epulas cum relictis Baiis villam suam Baulos *nocturno tempore* repeteret. Suetonius l. c. *repetentique* (post convivium Baiis celebratum) *Baulos in locum corrupti navigii machinosum illud obtulit.* Itaque recte in editionibus Puteolani legitur *Baias*, codices autem

Nam pluribus sermonibus, modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori haerens, sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat. **5** Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, di praebuere. Nec multum erat progressa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis astabat, Acerronia super pedes cubitantis reclinis paenitentiam filii et recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo grave; pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus quam ut oneri cederent, protectae sunt. Nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus, et quod plerique ignari etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus unum in latus

2. malim *adductius*. 4. *peturae* M^{a}: G *periturae*. *supmus* M^{a}. 5. *syderibus* M^{a}. 6. *ill*. Or. idem 7. *dii*. 10. *penitentiam* M^{a}. 11. *recuperatam* M^{a}, non *reciperatam*. 14. *lecti* M^{a} (non *tecti*). *quam ut*] *quāuis* M^{a} cum ceteris: emendavit Pichena. 15. *honeri* M^{a}. *protecte* M^{a}. 16. *consios* M^{a}.

falso *Baulos* praebent. Nam si Baulis epulae paratae essent, ab ipsa Agrippina in sua villa datae forent: sed contrarium ex Taciti verbis et ex Suetonio liquet.

nam pluribus sermonibus — tracto in longum convictu: his et quae sequuntur *prosequitur — haerens* narrator illud suum *ibi blandimentum sublevavit metum* explicuit, ut particula *nam* non ad proxima, sed ad proxime superiora referatur.

rursus adductus: de sermone, imperio, servitio cet. dici potest *adductus* (cf. XII 7), imagine delecta ab habenis equorum, de hominibus num dicatur multum dubito. Immo quotiens ad hos transfertur, adverbii formam Tacitus excepto hoc loco non sine ratione usurpavit. Cf. H. III 7: *Minucius Iustus —, quia adductius quam civili bello imperitabat, subtractus militum irae est.* G. 43: *trans Lygios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes.* Nimirum homines *adducti* proprie forent quibus ab aliis severitas indita est, sed Nero ipse sermonem vultumque adductum adhibuit.

prosequitur abeuntem: a Baiis reditura erat Baulos (Sueton. l. c.), atque in hanc villam naufragium elapsa lata est. Eo minus dubitationi obnoxium est quin paulo ante vocabulum *Baias* pro *Baulis* vere repositum sit, de quo etiam Bezzenbergerum dubitare et contrarium affirmare potuisse miror.

et pectori haerens: Suetonius suo more diligens l. c. scribit *hilare prosecutus atque in digressu*

inclinare atque ita navem submergere. Sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. Verum Acerronia, inprudentia dum se Agrippinam esse utque subveniretur matri principis clamitat, contis et remis et quae fors obtulerat, navalibus telis conficitur. Agrippina silens, eoque minus adgnita, unum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde occursu lenunculorum Lucrinum in lacum vecta, villae suae

6 infertur, illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis impulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset, observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens; solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur. Misitque libertum Agerinum, qui nuntiaret filio benignitate deum et fortuna eius evasisse gravem casum; orare ut quamvis periculo matris exterritus visendi curam differret; sibi ad praesens quiete opus. Atque interim,

2. *dere* M^{a}, in mg. *c d' mere*: G *demere*. 3. *inprudentia* M^{a}: *imprudens* G. 5. *que* M^{a}. *opt.* M^{a}. 7. *tam* cum lin. super litt. *m* M^{a}. 9. vulgo *infertur. Illic* et mox (14) *intellegerentur*, *misit.* 11. *inpulsa* M^{a}. 14. *intellegerentur* M^{a}, non *intellig.* 15. *deum*] *dm* cum lin. M^{a}.

papillas quoque exosculatus reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit. Adde Dion. LXI 13.

Cap. 5. *ruere tectum loci multo plumbo grave:* locum dicit in summa navi non procul gubernaculis, ubi lectus Agrippinae. Tectum plumbo grave Suetonius l. c. *cameram* vocavit: *solutilem navem, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret, commentus est.* De structura *cum — ruere* conf. annot. ad II 31.

unum in latus inclinare atque ita navem submergere: noli verbum *inclinare* referre ad *navem*, sed absolute positum accipe, h. e. corporum suorum pondere ac vi ita niti visum est remigibus, ut navis in latus versa mergeretur. Nam hoc et collocatio verborum et usus Taciti suadet. Cf. I 64, III 74, XI 9 et 10, XII 13 et 39, XV 21. H. III 23 et 27 et 83. O. 18. Id non vidit Doederlinius, cum suspicatus est *inclinare navem atque ita submergere*, neque Bezzenberger cui placuit scribere *inclinare ratem atque ita nantem subvertere*, vel *atque inclinatam subvertere.*

Cap. 6. *villae suae infertur, illic reputans:* vulgo post *infertur* sententiam concludunt, quo fit ut paulo post pro *misitque* codicibus invitis aut *misit* ediderint auctore Rhenano, aut retinentes *misitque* soloecismum admiserint, veluti Waltherus et Orellius. Audacius Bezzenberger: *remedium esse sensit, si non intelligerentur, misitque lib. Misitque* in sententiae principio fere idem valet quod *itaque misit.* Cf. annot. ad IV 21.

securitate simulata, medicamina vulneri et fomenta corpori adhibet; testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet, id tantum non per simulationem. At Neroni nuntios 7
patrati facinoris opperienti adfertur evasisse ictu levi sauciam, et hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur. Tum pavore exanimis, et iam iamque adfore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiciendo: quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca expedirent? Quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros. Igitur longum utriusque silentium, ne inriti dissuaderent, an eo descensum credebant ut, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca, hactenus promptius, respicere Burrum, ac si scitaretur an militi imperanda caedes esset. Ille praetorianos toti Caesarum domui obstrictos memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus promissa. Qui nihil cunctatus poscit summam sce-

4. non deest *patrati* M[a], ut narrat Victorius. *aff.* Or. idem 6. *affore.* 5. *discrimine auctor dubitaret* M[a]: correctum in G. 6. *et iam*] *etiam* M[a]. 10. *expedirent* amicus Pichenae: M[a] *expergens*, A *expromerent.* 12. *irr.* Or. 13. *ut* om M[a]: addit G. 14. *respicere* AG et fortasse alii: M[a] *respiceret.* *ac si scitaretur* G: M[a] *acsiscitaretur*, A *ac sciscitari.* 15. *imperande* M[a]. 16. *cesarum* M[a]. 16 et 18. *nichil* M[a]. *summa* M[a].

id tantum non per simulationem: tantum non Waltherus μόνον οὐχί, h. e. *propemodum*, interpretatur, sed tum pronomen *id* omitti aut *idque* scribi debebat: ut nunc sunt verba, praecedentibus aliquid opponi liquet. Quapropter *tantum* pro *tantummodo* positum cum aliis existimo, ac notari insatiabilem Agrippinae avaritiam, quae quamvis postremis proxima, bonis familiaris suae inhiabat, praeque cupidine ultimam necessitatem aliquantisper obliviscebatur. Cf. XII 7: *cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.* XIII 18: *super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi subsidium corripiens.* 19: *Sextium Africanum — a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, — ne opibus et orbitate Silanae maritus poteretur.*

Cap. 7. *expedirent:* Medicei discrepantia (*expergens*) sic, credo, orta est, ut in ἀρχετύπῳ media omissa syllaba scriptum esset *experent*, quod cum nihil esse intelligeret aut proximus scriba aut corrector, is substituit *expergens* coniungendo verba *expergens* (expergefaciens) *quos statim acciverat.* Bezzenberger tentavit *ex spe gererent*, Doederlinius *nisi quid Burrus et Seneca! Quos statim expergens acciverat.*

credebant ut: in M[a] intercidit *ut* non visum post prius credeba*nt* vel ante proximum *nisi*.

leris. Ad eam vocem Nero illo sibi die dari imperium, auctoremque tanti muneris libertum profitetur: iret propere, duceretque promptissimos ad iussa. Ipse audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abicit inter pedes eius, tum quasi deprehenso vincla inici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem
8 sumpsisse confingeret. Interim vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere; questibus votis, clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disiecti sunt. Anicetus villam statione circumdat, refractaque ianua obvios servorum abripit, donec

1. *illos inbidie* M[a]: correxit Rhenanus. *illo sibi in die* Petersen. 4. *agerrimum* M[a]. 6. *dep̄henso* M[a]. *exitum* M[a]: correctum in G. 7. *dep̄hensi* M[a]. 12. *quaestibus* M[a]. *uocis* M[a]: tacite correxit Rhenanus. 15. *gratādum* M[a]. 16. *deiecti* BM[a]: correctum in G. 17. *retractaque* M[a]: correctum in G.

respicere Burrum ac si scitaretur: Germanice converte, *er richtete seinen Blick auf Burrus, als ob er ihn aushohlen möchte.* Scilicet quod eloqui verbis verebatur, id nutu scitari sive percontari ausus est, et hactenus promptius egit. Data opera, ut videtur, Senecae in hac re partes accurate descripsit, ut pravis de illustri viro rumoribus occurreret: hos ipsos secutus est Dio (LXI 12). Ceterum vera loci scriptura, quam praebent AG, in libro primario (M[a]) leviter corrupta est, et ita quidem ut verbum *respicere* ad rationem subsequentis (*scitaretur*) immutaretur. *Agendi* notio subest verbis *hactenus promptius.*

ipse audito — criminis parat: Sueton. l. c.: *L. Agerinum libertum eius, salvam et incolumem cum gaudio nuntiantem, abiecto clam iuxta pugione, ut percussorem sibi subornatum arripi constringique iussit, matremque occidi, quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Ipse* de Nerone dicitur, non de Aniceto, qui propere et ante Agerinum admissum profectus est.

Cap. 8. *molium obiectus*: dicit molem ad tuendum lacum Baianum sive Lucrinum (in hunc enim Agrippina vecta erant: v. cap. 5) mari obiectam. Strabo V 4 6 p. 245: ὁ δὲ *Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαΐων, χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτοῦ πλατείας —. δεχόμενον δ' ἐπιπολῆς τὸ κῦμα τοῖς χειμῶσιν, ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥᾳδίως, Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν.*

ad fores cubiculi veniret; cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem; aliam formam litori et faciem, nunc solitudinem, ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. Abeunte dehinc ancilla, 'tu quoque me deseris' prolocuta, respicit Anicetum, trierarcho Herculeio et Obarito centurione classiario comitatum; ac si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere; non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores, et prior trierarchus fusti caput eius adflixit: nam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum, 'ventrem feri' exclamavit; multisque vulneribus confecta est. Haec consensu produntur. Aspexeritne matrem exanimem 9
Nero et formam corporis eius laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. Cremata est nocte eadem, convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, con-

2. *inherat* M[a]. 4. *formam litori et* editor: M[a] *fore lateret.* 5. *indicta* M[a]: correctum in CG. 7. *anicaetum* M[a]. 9. *nichil* M[a]. 11. *capud* M[a]. 12. *in mortem* AG: M[a] *morte.* *destringenti* M[a], *distringenti* G. 17. *exquiis* M[a].

aliam formam litori et faciem, nunc solitudinem, ac repentinos strepitus: ut verba diu conclamata certa ratione sanentur, initium facio a corrupto *lateret*, quod natum esse ex *litoret*, (h. e. *litori et*) a peritis facile mihi concedetur. Restat *fore*, ex *fora* et hoc rursus ex *forā* (= *formam*) in peius mutatum. Quae sit *alia* litori forma et facies, duabus orationis partibus Agrippina eloquitur, altera *nunc solitudinem* (esse), altera *repentinos — indicia.* Ut nove loquentem Agrippinam et anxie Tacitus faceret, post *nunc* eandem particulam repetere noluit, ne adverbium quidem posuit (*repente*), sed eius loco nomen adiectivum dedit (*repentinos*). Ut hoc loco *formam et faciem* iunxit, sic O. 19 *formam quoque ac speciem orationis.* Nos (Germani) dicimus *Gestalt und Aussehen.* In vulgata scriptura, quae inest libro Harleiano a manu secunda et editionibus Puteolani, *aliam fere litore* (G *fore littore*) *faciem nunc, solitudinem ac repentinos strepitus,* praeter nimiam a M[a] discrepantiam offendit particula *fere* omni vi destituta, item *nunc* loco non apto posita et soloecismus in nomine *litore* admissus. Cf. annot. ad I 60. Alii haec conati sunt: *ferre litora faciem nunc* Aurelius, *fore laeta re faciem, nunc* Seyffertus, *fore laetae rei faciem, nunc* Bezzenberger.

nam in mortem: particula *nam* cum sequente enuntiato causam exprimit, cur trierarchus centurione *prior* vulnus Agrippinae intulerit. Quippe centurio ferocis mulieris voce et specie perculsus statim peragere facinus non potuit. Sic XIV 12: *quosque ipse nuper rele-*

gesta aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat. Accenso rogo libertus eius cognomento Mnester ipse se ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque. Nam consulenti super Nerone responderunt Chaldaei fore ut imperaret matremque occideret; atque illa 'occidat' inquit, 'dum imperet.'

10 Sed a Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est. Reliquo noctis modo per silentium defixus, saepius pavore exurgens et mentis inops, lucem opperiebatur tamquam exitium adlaturam. Atque eum auctore Burro prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit, prensantium manum gratantiumque quod discrimen inprovisum et matris facinus evasisset. Amici dehinc adire templa, et coepto exemplo proxima Campaniae municipia victimis et

2. *cesaris* M^a. 4. *ipse se* Ernestius: M^a *ipse. ipse ferro se* BG et Oxonienses. 7. *chaldei* M^a. 10. *cesare* M^a. 12. *exurgens* M^a, non *exs.* 13. *tanq.* M^a. *all.* Or. 14. *prensantium* Ernestius: M^a *pressantium* et sic BCR, *prehensantium* G et Oxonienses. 15. *manum* GM^a, *manu* ACR. 17. *cepto* M^a.

gaverat, Iturium et Calvisium poena exolvit: nam Silana fato functa erat, h. e. nam Silanam poena liberandi occasio non fuit, fato functam. Faërni coniectura et Grosłotii *iam* pro *nam* commendantium non est opus. *In mortem* idem est atque *ut mors consequeretur.*

Cap. 9. *sunt qui tradiderint:* secuti hos sunt iusto confidentius Suetonius Ner. 34, Dio Cassius apud Xiphil. LXI 14, etiam Boëthius Consolat. II carm. 6: *corpus et visu gelidum pererrans ora non tinxit lacrimis, sed esse censor extincti potuit decoris.*

subiectos sinus editissima prospectat: conf. Senecae Epist. 51: *C. Marius et Cn. Pompeius et Caesar extruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito speculari late longeque subiecta. Adspice quam positionem elegerint, quibus aedificia excitaverint locis, et qualia: scies non villas esse sed castra. Chaldaei* cf. annot. ad VI 22.

Cap. 10. *prensantium manum:* Medicei *pressantium* ex prava assimilatione procreatum: nam *pressare* manum alicuius est saepe premere vel comprimere, quod de medico dici potest, non de eo qui amoris affectum ostensurus est. Conf. Horat. Sat. I 9 64: *vellere coepi et prensare manu lentissima brachia. amici dehinc:* conf. Dio LXI 14. Quintil. VIII 5 15: *insigniter Africanus apud Neronem de morte matris 'rogant te, Caesar, Galliae tuae, ut felicitatem tuam fortiter feras.'*

legationibus laetitiam testari. Ipse diversa simulatione maestus, et quasi incolumitati suae infensus, ac morte parentis inlacrimans. Quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obversabaturque maris illius et litorum gravis aspectus (et erant qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulo matris audiri), Neapolim concessit, litterasque ad senatum misit, quarum summa erat repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinae libertis, et luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset. Adiciebat crimina longius repetita, quod consortium imperii 11
iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset, ac postquam frustra optata sint, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium, periculaque viris inlustribus struxisset. Quanto suo labore perpetratum ne inrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret. Temporum quoque

1. *mestus* Mª. 2. *sue* Mª. *morti* Lipsius. *ill.* Or. 9. *paenam* Mª. 10. *adiciebant* Mª: G *adiiciebat.* 13. *optata sint* A: Mª *ablata sit,* BG et Oxonienses et Regius *oblata sint.* 14. *ill.* Or. *struxisset* editor: codices *instruxisset.* 15. *irrump.* Or.

tumulo matris: scriptura non est obnoxia corruptionis suspicioni, ut patebit legenti annotationem meam ad I 60. Facile igitur supersedebimus tam Orellii coniectura *e tumulo,* quam simili artificio quo quis *tumulo in matris* rescribere posset.

Cap. 11. *postquam frustra optata sint:* Medicei vitium *ablata* ex scriptura *obtata* natum, eiusdem *sit* subsequenti *infensa — dissuasisset* accommodatum est. Rhenanus coniecit *frustrata sit,* Seyffertus *frustra blandita sit.*

periculaque viris inlustribus struxisset: pericula vel crimina vel causas *struit* qui dolo malo fingit quae proferat, *instruit* qui quae assunt in ordinem redigit, ornat augetve. Hunc dicendi usum Tacitus accurate secutus est; II 42: *struxitque causas aut forte oblatas arripuit.* H. II 1: *struebat iam fortuna — initia causasque imperio.* H. III 49: *viam sibi ad potentiam struere.* Cf. I 13, II 65, IV 10 et 28 et 67 et 68, XI 12, XII 3. Ex altera parte considera II 74: *qui crimina et accusationem tamquam adversus receptos iam reos instruebant.* 80: *veterani ordinibus ac subsidiis instructi.* H. III 45: *capto per dolum rege Carataco instruxisse* (h. e. ornasse) *triumphum Claudii Caesaris videbatur.* H. IV 34: *Civilis si maioribus copiis instruxisset aciem.* Iam huic Annalium loco unice aptum esse liquet *struxisset*: quippe falsis criminibus (ita Nero obiicit) in Senecam et Burrum delatis pericula utrique facessere ac struere intenderat. *Instruere pericula* est pericula quae iam sunt ornare et augere, id quod huic sententiae plane contrarium est. Praepositio *in* ex antegresso nomine *inlustribus* perperam a scriba librario repetita adhaesit. Catulliana (21 7)

Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse quis adeo hebes inveniretur ut crederet? Aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? Ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium questus anteibat, sed Seneca adverso rumore erat, quod ora-
12 tione tali confessionem scripsisset. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur; aureum Minervae simulacrum in curia, et iuxta principis imago statuerentur; dies natalis Agrippinae inter nefastos esset. Thrasea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus exiit tum senatu, ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit. Prodigia quoque crebra et inrita intercessere.

1. *oblita* M[a] cum plerisque, quod ortum ex scriptura *oblica*: emendatum in A et a Lipsio. 2. *puplica* M[a]. 3. *fuisset* M[a]: correxit Rhenanus. 4. *mulire* M[a]. *naufra* (add. ex corr. *ga*) M[a]. 6. *inmanitas* M[a]. 7. *Seneca adverso rumore* G et Harl. Bodl.: *Seneca aduersorum* (postrema syllaba per compendium) *rumore* M[a]. 10. *quinquatruus* M[a]. 11. *celebraretur* M[a]: G *celebrarentur*. 12. *iusta* M[a]. *statuerentur* M[a], non *statueretur*. 13. *petus* M[a]. 14. *exitium senatui* M[a] et ceteri: emendavit Lipsius. 16. *irr*. Or.

nam insidias mihi instruentem tangam te prior irrumatione si recte se habent, is insidias, ab Aurelio quem alloquitur ante excogitatas, quasi longa serie explicari sibique strui animo concepit. Sed ibi quoque *mihi instruentem* inde provenisse puto, quod librarius *mih istruentem* (h. e. *mihi struentem*) falso *mihi īstruentem* esse credidit.

namque et naufragium narrabat: hoc quasi argumento publicam fortunam, qua extinctam esse Agrippinam referebat, Nero ostendere voluit. *sed Seneca rumore adverso erat:* huius voce et ingenio uti Neronem constabat; v. XIII 3. Quintil. VIII 5 18: *facit quasdam sententias sola geminatio, qualis est Senecae in eo scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet: 'salvum me esse adhuc nec credo nec gaudeo.'*

Cap. 12. *aureum Minervae simulacrum — imago statuerentur:* Minerva cui Quinquatrus celebrabantur servasse principem adulatoribus videbatur. Ne numerus multitudinis verbi *statuerentur* ex M[a] adoptatus offensioni sit, facile cavebit locus XIV 31: *ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur.*

exiit tum senatu: cf. Dio ap. Xiphil. LXI 15. Tacit. XVI 21.

sibi causam periculi — praebuit: quod h. l. in viro illustri leniter reprehendit, id Agr. 42 in universum improbat.

Anguem enixa mulier, et alia in concubitu mariti fulmine exanimata. Iam sol repente obscuratus, et tactae de caelo quattuordecim urbis regiones. Quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit. Ceterum quo gravaret invidiam matris eaque demota auctam lenitatem suam testificaretur, feminas inlustres Iuniam et Calpurniam, praetura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos. Etiam Lolliae Paulinae cineres reportari sepulcrumque extrui permisit; quosque ipse nuper relegaverat, Iturium et Calvisium poena exolvit: nam Silana fato functa erat, longinquo ab exilio Tarentum regressa labante iam Agrippina, cuius inimicitiis conciderat, vel tandem mitigata.

Cunctari in oppidis Campaniae quonam modo urbem in- 13
grederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret

2. *tactas* Mª: emendatum in G. *daecelo* Mª. 3. *dm* cum lin. Mª. 6. *illustres* Mª. 7. *praetura* Lipsius: codices *praefectura*. 9. *solliae* Mª. 11. *tyturium* Mª, *Titurium* AG: tacite correxit Rhenanus ex 13 19 et 22. *paena exolvit* Mª. 13. *tandem* Bekkerus, ante quem erat *tum:* Mª *tam* cum lin., id est *tamen*, G *tum*. Bezzenberger *vel mitigata. Cunctari tamen.* 14. *cunctari — ansius* Mª: vulgo *cunctanti — anxio*, G *contanti* (ab alt. m. *conctanti*) — *anxio*. 15. *repperiret* Mª.

Iuniam et Calpurniam: de Iunia Calvina Silani sorore v. XII 4 et 8, de Calpurnia c. 22.

praetura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum: nomen *praetura* a Lipsio coniectura emendatum recepi, quia, si *praefecturam* Tacitus dedisset, adiecturus fuit cui rei praefecti fuerint: nam praefecturae multae sunt et variae. De reliquis v. XIII 22, de particula *nam* ante Silanae nomen ad XIV 8.

Cap. 13. *cunctari — anxius: contra deterrimus quisque — disserunt:* quae legebantur *cunctanti — anxio, contra deterrimus quisque — disserunt*, ea duce libro Mª deserui: nam ut concedamus *anxius* ob praegressum verbum *reperiret* a librario vel correctore pro *anxio* inferri facile potuisse, quomodo ab eodem etiam *cunctari* invectum esse probabimus? Accedit quod sic particula *contra* enuntiatum oppositum producit, et in principio eius collocata aures melius explet, quam si in media sententia posita ad verbum *disserunt* referatur, ut ex his vocabulis tam diiunctis dativi *cunctanti* et *anxio* pendeant. Certe quae alia eiusmodi structurae exempla apud hunc nostrum (II 46, XI 3) reperiuntur, in iis nihil simile deprehendere licet. *obvias tribus:* v. annot. ad II. III 58.

Cap. 14. *vetus illi cupido:* corrupta scriptura *copia* sic evasit: *cupido* ante *erat* postremam litteram abiecit, eoque *cupid* et mox *cupia* vel *copia* facta est. Longius abit Puteolani *cura*, neque sententiae convenit, cum Nero adhuc a quadrigis abstinuerit.

anxius: contra deterrimus quisque, quorum non alia regia
fecundior extitit, invisum Agrippinae nomen et morte eius
accensum populi favorem disserunt: iret intrepidus, et vene-
rationem sui coram experiretur. Simul praegredi exposcunt.
Et promptiora quam promiserant inveniunt, obvias tribus,
festo cultu senatum, coniugum ac liberorum agmina per
sexum et aetatem disposita, extructos, qua incederet, specta-
culorum gradus, quo modo triumphi visuntur. Hinc superbus
ac publici servitii victor Capitolium adiit, grates exolvit,
seque in omnes libidines effudit, quas male coërcitas qualis-
14 cumque matris reverentia tardaverat. Vetus illi cupido erat
curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium
cithara ludicrum in modum canere, cum cenaret; quod regium
et antiquis ducibus factitatum memorabat, idque vatum laudi-
bus celebre et deorum honori datum. Enimvero cantus

2. *estitit* M^a, h. e. *extitit*, ut G. 6. *senatu* M^a. 7. *etatem* M^a. *incenderet* M^a: G *incederet*. 10. *qualiscūque* M^a. 11. *cupido* Lipsius: ABGM^a *copia*. 12. *faedum* M^a. 13. *cythara* M^a. *celaret* M^a, *coenaret* G. *quod* Bodl. et Puteolanus: M^a *quis* (per compend.) cum plerisque. *equos regere regium* Bezzenberger. 14. *memorat* M^a; G *memorabat*.

curriculo quadrigarum: h. e. quadrigis. Conf. XV 44: *habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens.* Horat. Carm. I 1 3: *sunt quos curriculo* (= curru) *pulverem Olympicum collegisse iuvat.* Alia exempla suggerit Forcellinius. Vitavit Tacitus formam minus plenam *curru* vel ingratam *currui*. Etenim *curriculum* modo dicitur de loco ubi curritur (*Rennbahn*), modo de instrumento quo curritur (*Rennwagen*), quae significatio cum passiva sit, haud dubie fallitur Charisius scribens I 45: *curriculus masculine deminutio est currus, neutraliter autem curriculum spatium ad currendum aptum vel ipsum currendi officium.* Adversatur non modo res ipsa, sed etiam Curtii verba commonstrata a Forcellinio VIII 14 8: *turbati equi — in amnem praecipitavere curricula.* Sed grammaticis sui temporis vitiosa consuetudo, puto, imposuit. Nonius p. 263 1: *curriculus, ut consuetudo fert, a curru deminutio est; dicitur brevissimum vehiculi biroti genus.*

quod regium: hinc usque ad *honori datum* prioris studii quo vehi quadrigis cupiebat, excusatio continetur et laus. Alterum studium cithara ludicrum in modum (h. e. ut fit in ludis publicis et certaminibus) canendi defenditur inde ab illis *enimvero cantus* usque ad *numen praecipuum et praescium.* His postremis vocabulis Tacitus aut Senecae alumnum similia pueriliter sectantem imitatus est, aut ex carmine vel oratione Neronis ea prompsit. Ne quis cum Walthero de veritate scripturae vulgatae *quod regium* dubius haereat, quia M^a *qs*, alii *quis* offerant, etiam c. 20 *quis* pro *quid* in M^a legi moneo. Scilicet compendia *qd* et *qs* facile commutantur.

Apollini sacros, talique ornatu astare non modo Graecis in urbibus sed Romana apud templa numen praecipuum et praescium. Nec iam sisti poterat, cum Senecae ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. Clausumque valle Vaticana spatium in quo equos regeret, haud promisco spectaculo. Mox ultro vocari populus Romanus, laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat, laetum. Ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. Ratusque dedecus molliri, si plures foedasset, nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit; quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. Nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit quam ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo qui iubere potest vim necessitatis adfert. Ne tamen 15

1. *appolinis* M[a]. *grecis* M[a]. 2. *nomen* M[a]: tacite correxit Rhenanus. *presc.* M[a]. 3. *senece* M[a]. 10. *faedasset* M[a]. 16. *aff.* Or.

clausumque valle Vaticana: Plinius XXXVI 15: *tertius obeliscus Romae in Vaticano Gai ac Neronis principum circo.* Sueton. Ner. 22: *mox et ipse aurigare atque etiam spectari saepius voluit; positoque in hortis* (intellige vallem Vaticanam) *inter servitia et sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in Circo maximo praebuit.* Hoc alterum publici dehonestamenti genus, quo Nero in Circo maximo omnium oculis se praebuit, in superstite operis Taciti parte non commemoratur: quippe hoc demum ausus est a. 819 paulo ante iter in Achaiam susceptum (cf. Xiphil. LXIII 6): sed eo anno fere medio desinunt quae ex Annalibus servata sunt.

nam et eius flagitium est, qui — delinquerent: post causam primariam cur homines illos fato perfunctos nominatim tradere nolit, iam adiungit alteram, monendo praecipuam culpae partem non pertinere ad viros tum dehonestatos, sed ad principem Neronem potentia et pecunia abutentem. Hoc cum plene sic efferendum esset, *accedit etiam quod eius flagitium est*, brevius dixit *nam et eius flagitium est.* Primus editor omisit *nam*, cui alii non bene obsecuti sunt.

Cap. 15. *instituit ludos Iuvenalium vocabulo:* cf. XV 33. Dio ap. Xiphil. LXI 19. *apud nemus, quod* cet.: de hoc nemore diximus ad XII 56.

inritamenta luxui: v. annot. ad I 3. *temptans citharam et praemeditans adsistentibus voces:* haec artis specimina nondum in promisco theatro Caesar edidit, sed coram delectis cecinit nobilium et equitum (iuventuti enim equestri proprie destinata erant *Iuvenalia*) et militarium, in quibus centuriones tribunique et Burrus praefectus. Falluntur interpretes, veluti Rothius et Orellius, qui his verbis lucem

adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos Iuvenalium vocabulo, in quos passim nomina data. Non nobilitas cuiquam, non aetas aut acti honores impedimento quo minus Graeci Latinive histrionis artem exercerent usque ad gestus modosque haud viriles. Quin et feminae inlustres deformia meditari; extructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponae, et posita veno inritamenta luxui. Dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. Inde gliscere flagitia et infamia; nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia aut quicquam probi moris reservaretur. Postremus ipse scenam incedit, multa cura temptans citharam et praemeditans adsistentibus voces. Accesserat cohors militum,

1. *puplico* M[a]. *iuvenilium* GM[a]: correxit Puteolanus. 4. *greci* M[a]. 5. *illustres* Or. 7. *caupone* M[a]. 8. *irrit.* M[a], non *inrit.*, ut tradit Victorius. 13. *postremus* GM[a]: Lipsius *postremo*. 14. *scenam* pr M[a], deinde ab eadem manu eodemque atramento corr. *s*, id est, *scenas*, ut in BG. *cytharam* M[a]. 15. *adsistentibus voces* editor: M[a] cum ceteris *assistentibus facies* (de interpunctione M[a] nihil relatum: in G *ass. facies* continuantur et post *facies* duo puncta), vulgo *assistentibus. Facies* cet. *abscesserat* M[a]: emendavit Lipsius.

quaerunt ex Suetonii Nerone c. 21: *intravit* (in scenam) *ordine suo, simul praefecti praetorii citharam sustinentes, post tribuni militum, iuxtaque amicorum intimi:* nam haec scripta sunt de certamine anni a Chr. 65 (Tacit. XVI 4), cum Nero iam publico theatro dehonestabatur et duo erant praefecti praetorio, Nymphidius et Tigellinus: nunc unus est Burrus. Utrumque tempus imprudenter commiscuit Dio apud Xiphilinum LXI 20: *παρῆλθε — ὁ Νέρων ἐς τὸ θέατρον, ὀνομαστὶ πρὸς τοῦ Γαλλίωνος ἐσκηρυχθείς. καὶ ἔστη τε ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὁ Καῖσαρ, τὴν κιθαρῳδικὴν σκευὴν ἐνδεδυκώς, καὶ ʽΚύριοί μου εὐμενῶς μου ἀκούσατεʼ, εἶπεν ὁ αὐτοκράτωρ. ἐκιθαρῴδησέ τε Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας ὁ Αὔγουστος, πολλῶν μὲν στρατιωτῶν παρεστηκότων, παντὸς δὲ τοῦ δήμου — καθημένου. καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Βοῦρρος καὶ ὁ Σενέκας* (uterque iam non in vivis erat, cum fiebant quae modo narrata sunt), *καθάπερ τινὲς διδάσκαλοι, ὑποβάλλοντές τι παρειστήκεσαν, καὶ αὐτοὶ τάς τε χεῖρας καὶ τὰ ἱμάτια, ὁπότε φθέγξαιτό τι, ἀνέσειον καὶ τοὺς ἄλλους προσεπεσπῶντο.* Verum restat quod est gravius. Nimium enim patienter pro nomine *voces* a me reposito adhuc toleratum est *facies*, collocatum in principio proximi enuntiati et manifesto corruptum. Hoc ipsum interpretantur *pompam speciosam*, sed id neque inest vocabulo *facies* neque idem a Tacito perinde dictum reperitur (non bene Doederlinius attulit H. II 89, ubi est *decora facies*, item Ciceronis

centuriones tribunique et maerens Burrus ac laudans. Tuncque primum conscripti sunt equites Romani cognomento Augustanorum, aetate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiae. Ii dies ac noctes plausibus personare formam principis vocemque deum vocabulis appellantes; quasi per virtutem clari honoratique agere. Ne 16
tamen ludicrae tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis aetatis considere simul, et adlatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere. Quod species ipsa carminum

1. *merens* Mª. 2. *cognomentū* Mª. 3. *augusttanorum* Mª. 4. *hii* Mª. 5. *dm* cum lin. Mª. 9. *facultas. Necdum insignis aetatis* editor: Mª cum plerisque *facultas necdum insignis. aetatis nati. ablatos* Mª: *allatos* G et edd. vett. 10. *conectere* Mª.

Philipp. VIII 8 *senatus enim faciem* (= vultum) *secum attulerat auctoritatemque populi Romani*), sed facies ei est vultus (*Antlitz*) aut forma et habitus (*Gestalt, Aussehen*), magnificam autem faciem vel decoram dicit *speciem* vel sine vel additis adiectivis. Duo Tacitus Neronem antequam canere inciperet fecisse tradit coram *assistentibus*, h. e. proximis, citharam tentasse et voces, i. e. cantus voces mox rite edendas, praemeditatum esse. Corruptela nata est ex mutatione litterarum *v* et *f*: sic XIV 44 *ueritur* in Mª pro *feritur* scriptum, et in eodem XIV 30 *facies* pro *faces*. Seyffertus coniecit audacius *praemeditans quae assit cantibus facies*.

equites Romani cognomento Augustanorum: Dio LXI 20 *Αὐγουστείους* appellat, Suetonius c. 25 *Augustianos*; idemque c. 20: *adulescentulos equestris ordinis et quinque amplius milia e plebe robustissimae iuventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent* (*bombos et imbrices et testas vocabant*) *operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma et excellentissimo cultu pueri*, cet.

Cap. 16. *necdum insignis aetatis* [*nati*] *considere simul:* subiectum enuntiati subest verbis *necdum insignis aetatis*, h. e. qui erant aetatis nondum provectae. Infausta vox *nati* ex litteris proxime antegressis male repetitis (ae-*tati*-s) provenit. In vulgata *contractis quibus aliqua pangendi facultas necdum insignis. Aetatis nati* repetitio *necdum insignis* post *aliqua* admodum iners et insuper soloecismus *aetatis nati* Tacito suggeritur, ut alia omittam quae adversus hanc rationem sponte se offerunt. Codex G iungit *necdum insignis aetatis nati.* Seyffertus proposuit *facultas nec dum insignis aetati scena. Ii considere sim.*, Bezzenberger *facultas. Necdum insignis aetatis vati cons.* Ceterum haec et quae sequuntur impugnavit (v. annot. ad I 5) Suetonius Ner. 52: *carmina libenter ac sine labore composuit, nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, ut facile appareret non translatos aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos; ita multa*

docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens. Etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, ut qui contraria adseverantium discordia frueretur. Nec deerant qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.

17 Sub idem tempus levi initio atrox caedes orta inter colonos Nucerinos Pompeianosque, gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat. Quippe oppidana lascivia in vicem incessentes probra, dein saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Ergo deportati sunt in urbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac ple-

2. *impertiebat* M^a: *impartiebat* BG alii. *ut qui* editor: *utque*M^a et alii, *atque* G. 3. *adseverant tum discordiae rueretur* M^a, *asseverantum discordiae eruebantur* G: *asseverantium* Puteolanus, *discordia frueretur* Bezzenberger. 5. *initio* Ernestius: M^a *intentio* (non *incentio*), G *contentione.* 7. *libidineius* M^a (non Furiae *libidine eius*), G *libidini eius*: correxit Lipsius. 8. *incessente* GM^a: correxit idem. 10. *deportati* M^a: Lipsius *reportati.* 11. *multi e*] *multae* pr M^a.

et deleta et inducta et superscripta inerant. De studio Neronis carminum cf. Suetonius Ner. 38, ubi *Ἅλωσιν Ἰλίου* memorat, Dio ap. Xiphil. LXII 18 et 29. Plinius XXXVII 12. Seneca Q. N. I 5. Martialis VIII 70 8, IX 27 9—10. Iuvenalis VIII 221. Scholiasta Lucani III 261, Persii I 93.

ut qui contraria adseverantium discordia frueretur: M^a *adseverant tum* menda ad amovendum facilis prodiit ex *adseverantium*, ut, silentio si quid tribuendum est, in nonnullis libris correctum videtur. Tum ex Medicei vestigiis *discordiae rueretur* eliciendum *discordia frueretur*, ut extrema vocabuli *discordiae* littera resoluta paulumque mutata (F pro E) subsequenti restituatur. Probat hoc vitium exemplar Medicei litteris uncialibus scriptum fuisse, de quo dictum in Prooemio, et hac via corruptelam ego pridem in adversariis meis removeram, sed mox vidi Bezzenbergerum idem repperisse. Is tamen minus concinne *utque — frueretur.* Tacitus dum scribit *ut qui contraria adseverantium discordia frueretur*, non simpliciter rem in facto positam refert, sed simul suam de ea promit coniecturam et sententiam. Sic H. II 12: *ut quibus temere collectis, non castra non ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium.* Ubi nihil est nisi facti narratio, indicativus modus subsequitur, veluti Agr. 18: *ut quibus bellum volentibus erat.*

Cap. 17. *levi initio*: vitium *intentio* aut ex compendio male soluto aut mutata littera *t* cum *i* duxit originem. *Initium* similiter pro causa vel occasione dictum IV 52, XV 51 (*tali initio*), XVI 10. H. I 80 (*parvo interim initio*), II 68 (*ludicro initio*); cf. H. IV 50 (*modicis principiis*). *rettuli*: nobis ea relatio intercidit.

deportati sunt in urbem: deportati sunt Romam incitandae invidiae et deferendo crimini adversus Pompeianos.

rique liberorum aut parentum mortes deflebant. Cuius rei iudicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. Et rursus re ad patres relata, prohibiti publice in decem annos eiusmodi coetu Pompeiani, collegiaque quae contra leges instituerant, dissoluta; Livineius, et qui alii seditionem conciverant, exilio multati sunt.

Motus senatu et Pedius Blaesus, accusantibus Cyrenensibus 18
violatum ab eo thesaurum Aesculapii delectumque militarem pretio et ambitione corruptum. Iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, praetoria potestate usum et missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos regi Apioni quondam habitos et populo Romano cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia et iniuria quasi iure et aequo nitebantur. Igitur abiudicatis agris orta ad-

4. *caetu* Mª. 5. *liuidineius* Mª. 7. *blesus* Mª. *cir.* Mª. 8. *esc.* Mª. *dilectumque* Mª. 9. *p̄tio* Mª. *idem* Mª. *cyrenses* cum lin. super litt. *n* Mª. 11. *regi Apioni* Lipsius: Mª *regis Apionis*, G *regis appionis.* 14. *iurae* Mª. *horta* Mª.

prohibiti publice — eiusmodi coetu Pompeiani: eo respicit inscriptio non ita pridem reperta Pompeiis (*Campani victoria una cum Nucerinis peristis*) et edita in *Bulletino dell' Instit. arch.* anno 1831 p. 11.

Cap. 18. *pretio et ambitione*: ambitionem intellige provincialium, qui gratiam proconsulis ambirent et avaritiam emercarentur militiae sese subtracturi.

populo Romano cum regno relictos: accidit hoc anno ab urbe cond. 680. Appian. B. C. I 111: *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους, ἕκτης ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος οὔσης* (176 ⅔), *δύο μὲν ἐκ διαθηκῶν ἔθνη Ῥωμαίοις προσεγίγνετο, Βιθυνία τε Νικομήδους ἀπολιπόντος καὶ Κυρήνη Πτολεμαίου τοῦ Λαγίδου βασιλέως, ὃς ἐπίκλησιν ἦν Ἀπίων.* Idem Mithr. c. 71 et 121. Liv. Epitom. 70. Iustin. XXXIX 5. Ammian. XXII 16 §. 24. Eutrop. VI 11. Sextus Rufus c. 13. Conf. Strabo XVII 3 21 et 25 p. 837 et 840. Ammianus erravit scribens: *aridiorem Libyam supremo Apionis regis consecuti sumus arbitrio, Cyrenas cum residuis civitatibus Libyae Pentapoleos Ptolemaei liberalitate suscepimus.* Scilicet ex Ptolemaeo Apione duos reges procudit. Eundem errorem repetivit Sextus Rufus l. c., non autem Hieronymus, qui in Eusebii Chronico sub Ol. 178 4: *Libya per testamentum regis Apionis Romanis relicta.* Idem Ol. 171: *Ptolemaeus rex Cyrenaeorum moriens Romanos testamento reliquit heredes.* Nimirum Eusebius Hieronymi auctor de eadem re ex variis fontibus rettulit.

proximus quisque possessor invaserant: possessor est appositio (*als Besitzer*)*:* nam si subiectum esset, debuit *invaserat* (ita legitur in cod. G ex falsa correctione), non *invaserant;* v. annot. ad. Agr. 34.

Cap. 19. *Domitii Afri et Marci Servilii:* de Domitio Afro conf.

versus iudicem invidia; et senatus ignota sibi esse mandata Claudii et consulendum principem respondit. Nero probata Strabonis sententia, se nihilo minus subvenire sociis et usurpata concedere scripsit.

19 Sequuntur virorum inlustrium mortes, Domitii Afri et Marci Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae; quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diversus.

20 Nerone quartum Cornelio Cosso consulibus quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. Quippe erant qui Gnaeum quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus

2. *consulē dum* Mª. *Nero* Pichena: Mª *ne.* 3. *nichilo* Mª. 5. *ill.* Or. 6. *M.* Mª. 10. *quarto* GMª (ex male soluto numero *IIII*). *cons.* cum lin. Mª. 11. *institum* Mª. 12. *Gn.* Mª.

annot., ad IV 52 et Ind. hist., de M. Servilio Noniano historico et declamatore II 48, III 22, VI 31. O. 23. Quintil. X 1 102: *nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes: qui et ipse a nobis auditus est, elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat.* Plin. Epist. I 13: *Claudium Caesarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur audissetque clamorem, causam requisisse: cumque dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse.* Quod M. Servilius III 22 *consularis* dicitur et VI 31 *consul* fuisse traditur, non *iterum consul*, hinc non consequitur consularem illum alium fuisse, sed ante in suffectis consulibus ipsum fuisse.

Cap. 20. *quinquennale ludicrum Romae institutum est:* Sueton. Ner. 12: *instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia.* Cf. idem c. 21 et in Vitellio 4. Dio ap. Xiphil. LXI 21: *ὑπὲρ δὲ δὴ τῆς σωτηρίας τῆς τε διαμονῆς τοῦ κράτους αὐτοῦ (οὕτω γάρ που προέγραψεν) ἀγῶνα πενταετηρικὸν κατεστήσατο, Νερώνεια αὐτὸν ὀνομάσας.* Victor de Caesarib. 27: *eoque anno* (240 a Chr. Gordianus iunior) *lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est.*

quod mansuram theatri sedem posuisset: posuit iterum consul a. 699; v. ad III 23. Mox *subitarii gradus et scena in tempus structa* sunt gradus et scena ex ligno facti, quales et Mummius a. 609 struxerat et ante annum 600 in tempus aedificati iam erant, sed tunc vetiti sunt: Liv. Epit. 48: *cum locatum a censoribus theatrum extrueretur, P. Cornelio Nasica auctore tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex senatus consulto destructum est, populusque aliquamdiu* (ab anno 600 usque ad 609) *stans ludos spectavit.* Conf. Velleius I 15. Valer. Max. II 4 2,

et scena in tempus structa ludos edi solitos; vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor ederet, nulla cuiquam civium necessitate certandi. Ceterum abolitos paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque

1. *scaena* M^{a}. 2. *spectavisse si — continuaret. ne spectaculorum* GM^{a}: correctum ex A. 4. *praetor ederet* editor: M^{a} *praetor sederet*, Lipsius *praetores ederent*. 5. *caeterum* M^{a}.

Appian. B. C. I 28. Augustin. Civ. D. I 31. Orosius IV 21. Ex novis scriptoribus hunc antiquitatis locum diligenter tractavit Ritschelius Parergon Plautinorum vol. I p. 212—231.

stantem populum spectavisse: hoc moris fuit inde ab Livio Andronico usque ad extrema Plauti tempora (570), rursus ab a. 600 usque 609. Hinc, ut perite monuit Ritschelius Parerg. I praef. p. XVIII, apud Ciceronem de Amic. 7 Laelius: *qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula! cum ignorante rege uter esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta.*

ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret: qui in codice A particulam *ne* in hunc locum retraxit, delatam ante vocabulum *spectaculorum*, is, ut mihi videtur, antiquum vitium sustulit: scilicet h. l. ea particula et sententiae et structurae perapta intervenit, paulo post male interturbat. Ipsum vitium in hunc modum natum esse suspicor. Cum in libro, unde nostri codices, duo versus ita se exciperent:
ne, si consideret, theatro — contin.
spectaculorum quidem antiquitas,
scriba assuetus iuncturae particularum *ne — quidem* ex prioris versus initio negantem voculam in alterum demisit. De re id mihi videtur, hanc sententiam sumptam esse ex senatus consulto facto adversus theatri perpetui opus auctore Scipione Nasica a. 600.

spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor ederet, — certandi: postquam severi novi certaminis iudices mentionem scenae perpetuae fecerunt eaque a Pompeio inducta morem priscum et meliorem mutatum esse significaverunt, iam a *sede* theatri ad ipsa *spectacula* veniunt ac postulant ut, cum theatra perpetua essent neque tolli iam possent, illorum certe antiquitas servaretur, cum a praetore exemplo et instituto divi Augusti ederentur, non *ad morem Graeci certaminis* a singulis civibus pro munere exhiberentur. *Quotiens praetor ederet, — certandi* breviter dictum pro *idque eventurum, quotiens praetor ederet, — certandi.* Scriptura *sederet* pro *ederet* emersit inde quod scriba litteram sibilantem ex fine vocis *quotiens* falso repetitam verbo *ederet* applicuit. Certe *sedere* de magistratu munus praebente non dicitur, *edere* autem in ea re proprium est. Cf. annot. ad XI 11. *Praetorem* dicunt, non *praetores*, quia spectaculorum ludorumque cura a. 732 ab Augusto demandata est praetoribus ea moderatione, ut pecunia publica adiuti id oneris subirent, nemo tamen annuo spatio saepius quam bis munus ederet. Singulis igitur spectaculis unus semper ex praetoribus prae-

studiis externis iuventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, proceres Romani specie orationum et carminum scena polluantur. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant, easque pugnas pro militia et armis meditentur? An iusta augurii et [decurias equitum] egregium iudicandi munus ex-

1. *amore* M^a: G *amores*. 2. *principes* M^a: G *principe*. 4. *quis* M^a: G *quid*. 5. *In* superscr. *ut* M^a. 6. *iusta* editor: M^a *iustitia*, alii *iustitiam*. 7. glossam *decurias eq.* notavit editor.

fuit, non plures. Cf. Dio LIV 2, LVI 25 extr. Quibus novum ludicrum ad morem *Graeci certaminis* placuit, ii c. 21 contra monent: *nec perinde magistratus* (praetores) *rem familiarem exhausturos, aut populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore.* Illi genus (*magistratus*) pro specie (*praetores*) ponunt.

quod usquam corrumpi et corrumpere queat: conf. Germ. 19: *nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur.*

an iusta augurii et [decurias equitum] egregium iudicandi munus expleturos: vera scriptura *iusta augurii*, h. e. quae requirit auguralis ars et scientia, in M^a sic degeneravit ut assimilandi inclinatione scribentis tres litterae ex proximo nomine mil*iti*a immiscerentur et fieret ius*titi*a, unde codices interpolati fecerunt *iustitiam* (G *iusticiam*), pessumdato loci sensu. Ut sequentia *egregium iudicandi munus* de equestris ordinis hominibus prae ceteris dicta sunt, ita *iusta augurii* senatorios viros respiciunt. Nam arte augurali praediti erant viri amplissimi et summi magistratus, ut de Germanico proditum est I 62. Itaque *proceres Romani* paulo ante memorati et praecipua eorum negotia domi obeunda his verbis declarantur. Iam omnis res in vado, nisi quod impedimento est glossa *decurias equitum*, ascripta verbis *egregium iudicandi munus* in *ἀρχετύπῳ*, a proximo autem scriba verborum contextui falso admixta. Ab ipso Tacito haec esse nequit. Nam explere iudicandi munus est satisfacere officio iudicis, explere decurias equitum valet idem ac decurias equestres reddere plenas. Decuriae autem equitum tunc nullae fuerunt nisi militares, atque in quinque iudicum decuriis quae iam erant una tantum ex ordine equestri conscripta erat. Sed de militiae labore modo locuti sunt veteris moris laudatores, neque eo revolvi sermo nunc potest, ubi officia *domi et in urbe* a duobus ordinibus sustinenda recensentur. Itaque *decurias equitum* ascripsit homo mediocriter eruditus, ubi debuit *decurias iudicum*, et hoc ipsum inest in verbis *egregium iudicandi munus.* Hanc offensionem nulla iusta coniectura removere poterit, neque eo nomine digna sunt Seyfferti et Bezzenbergeri conamina, quorum prior interpolavit: *an institutas auguriis decurias equitum egregium iudicandi munus expleturas, si fractos* cet., alter haec prompsit obscura et non Latina: *an iustitia augurii et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fr.* Luculentum glossae signum etiam hoc est, quod verba *decurias equitum* adaptari structurae non possunt, nisi coniunctionem a nullo libro oblatam adieceris. Ea carere poterat et debebat qui his verbis interpretabatur *egregium iudicandi munus.*

pleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? Noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed coetu promisco, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat. Pluribus ipsa 21
licentia placebat, ac tamen honesta nomina praetendebant. Maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis pro fortuna quae tum erat, eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina; et possessa Achaia Asiaque ludos curatius editos, nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse, ducentis iam annis a Lucii Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit. Sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur. Nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos, aut populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore, cum eo sumptu res publica fungatur. Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis adlaturas; nec cuiquam iudici grave

2. *pudoris* M^a: G *pudori*. 3. *caetu* M^a. *promisco* M^a, *promiscuo* G. 7. *fortunaque tum* M^a. 8. *asyaque* M^a. 9. *quenquam* M^a. 11. *L. nummii* M^a. 12. *consul tum* M^a. *parsimoniae* M^a, non *parcimoniae*. 16. *greca* M^a. *a* om GM^a: inseruit Rhenanus. 17. *res.p.* M^a. 18. *all.* Or.

Cap. 21. *a Tuscis accitos histriones:* conf. Liv. VII 2. Valer. Max. II 4 §. 4. *a Thuriis equorum certamina:* Livius in rebus Tarquinii Prisci I 35: *ludicrum fuit eques pugilesque, ex Etruria maxime acciti.* Tacitus non initia eius ludicri, sed artem dicit; hanc Romani a Thuriis tunc videntur accivisse, cum ipsi colonos Thurios miserunt. Conf. Strabo VI 1 13 extr. p. 263.

qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit: verba *id genus spectaculi* nihil volunt eloqui nisi quod ante per *ludos curatius editos* relatum est, h. e. *scenam theatri* et *gradus consessorum*, quamquam in tempus structa. Male Lipsius de *Graecis* fabulis cogitavit, sed nunc sermo est non de fabularum argumento linguave, sed de spectaculi magnificentia et impensis, neque quidquam in his verbis inest unde ei sententiae praesidium paretur.

nec perinde magistratus — res publica fungatur: his dextre respondetur adversariorum reprehensioni (c. 20): *spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor ederet, nulla cuiquam civium necessitate certandi:* nam primum reponunt melius esse, si magistratus iniquo onere solverentur, dein non hoc se velle monent, ut cives Graeco more sua impendant, sed ut res publica eo sumptu fungatur.

tum exoleverant: tum denotat tempus quod secutum est post quinquennale ludicrum, et fere idem valet ac *mox.* Vitio locum

aures studiis honestis et voluptatibus concessis impertire. Laetitiae magis quam lasciviae dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil inlicitum occultari queat. Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. Ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. Eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. Graeci amictus, quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant.

22 Inter quae et sidus cometes effulsit; de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regnis portendat. Igitur quasi iam depulso Nerone quisnam deligeretur anquirebant. Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia. Ipse placita maiorum colebat, habitu severo, casta et secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famae adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna, quis Sublaqueum nomen est, ictae dapes mensaque

1. *impertire* M^{a}, *impartire* G. 2. *let.* M^{a}. *potius* M^{a}: correxit Lipsius. 3. *nichil* M^{a}. *ill.* Or. 4. *transit* GM^{a}: correxit Lipsius. 6. *quanq.* M^{a}. *scaenae* M^{a}. 8. *greci* M^{a}. *amictus* M^{a}, sed syllabae *ami* manu recenti in rasura. *q* superscr. *o* (i. e. *quo*) M^{a}, *quos* G: emendavit Groslotius. 10. *que* M^{a}. 11. *tanq.* M^{a}. *regis* M^{a}: correxit Bentleius ad Lucan. 1 529. 13. in v. *Plautus* primum *u* ex corr M^{a}. *celebratur* M^{a} cum ceteris, non, ut narrat Iac. Gronovius, *celebratus.* Muretus *celebrabatur.* 16. *rumore* M^{a}. *interpretatio*] *intra* (cum lineola super litt. *t*, i. e. *in terra*). *et atio* (non *actio*) M^{a}: correctum inest G. 18. *quis* editor: codices *cui.* *icte* M^{a}.

laborare noli suspicari. Halmius *tum* intelligit de seculo Neroniano, quo Graeci amictus sub Claudio asciti (Dio LX 6) exolevissent, per paucos dies festos etiam sub Nerone revocati. Non assentior neque obscurum Tacitum praeter necessitatem reddiderim. Dio autem loco indicato nihil tradit nisi Claudium Caesarem Neapoli in certaminibus musicis Graeco amictu et soleis incessisse, h. e. inter Graecos et inter ludos Graece celebratos Graeco habitu fuisse.

Cap. 22. *sidus cometes*: conf. Octavia praetexta v. 230 sqq. Haud dubie hunc, non alterum illum anni 64=817 (XV 47), respexit Apollonius Myndius apud Senecam N. Q. VII 17, Seneca ipse VII 21 et 29. Mire dubitat Orellius. Plinius N. H. II 23. Sueton. Ner. 36. Dio LXI 18. *et omnium ore Rubellius Plautus celebratur:* hic ut alibi praesens tempus eligit Tacitus ubi novum aut memorabile tradendum habet.

nobilitas per matrem ex Iulia familia: v. annot. ad XIII 19.

apud Simbruina stagna, quis Sublaqueum nomen est: fontes aquarum Simbruinis collibus deductos

disiecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum destinatum credebant, fovebantque multi, quibus nova et ancipitia praecolere avida et plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus his Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis, seque prava diffamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida iuventa frueretur. Ita illuc cum coniuge Antistia et paucis familiarium concessit.

Isdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae ad urbem deductae nando incesserat; videbaturque potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse. Secutaque anceps valitudo iram deum adfirmavit.

At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore 23 ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis metum ho-

2. *dm* cum lin. M^a. *destinatum* editor: codices *destinari*. 4. *his* GM^a, non *iis*. 5. *q* cum lin. traversa (i. e. *qui*) *e turbis* M^a: correxit Pichena, ante quem edebant *sibi et turbis*. 6. *prava* M^a: *prave* G. *asyam* M^a. 8. *familiarius* pr M^a. 10. *neronis* GM^a: *Neroni* Puteolanus. *margio* M^a: *Martiae* Puteolanus. 12. *toto* M^a: correxit Lipsius. 13. *deum*] *dm* cum lin. M^a. *aff.* Or.

supra (XI 13) legimus. Plin. N. H. III 17 (12): *Anio — lacus tres amoenitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.* Frontin. de Aquaeduct. 93: *ex lacu qui est super villam Neronianam Sublacensem.* Scilicet locum illum villamque modo indefinite *Simbruina stagna* (*die Simbruinischen Teiche*), modo praedium *Sublaqueum*, (*das Landhaus an den Seen*) vocabant. Iam profecto, lector, intelliges *cui* nihil esse nisi soloecismum, eumque satis turpem et nullo artificio tuendum. Equidem litteram *s* ex subsequente *Sublaqueum* sumptam pronomini (*quoi*) adiungo, unde fit *quois*, h. e. *quis.* G pro more *quoi* pro *cui* habet, et sic quoque in hoc loco. Emendandi facilitatem quo melius agnoscas, haec tria comparare velis QVOISVBLAQVEVM, QVOISSVBLAQVEVM, QVISSVBLAQVEVM. *in villa*, *cui* explere conatus est Bezzenberger, comparatis exemplis IV 59, VI 50.

hunc illum numine deum destinatum credebant: per *hunc* (=hunc esse) Plautum tamquam cognitum et a quaerentibus inventum ostendunt, *illum* dicunt sideris ortu ostentatum sed ab hominibus non statim repertum et agnitum. Theodisce: *der sei jener den der Wink der Götter bestimmt hätte.* *Numen* h. l. est nutus et voluntas. In codicum scriptura *hunc illum — destinari* alterutrum pronomen manifesto supervacaneum est et vitiosum, erravitque Gronovius maior, cum Virgilii versu Aen. IV 675 *hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas*, atque Petronii exemplo (101) *hic est Cyclops ille et archipirata, cui vecturam debemus*, erravit, inquam, cum his exemplis vulgatam tueri voluit. Id enim

stium intenderet vel, si pepercisset, clementiae famam adipisceretur, illuc pergit, non infenso exercitu, ne spem veniae auferret, neque tamen remissa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. Barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos et in avia digredi; ac fuere qui se speluncis, et carissima secum, abderent. Igitur dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, immitis iis qui latebras insederant, ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit. Atque illum fines suos praegredientem incursavere Mardi, latrociniis exerciti contraque inrumpentem montibus defensi; quos Corbulo immissis Hiberis vastavit, hostilemque audaciam externo
24 sanguine ultus est. Ipse exercitusque ut nullis ex proelio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant, carne pecudum

1. *intendere* M[a]: G *intenderet*. malim *apisceretur*. cf. annot. ad 12 30. 3. *faciem* M[a]. 5. *p̄ces* M[a]. 9. *inm.* M[a]. *his* M[a]: G *iis*. 12. *irrump.* Or. 13. *inm.* M[a]. 14. *prael.* Or.

nemo dubitabit quin Tacito licuerit dicere *hunc illum* (esse) *qui numine deum destinaretur*, idque ipsum inest in verbis a me correctis, ut XI 7 scribere licuit *quem illum tanta superbia esse ut aeternitatem famae spe praesumat?* item XII 36 *quis ille* (= quis sit ille qui) *tot per annos opes nostras sprevisset.* Nam in illis prius pronomen subiecti, alterum praedicati vicem sustinet: secus est in hoc nostro, ut vulgo legitur. Vitium *destinari* ex compendio *destinatū* natum: nam *tū* et *ti* in scriptura cursiva admodum similia sunt, quo factum ut XV 29 *sublati* pro *sublatum* in M[a] irrepserit, rursus *ti* et *ri* facile mutantur.

cum coniuge Antistia: cf. annot. ad XVI 10. *aquae Marciae:* cf. Frontin. Aquaed. 7 et 93. Plin. XXXI 1 24, XXXVI 24. Deducta est et nominata a praetore Q. Marcio Rege inter a. 590 et 603. Vid. de publicis urbium Romae et Constantinopolis aquaeductibus dissertatio. Scripsit *G. H. H. Jordans* (Bonnae 1844); p. 2 sqq.

Cap. 23. *at Corbulo* cet.: ad rerum contextum libro XIII 41 omissum iam revertitur. *ad occupanda Tigranocerta:* cf. annot. ad XV 5. *incursavere Mardi:* de Mardis Armeniae populo Strabo XI 13 3 extr. p. 523, Ptolemaeus V 13 20. Iidem Mediae partem habitavere et aucto nomine etiam *Amardi* vocantur; de quibus Ptolemaeus VI 2 5, Strabo l. c. Adde Plinium N. H. VI 18 et 31.

externo sanguine ultus est: pepercit Romano sanguini ac sociatis Hiberis rem non sine sanguine perficiendam demandavit.

Cap. 24. *carne pecudum propulsare famem adacti:* quotidianus militi Romano cibus frumento conficiebatur: id tunc omnino deerat. Caro autem tantum ovilis (*pecudum*) aderat, non bubula. Conf. Caes. B. G. VII 17.

propulsare famem adacti. Ad hoc penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera sola ducis patientia mitigabantur, eadem pluraque gregario milite tolerantis. Ventum dehinc in locos cultos, demessaeque segetes, et ex duobus castellis, in quae confugerant Armenii, alterum impetu captum; qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. Unde in regionem Tauraunitium transgressus inprovisum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio eius non ignobilis barbarus cum telo repertus ordinem insidiarum seque auctorem et socios per tormenta edidit; convictique et puniti sunt qui specie amicitiae dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocerta missi patere moenia adferunt, intentos popularis ad iussa. Simul hospitale donum, coronam auream, tradebant; accepitque cum honore; nec quicquam urbi detractum, quo prom-

1. *aque* M^a. 3. *pluraque* Fr. Iacobus: GM^a *plura quam*, Reg. *plura*. *tolerantis* Ernestius: M^a et B *toleranti*, G *tolerante*. 4. *demesseque* M^a. 5. *inque conf.* M^a. 7. *Tauraunitium*, non *Taurannitium*. 11. *triganocerta* M^a. 12. *menia* M^a. *aff.* Or. *popularis* M^a, *populares* corr G.

eadem pluraque gregario milite tolerantis: sic demum coniuncta Gronovii coniectura et Ernestii, omisso autem quod vitiosum in utraque (alter *eodem pluraque gr. m. tolerante*, hic *eadem plura gregario milite tolerantis*), locus integritati suae restitutus et turpi soloecismo liberatus est.

Tauraunitium: fuerunt inter Artaxata et Tigranocerta, aliunde non cogniti. *non ignobilis barbarus:* de eo Frontinus Strategem. II 9 haec tradit a Tacito diversa: *Domitius Corbulo cum Tigranocerta obsideret, et Armenii pertinaciter viderentur toleraturi obsidionem, in quendam ex Megistanis quos ceperat animadvertit, caputque eius balista excussum intra munimenta hostium misit. Id forte decidit in medium concilium, quod tum cum maxime habebant barbari, ad cuius conspectum velut ostento consternati ad deditionem festinaverunt.*

Tigranocerta missi: Tigranocerta non est ablativus, qui est *Tigranocertis*, sed accusativus, et legati intelligendi sunt quos ex Armeniis (*popularibus*) Corbulo miserat, ubi post deleta Artaxata cum exercitu Tigranocerta petivit. Conf. annot. ad XV 5. *accepitque cum honore:* accepit coronam auream, non legatos quos ab ipso missos esse monui.

Cap. 25. *at praesidium, quod ferox iuventus clauserat:* quod in codicibus post *praesidium* additur *legerat*, ex subsequente verbo *clauserat* ortum et male repetitum est. Neque quidquam iuvat inanis Puteolani coniectura *regium*. Nam *praesidium* est τὸ φρούριον, h. e. Tigranocertorum urbis castellum. Id quomodo magis *regium* appellari possit quam ipsum oppidum minime liquet; etenim non regis milites sed ferox iuventus (urbis)

25 ptius obsequium integri retinerent. At praesidium, quod ferox iuventus clauserat, non sine certamine expugnatum est: nam et proelium pro muris ausi erant, et pulsi intra munimenta aggeri demum et inrumpentium armis cessere. Quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. Miseruntque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, attineri a se Vologesen pro pignore amicitiae ostentantes. Eos regredientes Corbulo, ne Euphraten transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato praesidio ad litora maris rubri deduxit, unde vitatis Parthorum finibus patrias in sedes
26 remeavere. Quin et Tiridaten per Medos extrema Armeniae intrantem, praemisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul ac spem belli omittere subegit;

1. *praesidium* editor: M[a] cum plerisque *praesidium legerat*, A *praesidium inerat*, Puteolanus *pr. regium*. 3. *prael.* Or. idem 4. *irrump.* 4. *aggeri* Bachius: *aggeris* M[a], *aggeribus* voluerat Ryckius. 5. *yrcano* M[a]. 7. *uologese* — *ostentante* M[a]: *uologensem* — *ostentantes* G. 8. *eufraten* M[a]. 10. *dedixit* M[a]. 11. *armenie* M[a]. 13. *omittere* A: ceteri *amittere*.

illud clauserat. Qui nomen proprium corruptis litteris subesse putant, ut Bezzenberger qui *Legerda* proposuit, obscuram diligentiam Tacito donabunt. *Legerda* autem vel *Elegerda* vel *Clegerda* ex Ptolemaeo V 13 §. 19 accita eo magis spernenda sunt, quod eo nomine non castellum Tigranocertorum sed oppidum in alia praefectura situm vocatur.

ne Euphraten transgressi — circumvenirentur: quae proxima via fuerit legatis ex urbe per provinciam Syriam in patriam ad maris Caspii partem orientalem redeuntibus, indicatum est verbis *ne Euphraten transgressi — circumvenirentur*. Sed tutius Corbuloni visum illos deduci ad sinum Persicum (*mare rubrum*) et inde septentrionem versus sedes patrias intrare. De mari rubro v. ad II 61.

Cap. 26. *legionibus citis*, h. e. cito itinere proficiscentibus; sic Agr. 29 *expedito exercitu*. Scilicet impedimenta et sarcinae ab exercitu remota erant, ideoque vel gravis armaturae milites *citi* et *expediti* vocari possunt. Aliam ob causam cohortes sociorum *citae* saepe appellantur, ob arma quae gestabant levia.

spem belli omittere subegit: quae amittimus, aut animi aut corporis oculis se subducunt, dum ipsi nihil agimus ut amittantur vel adeo aegre ferimus. Sed Tiridates, fortitudine et constantia Corbulonis coactus et permotus, sponte belli spem *omisit*. Hic constans usus scriptorum pedestris sermonis, et sic Tacitus permultis locis: quod poetae scenici *āmittere* aliquando pro *ŏmittere* admiserunt, versus ratio et necessitas fecit. Non apte defensores formae *amittere* provocant ad II 71: *spiritum ante quam ultionem amissuros:* ibi enim *amissuros* nomini *spiritum*, quo praecipue refertur, bene convenit.

quosque nobis aversos animi cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus, possessionem Armeniae usurpabat, cum advenit Tigranes a Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus. Nec consensu acceptus, durante apud quosdam favore Arsacidarum. At plerique superbiam Parthorum perosi datum a Romanis regem malebant. Additum et praesidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes duaeque equitum alae, quo facilius novum regnum tueretur. Pars Armeniae, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere iussae sunt. Corbulo in Syriam abscessit, morte Ummidii legati vacuam ac sibi permissam.

1. *aversos animi* editor: M^{a} *ab re* superscr. eadem manu *ge* (ut sit *ab rege*) *aninis*, G et Oxonienses *ob regem adversos animis*, CR *a rege animis*, A *alienos animis*, Puteolanus *ob regem aversos animis*. 6. *ne* GM^{a}. 7. *fabore* M^{a}. *plerisque superbia* M^{a}: correctum inest G. *per* (comp.) *obsi* in fine versus M^{a}: *posi* G. 9. *dueque* M^{a}. *ale* M^{a}. 10. *et quo* GM^{a}: *et* huc delatum ex versu proxime superiore sustulit Freinshemius. *armenia eunt* M^{a}: correctum in G. 11. *Pharasmani Polemonique* I. Fr. Gronovius: *pars nipulique* GM^{a}. 12. *accessit* GM^{a}: emendavit Lipsius. 13. *umidii* M^{a}.

aversos animi: in loco male habito tutissimum est sequi ductus libri antiquissimi a suspicione vacuos; hi sunt *ab re*, in quibus si pro *b* littera cognata et milies pronuntiandi vitio mutata *v* redditur et subsequentes (*re*) rectius ordinantur, exit *aver*, hoc est *aversos* omissa compendii nota exaratum. Addita *ge* syllaba corrigendi conamini non felici tribuenda. Quod restat *aninis* est *anims* et hinc correcta extrema littera *animi*. Conamina hinc nata sub conspectu collecta in margine superiore. *Aversos animi* Tacitus scripsit, ut *captus animi* H. III 73, *versus animi* H. IV 84; *laetus animi* II 26, *ultor — non occultus odii* IV 7, *fidentem animi* IV 59, *aliosque occultos consilii — ad defectionem trahit* VI 36.

additum et praesidium: particula *et* (= etiam) respicit praegressum *plerique — datum a Romanis regem malebant*. Tacitus enim exponit quibus firmamentis novus rex ad imperium accesserit, quorum unum erat favor multorum ex Armeniis, alterum praesidium Romanum. Non indigemus coniectura Bezzenbergeri *additum ei praesidium — alae. Et quo facilius — tueretur, pars Armeniae* cet.

Pharasmani Polemonique: auctor praeclarae emendationis ad eam tuendam haec attulit: 'Iberus est Pharasmanes, iamdudum per filium Rhadamistum insidiatus fratris Mithridatis regno, Armeniae; unde cum absterreretur a Romanis, partim ut horum gratiam mereretur, partim proprio metu filium interfecit, et ex eo adversus Tiridatem Corbuloni militavit. Vide nostrum XII 44, item XIII 37, ubi et mentio de Antiocho, quemadmodum saepius alibi. Polemo notissimus rex Ponti, Iosepho *Κιλικίας* Ant. XX 7; et apud nostrum H. III 47 com-

27 Eodem anno ex inlustribus Asiae urbibus Laodicea tremore terrae prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. At in Italia vetus oppidum Puteoli ius coloniae et cognomentum a Nerone apiscuntur. Veterani Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias in quibus stipendia expleverant; neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant. Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rem publicam efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.

2. *a* om M^{a}, insertum in G. cf. ad 12 30. 6. *expleberant* M^{a}. 4. *apiscuntur* M^{a}, *adipiscuntur* G. 10. *rem.p.* M^{a}. 12. *aff.* Or.

memoratur, Aristobulus XIII 7. Iosephus XX 8: *τὴν μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται.*

Cap. 27. *eodem anno:* accedit ad finem annalis relationis; v. ad I 53. *ius coloniae et cognomentum a Nerone apiscuntur:* colonia civium Romanorum deducta Puteolos a. 560. Livius XXXIV 45: *coloniae civium Romanorum eo anno deductae sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, treceni homines in singulas.* Velleius I 15. Dein Augustus novos colonos misit et suum nomen dedit. Frontinus de Coloniis ed. Goes. p. 139: *Puteoli colonia Augusta. Augustus deduxit.* Iam Nero ascriptis colonis *Claudiam* appellavit et vetus urbi ius firmavit. Hoc illud est *ius coloniae et cognom. a Nerone apiscuntur.* Eadem quartum deducta est a Vespasiano vel filiis eius, cognomento *Flavia* addito, de quo v. Orellii Inscript. Lat. n. 3698. Errat Lipsius, cum ob Ciceronis (pro Caelio c. 2) verba, in quibus *municipes* Puteolani audiunt, existimat Ciceronis aevo eam urbem coloniam non fuisse: eo enim tempore qui in coloniis civium Romanorum habitabant etiam municipes erant, contra non omnes municipes simul coloni.

veterani Tarentum et Antium adscripti: accusativus pendet a notione *mittendi* quae inest verbo *adscripti.* Antium Nero honoravit, quod ibi natus erat. Sueton. Ner. 9: *Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis e praetorio additisque per domicilii translationem ditissimis primipilarium; ubi et portum operis sumptuosissimi fecit.*

cum — sui cuiusque ordinis militibus: frequentior Taciti usus requirit *quisque*, ut olim conieci et post me Petersenius, sed etiam hoc dicendi genus vindicavit Madvigius ad Cic. de Fin. V 17 collatis similibus exemplis et primum quidem tabulae Heracleensis v. 92 et 101: *quae stipendia in castris inve provincia maiorem partem sui cuiusque anni fecerit.* Cic. Acad. II 19: *in sensibus sui cuiusque generis.* Sueton. Aug. 40: *concessit* (plebi) *rursus, ut sui cuiusque mensis* (frumentum) *acciperet.* Livius XXXIII 16: *pecunia quae in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur.*

28 Comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, princeps composuit, tris qui supra numerum petebant legioni praeficiendo. Auxitque patrum honorem statuendo ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniae periculum facerent cuius ii qui imperatorem appellavere. Nam antea vacuum id solutumque poena fuerat. Fine anni Vibius Secundus eques Romanus accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur, ne graviore poena adficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.

29 Caesonio Paeto et Petronio Turpiliano consulibus gravis clades in Britannia accepta; in qua neque Aulus Didius legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat, et successor Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum

1. *quo* Mª, item G et pr B. 5. *is* Mª: *ii* G. 7. *uiuius* Mª. 8. *dămatur* Mª. *italiae* Mª. 9. *paena* Mª. *aff.* Or. *frisoribus* cum lin. super primum *i* M: correxit Pichena. 11. *cesonio* Mª. *et* om G. *cos.* Mª. 12. *brittania* Mª. *A. Didius* Lipsius: Mª *hauitus*, G *alutus* ascripto *h.* 13. fuisse suspicor *Q. Veranius.* 14. *siluas* GMª: correxit Lipsius.

Cap. 28. *arbitrio senatus haberi solita:* v. annot. ad I 15.

princeps composuit: ut componerentur sopito studiorum ardore fecit. *legioni praeficiendo:* Sueton. Ner. 15: *candidatos qui supra numerum essent in solatium dilationis ac morae legionibus praeposuit.*

eiusdem pecuniae periculum: tertiam quanti causa aestimata erat, solvere adigebantur, ubi sententia iudicum privatorum a senatu vel Caesare comprobabatur. Paulus Rec. Sent. V 33 §. 7 et 8.

Cap. 29. *et Petronio: et* in G et a Puteolano omissum, a Walthero reductum rursus expunxit Orellius: ego vindicavi ad IV 68. Par consulum memoratur in titulo Gruteri 62 7, recepto ex Panvinii Fastis, ubi sine auctore et loci nota affertur: sed confictum eum esse non sine causa Orellius ad h. l. censuit. Consulum nomina ex Tacito sumpta esse fidem facit quod est in titulo PETRONIO TVRPILIANO ET. CAESONIO PAETO COS.

ut memoravi: XII 40. *Auli Didii* nomen ex illo loco et Agr. 14 restituit Lipsius.

successor Veranius. Veranius consul anni 49 a Chr. duobus nominibus nominatus est XII 5, ideoque nunc unum quodammodo potuit sufficere (cf. ad XIII 30): idem tamen Britanniae legatus nunc primum commemoratur et alter ille locus maiore intervallo discretus est. Accedit quod eius antecessor, cuius item mentio iam facta est XII 40, *Aulus Didius*, paulo ante vocatur. Itaque notam *Q.* ante *Veranius* a scriba libri Medicei neglectam esse coniecerim.

supremis testamenti verbis: testamenti nomen additum est, ut quae dicantur suprema verba pateat, videlicet ea quibus supremam suam voluntatem testatus est Veranius.

provinciam: Mª *provincias* ex male soluto compendii signo (*provinciă*) provenit. Certe numerus

proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus: quippe multa in Neronem adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset. Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator, receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navesque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum. Sic pedes: equites vado secuti, aut altiores inter undas adnantes equis tramisere.

30 Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis; in modum Furiarum veste ferali, crinibus deiectis faces praeferebant. Druidaeque circum, preces diras

2. *sup̄mis* M^a^. 3. *adulationē* M^a^. *prouincias* GM^a^: correxit Lipsius. 5. *brittannos* M^a^. *militie* M^a^. 10. *breve* M^a^: *breve littus* G. *uados* ex geminatione litterae subsequentis M^a^: G *uado.* 11. *tramisere* M^a^, *transmisere* G. 13. *immodum* M^a^. *veste* M^a^ et BG: CR *quae veste.* 14. *facies* M^a^: correctum in G. *p̄ces* M^a^.

multitudinis plane ineptus: nam una provincia Britannia etiam tunc fuit, cum Caledonia etiamnum libera ab Agricola subiecta est. Agr. 40: *tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque.* Duas provincias Britanniae demum Septimius Severus divisit: Herodianus III 8 §. 2.

Monam insulam: nunc ei nomen *Anglesey.* Cf. Agr. 14 et 18. Dio LXII 8. Quae Iornandes de rebus Geticis cap. 2 rettulit de Britannis foede corrupta, ea non hinc petita esse, ut Lipsius credidit, sed magnam partem ex Agricola sumpta ostendi in Prooemii capite 25.

adversus breve et incertum: sane *breve et incertum* insolentius dictum est pro *brevia et incerta,* sed inde non movemur ut manifestam codicis G interpolationem *breve litus et incertum* Tacito donemus: is enim Graecorum *βράχος* Latine convertere videtur voluisse. Numerum multitudinis *brevia* VI 33 legimus. Cf. II 6: *quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent.* Hinc intelligitur *incertum* dici maris decrescentis et accrescentis vices.

Cap. 30. *stabat — acies:* verbum sic positum rem novam vel memorabilem pingit. Sic I 25: *stabat Drusus, silentium manu poscens.* *in modum Furiarum — faces praeferebant:* furialem aspectum faces praecipue praebebant, tum etiam *vestis feralis,* h. e. *atra,* ut G. 43, et *crines deiecti.* Vulgo continuantur *intercursantibus feminis in modum Furiarum veste ferali, crinibus deiectis; faces praeferebant.* Meliorem interpungendi rationem, non tamen in omnibus probandum, praeivit Bezzenberger, qui scribit: *Stabat — feminis. In modum — ferali, crinibus deiectis, faces praeferebant; Druidaeque circum preces — fundentes novitate aspectus perculere militem* cet.

Druidaeque circum: ut sacra Gallorum apud Britannos fuere et superstitionum persuasio (Agr. 11), ita etiam Druidae Gallici theologi

sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent. Dein cohortationibus ducis, et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. Praesidium posthac impositum victis, excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. Haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae nuntiatur. Rex Ice- 31
norum Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore. Quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur. Iam primum uxor eius Boudicea verberibus adfecta et filiae stupro violatae sunt. Praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia, et metu graviorum, quando in formam provinciae cesserant, rapiunt arma, commotis ad rebellationem Trino-

1. *celum* Mª. 2. *milites* fuit in Mª, correctum *militem* ab eadem manu, ut est in G. 5. *strenuuntque* Mª. 6. *inp.* Mª. *sevis* Mª. 8. *dos* cum lin. Mª. 9. *igenorum* GMª. 13. *uelud* Mª. 14. *boodicia* Mª. idem c. 35 *bouducea*, c. 37 *boudicca.* apud Dionem 62 4 est *Βουνδουίκα*, in G *booicia.* *aff.* Or. 15. *precip.* Mª. *ygenorum* Mª. 16. *hauitis* Mª. 19. *trinouantibus* Mª.

et philosophi, de quibus conf. H. IV 54. Caesar B. G. VI 16. Strabo IV 4 §. 4 p. 197. Diodorus V 31. Diogenes Laertius in prooemio §. 1 et 6. *igni suo involvunt:* Waltherus comparavit Virg. G. II 308: *et totum involvit flammis nemus.*

luci saevis superstitionibus sacri; cf. Agr. 11. *defectio provinciae:* res a Tacito c. 31—37 expositas Dio apud Xiphilinum LXII 1—12 suo more tradidit. Cf. Agr. 16.

Cap. 31. *regnum per centuriones, domus per servos:* servi sunt procuratoris, *centuriones* legati consularis. Vid. Agr. 15 et annot. *commotis ad rebellationem Trinobantibus:* Trinobantes non procul a flumine Tamesa habitabant. Caesar V 20 *prope firmissimam earum regionum civitatem* vocavit. Ptolemaeus II 3 §. 22: *καὶ ἀνατολικώτεροι παρὰ τὴν Ἰαμήσα εἴσχυσιν Τρινόαντες (Τρινοούαντες), ἐν οἷς πόλις Καμουλόδανον.* Nomen eorum corruptum in *Brigantes* Agr. 31.

templum divo Claudio constitutum: Seneca in ludo de morte Claudii 8: *deus fieri vult. Parum est quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt et ut deum orant μωροὶ Μόρυχον.* Haec si accurate scripta sunt, Britanni Claudium iam ante mortem colere coeperunt. Eadem probant

bantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando, foventibus impotentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. Ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur: delectique sacerdotes specie religionis omnis fortunas effundebant. Nec arduum videbatur excindere coloniam nullis munimentis saeptam; quod ducibus nostris parum provisum

32 erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur. Inter quae nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus. Et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant; externosque fremitus in curia eorum auditos; consonuisse ululatibus theatrum, visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae. Iam Oceanus cruento aspectu, in sicco labente aestu humanorum corporum effigies relictae ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebantur. Sed quia procul Suetonius

1. *facti* Mª, *assuefacti* G: correctum est in A. 5. *in potentiam* GMª. 7. *arae* pr Mª, ab eadem m. correctum *arx*. 10. *septam* Mª. 14. *furore* GMª: correxit Faërnus. 16. *tam esae* Mª. 17. *aspectu*, *in sicco labente* editor: *aspectus sic labente* Mª, *aspectu*, *sic labente* G, *aspectu*, *in sicco dilabente* Iacobus Lubecensis et Bezzenberger. 18. *Britannis* — *veteranis* Waltherus: Mª *brittanni* — *veterani*.

vere annotasse Lipsium 'legebantur enim pontifices' (de pontificibus equidem nihil asseveraverim) 'flaminesque Claudio ex provincialibus ipsis; quibus in sacra victimasque eius divi multi faciendi sumptus.' *Delecti* sunt sacerdotes divites et proceres iique omnes fortunas *suas*, non omnes provinciae fortunas, quae falsa foret exaggeratio, specie religionis *effundebant*, h. e. effundere cogebantur. Britannis in hac re duo movebant iram, atque omnes quidem aegre ferebant quod externum dominum divinis honoribus colere debebant, delectis autem offensioni erat quod fortunas effundere adigebantur.

Cap. 32. *in furorem turbatae:* ita excitatae animo ut furor consequeretur. *in curia eorum:* Camulodunum tamquam colonia suum senatum sive curialium consilium habebat, et his curia aedificata erat.

iam Oceanus — trahebantur: Lipsius nimis recessit a traditis vestigiis scribendo: *iam Oceanum cruento aspectu, dilabente aestu — relictas, ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebant.* Immo loci corruptela hinc nata est quod scribenti nomina Britannorum et

aberat, petivere a Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit; et inerat modica militum manus. Tutela templi freti, et impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant, neque fossam aut vallum praeduxerunt, neque motis senibus et feminis iuventus sola restitit: quasi media pace incauti multitudine barbarorum circumveniuntur. Et cetera quidem impetu direpta aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum expugnatumque. Et victor Britannus Petilio Ceriali legato legionis nonae in subsidium adventanti obvius fudit legionem, et quod peditum, interfecit: Cerialis cum equitibus evasit in castra et munimentis defensus est. Qua clade et odiis provinciae, quam avaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam transiit. At Suetonius 33
mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, co-

1. *haberat* Mª. 2. *inherat* Mª. 4. *occulti* Mª: *occulte* B, *occultae* G et Oxonienses. *fossa* Mª. 7. *caetera* Mª. 9. *britiamnus* Mª. 10. *petio* GMª: correxit Lipsius. *aduentati* Mª: G *aduentanti*. 13. *auaritiae* Mª: G *auaritia*.

veteranorum proxime verbum *trahebantur* posita subiectorum loco esse visa sunt. Tum in Lipsii scriptura non liquet, quomodo *cruento aspectus sic labente* in Mª ex *cruento aspectu dilabente* nasci potuerit: immo post vocem *aspectu* absorpta est praepositio *in*, dein duplicata sibilantis litterae figura et truncatus vocabuli *sicco* exitus, quod facilius fieri potuit, si in *ἀρχετύπῳ* *īsicō* exaratum erat. *Labitur* maris aestus, ut *spiritus* VI 50, *anima* XVI 11.

quam avaritia in bellum egerat: rem ipsam Dio narrat LXII 2: *πρόφασις δὲ τοῦ πολέμου ἐγένετο ἡ δήμευσις τῶν χρημάτων, ἃ Κλαύδιος τοῖς πρώτοις αὐτῶν ἐδεδώκει· καὶ ἔδει καὶ ἐκεῖνα, ὥς γε Δεκιανὸς Κάτος ὁ τῆς νήσου ἐπιτροπεύων ἔλεγεν, ἀναπέμπιμα γενέσθαι.*

Cap. 33. *Londinium perrexit:* nunc cum primum in historia memoratur civitas, quae iam orbis et lumen et decus ac dulce humanae libertatis praesidium est, futura eius magnitudo paucis verbis quasi praemonstrata est. Coloniae nomen, quae tunc nondum fuit, adiecit aliquis ex proximis Caesaribus, fortasse Severus: Ammianus Marcellinus XXVII 8 §. 7: *egressus tendensque ad Lundinium vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit.*

militarium (*τῶν στρατιωτικῶν*): aliud est, quod XV 10 posuit, *viros militares*, item XV 26 et H. II 75 *viro militari*, H. III 73 *pauci militarium virorum*. Etenim illi rei militaris periti sunt: nunc *militarium*, non *militum*, videtur delegisse, ut et milites qui vulgo dicuntur, h. e. Romani sive legionarii, et copiae auxiliares simul denotarentur. Cf. III 1: *intimus quisque amicorum et plerique militares*. Perinde *equestres*, non *equites*, XII 60, XIII 10.

gnomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. Ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coërcitam, unius oppidi damno servare universa statuit. Neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum, laeti praeda et aliorum segnes petebant. Ad septuaginta milia civium et sociorum iis quae memoravi locis cecidisse constitit. Neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula, ignes cruces, tamquam reddituri suppli-

8. *inb.* M^a. 11. *spoliant* GM^a: emendavit Mercerus. *leti* M^a. 12. *insignes* M^a: emendavit Mercerus. 13. *hiis* M^a. *caecid.* M^a. *consistit* M^a. 14. *aliutue* M^a. 15. *tanquam* M^a.

ad septuaginta — cecidisse constitit: Tacitus numerum eorum qui Camaloduni et Londinii et Verulamii caesi sunt, indicavit: Dio LXII 1 de caesis per hoc bellum universe: καὶ μυριάδες ὀκτὼ τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν ἐφθάρησαν. Itaque non bene *octoginta* apud Tacitum Lipsius legendum coniecit. *sed caedes patibula, ignes cruces:* v. annot. ad XI 6.

tamquam reddituri supplicium ac praerepta interim ultione: tamquam reddituri supplicium idem est quod 'tamquam debitam hostibus poenam daturi supplicium,' ut XVI 5 *dissimulatum ad praesens et mox redditum odium*, i. e. datum tamquam debitum. Caute addidit *tamquam:* nam cum supplicia in illis ludibriis a Romano milite in Britannos admissis (v. c. 31) nulla inessent, hi re vera supplicium *reddere* non poterant. Iidem ultionem interim praeripiunt, metuentes ne mox desit occasio ad eam explendam. Ernestius comparavit Livii XXIV 17: *quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades.* 20: *eos — Hanno adortus haud multo minorem quam ad Beneventum acceperat, reddidit hosti cladem.* Seneca de Ira II 32: *dulce est dolorem reddere.* Orellius Taciti verba interpretatur 'supplicium vicissim perpessuri,' at reddere non est *vicissim perpeti*, sed 'vicissim dare.' Notionem eius quod quis vicissim perpetiatur hoc verbum tunc potest subire, cum adiectum est id cuius *poena* solvenda sit casu genitivo, ut apud Sallustium in Iug. 17: *nae ille — impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis mearumque miseriarum graves poenas reddet.* Itaque verborum intellectus quem statuit Orellius sic efferendus foret: *tamquam suppliciorum reddituri poenas.* Ad verba *aliudve quod belli commercium* ex verbo *festinabant* notio *faciendi* vel *exercendi* sumenda est.

cium ac praerepta interim ultione, festinabant. Iam Suetonio 34
quarta decuma legio cum vexillariis vicesimanis, et e proximis auxiliares, decem ferme milia armatorum erant, cum omittere cunctationem et congredi acie parat. Deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse, sine metu insidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques astitit. At Britannorum copiae passim per catervas et turmas exultabant, quanta non alias multitudo, et animo adeo fero, ut coniuges quoque testes victoriae secum traherent plaustrisque imponerent, quae super extremum ambitum campi posuerant.
Boudicca curru filias 35
prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur: sed nunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. Eo provectas Romanorum cupidines ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant. Adesse tamen deos

1. *ac praerepta* GM[a]: B *praerepta*, Ies. *ac praecepta*, C *ac praetexta*. 2. *vicesimariis* (non Furiae *vicesimaris*) GM[a] et ceteri: correxit Acidalius. 5. *nichil* M[a]. 8. *brittannorum* M[a]. 9. *caterbas* M[a]. 11. *inp.* M[a]. 12. *Boudicea* G. cf. c. 31. 14. *brittannis* M[a]. *dictu* M[a]: G *ductu*. 15. *nunc* Ricklefs interpres Theodiscus: codices *tunc*. 17. *contrectam* M[a]: G *contrectatam*. 18. *nec* M[a]. 19. *inp.* M[a] *ds* cum lin. M[a].

Cap. 34. *cum vexillariis vicesimanis:* quemadmodum vicesimani sunt vicesimae legionis milites, sic *vexillarii vicesimani* sunt eiusdem legionis *delecti*. Conf. annot. ad I 38. Falsa sunt quae Waltherus ad vindicandum vitium *vicesimariis* (quod ipsum assimilantis aberratione procusum est) imperite disputavit.

Cap. 35. *sed nunc — ulcisci:* falso Waltherus aliis exemplis non similibus (II 26, III 61, VI 21, XVI 3) particulam *tunc* hoc loco vindicare studuit in annot. ad II 26. Nam *tunc* vel *tum* temporis statum loquenti praesentem designare sic possunt, ut narrator dicentis sententiam suis verbis referat et ipse de re praeterita tradat. Verum hoc nunc minime usu venit: immo Boudicea suis verbis et ex sua persona loquitur, ideoque *nunc* postulatur, *non tunc*. Illud corruptum est assimilandi errore, cum in ἀρχετύπῳ 'set nunc' scriptum esset.

contrectatam filiarum pudicitiam: proprie de filiabus *contrectari* dicitur, sed Tacitus eleganti iudicio *contrectatam pudicitiam* iunxit, ne quidquam ignobile ac vulgare magno feminam animo loquentem faceret. Minus cautus Suetonius

iustae vindictae: cecidisse legionem quae proelium ausa sit;
ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem et clamorem tot milium, nedum impetus et
manus perlaturos. Si copias armatorum, si causas belli secum
expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. Id
36 mulieri destinatum: viverent viri et servirent. Ne Suetonius
quidem in tanto discrimine silebat. Quamquam confideret
virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, ut spernerent
sonores barbarorum et inanes minas. Plus illic feminarum
quam iuventutis aspici. Imbelles inermes cessuros statim, ubi
ferrum virtutemque vincentium totiens fusi agnovissent. Etiam
in multis legionibus paucos, qui proelia profligarent; gloriaeque eorum accessurum quod modica manus universi exercitus
famam adipiscerentur. Conferti tantum et pilis emissis, post
umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent, praedae immemores: parta victoria cuncta ipsis cessura. Is ardor
verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat
vetus miles et multa proeliorum experientia, ut certus de
37 eventu Suetonius daret pugnae signum. Ac primum legio

1. *prael.* Or. 3. *militum* Mª: correxit Lipsius. 6. *uiris* Mª. 7. *quam* Mª: G *qui quamquam* (per comp.). 8. *p̄ces* Mª. 10. *inb.* Mª. 12. *paucos qui* Mª: *paucos esse qui* G. *prael.* nunc et 18. Or. *glorieque* Mª. 13. *accesserum* Mª. 14. *fama* Mª. malim *apiscerentur.* 16. *inm.* Mª. *ardor* corr Mª, videtur fuisse *ordo.* 18. *de eventu* editor: Mª cum aliis *euentu*, Rhenanus *eventus.* 19. *dare* Mª: G. *daret.*

Dom. 1: *contrectatis multorum uxoribus Domitiam Longinam — etiam in matrimonium abduxit.*

ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant: prius nomen *corpora* duobus aliis (*senectam aut virginitatem*) certius definitur. Quapropter *ne — quidem* esse debet. Cf. annot. ad IV 35. *Ne* primus Ernestius suppeditavit; *nec* assimilandi aberratione ante vocem senectam corruptum est. *tot milium:* cf. Dio LXII 2 et 8.

Cap. 36. *sonores barbarorum et inanes minas*: cf. Dio LXII 12: *κἀκ τούτου συνῆλθον, οἱ μὲν βάρβαροι κραυγῇ τε πολλῇ καὶ ᾠδαῖς ἀπειλητικαῖς χρώμενοι, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι σιγῇ καὶ κόσμῳ, μέχρις οὗ ἐς ἀκοντίου βολὴν ἀφίκοντο.* Nomen *sonoris* etiam I 65, IV 48.

aut proelia profligarent: qui adversam aciem profligarent, h. e. inclinatam redderent et in fugam verterent. *umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent:* strages respicit umbones, caedes gladios: nam gladiis adversarii caeduntur, umbonibus sternuntur.

certus de eventu Suetonius: praepositio *de* in codicibus absorpta est a proximo *eventu.* Rhenani coniectura *eventus* ingratam sibilantis litterae copiam producit

gradu immota et angustias loci pro munimento retinens, postquam propius suggressus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus; et eques protentis hastis perfringit quod obvium et validum erat. Ceteri terga praebuere, difficili effugio, quia circumiecta vehicula saepserant abitus, et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant. Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finivit. Et Poenius Postumus praefectus castrorum secundae legionis, cognitis quartadecumanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat abnueratque contra ritum militiae iussa ducis, se ipsum gladio transegit.

1. *inm.* Mª. 3. *uelud* Mª. 4. *astis* Mª. 5. *effugium* Mª: G *effugio.* 6. *seps.* Mª. *abitus* Mª, *ambitus* BG. 7. *confixaque* Mª, non Furiae *confixa.* *teli* Mª: G *telis.* 9. *octinginta* Mª, non *octingenta.* *brittannorum* Mª. 11. *Boudicea* G. cf. c. 31. 13. *quartadecim Ianorum* Mª.

certus eventus Suetonius.' Alioqui Tacitus libenter genitivum nomini *certus* coniungit, sed plerumque ubi de capto consilio loquitur, veluti IV 34 *relinquendae vitae certus*, XII 32 *destinationis certum*, 66 *sceleris olim certa.* H. II 46 *Otho — consilii certus.* H. IV 14 *Civilis desciscendi certus.* De re alicui certa I 27 *exitii certus*, XII 3 *sui matrimonii certa.* Nudum ablativum *eventu* idem valere quod *de eventu* credidit Doederlinius et probatum ivit collatis verbis XIII 21: *ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit.* Sed ibi *beneficiis* pendet ex *pro*, et 'pro beneficiis nihil disserere' est 'nihil ad beneficia imputanda memorare.'

Cap. 37. *postquam propius suggressus hostis certo iactu tela exhauserat:* hostis certo iactu tela, non sua sed Romanorum, exhausit, ita ut pila a Romanis missa corporibus suis Britanni exciperent omnia. Ab hoste sua in Romanos tela certo iactu exhausta esse tradere Tacitus noluit: tum enim non perpauci Romanorum cecidissent, ut mox legimus, sed proelio etiam ipsis pernicioso victoriam Romani rettulissent. Hoc cum non viderent editores, Lipsius *suggressis hostibus*, Pichena *incerto iactu*, Ernestius *crebro iactu*, Doederlinius *in propius suggressos hostes* per coniecturam substituere maluerunt: Waltherus denique verba multa effundit, rem non expedit. Verum vidit Freinshemius, sed obscure exposuit.

difficili effugio: Mª *effugium* ad similitudinem verborum *obvium et validum* ab imprudente librario effectum est. Quae sequuntur *et miles — auxerant* novas causas afferunt cur Britannis effugium difficile fuerit. Itaque post *abitus* comma, non punctum, post *tem-*

38 Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Caesar missis ex Germania duobus legionariorum milibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus; quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt. Cohortes alaeque novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil aeque quam fames adfligebat serendis frugibus incuriosos, et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant. Gentesque praeferoces tardius ad pacem inclinabant, quia Iulius Classicianus successor Cato missus et Suetonio discors bonum publicum privatis simultatibus impediebat, disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. Simul in urbem mandabat, nullum proelio finem expectarent nisi succederetur

1. *suppellibus* M[a]. 3. *auxiliarium* M[a], *auxiliariorum* G et Oxonienses. 5. *aleque* M[a]. 6. *locate* M[a]. 7. *nichil* M[a]. 8. *affl.* Or. 9. *destinat* M[a]: G *destinant.* 10. *inclinabant* editor: codices *inclinant.* 11. *suetior* M[a]: correctum in G. 12. *pribatis* M[a]. *novum* corr M[a], videtur fuisse *nouem.* 14. *urbe* GM[a]: correxit Rhenanus. 15. *prael.* Or. *succederet ursuetonio* M[a].

perabat eadem distinctio pro semicolo ponenda erat. Praeivit Bezzenberger, cuius tamen coniecturam *sed difficile effugium* equidem non sequar.

praefectus castrorum secundae legionis: alias legatus legionis haec iussa ducis exequitur: nunc praefectus castrorum legati vice simul functus videtur esse.

quartadecumanorum: vulgo scribunt *quartadecimanorum*, quamquam c. 34 *quarta decuma* legio iuxta Mediceum repraesentatur. Sed etiam hoc loco Medicei *quartadecim Ianorum* resolvendum est in *quartadecumanorum*: nam quinque illa vestigia *imI* faciunt *um*, non *im.*

Cap. 38. *nonani — suppleti:* duce Ceriale (c. 32) conflictati nunc quidem suppleti sunt, neque tamen ad iustum legionis numerum expleti, ut liquet ex Agr. 26: *nonam legionem, ut maxime invalidam, adgressi.*

gentesque — inclinabant, quia Iulius Classicianus — impediebat: quod adhuc legebatur *inclinant,* hoc praesens historicum vigorem orationi circumdat nunc quidem non aptum ac subsequenti verbo *impediebat* male convenientem. Media syllaba omissa est, idque hinc accidisse credibile, quod scriba falso coniunxit: *dum nostros commeatus sibi destinant, gentesque praeferoces tardius ad pacem inclinant.* Iulius Classicianus procurator Caesaris ad hunc calumnias suas detulit, pronas principis aures nactus, quod is inferioris ordinis hominibus prae nobilibus fidebat. Hoc Neronis ingenium apertius mox ostenditur iis quae de Polyclito liberto referuntur. Viri graves et cauti in administrandis provinciis contentionem adversus procuratores vitabant: v. Agr. 9.

nullum proelio finem: proelio pro *bello,* et quidem bello acri et

Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat. Igitur ad spectandum Britanniae statum missus est 39
e libertis Polyclitus, magna Neronis spe posse auctoritate eius non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni, sed et rebelles barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polyclitus quo minus, ingenti agmine Italiae Galliaeque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus inrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate nondum cognita libertinorum potentia erat; mirabanturque quod dux et exercitus tanti belli confector servitiis obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata; detentusque rebus gerundis Suetonius quod post paucas naves in litore remigiumque in his amiserat, tamquam durante bello, tradere exercitum Petronio Turpiliano,

1. *ad fortunam ipsius* M[a]: *ipsius* ex repetitione natum esse primus intellexit Ernestius. 2. *brittannnide* M[a]. 3. *Polyclitus* M[a], non *Polycletus*. *neroni* M[a]. 5. *barbarum* M[a], addita syll. *ro* ex corr. *conponi* M[a]. 6. *gallieque* M[a]. 8. *irris*. Or. 13. *remigumque in his amiserat* M[a]: G *remigiumque in his amiserat*. 14. *tanq*. M[a].

cruento posuit ut XII 45 *proelianti* pro *belligeranti*. *cuius adversa — referebat:* recte comparant Sallustii Hist. lib. II apud Nonium IV p. 385 3: *ad hoc rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant.*

Cap. 39. *cuncta tamen — relata:* quamquam libertus Britannis irrisui fuit idque *flagrantis etiam tum libertatis* signum erat, cuncta tamen a Polyclito, homine superbo sed mentis obcaecatae, in mollius de Britannis relata sunt, ne suae apud Caesarem auctoritati officeret. Longa petita est Doederlinii explicatio: '*tamquam non tam atrox fuisset bellum et minus noxii rebelles, itaque iusto crudelior et ultra veritatem iactans Suetonius victor fuerit.*' Si hoc voluisset Tacitus, obscure locutus esset, neque apte sequeretur *detentusque* (= itaque detentus) *rebus gerundis Suetonius*, h. e. rebus gerendis amplius adhibitus a Caesare, non in rebus gerendis detentus a procuratore et liberto: nam *rebus* non est ablativus sed dativus, neque *detentus* est 'impeditus.' Contraria Tacitus pro more componit: primo *detentus* est Suetonius in imperio, mox levi causa demotus, quo simul inconstantia Neronis e Polyclito pendentis notatur. In alia abit Doederlinius, ad Plauti sermonem non opportune provocando. Ipsius verba: '*detentusque*, h. e. prohibitus, ut Plaut. Poen. I 2 190 *detinet nos de nostro negotio*' (haec plane dissimilia; ne Plautus quidem *detinere negotio* pro *de negotio det.* admisit). 'Res sic habet: amovere rerum cura cupiebant Paulinum concordes Classicianus et Polyclitus' (unde hoc compertum Doederlinio?); 'sed praetextus aliquis erat expectandus. Itaque interim detinebant eum rebus gerendis, donec post, navium aliquot amissione, occasionem nacti sunt plane amovendi.'

qui iam consulatu abierat, iubetur. Is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit.

40 Eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia, admissa sunt. Domitius Balbus erat praetorius, simul longa senecta, simul orbitate et pecunia insidiis obnoxius. Ei propinquus Valerius Fabianus, capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum, ascitis Vinicio Rufino et Terentio Lentino equitibus Romanis. Illi Antonium Primum et Asinium Marcellum sociaverant. Antonius audacia promptus, Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas consciis quos memoravi et aliis minus inlustribus obsignat. Quod apud patres convictum; et Fabianus Antoniusque cum Rufino et Terentio lege Cornelia damnantur.

1. *his* M^a^. *irrit.* Or. 3. *rome* M^a^. 4. *seruilia* M^a^. 6. *ei* Rhenanus: M^a^ cum ceteris *et*. *fabianis* M^a^. 7. *uincio* BGM^a^: correxit Rhenanus. 10. *promptu* M^a^. *asilio* M^a^. 12. *tabulas* pr M^a^, correcto *s* in *r*, unde *tabulariis quos* B, *tabellariis quos* G. 13. *consciis* editor: M^a^ *iis*. 15. *damnatur* M^a^: correctum inest G.

quod post paucas naves: post adverbium est, non praepositio. Petronii Turpiliani etiam in Agricola et Historiis mentio; cf. Ind. hist.

Cap. 40. *capessendis honoribus destinatus:* erat quaestor candidatus sive quaestor Caesaris. Conf. annot. ad I 15, XVI 34. Eodem munere Pompeius Aelianus proximo capite nominatus *iuvenis quaestorius* videtur functus esse.

tabulas consciis quos memoravi — obsignat: verba *tabulas iis* ex scriptura a me correcta ita nata sunt, ut *cscîs* per compendium scriptum legeretur *iis*, non quod debuit *consciis*. Conf. H. II 90: *consciis flagitiorum ipsius qui aderant*, H. III 13: *incipientibus qui conscii aderant.* Vulgata manifestum soloecismum praebet. Interpretes aut explent *obsignatoribus iis*, ut Waltherus, aut *ascitis iis*, ut Doederlinius, sed prius infantiam dicendi, alterum obscuritatem Tacito suggerit. Verbum *ascitis* suppleri nequit, quod id non in proximo enuntiato, sed in proxime superiore ita praecessit, ut iam cogitatione repeti non possit.

lege Cornelia damnantur: lege Cornelia testamentaria damnati sunt et in exilium acti. Nam si Pompeius Aelianus, quod gnarus esset flagitiorum Fabiani, Italia et Hispania prohibitus est, haud dubie aut eadem aut gravior poena in praecipuos fraudis auctores decreta est. Neque vero Lipsius ex Taciti (H. II 86) verbis, ubi Antonius inter alia bellorum mala ordinem senatorium reciperavisse dicitur, cogere debuit, hunc nonnisi ordine privatum esse. Lipsio nimis credidit Orellius ad h. l. Immo exilium aperte pronuntiatur H. III 13 *ut armatorum milia — exuli Antonio donum darentur.* Paulus in Recept. Sent. IV 7 et V 25 sui

Marcellum memoria maiorum et preces Caesaris poenae magis quam infamiae exemere. Perculit is dies Pompeium quoque 41
Aelianum, iuvenem quaestorium, tamquam flagitiorum Fabiani gnarum; eique Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. Pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos, ne apud praefectum urbis arguerentur, ad praetorem detulisset, interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus. Additur senatus consulto, qui talem operam emptitasset vendidissetve, perinde poena teneretur ac si publico iudicio calumniae condemnatus.

Haud multo post praefectum urbis Pedanium Secundum 42
servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus et dominum aemulum non

1. *p̄ces* Mª. *penae* Mª. 3. *tanq.* Mª. 5. *aff.* Or. 8. *senatus consulto* Mª, G *Senatus .C.:* veteres editores *senatus consultum* auctore Puteolano. 9. *paena* Mª. *tenerentur* Mª. *ac si*] in Mª *si* additum est ab eadem manu. 10. *condemptatus* Mª. 12. *p̄tium* Mª.

temporis poenam legis Corneliae hanc definit: *qui testamentum falsum scripserit, recitaverit, subiecerit — poena legis Corneliae de falsis tenetur, id est in insulam deportatur. — Et honestiores quidem in insulam deportantur, humiliores autem aut in metallum damnantur aut in crucem tolluntur.* Conf. L. 1 D. de lege Corn. de fals. (XLVIII 10): *poena falsi vel quasi falsi deportatio est et omnium bonorum publicatio, et si servus eorum quid admiserit, ultimo supplicio affici iubetur.*

Cap. 41. *quod reos — detulisset*: qui *rei* dicuntur? intellige noxios in causa Domitii Balbi illos, quos Tacitus nomine *minus inlustribus* significavit. Hi cum pro more illius aetatis ad praefectum urbis ducendi essent, Valerius Ponticus ad praetorem qui iudicaret de falso detulit vel potius ab aliis deferendos curavit. Eo adductos ita tueri conatus est ut non esse praetoris assevararet de hac causa iudicare. Hoc erat praevaricari.

additur senatus consulto: intelligunt Waltherus et Orellius id SC, quo Ponticus damnatus est; sed poena in noxium a patribus statuta *damnatio* est vel *decretum* (v. III 51), non *senatus consultum.* Accedit aliud: quod tunc additum est a senatu, ipsum senatus consultum fuit Turpilianum satis notum, non aliqua damnationis appendix. Nihilo minus scriptura Medicei recte se habet, sed *consulto* ablativus est casus, non dativus (*hinzugefügt wird kraft eines Senatsbeschlusses*). Id consultum factum est adversus praevaricantes. Cf. l. 1 §. 1 D. *ad senatus cons. Turpil.* (XLVIII 16): *accusatorum temeritas tribus modis detegitur et tribus poenis subiicitur: aut enim calumniantur aut praevaricantur aut tergiversantur. Calumniari est falsa crimina intendere, praevaricari vera crimina abscondere, tergiversari in universum ab accusatione desistere.*

ac si — condemnatus: noli putare *esset* cogitatione supplendum esse: immo ἀπὸ κοινοῦ intellige *condemnatus teneretur.* Calumniae

tolerans. Ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est; senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censentibus. Ex quis Gaius Cassius sententiae loco in hunc
43 modum disseruit. ‘Saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et quae converterentur in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. Simul, quicquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris

2. *que* M^a. 4. *senatusque in quo ipso* BGM^a: correxit Lipsius. 5. *nichil* M^a. *multandum* M^a: emendatum in BG. 6. *G.* M^a. 7. *p. c.* cum lin. M^a. 11. *deterius* M^a: *in deterius* G. 12. *mio* addito *ni* ex corr. M^a.

condemnatur qui falsa crimina intendisse convincitur. Cf. Paulus Rec. Sent. V 4 §. 11: *qui per calumniam iniuriae actionem instituit, extra ordinem punitur: omnes enim calumniatores exilii vel insulae relegatione aut ordinis amissione puniri placuit.* Adversus calumniatores libera re publica sancitum erat lege Remmia, cuius meminit Cicero Rosc. Amer. 19.

Cap. 42. *vetere ex more:* qua poena servi, quorum dominus eodem tecto interemptus erat, liberae civitatis temporibus affecti sint, non satis constat: poenam tamen legibus iam tum definitam esse colligere licet ex Cic. ad Fam. IV 12. Anno 762, referente consule Iunio Silano, senatus consultum Silanianum familiae omni, quae sub eodem tecto manserat, supplicium decrevit. Paulus Recept. Sent. III 5. L. 1 D. *de senatus cons. Silaniano* (XXIX 5). Silanianum senatus decretum anno 57 paulo ante hoc tempus a patribus suppletum erat: v. Tacit. XIII 32.

senatuque in ipso: cf. XII 56 *lacu in ipso* et ibidem *urbe ex ipsa*, XIV 53 *urbe in ipsa.* Relativum *quo*, ante *in* codicibus additum, ex prava repetitione praegressae particulae senatu*que* emersit. *ex quis Gaius Cassius*: cf. annot. ad XII 11. Hac occasione viri insignis imaginem ingenii oratione exprimere Tacitus conatus est.

Cap. 43. *non — olim provisum:* hoc ipso affirmat egregius antiquitatis admirator super omnibus negotiis olim melius decretum esse.

in deterius mutari: Medicei scripturam *deterius* ex *ideterius* detortam esse puto: praepositio certe et variationi a Tacito quaesitae melius convenit et consuetudini Cornelianae magis respondet. Cf. H. I 50: *solusque — in melius mutatus est.* III 34: *multa duritiae veterum in melius* (ibi *in* inter duo *m* excidit in M) *et laetius mutata.* Cf. *aucta in deterius, adferebantur* II 82, *in deterius credita* III 10, *in deterius audita* H. IV 68. Perinde *in melius* aut

contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis eguisset. Quod hodie venit, consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit quamvis nondum concusso senatus consulto quod supplicium toti familiae minitabatur. Decernite Hercule impunitatem, ut quem dignitas sua defendat, cum praefectura urbis non profuerit! Quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit? An, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfector, quia de paterna pecunia transegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri.

44 Libet argumenta conquirere in eo quod sapientioribus deliberatum est? Sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum sumpsisse, ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? Sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret,

1. *manaret* M[a]. 2. *res p.* M[a]. 3. fuit, ut videtur, *usu venit.* 4. *prodiit* M[a]: G *prodidit.* 6. *inp.* M[a]. 7. *cum* B: M[a] cum plerisque *cui*, G *vel cui.* *praefectus* M[a]: correxit Puteolanus. *profuit* M[a]: correxit idem. 9. *ferat* M[a] et B, *ferret* G: correxit Puteol. 10. *advertit* GM[a], *avertit* AR. 12. *hauitum* M[a]. 13. *iurae* M[a]. 16. *sumpsisse* B: GM[a] *insumpsisse.* 17. *minas* M[a]. *nichil* M[a]. 18. *occul uit* M[a], spatio vacuo recentior manus syllabam *ta* inseruit. 19. *transire — recludere — inferre — cedem patrare* M[a], *et* ubique corr.

in deterius credere, accipere, attollere, celebrare, nuntiare cet.

quod hodie venit: interpretare Theodisce *und der Fall ist heute gekommen.* Sed hoc ipsum, cum quid non in verbis et cogitatione versatur, sed re vera accidit, *usu venire* Latine dicitur. Vocabuli *usu* prior pars ab antecedente, altera a subsequente absorpta videtur esse. Intuearis *hodieusuuenit* vel HODIEVSVVENIT. Quae formula loquendi quamquam alias non reperitur apud Tacitum, nunc tamen orationem viri moris antiqui imitatur.

consulari viro: consul ordinarius non fuit sed in suffectis, quo anno incertum. *cum praefectura urbis non profuerit:* vitia in libro M[a] ceterisque similiter aberrantibus ex scripturae compendiis *c̄m pr. u. non profuerit* nata coniicio: haec cum soluta essent *cui* (*m* = *ui*) *praefectus urbis non prof.*, consequens erat ut iam *profuit*, non *profuerit* scriberetur.

quia de paterna pecunia transegerat, aut avitum mancipium detrahebatur: interfectori illi, qui servus erat, neque paterna pecunia neque avitum mancipium: sed Cas-

caedem patraret omnibus nesciis? Multa sceleris indicia praeveniunt: servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere. Suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum etiam cum in agris aut domibus isdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam nonnisi metu coërcueris. At quidam insontes peribunt. Nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra sin-
45 gulos utilitate publica rependitur.' Sententiae Cassii ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. Praevaluit tamen pars quae supplicium decernebat. Sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine et saxa ac faces minante. Tum Caesar populum edicto increpuit, atque omne iter quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis saepsit. Censuerat Cingonius

4. *agerent* pr M[a]. *fuer* cum lin. super litt. *r*, i. e. *fuerunt* M[a]. 5. *idem* M[a]. 10. *ueritur* M[a], *uerritur* G. 13. *dissone* M[a]. 14. *aetate* M[a]. 15. *innocentium* M[a]: G *innocentiam*. 18. *paenam* M[a]. 19. *cingonius barro* M[a], *cinguntus barro* G: tacite correxit Rhenanus, ante quem erat *Cingonius Varro*.

sius quo speciosius sententiam adversariorum impugnare et exagitare posset, eam a se mutatam in deterius et corruptam protulit.

Cap. 44. *sed et si nunc primum statuendum haberemus*: haec argumentis a se continuo proferendis orator praemisit, ne pugnare secum is videretur, qui modo declaraverat non necesse videri argumenta conquirere in re a sapientioribus deliberata.

animum sumpsisse: scripturam diversam *insumpsisse* cur falsam esse iudicem, declaratum est ad VI 32. Vitium ex littera praecedente perperam repetita (*m* = *in*) ortum est.

nam et — sortiuntur: verum esse concedit orator quod a diversa parte pro argumento affertur, sed negat quidquam eo probari, cum etiam in aliis rebus simile aliquid fiat, ubi illa argumentatio magnum exemplum non prohibeat. Conf. Madvigii Emendat. Tull. p. 95 et Excurs. I ad Cic. de Fin. p. 803 sq. *Et* in eo dicendi genere plane pro *etiam*. Madvigius exempla, quae nonnisi apud scriptores aetate paulo inferiores reperiuntur, attulit Quintil. II 11 7 et 12 2 et 20 10., atque idem *καὶ γὰρ* perinde positum esse observavit a Platone Phileb. p. 12 E et Xenophonte Memor. III 4 2, IV 4 14 et 21.

Varro ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam intenderetur.

Damnatus isdem consulibus Tarquitius Priscus repetun- 46
darum Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo Statilium Taurum proconsulem ipsius meminerant. Census per Gallias a Quinto Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt, aemulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.

Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate 47
constantia fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus, adeo ut Nero aeger valetudine, et adulantibus circum qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam, rogantibus dehinc in quo potissimum, addiderit in Memmio Regulo.

3. *seuitiam* M^a. *incenderetur* M^a: correxit Rhenanus. 4. *idem* M^a. 5. *quia* M^a. 6. *proconsule* M^a: G *proconsulem.* 7. *Q.* M^a. 11. *obit* M^a: G *obiit.* 13. *valetudinae* M^a, *valitudine* G. 15. *rem p.* M^a. 16. *addiderat* M^a cum ceteris: correxit Puteolanus.

Cap. 45. *per saevitiam intenderetur:* codicum scripturam a me olim retentam iam reliqui, recepta Rhenani coniectura. Nam *incendere* de rebus verbisque dici quidem potest, sed ita ut hominum spectantium vel audientium ira et affectus moveantur. Sic I 23: *incendebat haec fletu*, h. e. fletu effecit ut iis quae dixerat audientes incenderentur. II 13: *incendit ea contumelia legionum iras.* 82: *vulgi sermones audita mors incendit.* Sed alia huius loci natura est: quippe non iram hominum princeps metuit, sed moris antiqui nimiam acerbitatem prohibere voluit. Hoc erat *ne — intenderetur*, i. e. ne districtior acriorve fieret, ut II 57, IV 26. H. I 24 et 89, II 54.

Cap. 46. *isdem consulibus:* v. ad I 53. *accusatum ab eo Statilium Taurum:* v. XII 59. *proconsulem ipsius:* cf. annot. ad I 75. Medicei *proconsule* ex neglecto compendio *proconsulē*, ut est in ceteris libris, procreatum; id requiritur propter additum *ipsius.*

census acti sunt: leg. annot. ad I 31.

Cap. 47. *gymnasium — dedicatum:* conf. Dio LXI 21. Philostratus in vita Apoll. IV 42. Suetonius Ner. 12. Hoc gymnasium additis thermis in campo Martis aedificatum. Beckeri Enchirid. A. Rom. t. I p. 684 sqq.

praebitumque oleum equiti ac senatui: 'si oleum populo tantum praebitum, nihil novum aut Graecanicum: praebuit ante P. Scipio, quem aedilem dedisse congium olei in vicos singulos Livio credo XXV 2. Dedit et C. Caesar post victoriam Africanam: *τόν τε δῆμον*, inquit Dio XLIII 31, *λαμπρῶς εἱστίασε καὶ σῖτον ἔξω τοῦ τεταγμένου καὶ ἔλαιον προσέδωκεν*

Vixit tamen post haec Regulus, quiete defensus, et quia nova generis claritudine neque invidiosis opibus erat. Gymnasium eo anno dedicatum a Nerone, praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate.

48 Publio Mario Lucio Asinio consulibus Antistius praetor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus principem carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exin a Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperat, maiestatis delatus est. Tum primum revocata ea lex; credebaturque haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam quaeri, ut condemnatum a senatu intercessione tribunicia morti eximeret. Et cum Ostorius nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum; censuitque Iunius Marullus consul designatus adimendam reo praeturam necandumque more maiorum. Ceteris

2. *gimn.* Mª. 4. *greca* Mª. 5. *P.* Mª. *L.* Mª. *cos.* Mª. 7. *uulgabitque* Mª. 8. *exim* Mª. 9. *p̄cibus* Mª. 10. *tigellani* Mª. *magestatis* Mª. 11. *lex credebatur. quae* Mª. 12. *quaeri, ut*] *quaeri, uti* Iac. Gronovius: *quaesiuit.* Mª. *condemnatum — eximeret* editor: Mª *condemnatus eximeret*, vulgo et G *condemnatus — eximeretur.* 14. *nichil* Mª. 16. *caeteris* Mª.

αὐτῷ. Etiam M. Agrippa in aedilitate oleum et salem, ut auctor idem Dio XLIX 43. Sed nemo eorum ad gymnasium, quod hic Nero. Plinius XV 5: *usum olei ad luxuriam vertere Graeci, in gymnasiis publicando.* Adde Sueton. 12'. Lipsius.

Cap. 48. *Publio Mario:* vita Persii: *Persius Flaccus — decessit ante diem VIII kalendas Decembris Rubrio* (lege cum Lipsio *Publio*) *Mario Asinio Gallo consulibus.*

memoravi: XIII 28. De Ostorio v. Ind. hist. *senatorium ordinem receperat:* amiserat a. 57, Cilicibus accusantibus (XIII 33).

ut condemnatum — eximeret: cum in alterutro discedendum esset ab libro antiquo, ut aut *eximeretur* pro *eximeret* aut hoc servato *condemnatum* pro *condemnatus* legeretur, equidem alterum putavi praeferendum. Nimirum cum esset in *ἀρχετύπῳ condemnatū*, id pro simili compendio litterae *s* accipi facile potuit; tum perspicuitati sic melius consulitur. Nam in vulgata quodammodo incertum manet imperatorne intercessurus sit an tribunus plebei, ut Rusticus Arulenus tribunus plebis intercessurus erat senatus consulto adversus Thraseam faciendo (XVI 26). Hoc dubitationis novo loci tenore praeciditur. Doederlinius voluit *condemnatos*, sed nunc sermo est de uno Antistio, isque proxime nominatus erat. Bezzenberger hunc locum sic constituendum suasit: *tum primum — lex exercebatur, quae haud perinde — gloriam quaesivit, ut condemnatus — eximeretur.* De tribunicia potestate Caesaris conf. annot. ad I 2.

inde adsentientibus, Paetus Thrasea, multo cum honore Caesaris et acerrime increpito Antistio, non quicquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe et nulla necessitate obstricto senatui statuendum disseruit. Carnificem et laqueum pridem abolita; et esse poenas legibus constitutas, quibus sine iudicum saevitia et temporum infamia supplicia decernerentur. Quin in insula, publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem et publicae clementiae maximum exemplum futurum. Libertas Thraseae 49
servitium aliorum rupit, et postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere, paucis exemptis; in quibus adulatione promptissimus fuit Aulus Vitellius, optimum quemque iurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At consules perficere decretum senatus non ausi, de consensu scripsere Caesari. Ille inter pudorem et iram cunctatus, prostremo rescripsit nulla iniuria provocatum Antistium gravissimas in principem contumelias dixisse; earum ultionem a patribus postulatam, et pro magnitudine delicti poenam statui par fuisse. Ceterum se, qui severitatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere:

1. *ass.* Or. 5. *penas* M^a. 6. *seuit.* M^a. 7. *qui* M^a: correctum in AG, qui *insulam.* 8. *transisset* GM^a: emendavit Puteolanus. *priuati* M^a. *miserior* GM^a: emendavit Lipsius. 9. *thrasee* M^a. 10. *cos.* M^a. 11. *ieret* M^a: G *iere.* *exceptis* M^a, quod Pichena explicavit *exceptis.* 12. *A.* M^a. 13. *quenque* M^a. *lacescens* M^a. 15. *ausit* pr M^a. *cesari* M^a. 19. *paenam statuit* M^a: G *poenam statui.* *ceterum sequi se ueritatem* M^a.

et nulla necessitate obstricto senatui: mire Orellius *et* valere *etiam* pronuntiavit, Doederlinius *senatu*, ut est in G, desideravit: sed bene se habet melioris libri scriptura, dummodo haec duo membra esse intelligas *egregio sub principe — statuendum* (h. e. omnibus qui iudicandi munus sustinent), atque *nulla necessitate obstricto senatui statuendam.*

carnificem et laqueum pridem abolita; v. ad I 46.

Cap. 49. *Aulus Vitellius:* promptam eius adulationem eo minus Tacitus praeterire silentio voluit, quod is mox imperium adeptus est.

Cap. 50. *Fabricius Veiento:* is cum praeturam administravit, canes in Circensibus adiunxerat curribus: Dio LXI 6. Domitiani adulatorem inducit Iuvenalis III 185, IV 113 et 123—129, VI 113, Nervae amicum Plinius Epist. IV 22. Probra sua in patres et sacerdotes ita composuerat, ut litteras nomine principis (*codicillos*) ad singulos scriberet, in iisque honores et dignitates suo arbitrio ambitiosis deferret. Quod statim sequitur, *venditata ab eo munera*

statuerent ut vellent; datam et absolvendi licentiam. His atque talibus recitatis, et offensione manifesta, non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia, ceterive quae probaverant deseruere, pars, ne principem obiecisse invidiae viderentur, plures numero tuti, Thrasea sueta firmitudine animi et ne gloria intercideret.

50 Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, quod multa et probrosa in patres et sacerdotes composuisset iis libris quibus nomen Codicillorum dederat. Adiciebat Talius Geminus accusator venditata ab eo munera principis et adipiscendorum honorum ius. Quae causa Neroni fuit suscipiendi iudicii, convictumque Veientonem Italia depulit, et libros exuri iussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.

51 Sed gravescentibus in dies publicis malis subsidia minuebantur, concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno. Valetudo ex eo coniectabatur, quod in se tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat. Plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum eius noxio medicamine adseverabant, et Burrum intellecto

1. *bellent* M. *adsoluendi* M^{a}: G *absolvendi*. 3. *trasea* M^{a}. *sententiā* M^{a}. 7. *criminae* M^{a}. *uegento* GM^{a}. 8. *partes* M^{a}. 11. *neronū* M^{a}: G *neroni*. 12. *conuictuncque* M^{a}. *vegentone* M^{a}: *uegentonem* G. 14. *abendi* M^{a}. 16. *valetudine* M^{a}, *valit.* G. perinde statim. *an* Rhenanus: GM^{a} *aut*. 19. *iussu* G: M^{a} *ius*.

principis et adipiscendorum honorum ius, honores re vera delatos esse a Veientone ne accusator quidem dixit, sed illum in libris suis egisse principem, ac pluribus honores pecunia redimendos obtulisse, eoque in Caesaris maiestatem peccasse obiectabat. Eam ob causam *venditata*, non *venum data*, Tacitum scripsisse puto. Lipsius testamenti codicillos cogitavit.

Talius Geminus: Muretum parum feliciter coniectasse *T. Allius Geminus* iam intelliget qui comparaverit annotationem nostram ad XIII 30. *Taliam* libertam memorari apud Muratorium 1501 2 Ernestius, alteram apud Gruterum 965 7 Orellius monuerunt, unde patet *Talios* patronos et ingenuos non defuisse.

Cap 51. *in se tumescentibus:* h. e. tumescentibus et ita coeuntibus, ut spiritus meatus intercluderetur. *Spiritum finiebat* (Burrus), h. e. spirare et vivere desinebat, scriptum, non tritum illud *animam expiravit*, quod Burri anima interclusa, non, ut vulgo fit in moriendo, expirata est.

plures — adseverabant: hos secuti sunt Suetonius et Dio, ille Nerone 35: *Burro praefecto remedium ad fauces pollicitus toxicum*

scelere, cum ad visendum eum princeps venisset, aspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse, 'ego me bene habeo.' Civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia. Quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat, Faenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat, Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere, validior Tigellinus in animo principis et intimis libidinibus adsumptus, prospera populi et militum fama Rufus; quod apud Neronem adversum experiebatur.

Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis 52
artibus idem virium erat altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes et privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret,

2. *adversatum* GM^a^: correxit Puteolanus. 5. *flagitia. adulteria* M^a^, *flagitia: et adulteria* G. 7. *ofonium tigillinum* GM^a^: correxit Lipsius. 8. *inp.* M^a^. 9. *cognatis* M^a^: *cognitis* Mercerus atque sic C et Lipsii Farnesianus et recentior Mediceus. *tigillinus* M^a^. 13. *uelud* M^a^. 15. *tanquam* M^a^. *modum* M^a^, *supra modum* G.

misit, hic LXII 13: *Βοῦῤῥον φαρμάκῳ διώλεσε.*

per — alterius flagrantissima flagitia: foedus fuit ac maculosus avaritia et infami libidine, eaque *flagrantissima flagitia*, h. e. ardentis cupiditatis flagitia Tacitus nominavit. Sed admodum imperite glossator in *ἀρχετύπῳ adulteria* aut in margine aut supra versum adiecit, ut videre licet ex puncto post *flagitia* posito. Eius puncti vestigia etiam in G, qui duo eodem loco ostendit.

quippe Caesar — imposuerat: haec scribens respexit tempus quo civitas grandi desiderio Burrum defunctum amplexa est. De nominis *Faenii* forma cf. annot. ad XIII 23.

Sofonium Tigellinum: Taciti de hoc homine locos index monstrabit. Conf. Dio LIX 23, LXII 13 et 15 et 27 et 28, LXIII 11 et 12 et 21, LXIV 3. Sueton. Galb. 15. Schol. Iuvenal. I 155. Philostratus in vita Apollonii IV 42 et 43 et 44. Quod mox sequitur, *veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus*, pertinet ad adulterium cum Agrippina Gaio imperante commissum, cuius meminerunt Dio LIX 23 et Scholiasta Iuvenalis. Forma Mª *Tigillinus* pravae recordationi nominis *tigillum* debere originem videtur, sed verum *Tigellini* nomen conformatum a *Tigellius.*

Cap. 52. *et carmina crebrius factitare:* significant tragoedias a Seneca editas et nobis servatas: omnes enim, quae eius nomine circumferuntur, excepta Octavia, quin genuinae sint et ab ipso philosopho conscriptae dubitari iustis de causis nequit. Quemadmodum *carmina* eius Tacitus memorat, sic Quintilianus X 1 29 *poemata,*

hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi asciscere, et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis principis palam iniquum detractare vim eius equos regentis, inludere voces, quotiens caneret. Quem ad finem nihil in re publica clarum fore quod non ab illo reperiri credatur? Certe finitam Neronis pueritiam, et robur iuventae adesse. Exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus maio-
53 ribus suis. At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis quibus aliqua honesti cura, et familiaritatem eius magis aspernante Caesare, tempus sermoni orat, et accepto ita incipit: 'quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum, octavus, ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit nisi moderatio eius. Utar magnis exemplis,

1. *amen.* M[a]. 2. *supergrederetur* (praep. per comp.) M[a]. 3. *uni* in M[a] est ex corr. 4. *venisset* tacite Lipsius in ed. 1598: M[a] et G *evenisset*, A *evasisset.* 6. *illud.* Or. *nichil* M[a]. 7. *re.p.* M[a]. *repperiri* M[a]. 11. *hiis* M[a]. *et familiaritatem* G, *effamiliaritatem* M[a]. 15. *nichil* M[a].

idemque IX 2 8 particulam versus 454 Medeae nostrae ut Senecae verba protulit.

postquam Neroni amor eorum venisset: evenisset ita corruptum videtur ex *venisset*, ut prima littera vocis praecedentis (*eorum*) etiam huic per imprudentiam scribae applicaretur, qua via saepissime idem aberravit. Facultas carminum aut carmina ipsa *evenire* alicui possunt, h. e. aliqua fortuna aut casu accidere; sed amor eorum non *evenit* sed *venit*, h. e. oritur vel nascitur.

inludere voces: voces (*Töne*) cantum ipsius Neronis significant.

exueret magistrum: exueret illum tamquam tunicam iam non aptam. Graeci eodem modo *ἐκδύσασθαί τινα* dicunt. *Maiores* statim relatos criminatores respiciunt Augustum et Germanicum.

Cap. 53. *quartus decimus annus est* cet.: admiranda et fere divina Tacitini ingenii artisque specimina hinc inseruntur, Senecae ad Neronem oratio atque responsio principis a narratore composita. Speciem Neronis Senecaeque animo suo infixam legentibus praebuit rerum scriptor, dum utrumque dicentem inducit, utriusque stilum et sermonem imitatur. Ac Seneca animi sui sententiam professus est, Nero fallacibus verbis et falsis blanditiis utitur, ideoque philosophi oratio per se clara et plana sine ulla admonitione transmittitur, Neronis autem vero pretio (c. 56) aestimatur. Illa etiam eo nomine gravis nobis videtur, quod pleraque crimina in philosophum ab iniquis cumulata per eam egregie redarguuntur.

spei tuae: h. e. spei quam

nec meae fortunae sed tuae. Abavus tuus Augustus Marco Agrippae Mytilenense secretum, Gaio Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit; quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus iactatus ampla quidem, sed pro ingentibus meritis praemia acceperant. Ego quid aliud munificentiae adhibere potui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata, et quibus claritudo venit, quod iuventae tuae rudimentis adfuisse videor, grande huius rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam 'egone, equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? Inter nobiles et longa decora praeferentes novitas mea enituit? Ubi est animus ille modicis contentus? Talis hortos extruit, et per haec suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis,

1. *ne* M[a]: emendatum in G. *atavus* M[a]: correxit Lipsius. 2. *mytelensense* M[a]. *G.* M[a]. *mecenati* M[a]. 6. *munificentiae* BM[a]: *munificentiae tuae* AG et Oxonienses. 8. *p̄tium* M[a]. 9. *inm.* M[a]. 10. *ipse* M[a], *ipsum* G. 12. *decora*] *cura* M[a]: emendatum in G et B (a sec. m.). 13. *talis* M[a], *tales* G.

praebebas civibus tuis ob maiorum virtutes et propriam ac praeclaram indolem.

abavus tuus Augustus: Iulia Augusti filia, quae ex marito Marco Agrippa Agrippinam suscepit, coniugem Germanici matremque Agrippinae quae Neronem genuit, Neronis *proavia* erat. Iam vero proavi vel proaviae pater *abavus* est: l. 10 §. 15 D. *de gradibus* (XXXVIII 10). Atque *abavus* Neronis Augustus ab ipso Tacito XIII 34 nominatur. Cumque *abavus* etiam avi vel aviae avus sit, atque Agrippina Germanici uxor Neroni avia fuerit, huius *avus* Augustus a Tacito I 41 rite appellatur. Hinc iudicari potest de scriptura nominis per has orationes bis corrupti: nam quod hoc loco *atavus* (i. e. *abavi* pater) et c. 55 *avus* a codicibus exhibetur, ubi requiritur *abavus*, utrumque vitium ex nominis forma *avavus* (= *abavus*) procreatum videtur: inde proximus scriptor primum *atavus*, altero loco *avus* fecit.

Marco Agrippae Mytilenense secretum: de Agrippae moderatione v. Dio LIII 32 in actis a. 731. Suetonius Aug. 66. Plinius N. H. VII 45. Velleius II 93. De otio Maecenatis lege hunc nostrum III 30.

ego quid aliud munificentiae: quamvis pronomen *tuae* duce M[a] omitti praestet, non tamen confugere licet ad novam nominis significationem quam finxit Waltherus. Immo dativus *munificentiae* respondet iis quae antecesserunt *ampla praemia*, ut *studia in umbra educata* (h. e. domi culta, non in oculis civium proposita) *ingentibus meritis* opponuntur. Theodisce interpretare: *was konnte ich anderes der Freigebigkeit darreichen, als* cet. *Munificentiae* exquisite dictum est pro *tibi munifico.*

talis hortos extruit: extruit est 'struit et ornat.' H. I 67: *longa pace in modum municipii extructus*

tam lato fenore exuberat?' Una defensio occurrit, quod
54 muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram implevimus, et tu, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere. Cetera invidiam augent. Quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet; sed mihi incumbit, mihi subveniendum est. Quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere vitae, senex et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto. Iube per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore praestringor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur et tot per annos visum fastigii regimen; possumus

3. *inpl.* M[a]. *tu* om M[a]: adest in G. 4. *caetera* M[a]. 5. *agent* M[a] cum aliis: *augent* BG Harl. 6. *iacent* GM[a]: correxit Lipsius. *incumbt* cum lin. super litt. *bt* (*incumbunt*) M[a]: correxit Lipsius. 8. *inp.* M[a]. 10. *iube per procuratores* editor: M[a] *iuuere* (altero *u* corr. in *b*) *pcuratores* cum *p* caudato, edd. ante meam *iube eas per procuratores*. *aministrari* M[a]. 12. *pstringor* GM[a] litt. *p* cum lin. transversa, id est *perstringor:* emendavit Cannegieterus Diss. ad Avian. p. 320.

locus. H. III 72: *Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus — hostium spoliis extruxere* (Capitolium). O. 9: *et domum mutuatur et auditorium extruit.* Veram scripturam codex Budensis et Oxonienses libri interpolavere *instruit.*

Cap. 54. *iacet — incumbit:* codicum vitia *iacent — incumbunt* assimilandi errore invecta sunt a scriba ad proxima *cetera — augent* intento.

iube per procuratores — administrari: sponte intelligitur vocabulum *opes* ex prioribus, ut plane supervacaneum sit pronomen *eas* a primo editore insertum nec ex more Taciti additum: nam quae facile supplentur a legentibus, ipse ponere non solet. Mire prorsus Baiterus *iube rem per proc. administrari*, ut insit nomini *rem* significatio contemptionis (*das Ding, das Zeug*), tamquam contemptum a se Seneca principi possidendum commendare potuerit. Origo vitii *iuvere* ex scriptura ἀρχετύπου IVVE (=IVBE) ꝑ, h. e. *iube per*, quae cum falso iuncta essent IVVEꝑ, proximus scriba *iuvere* dedit.

superest tibi robur — quietem respicere: interpretare Theodisce: *du hast noch Fülle der Kraft, hast so viele Jahre dein Auge auf das Steuer der höchsten Gewalt gerichtet: wir ältern Freunde können nach Ruhe uns umsehen.* Sed ut haec sententia et plana et apta loco vexatissimo vindicetur, utque explicationem a me olim tentatam, argutiorem sane quam veriorem, mittere possem, *respicere* pro *respondere* reponere debui. Illud ipsum casu corruptum videtur esse, cum *rsp̄re* vel *respre* scriptum esset idque *respondere* falso solveretur. Iam praeclare haec duo componuntur, alterum ex parte

seniores amici quietem respicere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse qui et modica tolerarent.' Ad quae Nero sic ferme respondit: 'quod meditatae orationi 55
tuae statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum praevisa sed subita expedire docuisti. Abavus meus Augustus Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores concessit, sed in ea ipsa aetate cuius auctoritas tueretur quicquid illud et qualecumque tribuisset; ac tamen neutrum datis a se praemiis exuit. Bello et periculis meruerant: in iis enim iuventa Augusti versata est. Nec mihi tela et manus tuae defuissent in armis agenti. Sed quod praesens conditio poscebat, ratione consilio praeceptis pueritiam, dein iuventam meam fovisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, aeterna erunt: quae a me habes, horti et fenus et villae, casibus obnoxia sunt. Ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est quod praecipuus caritate nondum omnes

1. *quietem* M[a], *quiete* G. *respicere* Petavius: M[a] cum ceteris *respondere*. 3. *que* M[a]. *et quod* M[a]: correxit Lipsius. *et* ex proximis *qui et* repetitum. 5. *avus* M[a]: emendavit Lipsius. 6. *ms* cum lin. M[a]. *mecenati* M[a]. 7. *ipse* A. *actoritas* M[a]. 8. *qualecũque* M[a]. 14. *eterna* M[a]. 15. *faenus* M[a]. *obnoxiae* M[a]. 18. *os* cum lin. M[a].

Neronis *superest tibi robur et tot per annos visum fastigii regimen*, alterum *possumus seniores quietem respicere* ex parte seniorum. *Respicere* idem fere h. l. denotat quod circumspicere et optare. Cf. Liv. IV 17: *propius est fidem obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem ullam ab Romanis posset, conscientia tanti sceleris voluisse.* Seyffertus *provisum fastigii regimen* adoptandum suadet, Bezzenberger *quiete frenos ponere.*

Cap. 55. *abavus meus Augustus:* v. annot. ad c. 53. Incipit Nero argumentis a Seneca prolatis occurrere. Mox *in ea ipsa* diligentiam non Tacitinam sapere mihi videtur vel in oratione ad alienam indolem expressa. Fortasse *ipsa* ascriptum ab aliena manu aut dittographia ex compendio natum. Interpretatur Waltherus Augustum tunc nec minore nec grandiore aetate, quam cuius auctoritas tueretur cet. *ipse* coni. Ernestius. *erga me munera:* cf. annot. ad III 2.

Cap. 56. *rebusque et fructui rerum:* v. annot. ad XIII 2. *Validam* aetatem dicit imperii curis sustinendis aptam, *rebus et fructui rerum sufficientem* eam, quae opes administrare iisque frui potest.

nisi forte — explere non potest: ad suum erga Senecam favorem et donationes excusandas duo exempla profert, alterum Vitellii honoribus praeter ceteros evecti, alterum Volusii easdem opes ac Seneca parsimonia adepti. Volu-

56 fortuna antecellis. Verum et tibi valida aetas, rebusque et fructui rerum sufficiens, et nos prima imperii spatia ingredimur, nisi forte aut te Vitellio ter consuli aut me Claudio postponis, et quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest: quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas, ornatumque robur subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem, sed mea avaritia, meae crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quodsi maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.' His adicit complexum et oscula, factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit: sed instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantis, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi attineretur.

57 Perculso Seneca promptum fuit Rufum Faenium imminuere

2. *inp.* M[a]. 4. *et* Kritzius et Boetticher: codices *sed*, et ita vulgo, puncto posito post v. *postponis.* *quesiuit* M[a]. 5. *te*] *me* M[a]: emendatum in G. *liberalitas* G: *libertas* M[a]. 7. *ornatumque* M[a] addita ab alia manu litt. *i* cum lin., *inornatumque* BG et Oxonienses. *inp.* M[a]. 8. *pecunia* M[a]. 16. *caetus* M[a]. *comitantis* M[a], *comitantes* G. 17. *valetudine* M[a], *valit.* G. 18. *adt.* M[a]. 19. *Fenium* M[a]: cf. ad 13 22. *inm.* M[a].

sium memorat ut nihil offensionis esse ostendat, si privatus ingentes opes assecutus sit, alius parsimonia, alius favore principis. Is sententiae nexus obscuratur in vulgata *postponis. Sed quantum.* Corruptio prodiit ex geminatione ultimae litterae verbi postponis, ut esset *set* pro *et.*

quin — impensius regis: haec adiicit respiciens priora *et nos prima imperii spatia ingredimur.* Itaque pro puncti signo posui eam distinctionem, qua indicatur deesse sermonis membrum quo praegressa iuste confirmentur. Ceterum post *quin* particulam in adhortationibus cum indicativo verbo iunctam, praesertim in iis quae sunt paulo longiores, signum interrogationis neque hoc loco neque in aliis ponere velim. Nam his formulis quamquam ab initio interrogandi vis inerat, ea tamen usu quotidiano ita oblitterata est, ut exhortandi potestas unice valeret.

Cap. 57. *Rufum Faenium imminuere:* hoc iam tertium documentum est eius rei, quam Tacitus ante (c. 51) elocutus est, *gravescentibus in dies publicis malis subsidia minuebantur:* primum quippe attulerat Burri exitum, alterum fractam Senecae potentiam.

Agrippinae amicitiam in eo criminantibus. Validiorque in dies Tigellinus, et malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret, metus eius rimatur; compertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos huic Orientis, illi Germaniae exercitus commemorat. Non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare; cui caveri utcumque ab urbanis insidiis praesenti opera: longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspensos Asiae populos claritudine avi Drusi. Sullam inopem, unde praecipuam audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret; Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, adsumpta etiam Stoicorum adrogantia sectaque, quae turbidos et nego-

2. *tigillinus* M[a]. 4. *conp.* M[a]. *sillam* M[a]. 5. *asyam* M[a]. *sillam* M[a]. *nabronensem* M[a]. 9. *utcūque* M[a]. *praesenti opera* Lipsius: GM[a] *praesentiora.* 11. *suspensos* Lipsius: codices *suspectos.* 12. *sillam* M[a]. *praecipuum ad audaciam* Bezzenberger, collatis 6 7, 14 58. 13. *temeritate* pr M[a]. 14. *repperire* M[a]. 15. *assumpta* Or. idem 16 *arrog.* 16. *stoycorum* M[a].

metus eius rimatur: metus intellige res quas metueret Nero (die Gegenstände seiner Besorgniss). Similiter paulo post (c. 59) *ob eiusmodi terrores.*

nuper amotos: v. XIII 47, XIV 22. *non se, ut Burrum, diversas spes — spectare: diversae spes* sunt partium diversarum spes, quibus significat imperii spes Plauto et Agrippinae pridem vitio datas. Quo crimine cum et Plautum et matrem iam olim interficere Nero vellet, obstitit Burrus: XIII 19—20; cf. XIV 7.

praesenti opera: quod codices fere omnes suppeditant *praesentiora,* id ex compendio *ōra* vel *o.ra,* h. e. *opera,* natum esse suspicor. Id causae mihi fuit, cur hanc Lipsii coniecturam ei praeferrem quam dedit Puteolanus (*praesentia*) vel Heinsius (*praesenti cura*). Sui praesentis operam extollit Tigellinus, homo non magis vafer quam impudens et arrogans.

erectas Gallias — avi Drusi: prius sermonis membrum ad Sullam in Gallia versantem, alterum ad Plautum in Asiam sepositum attinet. Nomen *dictatorium* est a Cornelio Sulla, qui primus dictator perpetuus, profectum. Plauto mater fuit Iulia, cui pater Drusus, Tiberii filius. Conf. XIII 19 cum annot. *Suspensos*, Lipsii ingenio debitum pro *suspectos*, apte respondet antegresso *erectas*, id quod requiritur ob additum *nec minus*, et ablativus *claritudine* sic bene se habet. *Suspecti claritudine avi Drusi* quomodo recte dici possint Asiae populi iuste exponi nequit, neque his invidiam paraturus erat Tigel-

tiorum adpetentes faciat. Nec ultra mora. Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet. Relatum caput eius inlusit Nero tamquam praematura canitie deforme.
58 Plauto parari necem non perinde occultum fuit, quia pluribus salus eius curabatur; et spatium itineris ac maris tempusque interiectum moverat famam; vulgoque fingebant petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus praesidentem et, clari atque insontes si interficerentur, praecipuum ad pericula. Quin et Asiam favore iuvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos aut numero validos aut animo promptos, postquam iussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. Vana haec, more famae, credentium otio augebantur; ceterum libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem, et mandata Lucii Antistii soceri attulit. Effugeret segnem mortem: tutum suffugium, et magni nominis miseratione reper-

1. *moras* M^a, ex geminata seq. litt. *s*, ut mox *Antistiis soceri. silla* M^a. 3. *prelatum* M^a, *perlatum* A: emendatum in BG. 4. *ill.* Or. *tanquam* M^a. *canitiae deformae* M^a. 5. *plautio* M^a. utrumque correctum in G. 7. *fama* M^a: G *famam*. *fingebat* ultimae syll. superscr. *n* M^a. 9. *si interfic.* Bezzenberger et Heinischius: M^a cum ceteris *interfic.* 10. *asya* M^a. *fabore* M^a. 12. *nova* M^a. *transissent. Una* M^a: correxit Boxhornius. *transisse* iam G et Puteolanus. 13. *more* M^a, *in ore* G. *agebantur* GM^a: correxit Modius. *caeterum* M^a. 14. *caeleritate* M^a. 15. *L. antistiis* M^a. *effugere* M^a: correctum in G et ed. princ. *mortem: tutum* editor: GM^a *mortem, otium*, A *mortem: ocii.* 16. *miseratione͂* M^a cum ceteris: B a sec. m. *miseratione.*

linus sed uni Plauto. *Suspectos* ex compendio *suspẽsos* male soluto natum. Ceterum hae duae et exiguae sermonis partes continuo duabus amplioribus ita explicantur, ut nomina ante significata iam ipsa proferantur. Itaque verba *Sullam inopem — adpetentes faciat* in unum enuntiatum iungenda sunt.

Cap. 58. *petitum ab eo Corbulonem:* petitum Ernestius interpretatur tentatum, ut deficeret a Nerone et cum Plauto consilia coniungeret. Immo *petitum ab eo Corbulonem* idem est quod fuga Plautum petisse Corbulonis castra. Id quo consilio fecerit, ex iis quae adduntur liquet.

credentium otio augebantur: plures otio suo ita abutebantur, ut auditum rumorem varie ornarent et amplificarent. Scilicet qui curis et negotiis vacui, praecipui sunt ad credenda nova et insolita. Hoc non reputavit Bezzenberger, cum *odio* inferendum commendavit.

tutum suffugium — consociaturum audaces: nomen *otium* a codicibus oblatum vitiosum esse patet: nam structuram turbat et sententiam obscuram reddit, sive iungitur cum verbo *effugeret* sive pendet

turum bonos, consociaturum audaces. Nullum interim subsidium aspernandum. Si sexaginta milites (tot enim adveniebant) propulisset, dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura quae adusque bellum evalescerent. Denique aut salutem tali consilio quaeri, aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum esse. Sed Plautum ea non 59
movere, sive nullam opem providebat inermis atque exul, seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur nulla sollicitudine turbatum. Sunt qui alios a socero nuntios venisse ferant, tamquam nihil atrox immineret; doctoresque sapientiae, Cornutum Graeci, Musonium Tusci generis, constantiam opperiendae mortis pro incerta et trepida vita suasisse. Repertus est certe per

2. *aspernantium* M[a], *aspernantē* G: corr. Puteolanus. 4. *ad usque* M[a], *adusque* G. 5. *nichil* M[a]. 6. *audienti* M[a]: G *audenti*. 8. *tedio* M[a]. 10. *tanquam* M[a]. *nichil* M[a]. 11. *Cornutum* editor: M[a] *Coeranum*. G om *Cornutum — generis*. *greci* M[a]. 13. *uitas uasisse* M[a].

ex sequente *reperturum*. Equidem otii nomen perturbato litterarum ordine, ut saepe peccatum in utroque Mediceo, ex *tutum* (*uttum*, inde *utium* sive *otium*) emersisse crediderim. Duo Plauto speranda proponuntur, aut *tutum suffugium* apud amicos, aut defectio a principe cum nobilibus (*bonis*) ad miserationem permotis et audacibus ducem partium secuturis audenda. In codice G ea verba sic distinguuntur: *Effugeret segnem mortem, otium: suffugium: et magni nominis miserationem: repert.* Waltherus haec exhibuit: *effugeret segnem mortem, *otium suffugium, et magni nominis miserationem: reperturum* cet. Bekkerus: *effugeret segnem mortem, otium, suffugium, et magni nominis miseratione reperturum* cet. Iacobus: *odium suffugium* cet. Seyffertus: *otium, suffugium magni nominis — reperturum apud bonos.*

aspernandum: quod est in M[a] *aspernantium*, eius verbi exitus ad similitudinem praecedentis *subsidium* per imprudentiam conformatus est.

Cap. 59. *Cornutum Graeci, Musonium Tusci generis:* codices priore loco *Coeranum* pro Cornuto praebent, hominem prorsus incognitum, nisi quod apud Plinium libro I in auctoribus externis, unde libri II materiam ille sumpserit, Ceranus non minus ignotus refertur, apud quem legendum videtur *Euclide Megarico philosopho* pro *Euclide, Cerano philosopho.* Neque vero *Claranus* senex a Seneca Epist. 66 laudatus ullo modo admitti huc potest, vel temporum ratione obnitente. Sed et Musonii amicus et clarus stoicae sectae auctor fuit *Annaeus Cornutus.* Suidas: *Κορνοῦτος, Λεπτίτης, φιλόσοφος (ἡ δὲ Λεπτὶς πόλις Λιβύης), γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸς αὐτοῦ ἀναιρεθεὶς* (non sublatus sed exilio multatus est) *σὺν τῷ Μουσωνίῳ. ἔγραψε δὲ πολλὰ φιλόσοφά τε καὶ ῥητορικά.* In exilium missus est a Nerone a 65 (818) cum sodali suo Musonio. Dio LXII 29 ibique Reimarus, Tacitus XV 71, Suidas s. vv. *Κορνοῦτος* et *Μου-*

medium diei nudus exercitando corpori. Talem eum centurio trucidavit, coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, praeposuerat. Caput interfecti relatum; cuius aspectu (ipsa principis verba referam) 'cur', inquit, 'Nero * * *'. Et posito metu nuptias Poppaeae, ob eiusmodi terrores dilatas, maturare parat, Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste ageret, nomine patris et studiis populi gravem. Sed ad senatum litteras misit de caede Sullae Plautique haud confessus, verum utriusque turbidum ingenium esse, et sibi incolumitatem rei publicae magna cura haberi. Decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus tamen ludibriis quam malis.

4. *capud* M[a]. *aspectū* M[a]. 5. *referebam* M[a], *referebant* BG: correxit Puteolanus. *inquid* M[a]. *et posito* M[a]: alii (G) *deposito*. 6. *poppeae* M[a]. 7. *octaviam quae* M[a]. 10. *rei.p.* M[a]. 13. *tā* M[a]: emendatum in G.

σώνιος. Post Plauti caedem ex Asia reversus erat sub finem huius anni 62, cum Persius pius Cornuti discipulus VIII kal. Decembres vita excessit. Suetonii vita Persii. Laudes eius apud Persium Sat. V. In urbe Lepti (magna) ad maris Africi litus posita (v. Strabo XVII 3 18, Mela I 7, Plin. N. H. V 4, Tacit. H. IV 50) Graeci mores et Graeca facundia, et Graeca lingua scripti erant Cornuti libri; inde *Graeci generis* vocatur. De Musonio a Nerone pulso, post mortem eius revocato cf. XV 71. H. III 81, IV 10 et 40. Plin. Epist. III 11. Philostratus vit. Apoll. VII 16.

quem Nero — praeposuerat: cf. annot. ad XIII 21. *Manipulus* qui statim dicitur potius *centuria* est (60 milites) quam *manipulus* (120 milites).

'*cur*, *inquit Nero*, * * *': excidit Neronis exhortatio sese ipsum stimulantis, ne quidquam timeret aut pensi haberet, immo quidquid videretur, prompto animo auderet. Tacitus continuo narrare pergit, quae huic adhortationi conveniunt. *Et* in principio sententiae positum fere idem valet atque *et sane*. Ceterum hic locus olim ab editoribus male habitus est; lege notas Ernestii et Waltheri. Alium rumorem Dio LXII 14 tradit: *τὸν γοῦν Πλαῦτον ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσενεχθεῖσάν οἱ ἰδών, Οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν.* Hinc supplementum Bezzenbergeri: '*credebam curtum*', inquit, '*naso*'. Sed sic non apte pergitur: *et posito metu nuptias Poppaeae*, *ob eiusmodi terrores dilatas*, *maturare festinat.*

ob eiusmodi terrores: haec non sine ironia scripta sunt ad notandam foedam Neronis timiditatem. Scilicet magnopere timendi erant duo homines in exilio sine ulla novarum rerum cogitatione modeste agentes, ad philosophiam incumbentes.

'*gravioribus tamen ludibriis quam malis:* h. e. ut haec magis ludibria essent et hactenus etiam gravia, quam malis poenisve homines premerent iisque nocerent.

Igitur accepto patrum consulto, postquam cuncta scele- 60
rum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, sterilem dictitans. Exin Poppaeae coniungitur. Ea diu pellex, et adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obicere. Destinaturque reus cognomento Eucaerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. Actae ob id de ancillis quaestiones, et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa adnuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri; ex quibus una instanti Tigellino castiora esse muliebria Octaviae respondit quam os eius.

3. *exim popeae* M[a]. *pelex* M[a]. 6. *Eucaerus* (*Εὔκαιρος*) Freinshemius: *Eucerus* GM[a]. *alexandrina* GM[a]: tacite correxit Lipsius. *ptybias* (*p* cum lin. transversa), id est, *per tibias* M[a]: G et Puteolanus *tibiis*. 8. *uicti* M[a]: G *uictis*. *si* M[a] et G: *ut* Puteolanus. *ann.* M[a]. 9. *domine tuere* M[a]. *uana* M[a]. *tigillino* M[a].

Cap. 60. *canere tibiis doctus:* vulgo dicunt canere tibiis, fidibus, cornu, et Tacitus ipse in Historiis (V 5) scripsit *sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant.* Medicei scripturam *p̄tybias* ex forma *ptibiis*, ob pravam et nimis plenam pronuntiationem consecuta, ita provenisse puto, ut proximus scriba praeposita littera *p per* significari falso crederet eoque accusativum pro ablativo substitueret. Ipsum *per tibias* minime aptum est, sive id coniungitur cum verbo *canere* (*durch die Flöte blasen*) sive cum participio *doctus.* Neque stilum Taciti resipit coniectatum a Bezzenbergero *canere perite tibiis doctus.* Alius generis sunt quae legimus XIV 14 *cithara — canere* et XV 65 *cithara — canebat:* ibi enim de cantu ad citharam loquitur.

ex quibus una — quam os eius: Dio LXII 13: *μόνη δ' ἡ Πυθιὰς οὔτε τι κατεψεύσατο αὐτῆς, καίπερ πικρότατα βασανισθεῖσα, καὶ τέλος ὡς ὁ Τιγελλῖνος ἐνέκειτο αὐτῇ, προσέπτυσέ τε αὐτῷ καὶ εἶπε· Καθαρώτερον, ὦ Τιγελλῖνε, τὸ αἰδοῖον ἡ δέσποινά μου τοῦ σοῦ στόματος ἔχει.* Liberrima ancilla uno spiritu et dominam defendit et Tigellino infame et nefandum libidinis genus exprobrat.

his commotus, quamquam nulla paenitentia flagitii: loci in codicibus foede corrupti prima causa quaerenda in nomine Neronis (*n*[o] vel *ne.*) sinistre adiecto et pro *n*[a], h. e. *nulla*, substituto. Sed illud additamentum esse non ab ipso auctore profectum periti vel hinc agnoscent, quod legimus *coniugem revocavit Octaviam*, non *coniugem revocavit:* quippe additum Octaviae nomen est, ut Neronis abesse posset. Eodem modo c. 60: *postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, sterilem dictitans.* Porro vox *commotus* in *ἀρχετύπῳ* per compendium scripta (*com̃ot* sive *quom̃ot* cum cauda) excidit vel neglecta est ante *quamquam* particulam item compendio consignatam; quae res quamquam non posita est ultra omnem dubitationem, tamen facilioris intellectus gratia vocem illam addidi litteris inclinatis expressam. Cf. I 74: *permotus his — tulit absolvi reum.* VI 13: *quis commotus — incusarit magistratus.* XII 25: *his evictus*

Movetur tamen primo civilis discidii specie; domumque Burri,
praedia Plauti, infausta dona, accipit. Mox in Campaniam
pulsa est addita militari custodia. Inde crebri questus nec
occulti per vulgum, cui minor sapientia, ex mediocritate for-
tunae pauciora pericula sunt. His *commotus*, quamquam nulla
61 paenitentia flagitii, coniugem revocavit Octaviam. Exin laeti Ca-
pitolium scandunt, deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae
proruunt, Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus,
foroque ac templis statuunt. Itur etiam in principis laudes,
[repetitum venerantium] iamque et Palatium multitudine et

2. *praedia* M[a], *praediaque* omisso *Plauti* G. *campania* GM[a]. 4. *ex* GM[a], *et ex* Puteolanus. 5. *his commotus, quamquam nulla paenitentia* editor: M[a] *his quanquam Nero penitentia.* 6. *exim* M[a]. 7. *poppeae prorugunt* M[a]. 10. glossam *repetitum venerantium* notavit editor.

— *anteponit.* 41: *commotus is quasi criminibus.* XIII 15: *turbatus his Nero — volutare.* 56: *et commotus his Avitus.* XIV 22: *permotus iis Nero componit — litteras.* XV 2: *commotus his Vologeses concilium vocat.* Ceterum Budensis *his tanquam poenitentia flag.*, G et Oxonienses *his motus Nero tanquam paenitentia flagitii*, A *his motus Nero, an poenitentia flag.*, C consentit Mediceo.

Cap. 61. '*tandem* eleganter additum ad indicandum desiderium rei factae diuturnum. Longum nimis visum hominibus hoc videre; esse tamen deos, esse coeleste numen, ut ille apud Livium ait.' ERNESTIUS.

repetitum venerantium: cum ante plures annos Annales edebam, nonnulla excidisse ante haec verba, nullo eventu varie tentata criticorum ingenio, signis indicabam, ac mecum haec supplebam *crebraeque voces repetitum* (uxoris) *venerantium*: genitivum enim, ut nunc locus se habet, defendi non posse in aperto est, neque ad eum tuendum apta sunt exempla, quae similia repperisse sibi visus est Waltherus. Iam aliter sentio. Nam substantivum *repetitus* neque apud Tacitum aliis locis neque apud locupletes Latinitatis auctores reperitur. Forcellinius praeter hoc exemplum nonnisi alterum ex malo scriptore, Nonio Marcello (p. 64 16) attulit: *pedato positum pro repetitu vel accessu, sicuti nunc vulgo dicitur tertio pedato.* Hinc initium suspicionis. Accedit quod *venerantium* paulo post verba *deos tandem venerantur* sinistre et contra usum Cornelianum subsequitur. Postremo *revocationem* laudamus vel approbamus, non *veneramur.* Iis indiciis ductus cognovi glossam esse *repetitum venerantium* in margine olim ascriptam adversus verba *multitudine et clamoribus*, et hinc in locum non aptum translatam. Bezzenberger male sarta sic interpolavit: *itur et in principis laudes, iamque et palatium multitudine et clamoribus complebatur repetitam venerantium, cum — turbam disicere. Repetitam* venerari turba illa non poterat: nimirum Octavia etiam tum absens in Campania erat, ut patet ex subsequentibus *omitteret modo Campaniam* cet.

clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbatos disiecere. Mutataque quae per seditionem verterant, et Poppaeae honos repositus est. Quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius non eo loci res suas agi ait, ut de matrimonio certet, quamquam id sibi vita potius, sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi quae vix bello evenirent. Arma illa adversus principem sumpta; ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile reperiretur: omitteret modo Campaniam et in urbem ipsam pergeret, ad cuius nutum absentis tumultus cierentur. Quod alioquin suum delictum? Quam cuiusquam offensionem? An quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit? Mallene populum Romanum tibicinis Aegyptii subolem imperatorio fastigio induci? Denique, si id rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam, vel consuleret securitati iusta ultione. Et modicis remediis primos motus consedisse: at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos. Varius sermo, et 62
ad metum atque iram accommodatus, terruit simul audientem et accendit. Sed parum valebat suspicio in servo, et quae-

1. *emisi* M^a. 2. *turbatos* GM^a: *turbam* BCR. *mutata quaeque* M^a. 3. *poppeae* M^a. 4. *tumet metu* M^a. 6. *agi ait* editor: codices *agi*, Bezzenberger *ait*. 7. *quanq.* M^a. 8. *clyentelis* M^a. 11. *repp.* M^a. 15. *ces.* M^a. *mallene* Handius Tursel. I p. 241: M^a *mallet*, Puteolanus *malle*. 16. *tybicinis egyptiis sobolem* M^a. 20. *forẽ* M^a. *maritos* superscr. *ũ* M^a.

verberibus et intento ferro turbatos disiecere: turbati sunt subita armorum facie, h. e. metu correpti et trepidatione. Theodisce dicimus *die verstörten.* Quod cum non intelligerent qui libros interpolatos correxere, *turbam* suam pro *turbatis* substituerunt.

non eo loci res suas agi ait, ut: dicendi verbum (*ait*) inter *agi* atque *ut* absorptum est. Bezzenberger *ait* pro *agi* substituturus erat, sed quamquam *aliquo loco res esse* dicuntur, multum tamen vereor ne *eo loci esse res* minus Latine dicatur.

mallene populum Romanum — induci: illud *mallet*, quod in plerisque codicibus legitur, ex scriptura *mallen* ortum mihi videtur, unde alii, veluti Puteolanus et Harleiani codicis auctor *malle* fecerunt.

Cap. 62. *elusa erat:* suspicio per se parum valida etiam quaestionibus ancillarum erat elusa,

stionibus ancillarum elusa erat. Ergo confessionem alicuius quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen adfingeretur. Et visus idoneus maternae necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, praefectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio, quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. Igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse; locum haud minoris gratiae instare, si coniugem infensam depelleret. Nec manu aut telo opus: fateretur Octaviae adulterium. Occulta quidem ad praesens sed magna ei praemia et secessus amoenos promittit, vel, si negavisset, necem intentat. Ille insita vecordia, et facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quam iussum erat fingit fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exilium
63 toleravit et fato obiit. At Nero praefectum in spem sociandae classis corruptum, et incusatae paulo ante sterilitatis oblitus abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta edicto memorat, insulaque Pandateria Octaviam claudit. Non alia exul visentium oculos maiore misericordia adfecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae. Sed illis robur ae-

1. *eluserat* M^a cum ceteris: correxit Lectius apud Lipsium. 2. *affing.* Or. 4. *ammisum* M^a. 5. distingui nequit utrum in M^a *malorum* an *maiorum.* 9. *instaret* M^a: G *instare.* *manus* M^a: G *manu.* 11. *sec. ad moenos* M^a. 15. *sardinia* GM^a. 16. *ad* M^a. *socianda* M^a. 18. *compertae dicto* M^a. 19. *pandecteria* M^a, *pandateria* G. 20. *aff.* Or. idem mox *affuerat* et *allevabant.*

h. e. irrita facta. Doederlinius et Orellius non bene Poppaeam elusam acceperunt.

maternae necis patrator: patrantur ea quibus efficiendis multa opus est opera et studio. Hinc patratorem maternae necis vocavit illum qui suo ingenio et variis artibus Agrippinam perverterat.

ut memoravi: XIV 3.

post admissum scelus: cf. ad XIV 2. *quos velut consilio adhibuerat princeps:* acciverat amicos ut confessionem Aniceti cum iis communicaret et quid faciendum esset eosdem rogaret.

Cap. 63. *insulaque Pandateria:* eam insulam alii *Pandatariam* appellant, sed *e* litteram et M I 53 et M^a h. l. tuentur. Orellius in primo libro *Pandateriam*, in hoc *Pandatariam* expressit.

Iuliae — a Claudio pulsae: huic Iuliae, Germanici filiae, Vinicii uxori (II 54, VI 15), obiectum est adulterium cum Seneca commissum; v. Dio LX 8 et 10.

tatis adfuerat: laeta aliqua viderant, et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione adlevabant. Huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre; tum ancilla domina validior, et Poppaea nonnisi in perniciem uxoris nupta, postremo crimen omni exitio gravius. Ac puella vicesimo aetatis anno, inter centuriones et **64** milites, praesagio malorum iam vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur, communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret, qua incolumi infelix quidem matrimonium sed sine exitio pertulisset. Restringitur vinclis, venaeque eius per omnes artus exolvuntur; et quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, praefervidi balnei vapore enecatur. Additurque atro-

1. *pres. seuit.* Ma. 2. *recordationẽ* Ma. 4. *nichil* Ma. 5. *poppea* Ma. 8. *vita* Ma, non *victa*, ut narrat Iac. Gronovius. 13. *vinclis* GMa. 14. *p̄ssus* Ma. *lauebatur* Ma.

ancilla domina validior: ancillam dicit Acten, de qua XIII 12, XIV 2.

Cap. 64. *nondum tamen morte acquiescebat*: haec addidit, ne praecedentia *praesagio malorum iam vita exempta* de vera Octaviae morte intelligerentur a legentibus. *Morte acquiescere* (*durch den Tod zur Ruhe gelangen*) dicitur de iis qui in vita varios casus et multi laboris miserias perpessi sunt, ut mors ipsis pro beneficio sit et remedio tandem impetrato. Comparat Waltherus Nepotis Hannib. 13: *sic vir fortissimus — anno acquievit septuagesimo.*

communesque Germanicos: Germanicum eiusque posteros. De Druso item Germanico vocato (Dio LV 2) noli cogitare cum Freinshemio. Claudius Octaviae pater Germanici frater fuit, Nero nepos eiusdem; itaque Germanici domus communis utrique.

additurque atrocior saevitia, quod — viderit: ut vulgo verba leguntur (*quod — vidit*), haec de re facta et a Tacito pro vera tradita accipienda sunt. Sed tunc mirari ambages inutiles subeat, et cur non scripserit simpliciter *caput amputatum latumque in urbem Poppaea vidit*, ut fecit c. 57 et 59. Accedit quod contorta est oratio: nam sic qui addebant *atrociorem saevitiam* milites sunt caput amputantes, sed statim praecipua crudelitatis pars ad Poppaeam refertur, neque definitur utrum milites sua sponte id facinus patrarint an iussi a Poppaea. Quae cum considero, verbum *additurque* de fama et rumore dictum esse intelligo. Ac sane consuetudinis est Tacitinae, ut post res memorabiles addantur quae rerum fide tradi nequeunt. Cf. IV 10, V 9, XIV 9. Paulo aliter XVI 17: *additur* (a Neronis intimis) *tamquam de iniquitate exitii querens, — ita scripsisse.* Corruptela *vidit* ex scribentis compendio *vidīt* (= viderit) orta est, ut alio loco *fuit* pro *fuerit* ex compendio *fūit.*

cior saevitia, quod caput amputatum latumque in urbem Poppaea viderit. Dona ob haec templis decreta; quae ad eum finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus, si quod senatus consultum adulatione novum aut patientia postremum fuit.

65 Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est, Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut Gai Pisonis socium; sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. Unde Pisoni timor, et orta insidiarum in Neronem magna moles, sed inprospera.

1. *seuit.* M^a. *poppea* M^a. 2. *viderit* editor: codices *vidit.* *haec* M^a: *hoc* G. *decreta; quae*] *decretaque* M^a, *decreta*, *quae* G, *decreta.* *quod* vulgo praeeunte Puteolano. *eum* om M^a: in G adest. 3. *memorabimus* GM^a: correxit Puteol. *ut* om M^a: habet G. *quicūque* M^a. 4. *nossent* M^a: *noscent* G. 6. *publice* M^a. 8. *adulationē* M^a. 10. *adversatum* superscr. *rum*, huic a recenti manu *ros* M^a. 11. *inm.* M^a. 12. *G.* M^a. 14. *nerone* M^a: G *neronē*. 15. *sed*] *et* M^a. *Cornelii Taciti liber quartus decimus explicit. Incip.* (cum lin.) *liber quintus decimus* M^a.

quae ad eum finem memoravimus sqq.: dona templis decreta memoravit non tamquam per se esset grave aut raro admissum, sed ut addere posset hanc admonitionem, grates numinibus decretas et similia ludibria semper consecuta esse post fugas et caedes a Nerone iussas, quamvis ipse plerumque haec referre omiserit. *neque tamen silebimus, si — fuit:* id usu venit XV 74, et saepius fortasse in libris deperditis.

Cap. 65. *Doryphorum*: conf. Dio LXI 5, qui hunc libertum τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διέποντα designat. Haec in libertos saevitia pessimis causis et foeda cupidine exercita postremum est argumentum, in animo Neronis iam nihil honesti bonique relictum esse.

sed inprospera: quod in GM^a legimus *et*, id ex *set*, littera *s* ab antegresso *moles* absorpta, natum. Certe intensivum illud *et*, quod I 13 aliisque locis legimus, hic post *et orta — moles* succedere apte nequit.

A capite 57 usque ad finem huius libri Tacitus tria Neronis facinora narrando diligenter executus est, quibus saeva Caesaris indoles et animus immane quantum corruptus declararetur, dico Plauti ac Sullae caedem, Octaviae crimen exilium finem, libertos foedis causis necatos. Quae ut melius legentis animo inprimerentur et expectatio ac timor, quae inde post eventura sint, magis excitaretur, neve rebus externis adiunctis nimis diversa componeret auctor, hunc librum iam nunc concludere ante exitum anni voluit. Cf. annot. ad XII 1.

LIBER QVINTVS DECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—22. Anni sexagesimi secundi res externae ac nonnullae domesticae continuantur. Vologeses Parthus bellum meditatur adversus Tigranem Armeniae regem a Romanis impositum (1—2). A Corbulone et Syriae provinciae et Armeniae regno provisum, qui quamvis secundis rebus tamen moderandum fortunae ratus cum Vologese indutias paciscitur (3—5). Caesennius Paetus Armeniae tuendae missus et bellum propalam a Parthis sumptum. Dum Corbulo Syriae provinciae, suae securitati sapienter consulit, Paetus Armeniam improvide intravit, imperitia rei militaris, trepidatione animi, notabili inconstantia rem Romanam afflictavit, postremo pace a Vologese precario impetrata decessit Armenia (3—16). Paeto cum exercitu regredienti Corbulo obvius ad ripam Euphratis cum suo milite. Is a Vologese obtinuit ut Armenii interim sine arbitro relinquerentur, ipse castella trans Euphraten detraxit (16—17). At Romae tropaea de Parthis arcusque. Rei frumentariae status (18). Simulatae adoptiones prohibentur (19). Decretum ne quis ad concilium sociorum referret, agendas apud senatum rectoribus provinciarum grates; nobilitata per eam occasionem Thraseae sententia et eloquentia. Prodigia nonnulla. Oppidum Pompei motu terrae magna ex parte proruit (20—22).

Cap. 23—32. Annus a Christo sexagesimus tertius, Neronis decimus, publicae infamiae prope immunis. Natam sibi ex Poppaea filiam ultra mortale gaudium tulit princeps. Thrasea prohibitus a salutatione Caesaris animo intrepido contumeliam imminentis caedis praenuntiam excepit. Infans principalis mox extincta (23). Legati Parthorum dum mandata regis Vologesis afferunt, verus Armeniae status intelligitur. Iam Corbulo gerendo adversus Vologesen et Tiridaten bello praeficitur, Armeniam ingreditur tutus copiis et provisu; quo perculsi Vologeses et Tiridates legatos mittunt, colloquium poscunt. Placitum ponere Tiridaten apud effigiem principis insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere. Tiridates visis ante fratribus Vologese et Pacoro iter in urbem adit, Armeniae regnum a principe precaturus (24—31). Eodem anno nationes Alpium maritimarum in ius Latii translatae. Spectacula gladiatorum celebrata; feminae illustres et senatorum plures arena foedati (32).

Cap. 33—47. Annus a Christo sexagesimus quartus, rebus domesticis ac praecipue Caesaris flagitiis repletus. Nero Neapoli promiscuam scenam incedit citharoedus. Beneventi gladiatorium munus a Vatinio editum adit ac ne inter voluptates quidem cessans a sceleribus Torquatum Silanum mori adigit (33—35). Mox urbem revisit, iter in

Orientis provinciam animo agitans, sed Vestae numine territus inceptum deserit, convivia struit, tota urbe quasi domo utitur. Epulae a Tigellino paratae et extrema lascivia. Nero Pythagorae in morem sollemnium nuptiarum coniungitur (36—37). Urbis incendium, forte an dolo principis incertum. Is patriae ruinis usus ingentem domum extruit. Urbis novae facies (38—43). Invidiam incendii in Christianos devolvere Nero conatur eosque novis et exquisitis cruciatibus afficit (44). Conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae. Seneca periclitatus (45). Gladiatores apud oppidum Praeneste erumpere conantes coërciti; navalis clades imprudentia principis et caeco obsequio accepta. Fine anni prodigia, imminentium malorum nuntia (46—47).

Cap. 48—74. Annus a Christo sexagesimus quintus, Neronis imperantis duodecimus, pace foris continua, domi ingenti civium strage tristis ac foedus. Pisonis in Neronem coniuratio. Quae coepta simul et aucta, ac diu quamvis in magna coniuratorum multitudine celata, proditur e domo Scaevini a liberto Milicho. Coniurati catenis onerati, cruciati, supplicio affecti (48—59). Nero ea occasione Senecae sibi invisi caedem imperat, cuius circa extremam necessitatem constantia (60—64). Postremo militaris quoque coniuratio detecta et punita; Faenius Rufus praefectus, Subrius Flavus tribunus, Sulpicius Asper centurio ad supplicium traditi (65—68). Etiam Vestinus consul criminis innoxius sed invisus Caesari tollitur (68—69), tum Annaeus Lucanus et alii coniurationis socii occiduntur (70). Simulatum urbis gaudium; Milichus praemiis ditatur; plures in exilium pulsi (71). Senatu vocato honores et praemia decreta. Nymphidii origo, obscura initia et fortuna (72). Nero adversum iniquos rumores se purgat, Gallio frater Senecae in periculum adductus (73). Dona decreta et grates deis (74). Liber concluditur et annalis historia in proximum intenditur.

1 Interea rex Parthorum Vologeses cognitis Corbulonis rebus regemque alienigenam Tigranem Armeniae impositum, simul fratre Tiridate pulso spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens, magnitudine rursum Romana et continui foederis reverentia diversas ad curas trahebatur, cunctator ingenio et defectione Hyrcanorum, gentis validae, multisque ex eo bellis inligatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius con-

2. *alienigena tigranē* M[a]. 3. *tyrid.* M[a]. 4. *magnitudinē* M[a]. *faederis* M[a]. 6. *yrcanorum* M[a]. 7. *ill.* Or.

Cap. 1. *interea rex Parthorum Vologeses:* ad rerum ordinem libro XIV 26 relictum revertitur. Conf. Dio apud Xiphilinum LXII 19—23. *defectione Hyrcanorum.* v. XIV 25, etiam XIII 37.

tumeliae extimulat: quippe egressus Armenia Tigranes Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat; idque primores gentium aegre tolerabant, eo contemptionis descensum ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod praesidium aut unde peteret rogitans. Iam de Armenia concessum, proxima trahi; et nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse. Tiridates quoque regni profugus per silentium aut modice querendo gravior erat: non enim ignavia magna imperia contineri; virorum armorumque faciendum certamen; id in summa fortuna aequius quod validius; et sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse. Igitur com- 2
motus his Vologeses concilium vocat, et proximum sibi Tiridaten constituit, atque ita orditur: 'hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per aetatem summo nomine concessisset, in possessionem Armeniae deduxi, qui tertius potentiae gradus habetur: nam Medos Pacorus ante ceperat.

1. *tygr.* M[a]. 3. *egre tollerabant* M[a]. 9. *dedetis* M[a]. 10. *tyrid.* M[a]. *aut* Beroaldus: M[a] cum ceteris *haud.* 13. *private* M[a]. 15. *tyrid.* M[a].

Adiabenos, conterminam nationem: cf. XIII 13 cum annot.

Monobazus: Izates rex Adiabenorum supra nominatus (XII 13), de cuius rebus multa Iosephus tradit A. XX cap. 2—4, mortuus erat, relicto successore Monobazo Monobazi filio, qui frater Izatis natu maior et ex priore uxore Monobazi patris genitus, ad ritus Iudaeorum perinde atque ante Izates transgressus. Ioseph. A. XX 4 §. 3.

gravior erat: gravius Vologesen commovebat. Contrarium est *levior* II. IV 80. Ille etiam *per silentium* gravior erat, quod frater erat Tiridates et regnum ei ereptum maioris momenti quam terra Adiabena.

Cap. 2. *concilium vocat:* nobiles Parthorum ad eam contionem, ut videtur, convocavit. Aliud est de quo Strabo XI 9 extr. p. 515 ex Posidonio refert isque spectat senatum vel *consilium*, non *concilium: τῶν Παρθυαίων συνέδριόν φησι Ποσειδώνιος εἶναι διττόν, τὸ μὲν συγγενῶν, τὸ δὲ σοφῶν καὶ μάγων, ἐξ ὧν ἀμφοῖν τοὺς βασιλεῖς καθίστησιν.*

hunc ego eodem mecum: rursus incidens in memoriam viri insignis et saepius memorandi, quo magis luculentam ingenii eius imaginem ostenderet, in concilio barbarorum Vologesen fastu regio et naturali prudentia loquentem produxit. Vologeses eo quoque vulgaris imperatoris modum supergressus est, quod facta dictis adiecit fortiter et sollerter praescripta, quibus finem

Videbarque, contra vetera fratrum odia et certamina, familiae nostrae penates rite composuisse. Prohibent Romani, et pacem nunquam ipsis prospere lacessitam nunc quoque in exitium suum abrumpunt. Non ibo infitias: aequitate quam sanguine, causa quam armis retinere parta maioribus malueram. Si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Vestra quidem vis et gloria in integro est, addita modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est et a dis aestimatur.' Simul diademate caput Tiridatis evinxit; promptam equitum manum, quae regem ex more sectatur, Monesi nobili viro tradidit, adiectis Adiabenorum auxiliis, mandavitque Tigranem Armenia exturbare, dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis vires intimas molemque belli ciet, provinciis Romanis minitans.

3 Quae ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, occulto praecepto, compositius cuncta quam festinantius agerent: quippe bellum habere quam gerere malebat. Scripseratque Caesari proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine

1. *certam in familiae* M[a]: emendavit Rhenanus; *certamen familiae* G. 3. *absitium* M[a]: correctum in G. 5. *moioribus* vel *moloribus* M[a]. 7. *in* om M[a]: non deest G. 8. *estim.* M[a]. 9. *tyrid.* M[a]. *euincxit* M[a]. 11. *mandabitque tygr.* M[a]. 12. *exturbare* receptum ex Ernestii coniectura: M[a] *exturba*, G et Oxonienses et Puteolanus *exturbari. hirc.* M[a]. 15. *tygr.* M[a]. 16. *cuncta confestinantius* M[a]: emendatum in BG. 17. *malebant* M[a]: G *malebat.* 19. *syriam* M[a], non *Suriam. uologeses* M[a].

sibi propositum assecuturus erat, nisi summus ea aetate dux (Corbulo) impedimento fuisset.

non ibo infitias: quod in paucis huius locutionis exemplis, quae apud scriptores pedestris orationis reperiuntur, negatio adiecta est, ut observavit Doederlinius Synonym. et Etymol. IV p. 32, casui magis quam consilio tribuendum videtur. Poetae scenici, qui imitantur communem sermonem, certe eam legem non secuti sunt, et *ad infitias ire* dixit Paulus §. 4. l. 4 Dig. *famil. erciscund.* (X 2).

promptam equitum manum: promptam, h. e. paratam (*eine in Bereitschaft stehende Mannschaft*) dixit respiciens ex altera parte *vires intimas* a Volegese demum *ciendas*. *mandavitque Tigranem Armenia exturbare:* hoc mandatum Vologeses duci Monesi dedit et ille exequi conatus est (cap. 4); recte igitur *exturbare*, non *exturbari.* Monesis nomen apud Dionem LXII 20 et 22 scribitur Μοναίσης et sic apud Horatium Carm. III 6 9. Cf. annot. ad VI 36.

Cap. 3. *compositius cuncta quam festinantius:* v. annot. ad II. I 83.

esse. Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat, tumultuariam provincialium manum armat, hostiles ingressus praesidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio est, castella fontibus imposita; quosdam rivos congestu arenae abdidit. Ea dum a Corbulone tuendae Syriae parantur, 4 acto raptim agmine Moneses, ut famam sui praeiret, non ideo nescium aut incautum Tigranem offendit. Occupaverat Tigranocerta, urbem copia defensorum et magnitudine moenium validam. Ad hoc Nicephorius amnis haud spernenda latitudine partem murorum ambit; et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. Inerantque milites et provisi ante commeatus; quorum subvectu pauci avidius progressi et repentinis hostibus circumventi ira magis quam metu ceteros accenderant. Sed Partho ad exequendas obsidiones nulla comminus audacia: raris sagittis neque clausos exterret et semet frustratur. Adiabeni cum promovere scalas et machinamenta inciperent,

1. *eufr.* M^a. 2. *Tũ multi uaria* M^a: G *tumultuariam.* 4. *inp.* M^a. *harenae* M^a. 5. *syriae* M^a, non *Suriae.* 6. *praehiret* M^a. 7. *tygranẽ* M^a. *Tygranocerta* G: M^a *tygranocertam* (non *tyranoc.*). cf. annot. c. 5. 8. *magnitudinẽ* M^a. 9. *hoc* GM^a, non *haec.* 10. *ambiit* M^a: G *ambit.* 11. *ĩnherantque* M^a, non *inheserantque*, ut narratur apud Bekkerum. 14. *exseq.* Or.

hostiles ingressus praesidiis intercipit: 'intellige loca per quae ingredi provinciam soleant aut possint Parthi. Nam nondum ingressi eo tempore. *Intercipere* exprimit Graecorum *διαλαμβάνειν*; Polybius 5 99 et alii saepe de impositis itineri praesidiis utuntur.' Ernestius. *Intercipit* est *ante hostium adventum occupat*, Graece *ἀπολαμβάνειν*. Conf. Thucyd. I 7: *τοὺς ἰσθμοὺς ἀπελάμβανον*. IV 45: *ἀπολαβόντες τὸν τῆς χερσονήσου ἰσθμὸν ἐτείχισαν*. Conf. cap. 9: *Euphratis ripam crebrioribus praesidiis insedit.*

Cap. 4. *Partho ad exequendas obsidiones nulla comminus audacia, raris sagittis — semet frustratur:* horum enuntiatorum prius in genere positum est, ut manifestum ex numero multitudinis *exequendas obsidiones*, alterum eos Parthos respicit qui cum Adiabenis tunc Tigranocerta obsidione cinxerant. Itaque *est* post nomen *audacia* omissum praesens est quod vulgo dicunt, *exterret* et *frustratur* praesentis historici vim et potestatem sibi vindicant.

Cap. 5. *a Tigranocertis distantem:* nomen oppidi ubi primum apud Tacitum (XII 50) memoratur, *urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta iugum accepere*, neque generis neque numeri ab ipso positi certum argumentum adest, sed adest XIV 23 *ad occupanda Tigranocerta*, item c. 24 *legati Tigranocerta missi*, nam hi legati delecti ex Armeniis a Corbulone in eam urbem ob deditionem missi erant, ut ex forma nominis paulo ante (c. 23) posita colligitur, sed prae ceteris perspicuum XV 6 *exercitum Romanum a Tigranocertis*

5 facile detrusi, mox erumpentibus nostris caeduntur. Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis, moderandum fortunae ratus misit ad Vologesen qui expostularent vim provinciae inlatam: socium amicumque regem, cohortes Romanas circumsideri. Omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem delectus apud oppidum Nisibin septem et triginta milibus passuum a Tigranocertis distantem adit regem et mandata ferociter edidit. Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi; nec praesentia prospere fluebant. Inritum obsidium; tutus manu et copiis Tigranes; fugati qui expugnationem sumpserant; missae in Armeniam legiones, et aliae pro Syria paratae ultro inrumpere; sibi imbecillum equitem pabuli inopia: nam exorta vis locustarum ambederat quicquid herbidum aut frondosum. Igitur metu abstruso mitiora obtendens, missurum ad imperatorem Romanum legatos super

1. *ced.* M[a]. 4. *ill.* Or. *circumsedere* GM[a]: ex A correxit Ryckius. 5. *obsidionẽs* M[a]. 6. *legionem* M[a]: correctum inest G. 8. *Tigranocertis* editor: GM[a] *tygranocerta*, vulgo *Tigranocerta*. *adit* M[a], *adiit* corr G. 10. *irritum* M[a]. 13. *Suria* M[a]. *irrump.* Or. *inb.* M[a]. 14. *ui locustarum aberat* M[a], *uis l. abederat* G: correxit Lipsius.

deductum, nec minus c. 8 *recipe-randis, ut ferebat, Tigranocertis.* Adversus hanc normam minime dubiam a scriba codicis M[a] bis levius peccatum est (XV 4 et 5 extr.), ubi *tygranocertam* scripsit accusativo in *m* exeunti nominum in *a* desinentium nimis adsuetus vel compendio ∽ saepe addito, ubi nullus ei locus, a vero seductus; semel autem et ab hoc et a ceteris gravius vitium admissum est hoc loco, cum scripserunt *Tigranocerta* pro *Tigranocertis*, compendii nota, credo, perperam soluta: nam hoc non auctoris inconstantiae tribui posse, sed describentium imprudentia vel aberratione turbas datas esse tam certum est quam quod est certissimum. Eodem modo a scribis in nominibus *Artaxata* et *Hierosolyma* peccatum est. Conf. Strabonis *τὰ Τιγρανόκερτα* XII 2 10, ibidem *τῶν Τιγρανοκέρτων ἅλωσιν.* Idem XI 12 4 *τῶν Τιγρανοκέρτων* et c. 14 §. 15: (*Τιγράνης*) *πόλιν ἔκτισε πλησίον τῆς Ἰβηρίας μέταξυ ταύτης τε καὶ τοῦ κατὰ τὴν Εὐφράτην Ζεύγματος, ἣν ὠνόμασε Τιγρανόκερτα, ἐκ δώδεκα ἐρημωθεισῶν ὑπ' αὐτοῦ πόλεων Ἑλληνίδων ἀνθρώπους συναγαγών.*

Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi: vetus et *infixum* tamquam nomina substantiva habita genitivum *vitandi* ex se suspensum tenent. Qui *consilium* omissum esse dicunt parum accurate loquuntur. Conf. annot. ad c. 21.

tutus manu et copiis: ut *manus* nomen positum pro militibus, sic *copiae* pro vitae alimentis. Utroque opus est *obsidium* toleranti. Cf. Agr. 22: *adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur.* Neuius *moenibus* pro *manu* coniecit.

petenda Armenia et firmanda pace respondet. Monesen omittere Tigranocerta iubet; ipse retro concedit. Haec plures ut 6
formidine regis et Corbulonis minis patrata ac magnifica extollebant. Alii occulte pepigisse interpretabantur, ut omisso utrimque bello et abeunte Vologese Tigranes quoque Armenia abscederet. Cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? Cur deserta per otium quae bello defenderant? An melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti? Dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio quam cum Corbulone certaret, Corbulo meritae tot per annos gloriae non ultra periculum faceret. Nam, ut rettuli, proprium ducem tuendae Armeniae poposcerat, et adventare Caesennius Paetus audiebatur. Iamque aderat, copiis ita divisis ut quarta et duodecima legiones addita quinta, quae recens e Moesis excita erat, simul Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia Paeto oboedirent, tertia et sexta et decuma legiones priorque Syriae miles apud Corbulonem manerent; cetera ex rerum usu sociarent partirenturve. Sed neque Corbulo aemuli patiens, et Paetus,

1. *omittere* GM^{a}, *amittere* C. 2. *tygranocertam* M^{a}: G *tygranocerta.* *hec* M^{a}. 4. *interp̄tabantur* M^{a}. 5. *utrinque* Or. *tygr.* M^{a}. 6. *exercitūs* M^{a}. *tygr.* M^{a}. 9. *contenti*, superscr. ab eadem manu *re*, M^{a}. 12. *retuli* M^{a}. 16. *cappadacumque* M^{a}. *oboedirent* M^{a}, *obedirent* G. 17. *syriae* M^{a}, non *Suriae.*

Cap. 6. *Caesennius Paetus*: imperante Vespasiano iterum Syriae praepositus est, de quo Iosephus B. Iud. VII 7 §. 1—3. Praenomen eius *Lucium* ponit Dio ap. Xiphil. LXII 20. Alius est *Caesonius Paetus* consul (XIV 29): Caesennius in suffectis fuerat.

priorque Syriae miles: h. e. quaeque prius militia (sociorum) praeter legiones ante nominatas in Syria fuerat; cf. c. 9 et 11 extr.

cui satis ad gloriam erat si proximus haberetur: inest his verbis ipsius scriptoris iudicium: *erat* idem quod ἦν ἄν. Conf. cap. 10 *qua — poterat.*

Cap. 7. *memoravi:* v. c. 5 extr. *Funisulanus Vettonianus:* de hoc amplum titulum publicavit Broterius, paulo ante Romae, ut dicit, repertum, sed obnoxium suspicioni, id quod modeste monuit Orellius. *Calavius Sabinus:* quod Baiterus coniecit *C. Flavius Sabinus*, id adversus Taciti usum pugnat, expositum a me ad XIII 30. Calavii tres memorantur in titulis a Muratorio editis, monente Orellio. Apud Livium XXIII 2 est *Pacuvius Calavius* et XXVI 27 *Campanorum Calaviorum servus.*

equus qui — evasit: aliud augurium equo indicatum est Crasso in transitu Euphratis, de quo Plu-

cui satis ad gloriam erat si proximus haberetur, despiciebat gesta, nihil caedis aut praedae, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes dictitans: se tributa ac leges et pro
7 umbra regis Romanum ius victis impositurum. Sub idem tempus legati Vologesis, quos ad principem missos memoravi, revertere inriti, bellumque propalam sumptum a Parthis. Nec Paetus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funisulanus Vettonianus eo in tempore, duodecumam Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat, tristi omine. Nam in transgressu Euphratis, quem ponte tramittebant, nulla palam causa turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit. Hostiaque, quae muniebantur hibernaculis adsistens, semifacta opera fuga perrupit seque vallo extulit. Et pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia Parthus
8 hostis missilibus telis decertat. Ceterum Paetus spretis ominibus, necdum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariae provisu, rapit exercitum trans montem Taurum reciperandis, ut ferebat, Tigranocertis, vastandisque regionibus quas Corbulo integras omisisset. Et capta quaedam castella, glo-

2. *nichil* M^a. 3. *expugnatione* M^a. 5. *uologaesis* M^a. 8. *duodecumam* M^a, *duodecimam* G. 9. *tristionē nam* M^a. 10. *eufr.* M^a. *tramittebant* M^a, *transmittebant* G. 11. *consiliaria* M^a: correctum in G. 12. *ostia quaeque* M^a. 15. *caeterum* M^a. *hominibus* M^a: BG *omnibus*. 17. *recip.* M^a, *recup.* G. 18. *tygr.* M^a.

tarchus in Crasso c. 19: *ἵππος δὲ τῶν στρατηγικῶν ἐπιφανῶς κεκοσμημένος βίᾳ συνεπισπάσας τὸν ἡνίοχον εἰς τὸ ῥεῖθρον ὑποβρύχιος ἠφανίσθη.* *Consularia* autem *insignia* quae h. l. nominantur noli intelligere *ornamenta consularia* a Caesare pro egregiis belli meritis (ea Paetus nunquam patravit) concessa, ut fecit Orellius, sed sunt insignia legati consularis, sella curulis, fasces, paludamentum imperatoris, cetera.

quia Parthus hostis missilibus telis decertat: pila ipsa ex missilibus telis; quae cum arderent, haud valere contra hostilia tela videbantur. Ceterum *arsere* dictum est de lumine electrico (*St. Elms-Feuer*): arma enim incendio aliquo correpta nullum prodigium praebebant. Sic XV 50 *ardens domus* dicitur multis luminibus collustrata.

Cap. 8. *Paetus spretis ominibus:* quae hinc afferuntur (c. 8 et 10), insignem Paeti vanitatem et foedam inconstantiam luculentius eo depingunt, quod capite 9 Corbulonis alacritas et expertus bello animus, mox (11) Vologesis prudentia et virtus comparantur.

reciperandis, ut ferebat, Tigranocertis: vel socium regem Tigranem ea urbe potiri infra dignitatem imperii Romani putabat: ipse civitatem nobilem Romanis reciperaturus erat.

riaeque et praedae nonnihil partum, si aut gloriam cum modo aut praedam cum cura habuisset. Longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, et instante iam hieme, reduxit exercitum, composuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas. Interim Corbulo nunquam negle- **9**
ctam Euphratis ripam crebrioribus praesidiis insedit; et ne ponti iniciendo impedimentum hostiles turmae adferrent (iam enim subiectis campis magna specie volitabant), naves magnitudine praestantes et connexas trabibus ac turribus auctas agit per amnem, catapultisque et balistis proturbat barbaros; in quos saxa et hastae longius permeabant, quam ut contrario sagittarum iactu adaequarentur. Dein pons continuatus, collesque adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta celeritate et ostentatione virium ut Parthi omisso paratu invadendae Syriae spem omnem in Armeniam verterent. Ibi Paetus imminentium nescius, quintam legionem **10**
procul in Ponto habebat, reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologesen magno et infenso agmine auditum. Accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia. Qua

1. *nonnichil* M[a]. 3. *que* M[a]. 4. *conp.* M[a]. 5. *cesarem* M[a]. 6. *corbulonū quam* M[a]. 8. *impedimentuum* M[a]. *aff.* Or. 10. *conexa* M[a]: G *connexas.* 12. *quo* GM[a]. *permanebant* M[a]: emendatum in G. 16. *paratui* M[a]: G *paratu.* *syriae* M[a], non *Suriae.* 17. *ibi* G: M[a] *ubi.* 18. h. l. *promiscuis* M[a]. 21. *fama* M[a]: G *phamam.*

Cap. 9. *praesidiis insedit:* cf. c. 3 extr. *subiectis — volitabant:* cf. annot. ad I 1. *dein pons continuatus,* h. e. usque ad ripam adversam ductus, ut continuus transitus fieret.

Cap. 10. *ibi Paetus* cet.: redii ad formam *ibi* olim vulgatam, nuper et ab aliis et a me duce libro M[a] in *ubi* mutatam. Qui hoc tenent, iis ante non puncto sed commate distinguendum erit. Nam *ubi* in principio enuntiati non pendentis positum pro temporis nota in protasi adhibita perperam a legente accipitur, eoque sententiae tenor et lumen corrumpitur. Narrator lectorem suum in novam quasi scenam ducit, et huic designandae non *ubi* sed *ibi* aptum. *Commeatus* mox memorati sunt vacationes.

alares quoque Pannonios: alares Pannonii sunt delecti e gente Pannoniorum, *Pannonici* qui ex Romanorum Pannoniae militia.

Arsamosata: Polybius in excerptis VIII 25: *Ξέρξου βασιλεύοντος πόλεως Ἀρμόσατα* (lege *Ἀρσαμόσατα* expleta syllaba elapsa), *ἣ κεῖται πρὸς τῷ καλῷ πεδίῳ καλουμένῳ, μέσον Εὐφράτου καὶ*

tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset. Verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienae sententiae indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. Et tunc relictis hibernis, non fossam neque vallum sibi sed corpora et arma in hostem data clamitans, duxit legiones quasi proelio certaturus. Deinde amisso centurione et paucis militibus, quos visendis hostium copiis praemiserat, trepidus remeavit. Et quia minus acriter Vologeses instilerat, vana rursus fiducia tria milia delecti peditis proximo Tauri iugo imposuit, quo transitum regis arcerent; alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. Coniux ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abditi, data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno habitus vagum hostem promptius sustentavisset. Et aegre compulsum ferunt ut instantem Corbuloni fateretur. Nec a Corbulone properatum, quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur. Expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus et alarios octingentos, parem numerum

11 e cohortibus iussit. At Vologeses, quamvis obsessa a Paeto itinera hinc peditatu inde equite accepisset, nihil mutato con-

6. *ballum* M[a]. 7. *prael.* Or. 8. *centurionē* M[a]. 10. *fiduciā* M[a]. 11. *pedites* M[a]: correxit Pichena. 13. *coniux* M[a], *coniunx* G. G et Oxonienses *asamosata.* 16. *et egre* M[a]. *et* in G et B supra ascriptum, a Rhenano deletum. 18. *subsidiis* GM[a]. *iteneri* M[a]. 21. *nichil* M[a].

Τίγριδος κ. τ. λ. Plinius VI 10: *oppida celebrantur — in maiore* (Armenia) *Armosata* (corrige *Arsamosata*) *Euphrati proximum.* Quod Broterius narrat, Holstenium in museo Mediceo vidisse nummum cum inscriptione *Ἀρμοσαττηνων*, non verum est, sed inscriptio illa potius legenda *CAITTHNΩN ΑΡΜΟς* (non *ΑΡΜΟCAITTHNΩN*, nedum *ΑΡΜΟCATTHNΩN*), et pertinet ad Hermum Saettenorum Lydiae, non ad Arsamosata Armeniae oppidum. Cf. Reflexions sur une médaille de Xerxès, roi d' Arsamosate. Par l' abbé Barthélemy in B. L. Mem. tom. XXI p. 416. Eckhel D. N. vol. III p. 112, 202, 204. Cum Tacito in nomine urbis consentit Ptolemaeus, duobus locis (V 13 §. 19, VIII 19 14) scribens *Ἀρσαμόσατα. Castellum* quod paulo post (c. 13) a Tacito memoratur, hoc ipsum est.

et aegre compulsum ferunt: particula *et* valet *etiam*, per eamque novum argumentum vanae in Paeto fiduciae adiungitur.

ut instantem: ut facilius *hostem instantem Paeto* intelligere possimus, pronomen *eum* additum desideramus. Fortasse hoc a Tacito suppeditatum et a praecedentis verbi syllaba postrema absorptum est.

silio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantum centurione Tarquitio Crescente turrim, in qua praesidium agitabat, defendere auso, factaque saepius eruptione et caesis qui barbarorum propius suggrediebantur, donec ignium iactu circumveniretur. Peditum si quis integer, longinqua et avia, vulnerati castra repetivere, virtutem regis, saevitiam et copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pavebant. Ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiae munia deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, signa et aquilas et nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos. Ille interritus, **12** et parte copiarum apud Syriam relicta ut munimenta Euphrati imposita retinerentur, qua proximum et commeatibus non egenum, regionem Commagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit. Comitabantur exercitum, praeter alia sueta bello, magna vis camelorum onusta frumenti, ut simul hostem famemque depelleret. Primum e perculsis Paccium primipili centurionem obvium habuit, dein plerosque militum; quos

3. *facta* Puteolanus. *erruptione* M^a. 4. *cesis* M^a. *prorius* M^a. 7. *seuit.* M^a. 10. *p̄cibus* M^a. 12. *uitā* M^a. *subp.* M^a. 13. *Suriam* Or. *eufr.* M^a. 14. *inp.* M^a. 15. *exim* M^a. 18. *Paccium* M^a, *pactium* G.

Cap. 11. *se fidem interim — retenturos*: *interim* intellige donec ab altero exercitu auxilium feratur. Qui paulo ante magna omnia locutus est, inconstantis et pusilli animi homo, is iam admodum demissus se tamquam unum de multis in litteris ad Corbulonem numerat. Inde *retenturos* scribere Tacitus maluit, non *retenturum*, quod imperatorium erat.

Paccium primipili centurionem: XIII 36: *curam praesidiorum Paccio Orfito primipili honore perfuncto mandat.* Eadem cura, ut videtur, nunc sub Paeto improspere functus et omissis praesidiis fugiens occurrit Corbuloni. Primipili centurionem Tacitus propter ordinem militiae eum appellat, non quod revera primum pilum tunc duxit.

Cap. 12. *se nisi victoribus immitem esse:* se immitem experturos omnes, nisi parta victoria fugae ignominiam diluissent (*nur Sieger würden ihn milde finden*). Breviloquentia est viro militari digna.

ubi par eorum numerus: supplendum *esset.* Sententia est, si unus de multis unum civem servasset ac propterea corona civica, tamquam praecipuo virtutis praemio, ab imperatore donaretur, quod et quantum decus, ubi par servantium ac servatorum numerus esset? Scilicet promitti noluit neque sana mente potuit sese omnibus suis militibus daturum esse coronas civicas. Sed qui glossam *apisceretur*

diversas fugae causas obtendentes redire ad signa et clementiam Paeti experiri monebat: se nisi victoribus immitem esse. Simul suas legiones adire hortari, priorum admonere, novam gloriam ostendere. Non vicos aut oppida Armeniorum sed castra Romana duasque in iis legiones pretium laboris peti. Si singulis manipularibus praecipua servati civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illud et quantum decus, ubi par eorum numerus, qui attulissent salutem et qui accepissent! His atque talibus in commune alacres (et erant quos pericula fratrum aut propinquorum propriis stimulis incenderent) continuum diu noctuque iter properabant.
13 Eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, modo castellum, quo imbellis aetas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in proelium eliceret. At illi vix contuberniis extracti, nec aliud quam munimenta propugnabant, pars iussu ducis, et alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes, ac vis si ingrueret, provisis exemplis Caudii Numantiaeque; neque eandem vim Samnitibus aut Hispanis, ut Romani imperii

1. *fuge* Mª. 5. *p̄tium* Mª. 8. *numerus* editor: Mª *numerus apisceretur*, ceteri *num. adipisceretur. adt.* Mª. 11. *diu* Mª: *die* G et Oxonienses. 12. *p̄mere* Mª. 13. *in bellis* Mª. 15. *prael.* Or. 17. *ut* Rhenanus: Mª *aut*, G et Oxonienses *aut metu. ac vis si* Waltherus: *ac vis* Mª, *ac si vis* G. 18. *Caudii Numantiaeque; neque eandem* editor: Mª *caudie nenum antineque eandem* (non *caudine numantineque eandem*), G *Caudinae ac Numantinae cladis. neque eandem*, A *Caudinae Numantinaeque deditionis.* 19. *Samnitibus aut Hispanis, ut* editor: Mª *Samnitibus Italico populo aut paenis.*

ascripsit, is prave stulteque de coronis tam inter eos qui attulissent salutem quam qui accepissent divisis cogitavit. Inane igitur et supervacuum est *apisceretur*, quod primum sententiam impedit, tum obiecto caret, deinde falsa et absurda infert.

Cap. 13. *Caudii Numantiaeque:* Medicei scriptura *caudie* (= *caudię*) valet *Caudiae*, tamquam a nominativo *Caudia*, et hoc corruptionis ortum est assimilandi inclinatione ex proximo nomine *Numantiae*. Quod sequitur in Mediceo *ne*, repetitum id est ex *neque*; dein *num antineque* resolve et iunge *numanti neque*, unde repetitis quattuor litteris postremis (n — *ęque*) nascitur *Numantiaeque; neque* cet. Scilicet a litteris illis *ęque* ad similes *neque* scriptor librarius transiluit. Vulgo *Caudinae ac Numantinae cladis. neque eandem;* Orellius *Caudii et Numantiae. neque eandem.*

neque eandem vim Samnitibus aut Hispanis, ut Romani imperii aemulis: de singulis quae in his verbis observanda sunt ordine di-

aemulis. Validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse. Qua desperatione exercitus dux subactus primas tamen litteras ad Vologesen non supplices sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis semper Romanae dicionis, aut subiectis regi quem imperator delegisset, hostilia faceret: pacem ex aequo utilem; ne praesentia tantum spectaret. Ipsum adversus duas legiones totis regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuvarent. Ad ea Vologeses nihil pro 14
causa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridaten rescripsit; illum locum tempusque consilio destinatum quid de Armenia cernerent; adiecisse deos dignum Arsacidarum, simul ut de legionibus Romanis statuerent. Missi post a Paeto nuntii et regis colloquium petitum, qui Vasacen praefectum

1. *emulis* M^a. 3. *uologesesi* M^a. 5. *rei* M^a: G *regi*. 6. *equo* M^a. *utile* M^a. 7. *ne* GM^a: *nec* Puteolanus. 8. *regnis* M^a. *ad* M^a. 10. *paucorum* M^a. *tyridatẽ* M^a. 11. *rescribsit* M^a. *quid* (*qd* cum lin. transversa in *q*, id est *quid*) M^a, non *quod*. 12. *ds* cum lin. M^a. 13. *ut* Ursinus et Vertranius: codices *et*. *post hac paeto* M^a: emendatum in Spir. 14. *petitu* M^a.

cam. Ac primum quidem dubitari non potest, quin illud *Italico populo* ab homine semidocto nomini Samnitibus in prisco codice supra versum ascriptum et inde in contextum verborum illatum sit. Nam qui loquuntur sunt legionarii, h. e. cives Romani, ii autem quomodo Samnites esse populum Italicum admonere apte poterunt, quomodo quod omnibus notissimum erat importune ingerere sustinebunt? Quod sequitur *Hispanis*, in *paenis*, ut M^a scribit, aut *Poenis*, ut in ceteris, corruptum est ex vulgari mediae aetatis scriptura *Spanis*. *Poenis* certe nunquam rite defendetur, ut amantissimus quisque veritatis vel ex Waltheri contrarium suadentis annotatione discet. Nam ut Samnitibus nomen *Caudii* respondet, sic *Hispani* ad *Numantiam* referuntur. Soli autem aemuli Romani imperii Parthi tunc erant, nulli alii, cuius rei testem ipsum Tacitum producere licet XII 10, ubi Parthi ad Romanos: *subveniendum sociis virium aemulis.* Parthi igitur designantur verbis *ut Romani imperii aemulis.* Sed nova clades illata est, dum scriba intentus proximae particulae *aut* ante *Romani* voculam *ut* omittit, qua restituta iam bene se habent omnia. I. Fr. Gronovius commendavit: *Samnitibus Italico populo aut Hispanis quam Parthis Rom. imp. aemulis;* Freinshemius: *Samnitibus Italico populo aut Hispanis, ut Rom. imp. aemulis.*

pro Armeniis, h. e. pro Armeniis sibi subiciendis, *der Armenier wegen.* Ut formam *Armeniis* non ad *Armenias* sed *Armenios* referamus, et vicini loci cap. 12 et 14 (*inde Armenios petivit; finibus Armeniorum*) suadent et ea ratio quae Tacitum a forma *Armeniarum* abstinuisse ostendit. Vid. annot. ad XII 45.

Cap. 14. *illum locum tempusque consilio destinatum:* ille locus

equitatus ire iussit. Tum Paetus Lucullos, Pompeios, et si qua Caesares obtinendae donandaeve Armeniae egerant, Vasaces imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos memorat. Et multum in vicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis quae pepigissent adhibetur. Placuitque liberari obsidio legiones, et decedere omnem militem finibus Armeniorum, castellaque et commeatus Parthis tradi; quibus perpetratis copia Vologesi fieret mittendi
15 ad Neronem legatos. Interim flumini Arsaniae (is castra praefluebat) pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis: sed Parthi quasi documentum victoriae iusserant. Namque iis usui fuit; nostri per diversum iere. Addidit rumor sub iugum missas legiones et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est. Namque et muni-

1. *si quaces* M[a]: emendavit Pichena. 2. *opt.* M[a]. *donandeue* M[a]. 3. *paenes* (priore loco) M[a]. 4. *memorat* BGM[a], non *memoravit*. *disseptato* M[a]. 5. *his que* M[a]: G *iis quae*. *adthibetur* M[a]. 9. *arsanieti* M[a], *arsameti* G, *Arsaniae (etenim* Lipsius: *Arsaniae* Ryckius. 10. *experientis* M[a], *experiendi* in rasura G: correxit Grotius. 11. *docimentum* M[a]. *uictorie* M[a]. 13. *iugũs* M[a].

est ubi Pacorus et Tiridates ad se (Vologesen) venirent. Quod sequitur *cernerent* more Tacitino, quo verba composita et vulgata vitavit, dictum pro eo quod est *decernerent*. Quod proximum est *dignum*, id substantivi instar (*eine würdige Auszeichnung der Arsaciden*) positum est nove et exquisite. Eo facilius genitivus consequi potuit, quem Tacitus nomini *dignus* alias non iunxit.

Cap. 15. *flumine Arsaniae:* Arsanias accipitur ab Euphrate. Nomen eius ex proximo primus Lipsius restituit, item ex Dione LXII 21, Plutarchi Lucullo 31, Plinio V 20 (24), qui VI 31 (27): *tam vicinum Arsaniae fluere eum* (Tigrim) *in regione Arrhene Claudius Caesar auctor est, ut cum intumuere confluant nec tamen misceantur; leviorque Arsanias innatat IV M ferme spatio; mox divisus in Euphratem mergitur.* Sed Lipsio suadenti *Arsaniae (etenim is c. praefl.)* equidem non obsequar, quoniam tunc pronomen *is* sinistre positum est. Illud *ti* in *Arsanieti* (h. e. Arsanieti) potius ex proximo *is* prave ductum videtur.

quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est: *simulacrum* est effigies, in qua legiones sub iugum missae aliaque ex rebus infaustis depicta ab Armeniis circumferebantur. Nihil differt h. l. nominis *simulacri* significatus ab eo qui est II 41, XII 22, H. II 3 et Agr. 46, neque sermo est, quod bene notandum, de *Parthis* victoribus, sed de *Armeniis*, quorum in terra haec acciderant. Quod subsequitur enuntiatum *namque et munimenta — proelii causa existeret*, eo non ipsum simulacrum describitur, sed causa affertur, cur illi rumores et simulacrum istud circumferri potuerint. Non intellexit Orellius. Atrociora Suetonius Ner. 39: *ignominia ad Orientem, legionibus in Armeniis sub iugum missis, aegreque Syria retenta.*

menta ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, et circumstetere vias, captiva olim mancipia aut iumenta adgnoscentes abstrahentesque. Raptae etiam vestes, retenta arma, pavido milite et concedente, ne qua proelii causa existeret. Vologeses armis et corporibus caesorum adgregatis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit. Fama moderationis quaerebatur, postquam superbiam expleverat. Flumen Arsaniam elephanto insidens, proximus quisque regem vi equorum perrupere, quia rumor incesserat pontem cessurum oneri dolo fabricantium. Sed qui ingredi ausi sunt, validum et fidum intellexere. Ceterum obsessis adeo 16
suppeditavisse rem frumentariam constitit ut horreis ignem inicerent, contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere abfuisse. Adicit iure iurando Paeti cautum apud signa, astantibus iis quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an paci adnueret. Quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur, una die quadraginta milium spatium emensum esse Paetum; desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem

2. *adnosc.* M^a^. 3. *abstraentesque* M^a^. 4. *prael.* Or. 5. *cesorum* M^a^. *aggreg.* Or. *aggeratis* Heinsius. 7. *expleberat* M^a^. 11. *fidum* M^a^, *firmum* G et alii. *caeterum* M^a^. 12. *suppiditauisse* M^a^. 13. *prodiderint* superscr. *t* litteris *nt* M^a^. 15. *itinere* M^a^, *itineri* G. *affuisse* superscr. *u* a manu recenti M^a^. *adicit* M^a^, *adiecit* G. 17. *referrentur* M^a^, *referentur* G. *littere* M^a^. 18. *ann.* Or. *augende* M^a^.

Cap. 16. *prodiderit Corbulo:* prodidit in rerum suarum commentariis, non in epistolis ad Caesarem missis, id quod agnoscitur ex proximo *adicit — adnueret*, et comprobatur historiae monumentis: nam Plinius in indice libri quinti et sexti in auctoribus a se adhibitis recenset Domitium Corbulonem. Idem de Euphratis fontibus Corbulonis testimonium refert V 20. Adde eiusdem VI 8 et 15.

inopes copiarum et pabulo attrito: recenset ea quibus opus erat ad milites Parthorum et equos sustentandos: sine equis enim Parthi nihil valebant. Facile agnoscimus virum artis suae peritum. *Attritum* pabulum est multum imminutum, ut H. II 56 *attritis Italiae rebus*, ibidem I 10 *attritis opibus.*

quadraginta milium: cf. Vegetius I 9: *militari gradu viginti milia passuum horis quinque dumtaxat aestivis conficienda sunt; pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quattuor peragenda sunt. Quicquid addideris, iam cursus est.*

Cap. 17. *hoc conquerente in-*

quam si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius non eam speciem insignium et armorum praetulit ut diversitatem exprobraret. Maesti manipuli ac vicem commilitonum miserantes ne lacrimis quidem temperare. Vix prae fletu usurpata consalutatio. Decesserat certamen virtutis et ambitio gloriae, felicium hominum adfe-
17 ctus: sola misericordia valebat, et apud minores magis. Ducum inter se brevis sermo secutus est, hoc conquerente inritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri: ille integra utrique cuncta respondit; converterent aquilas et iuncti invaderent Armeniam abscessu Vologesis infirmatam. Non ea imperatoris habere mandata Corbulo; periculo legionum commotum e provincia egressum, quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum alacrem et facilitate camporum praevenientem equitem adsequeretur. Exin Paetus per Cappadociam hibernavit. At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraheret castella trans Euphraten, amnemque, ut olim, medium faceret: Ille Armeniam quoque diversis praesidiis vacuam fieri expostulabat. Et postremo concessit rex; dirutaque quae Euphraten ultra communiverat

2. *aput* M^a. 3. *mesti* M^a. 8. *conquerentium* GM^a: correxit Faërnus. 11. *uologeses* M^a. 14. *Suriam* Or. 15. *oranda* M^a. *itenerum* pr M^a. 17. *petus* M^a. *cappadocia* M^a. *uologeses* M^a, *Vologesi* G. 18. *corbulone* M^a. 21. *diruta queque* M^a: correxit Puteolanus. *comminiuerat* M^a, *comminuerat* G, Puteolanus *communierat*.

ritum: noli suspicari cum Orellio latere in Medicei *conquerentium* fortasse *conquerente iam*: nam illud *ium* assimilandi aberratione ex proximo vocabulo (*inri-tum*) adhaesit; nihil amplius.

non ea imperatoris habere mandata Corbulo: res ipsa ponitur pro re Corbulonis verbis memorata: *habere* est infinitivus historicus. Statim sequitur oratio obliqua. Sic et vigor narrationis et varietas augetur et brevitas iuvatur.

alacrem et facilitate camporum — equitem adsequeretur: dicit equitem Parthorum, quem iam in Armenia vacuum per Mesopotamiam (hinc *facilitate camporum praevenientem*) ad inferiorem Euphraten festinare ibique ante reditum copiarum a Corbulone ad superioris Euphratis ripam adductarum provinciis Romanis imminere expectat. Fallitur Waltherus, item omnes qui haec de Corbulonis equite dicta accipiunt.

diversis praesidiis: diversa sive hostilia praesidia dicit a diversis partibus (Tiridatis) contra Tigranem imposita. Non vere *diversis* interpretatur Orellius 'hic et illic collocatis.'

Corbulo, et Armenii sine arbitro relicti sunt. At Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur, decreta ab senatu integro adhuc bello, neque tum omissa, dum aspectui consulitur spreta conscientia. Quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae ostentaret. Cuius pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absumpsisset. Tris dein consulares, Lucium Pisonem, Ducenium Geminum, Pompeium Paulinum vectigalibus publicis praeposuit, cum insectatione priorum principum, qui gravitate sumptuum iustos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium rei publicae largiri. 18

1. *tropea* M^{a}. 3. *tum* (non Furiae *dum*) *amissa* M^{a}: *tamen omissa* G. 4. *spreto* M^{a}: G *spreta*. 6. *tyberim* M^{a}. *annone* M^{a}. *ostentaret* A: GM^{a} *sustentaret*. 7. *p̄tio* M^{a}. *nichil* M^{a}. 8. *tyberi* cum lin. 9. *assumpsisset* M^{a}: emendatum in BG. 10. *L.* M^{a}. 13. *R. P.* M^{a}, *rei* mg. M^{a}.

Cap. 18. *medio Capitolini montis:* cf. annot. ad I 53.

frumentum plebis vetustate corruptum: intellige frumentum plebi sordidae et publice alendae (*τῷ δήμῳ τῷ σιτοδουμένῳ*) destinatum et a ceteris copiis separatum, ut inopes statuto pretio minore inde emere possent: iis enim non frumentum ipsum sed pecunia sive tesserae quovis mense donabantur, quibus cibos ex annonae modo plerumque pararent. Verum nunc gravitati annonae in usum pauperum ita subventum est, ut pretio frumenti his sepositi nihil adderetur: nam verba *cuius pretio* nonnisi de *frumento plebis* accipienda sunt. Quod hoc tempore in favorem plebis factum est, idem princeps pro tota urbis civitate post grave incendium fieri iussit (XV 39): *subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos.* Idem ante fecerat Tiberius (II 87): *saevitiam annonae incusante plebe, statuit frumento pretium quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios.* Cf. XV 72: *addiditque* (militibus urbanis) *sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur.*

quo securitatem annonae ostentaret: quod plerique codices offerunt *sustentaret*, ex scriptura *ustentaret* pro *ost.* natum videtur littera sibilante assumpta ex vocabulo proximo *securitatem.* Ad principem enim omnibus in rebus simulatorem, non ad cives *securitatis* nomen referendum esse ex ceteris liquet. *portu in ipso:* Ostiensem portum dicit: his respondent quae de centum aliis navibus Tiberi subvectis, h. e. ab Ostiensi colonia ad urbem tendentibus, narrantur.

Lucium Pisonem: consulem anni 57 a Chr.: XIII 31. Pompeius Paulinus, a. 58 Germaniae inferiori praepositus (XIII 53), et Ducenius Geminus in consulibus suffectis fuerunt. Ducenius sub Galba prae-

19 Percrebruerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti statim emitterent manu quos adoptaverant. Magna cum invidia senatum adeunt qui ius naturae, labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant. Satis pretii esse orbis quod multa securitate, nullis oneribus gratiam honores, cuncta prompta et obvia haberent. Sibi promissa legum diu expectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus longa patrum vota repente adaequaret. Factum ex eo senatus consultum ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.

1. *percrebuerat* Or. *prauissi* (in fine versus) *mos* Mª, *prauus mos* a rec. m. corr. 4. *patre* Mª. 5. *adeuntibus* Mª, Rhenanus *adeunt, ius*: Ernestius *adeunt qui ius*. *nature* Mª. 7. *p̄tii* Mª.

fectus urbi: H. I 14. Nomen eius in Mª utroque loco simplici *n* scribitur, et ita in titulis ab Orellio indicatis apud Grut. 32 5, 100 2, Murator. 1338 2.

Cap. 19. *inter patres:* h. e. inter eos qui vere patrum nomine uterentur. Scilicet honores petentibus patribus singuli anni temporis legitimi per singulos liberos remittebantur, atque inter pares numerus liberorum praevalebat. Cf. l. 2 D. *de minoribus* (IV 4): *quod enim legibus cavetur, ut singuli anni per singulos liberos demittantur* (legendum *remittantur*), *ad honores pertinere divus Severus ait.* Tacit. II 51: *contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex* (Papia Poppaea) *iubebat.* Plin. Epist. VII 16: *Calestrium Tironem familiarissime diligo. — Simul quaestores Caesaris fuimus. Ille me in tribunatu liberorum iure praecessit, ego illum in praetura sum consecutus, cum mihi Caesar annum remisisset.* Nomen *orbi* a Tacito ita admissum ut et caelibes et orbos, h. e. liberis carentes comprehenderet.

magna cum invidia senatum adeunt qui: postquam Rhenanus primarium loci vitium sustulit, reliquum erat ut subiectum restitueretur, id quod Ernestius praestitit, quamvis coniecturae suae virtutem ipse non satis perspiceret. Scilicet *qui ius* in *quius* vel *cuius* corruptum est, et hoc rursus tamquam terminatio adhaesit voci *adeunt*, ut tandem codicum scriptura *adeuntibus* oriretur. Illud unice verum est. Singuli iique patres familias senatum adeunt, ius naturae ac laborem educandi tam invidiose enumerant, ut senatus etiam plus quam postularent decerneret. Quod olim in multis editionibus vulgabatur, *qui magna cum invidia senatum adeunt*, in ambiguitatis crimen incurrit, quod nunc plerasque obtinet *magna cum invidia senatum adeunt, ius nat.*, dicendi infantia laborat.

gratiam honores, cuncta: de re cf. annot. ad III 25, de structura ad XI 6. *longa patrum vota*, h. e. quae patres diu in votis habuissent.

Exin Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris 20
criminibus, ut solent praevalidi provincialium et opibus nimiis ad iniurias minorum elati: una vox eius usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dictitasset in sua potestate situm an pro consulibus qui Cretam obtinuissent, grates agerentur. Quam occasionem Paetus Thrasea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat provincia Creta depellendum, haec addidit: 'usu probatum est, patres conscripti, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias leges, magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt. Nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est. Ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelae sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse. Olim 21
quidem non modo praetor aut consul sed privati etiam mitte-

1. *exim* M^a^. *tymarcus* M^a^. *caeteris* M^a^. 3. *contumelia* M^a^. 5. *pro consulibus* editor: vulgo *proconsulibus*. 8. *p. c.* M^a^. 12. *paena* M^a^. 13. *prouinciarium* M^a^, *prouinciarum* G: correxit Pichena. 15. *nichil* M^a^. 16. *iudicia* M^a^.

Cap. 20. *an pro consulibus qui Cretam obtinuissent*: *qui* pronomen artius iungendum est cum *pro consulibus*, ut sit haec verborum structura: iis *qui pro consulibus Cretam obtinuissent.* Comma igitur post *consulibus* delevi. Cretam et regionem Cyrenaicam proconsul sive pro consule obtinebat: conf. Dio LIII 12. A Tacito *pro consule Cretae* memoratur III 38. Ad eam normam et maiorem prioris Medicei auctoritatem secutus h. l. rescripsi *pro consulibus*, ex *p consulibus* in *proconsulibus* non bene iunctum. Nam nominis subiecti nota satis luculenta expressa est per *qui obtinuissent*, quae ut adesset alibi causa fuit, ut Latini antiquius et verius *pro consule* etiam uno nomine efferrent (*proconsul*). Grates quae agebantur provinciae rectoribus, eas legati provincialium ad senatum missi exequebantur. Quae legationes si potentia privati hominis expressae essent, hoc contumeliosum erat patribus.

Cinciam rogationem — Calpurnia scita: de Cincia lege cf. ad XI 5. Iulias leges dicit decreta legis ab Augusto latae adversus ambitum. Suetonius Aug. 34: *quasdam* (leges) *ex integro sanxit, ut sumptuariam, de adulteriis et de pudicitia, de ambitu.* Dio LIV 16, LV 5. Lex Calpurnia de repetundis a L. Calpurnio Pisone tribuno plebis a. 605 lata est: Cicero Brut. 27, Off. II 21, Divinat. in Caecil. 5 et 20, in Verrem lib. III 84, IV 25.

nobis opinio decedat — iudicio esse: Thrasea *nobis* ponit, quia provinciarum proconsules et propraetores semper ordinis senatorii

bantur, qui provincias viserent et, quid de cuiusque obsequio videretur, referrent; trepidabantque gentes de aestimatione singulorum. At nunc colimus externos et adulamur; et quomodo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur. Decernaturque et maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa et precibus expressa perinde cohibeatur quam malitia, quam crudelitas. Plura saepe peccantur, dum demeremur quam dum offendimus. Quaedam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus. Inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus; quae si arceantur, aequabilius atque constantius provinciae regentur. Nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio co-
22 hibebitur.' Magno adsensu celebrata sententia, non tamen senatus consultum perfici potuit, abnuentibus consulibus ea de re relatum. Mox auctore principe sanxere, ne quis ad con-

2. *aestimatione* Beroaldus: M^{a} *estimatione*, ceteri et Puteolanus *extimatione*. 4. *nutu* M^{a}. 6. *optentandi* M^{a}: correctum in G. *p̄cibus* M^{a}. 7. *cohibeantur* M^{a}: correctum in G a sec. m. et ab Acidalio. 12. *aequalibus* M^{a}, *aequalius* G et alii: emendavit Groslotius, et sic A referente Heinsio. 14. *cohibetur* GM^{a}: emendavit Lipsius. 17. *sansere* pr M^{a}.

erant, et *nobis* respondet praegresso *sociorum*. Nos provincias administraturi desinamus opinari existimationem nostram aliis rebus niti quam iudicio civium Romanorum.

Cap. 21. *trepidabantque gentes de aestimatione singulorum:* verte Theodisce *und da zitterten Völker ob des Gutachtens Einzelner*. Forma *trepidabantque* rem novam et memorabilem designat; cf. ad I 59. *Aestimatione* vere legi ostendit quod est in M^{a} *estimatione*, ubi prima pro ę h. e. *ae*. A Mediceo ceteri codices non re discrepant, sed specie: nam *extimatione* nihil est nisi prava pronuntiatio vel scriptio formae *estimatione*.

maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi: haec ad unam accusationem pertinent, quod quo magis in oculos legentium incurreret, scriptor *decernaturque* post *decernitur* continuo repetivit. Genitivus *ostentandi* pendet a nomine *potestas* in altero *potentiam* latente. Non plane simile est c. 5: *vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi.*

cohibebitur: hanc Lipsii coniecturam ratio contrariorum utique postulat pro *cohibetur:* nam ut *infracta est* de tempore praeterito, ita *cohibebitur* de eo quod iam futurum est orator posuit.

Cap. 22. *relatum*: formam minus usitatam admisit pro *relatione.* Idem *relatu virtutum* H. I 30 et *carmina quorum relatu* G. 3. Consules de Thraseae sententia referre nolebant, quia Neronem huic infensum id aegre laturum esse sciebant.

sanxere, ne quis — fungeretur:

cilium sociorum referret agendas apud senatum propraetoribus prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.

Isdem consulibus gymnasium ictu fulminis conflagravit, effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta. Et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompei magna ex parte proruit. Defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.

23

Memmio Regulo et Verginio Rufo consulibus natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque Augustam, dato et Poppaeae eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. Iam senatus uterum Poppaeae commendaverat dis, votaque publice susceperat; quae multiplicata exolutaque. Et additae supplicationes templumque Fecunditati, et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum, utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur; ludicrum circense, ut Iuliae genti apud Bovillas, ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur. Quae fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursusque exortae adulationes censentium

4. *effigies* (in fine versus) *usque in* GMª: correxit Puteolanus. 5. *pompei* Mª, non *Pompeii.* 6. *lelia* Mª. 8. *Verginio* Mª, *Virginio* G. *consule* Mª. 9. *poppea* Mª. 10. *augusta* Mª. *poppeae* Mª. 11. *colinia* Mª. 12. *poppeae* Mª. *publicae* Mª: G *publice.* 13. *exsol.* Or. *addite* Mª. 15. utrum in Mª *actiace* an *actiecce* distingui nequit. 16. *iobis* Mª. 17. *iulie* Mª. *uobillas* Mª. 19. *exorte* Mª.

'reperio iam ante sanxisse id Augustum, de quo Dionis verba ista LVI 25: *τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγειλε μηδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων μήτε τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μήτε ἐντὸς ἑξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφᾶς τιμήν τινα διδόναι, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προσπαρασκευαζόμενοι πολλὰ διὰ τούτων ἐκακούργουν.* Sed diversum tamen hoc Neronianum consultum, quoniam illud Augusti post diem permittit laudationes, hoc plane et plene tollit.' Lipsius.

motu terrae — proruit: quam cladem Tacitus extremo anno 62 a Chr. nato (ab urb. 815) posuit, eam nonis Februariis anni subsequentis (816) assignavit Seneca Quaest. Nat. VI 1 init. Eadem urbs deleta est incendio montis Vesuvii a. 79 Tito imperante.

Cap. 23. *Memmio — Rufo:* praenomen Verginii *Lucius*, Reguli *Gaius* in titulo antiquo: v. Inscript. Lat. Orellii n. 1683. Particulam consulum nominibus interpositam seclusit Orellius, sine iusta causa: conf. annot. ad IV 68. *ultra mortale gaudium:* ultra gaudium quo mortales affici solent.

et certamen ad exemplar Actiacae religionis: certamen apud Actium ob victoriam ibi ab Octaviano Caesare partam post quintum quem-

honorem divae et pulvinar aedemque et sacerdotem. Atque ipse ut laetitiae, ita maeroris immodicus egit. Adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum immoto animo praenuntiam imminentis caedis contumeliam excepisse. Secutam dehinc vocem Caesaris ferunt, qua reconciliatum se Thraseae apud Senecam iactaverit, ac Senecam Caesari gratulatum. Unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.

24 Inter quae, veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque in eandem formam attulere: se priora et totiens iactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam di, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. Nuper clausum Tigranem; post Paetum legionesque cum opprimere posset, incolumes dimisisse. Satis adprobatam vim; datum et lenitatis experimentum. Nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in urbem venire, nisi sacerdotii religione attineretur. Iturum ad signa et effigies principis, ubi legionibus coram

25 regnum auspicaretur. Talibus Vologesis litteris, quia Paetus

1. *edemque* Mª. 2. *meroris* Mª. *inm.* Mª. 4. *inm.* Mª. *pren.* Mª. 5. *ces.* Mª. 6. *reconciliatu* Mª. 7. *ces.* Mª. 9. *interque ueris* Mª. 11. *opt.* Mª. *committere* Mª: emendatum in G. 12. *dii* Or. 15. *adprouatam* Mª. 16. *Tiridaten* Mª, *tyridatē* G.

que annum celebrabatur, gymnicum, musicum, equestre. Sueton. Aug. 18, Dio LI 1. Claud. Mamertinus Paneg. c. 9. *Religio* est sacra celebratio (*die heilige Feier*): ludi enim in honorem deorum habebantur.

Fortunarum effigies: effigies secundae fortunae et adversae. Hunc sororum Fortunarum cultum ex oppido Antii, ubi natus erat, Nero videtur transtulisse. Conf. Sueton. Calig. 57: *monuerunt et Fortunae Antiatinae, ut a Cassio caveret.* Martial. V 1 3: *seu tua veridicae discunt responsa sorores, plana suburbani qua cubat unda freti* (Antii). Macrob. Saturn. I 23: *ut videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.* *Iuliae genti apud Bovillas:* vid. II 41.

Cap. 24. *inter quae — attulere:* dicit legatos, quos a Vologese ad Neronem missos esse legimus c. 14 extr. *quamvis potentium populorum arbitri: quamvis* vim nominis *potentium* intendit, ut sit quantumvis potentium (*noch so mächtiger Völker Herren*). Conf. XVI 16 *quamvis honestos.* H. I 16 *quamvis egregii*, 26 *consilii quamvis egregii — inimicus.* H. II 59 *quamvis magna*, et sic persaepe.

nisi sacerdotii religione attineretur: nisi sacerdotii munia domi obeunda haberet. Aliud est quod Plinius XXX 6 narrat, Tiridaten magicis sacris praeditum,

diversa tamquam rebus integris scribebat, interrogatus centurio qui cum legatis advenerat, quo in statu Armenia esset, omnes inde Romanos excessisse respondit. Tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps an pax inhonesta placeret. Nec dubitatum de bello. Et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, quia Paeti piguerat. Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret non frustra eadem oraturum Tiridaten, si preces ipse attulisset. Iurisque executio Cincio, copiae militares Corbuloni permissae; et quinta decuma legio ducente Mario Celso e Pannonia adiecta est. Scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus, et qui praetorum finitimas provin-

1. *tãquam* M^a. 4. *barba* (in fine versus) *rum* M^a: G *barbarorum.* 5. *inhosta* M^a, *in hoste* G: correxit Victorius. 7. *gerende* M^a. 10. *p̄ces* M^a. 11. *iurisque executio* editor: M^a *syriaeque ex* (in fine versus) *cutio. Cincio* Harl. et les.: M^a *citio* et sic ABC, Bodl. et G *cintio.* 13. *praefectis. quae et* M^a.

cum post ad Neronem profectus est, navigare noluisse, *quoniam expuere in maria aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam* (magi) *fas non putant.*

Cap. 25. *quo in statu Armenia esset:* cf. XII 45: *quo in statu Armenia foret.*

iurisque executio Cincio, copiae militares Corbuloni permissae: quod ante legebatur *Syriaeque* vel *Suriaeque executio*, hanc pro *administratione* provinciae Syriae dictam interpretes videntur accepisse. Sed perlustres quaeso omnem Latinitatem, totum prae ceteris Tacitum, atque facile inveneris et fictum esse hunc nominis significatum et exempla quaedam ab interpretibus vindicandae scripturae *Syriaeque* allata minime apta esse, immo in omnibus iis verbum *exequi* et nomen *executionem* propriam suam vim tenere. Accedit maius; etiam *Syriae administratio* nullo modo apte dici nunc potuit: etenim cura rei militaris praecipua administrandae provinciae pars cum esset, inepte opponerentur copiae militares Corbuloni et Syriae administratio Cincio permissae. Duae res sunt, quae legato provinciae committuntur, ut ius dicat et rem militarem obeat. Itaque restituo *iurisque;* hinc in *ἀρχετύπῳ surique* litterarum ordine perturbato natum et a proximo scriba in *syriaeque* mutatum videtur. *Iuris executio* est *iurisdictio:* hanc Cincius administravit, copiae militares Corbuloni demandatae sunt. Provinciae nomen ut poneretur haud necesse erat: quippe sponte ex praecedentibus Syria intelligitur. Sic oppositorum vis, ut Tacito dignum est, rite emergere incipit. Cincium per aliquot temporis extra ordinem in Syria ius dicentem ut uno nomine Tacitus appellaret, diversum alioqui morem secutus, videtur fecisse oppositum *Corbulonis* nomen: hunc enim ut legentibus iam satis notum cum pluribus nominibus consignare nollet, idem in Cincio observavit.

cias regebant, iussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Romanus Gnaeo Pompeio bellum Piraticum gesturo dederat. Regressum Paetum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Caesar, his ferme verbis, ignoscere se statim, ne tam promptus in
26 pavorem longiore sollicitudine aegresceret. At Corbulo quarta et duodecuma legionibus, quae fortissimo quoque amisso et ceteris exterritis parum habiles proelio videbantur, in Syriam translatis, sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem et crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam, quae per Pontum agens expers cladis fuerat, simul quintadecumanos recens adductos, et vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto, quodque alarum cohortiumque, et auxilia regum in unum conducta apud Me-

2. *Gn.* Mª. 8. *prael.* Or. *syria* Mª. 13. *illirico* Mª. *egypto* Mª. 14. *cohortium. quae et* Mª.

Medicei *citio* pro perpetua litterarum *t* et *c* commutatione est pro *cicio*, hoc autem eodem modo ex *Cincio* (*Cĩcio*) natum, ut XI 5 *cicia* ex *Cincia*. Orellius dedit *C. Itio*, hominem non cognitum, nomen autem tam insolitum, ut nonnisi ex nummo (Morellii Thes. I p. 201) L. ITI afferri possit. Quapropter qui pronomine carere nolet, simplicius *C. Cincio* reposuerit. Quod Pighius in Annalibus suis ad h. a. *Cestio* scribendum suasit, spernendum est: illum enim aut *Cestium Gallum*, ut H. V 10, aut praenomine addito vocaturus erat. Haec Cincii iurisdictio extra ordinem concessa haud dubie desiit post bellum a Corbulone compositum. Gallus autem a. 67 Syriae praepositus est post occisum Corbulonem.

praefectisque et procuratoribus: praefecti hoc loco memorati sunt duces cohortium et alarum socialium per provincias minores, in quibus nullae legiones, dispositarum, de quorum copiis accipienda verba c. 26 *quodque alarum cohortiumque.* Perperam Ernestius et pedisequi: 'praefectos per enallagen dictos puto. Solus enim Aegypti praeses intelligendus. Et Aegypti statim mentio et militum inde acceptorum.'

qui praetorum finitimas provincias regebant: genitivus *praetorum* non pendet a pronomine *qui* (sic enim debuit scribere *qui praetores*), sed a nomine *finitimas provincias. Praetorum* autem *provinciae* sunt *praetoriae*, h. e. in quas mittuntur qui nomine praetorum in urbe agentium in provinciis munia sua obeunt (propraetores). Cf. annot. ad I 74.

Cap. 26. *vexilla delectorum:* h. e. singulos manipulos ex legionibus delectos: e regione positae sunt *alae* sociorum et *cohortes.* Cohortes enim quae h. l. memorantur sunt leves sive sociales. *apud Melitenen*: est Melitene Cappadociae vel Armeniae minoris, haud procul ab Euphrate, regionis Melitenes caput: Ptolemaeus V 7 §. 5, VIII 17 39. Lipsius falso cogitavit de Susianae

litenen, qua tramittere Euphraten parabat. Tum lustratum rite exercitum ad contionem vocat, orditurque magnifica de auspiciis imperatoris rebusque a se gestis, adversa in inscitiam Paeti declinans, multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat. Mox iter Lucio Lucullo quondam penetratum, 27
apertis quae vetustas obsaepserat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non immitibus: nec enim adhuc eo ventum ut certamine extremo opus esset. Multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse, documento adversus superbiam. Proinde et Tiridati conducere intactum vastationibus regnum dono accipere, et Vologesen melius societate Romana quam damnis mutuis genti Parthorum consulturum. Scire quantum intus discordiarum, quamque indomitas et praeferoces nationes regeret. Contra imperatori suo immotam ubique pacem et unum id bellum esse. Simul consilio terrorem adicere, et megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum excindit, plana edita, validos invalidosque pari metu complet. Non infensum, nec cum 28

1. *tramittere* M^{a}, *transmittere* G. 2. *contionem* GM^{a}, non *concionem*. 3. *Imperatoriis* Beroaldus. *adversă inscitiam* GM^{a}: correxit Freinshemius. 5. *L.* M^{a}. 6. *obsepserat* M^{a}. 7. *had* M^{a}. 8. *inm.* M^{a}. 10. *docimento* M^{a}. 11. *pinde* cum lin. transversa in litt. *p* M^{a}, id est *perinde:* G *proinde.* *tyrid.* M^{a}. 12. *uologeses* M^{a}: G *Vologessem.* 14. *quanque* M^{a}. 15. *imperatoris* M^{a}: G *imperatori.* *immota* M^{a}. 18. *pelluit* M^{a}.

civitate: immo Melitene Susiana regio fuit, non urbs. Ptolemaeus VI 3 §. 3: *καλεῖται δὲ καὶ ἡ μὲν παρὰ τὸν Τίγριν χώρα Μελιτηνή.*

de auspiciis imperatoris: dicit auspicia eius qui *κατ' ἐξοχὴν* imperator est omnibusque ceteris imperatoria praebet, h. e. principis sive imperatoris Romani. Orditur igitur ab auspiciis sibi concessis a Nerone, deinceps devenit ad res his auspiciis a se gestis. Falso igitur Beroaldus *imperatoriis* scripsit, a multis editoribus cupide acceptum.

Cap. 27. *proinde:* cf. annot. ad III 17. *scire:* v. annot. ad III 40. *megistanas Armenios:* sunt nobiles Armeniorum, ut liquet ex proximis verbis *castella eorum excindit.* In Zend Avesta nominari *Mehestan* auctor Anquetil refert.

plana edita, validos invalidosque: v. annot. ad XI 6.

Cap. 28. *locus — barbaris delectus est*: Medicei scriptura *cum barbaris* orta est ex repetitione praepositionis *cum* in versu praecedente (*cum Paeto*), qui error auctorem codicis G induxit ut *esset* interpolaret: sed sic deest verbum *est* post *vitatus*, a plerisque editoribus liberaliter additum. Praeterea *Corbuloni*, ut est in A ex

hostili odio Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur, eoque consilium eius fidum credebant. Ergo Vologeses neque atrox in summam, et quibusdam praefecturis indutias petit. Tiridates locum diemque colloquio poscit. Tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessae cum Paeto legiones erant, barbaris delectus est ob memoriam laetioris sibi rei, Corbuloni non vitatus, ut dissimilitudo fortunae gloriam augeret. Neque infamia Paeti angebatur; quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit. Die pacta Tiberius Alexander, inlustris eques Romanus, minister bello datus, et Vinianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria aetate sed pro legato quintae legioni impositus, in castra Tiridatis venere, honori eius, ac ne metueret insidias tali pignore. Viceni dehinc equites adsumpti. Et viso Corbulone rex prior equo desiluit; nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterque dexteras
29 miscuere. Exin Romanus laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem. Ille de nobilitate generis multum praefatus, cetera temperanter adiungit: iturum quippe

2. *consilio*, ultimae litt. superscr. *ũ*, M^a. *fidum cre* (in versus fine) *credebant* M^a. 6. *cum barbaris* M^a: *cum* expunxi suadente Doederlinio. 6. *est* M^a: G *esset*. *memoria* M^a. *Corbuloni* A: M^a et alii *Corbulo*, G *a corbulone*. 8. *angebatur* M^a, *augebatur* G. 10. *tyb.* M^a. 13. *inp.* M^a. *tyrid.* M^a. 14. *honori* Lipsius: M^a *honor*, G *honore*. 16. *dexteras* M^a, *dextras* G. 17. *precip.* M^a. 18. *capescentem* M^a. *militum* M^a, *multa G*: *multum* Puteolanus.

vera correctione, in M^a ante proximum *non* in *Corbulo* corruptum est. Hoc statuere ad criticae artis legem magis convenit quam aut scribere cum Bekkero *Corbulo non vitavit* et paulo ante *cum barbaris delectus esset*, aut cum Puteolano et Beroaldo *cum a barbaris delectus esset* — *non est a Corbulone vitatus.*

neque infamia Paeti angebatur — pugnae imperavit: postquam indicavit Tacitus cur locum a barbaris delectum non vitaverit Corbulo, adiungit neque eam Paeti sui olim collegae curam illi fuisse, ut infamiam eius amovere vel minuere operam dederit, immo fecisse et imperasse quo cresceret illa: nam filius dum operiebat malae pugnae reliquias, patris culpa et flagitium animis militum denuo obversabantur et hominum de illo sermonibus materiam praebebant.

minister bello datus: hinc coniicias Alexandrum non certum militiae gradum, veluti legati vel praefecti vel tribuni, obtinuisse, sed magis ad legationes obeundas additum esse. Mox Aegypto praepositus est: v. H. I 11 ibique annot.

honori eius: sic recte Lipsius: *honore eius*, ut est apud Puteola-

Romam, laturumque novum Caesari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden. Tum placuit Tiridaten ponere apud effigiem Caesaris insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere; et colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna utrimque specie, inde eques compositus per turmas et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi. Medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, caesis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum caedes aut obsidio. At nunc versos casus: iturum Tiridaten ostentui gentibus, quanto minus quam captivum! Addidit gloriae Corbulo comitatem 30
epulasque; et rogitante rege causas, quotiens novum aliquid

5. *utrimque* M^a^, G *utrinque*. 7. *dm* cum lin. M^a^. 9. *cesis* M^a^. 10. *sublati* M^a^: correctum in G et Oxoniensibus. *capiti* M^a^ et alii: tacite correxit Rhenanus, non Beroaldus, ut narrant Waltherus et Orellius. 13. *iterum* M^a^: tacite correxit idem, non Beroaldus, ut narrat Orellius secutus Waltherum. 15. *aliquit* M^a^.

num et in G, non bene simili loco H. I 44 vindicatur: ibi enim *non honore Galbae* perinde est ac *nullo honore Galbae*. Neque aptum est exemplum quod ex XIV 58 a Walthero affertur, *Asiam favore iuvenis arma cepisse*: nam ille *favor* non est qui conciliandus demum sit, sed qui iam adest: contra per *honori eius* denotatur honor demum parandus (*zur Auszeichnung für ihn*), idque huius loci sententia postulat.

Cap. 29. *et sedes:* intellige ipsam sedem curulem, in qua residebat principis simulacrum; v. annot. ad XIII 2. Dio LXII 23: ἀλλὰ καὶ βῆμα ὑψηλὸν ἠγέρθη καὶ ἐπ' αὐτοῦ εἰκόνες τοῦ Νέρωνος ἐστάθησαν.

Cap. 30. *ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari*: Vegetius III 8: *quia impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quattuor partes ad clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliae committuntur, et finitis horis a cornicine revocantur.* Quarum vigiliarum initia epulanti cum amicis Corbuloni centurio nuntiabat. Non loquitur rerum scriptor de iis qui vigilias per castra obeunt.

convivium bucina dimitti: v. Polyb. XIV 3 6. Liv. XXX 5.

Cap. 31. *Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit: apud Medos* dicit regnum Mediae a Vologese fratri Pacoro destinatum et donatum: XV 2. Ei regno familiae princeps fines dederat quos ipse voluit. Sibi et Parthorum regno Ecbatana in meridionali parte Mediae situm reservaverat: nam Parthorum imperium ex variis terris et gentibus coaluerat. Hac ratione Ryckii dubitatio et miratio solvetur haec annotantis: 'mirum

adverterat, ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium bucina dimitti et structam ante augurale aram subdita face accendi, cuncta in maius attollens admiratione prisci moris adfecit. Postero die spatium oravit, quo tantum itineris aditurus fratres ante matremque viseret: obsidem interea filiam
31 tradit litterasque supplices ad Neronem. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit, non incuriosum fratris: quippe et propriis nuntiis a Corbulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret, neu ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur foribusve eorum adsisteret; tantusque ei Romae, quantus consulibus, honor esset. Scilicet externae superbiae sueto non inerat notitia nostri, apud quos vis imperii valet, inania tramittuntur.
32 Eodem anno Caesar nationes Alpium maritimarum in ius Latii transtulit. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis

2. *auguralē* GM^a: *augurale* Lipsius et sic A. 3. *ammir.* M^a 4. *aff.* Or. 6. *pacorem* M^a. 10. *opt.* M^a. 12. *inherat* M^a, 13. *vis* M^a, *ius* G.

quod dicat Pacorum *apud Medos* repertum, Vologesen *Ecbatanis*, quasi Ecbatana, quae Mediae caput, in Medis non fuerit;' ad quam mire respondit Orellius: 'hoc dicit, illum in parvo aliquo oppidulo Mediae vel etiam in castris in Media positis, hunc vero in eius ipso capite repertum esse.'

quippe et propriis nuntiis a Corbulone petierat: opponit *proprios* Vologesis nuntios eis legatis, quos Vologeses et Tiridates de communi et publico negotio ad Corbulonem miserant; v. c. 27. Similiter c. 49: *Lucanum propriae causae accendebant.*

Cap. 32. *in ius Latii transtulit:* quod iuris Galliae Comatae populis ante concessum erat (v. XI 23 et 25 ibique annot.), idem Nero nunc nationibus Alpium maritimarum donat. Quo iure quae praeditae erant civitates, earum proceres, h. e. qui magistratum vel honorem apud suos gesserant, civitatem Romanam adipiscebantur et aditu ad honores gaudebant. Vid. Ascon. in Cic. Pison. p. 3 ed. Orell. Gai Comment. I §. 96. Strabo IV 1 §. 12, V 1 6. Plinius N. H. III 3, V 1. Alter Plinius Paneg. 37. Cf. Cic. ad Att. V 11 2, ad Famil. XIII 35, Philipp. XIV 12, Sueton. Aug. 47, Tacit. H. I 8 et 78, III 55.

equitum Romanorum locos — apud circum: ludos circenses indiscreti spectare soliti sunt Romani usque ad a. 758, quo patres et equites discreti loca sua inibant, narrante Dione LV 22, quamquam illud extra ordinem et nulla lege lata evenit, idque usu venisse Dio tradit in verbis statim transcribendis. Nam senatorum loca Claudius demum discrevit; Sueton. 21: *circo vero maximo marmoreis carceribus auratisque metis, quae utraque et tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis.* Dio LX 7: *ἑώρων μέν που πρότερον ἐν αὐτῷ* (in circo) *ἰδίᾳ*

anteposuit apud circum. Namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quattuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum inlustrium senatorumque plures per arenam foedati sunt.

33 Gaio Laecanio Marco Licinio consulibus acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat, Iuvenalibus ludis, quos ut parum celebres et tantae voci angustos spernebat. Non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit: inde initium fore ut transgressus in Achaiam, insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus, maiore fama studia civium eliceret. Ergo contractum oppidanorum vulgus, et quos e proximis coloniis et municipiis eius rei fama civerat, quique Caesarem per honorem aut varios usus sectantur,

2. *nichil* M[a]. 3. *sancxit* M[a]. 4. *ill.* Or. 5. *fedati* M[a]. 6. *G.* M[a]. *Laecanio* M[a], *Lexanio* G. *M.* M[a]. *cos.* M[a]. 7. *promiscuas* h. l. M[a]. 8. *caecinerat* M[a]. *iuvenalibus* M[a], *iuuenilibus* G. 9. *tante* M[a]. 11. *transgressis* GM[a]: emendatum in CR. 13. *volgus* M[a]. 14. *civerat* GM[a], *acciverat* B.

καὶ κατὰ σφᾶς ὡς ἕκαστοι, τό τε βουλεῦον καὶ τὸ ἱππεῦον καὶ ὁ ὅμιλος, ἀφ' οὗπερ τοῦτ' ἐνομίσθη, οὐ μέντοι καὶ τεταγμένα σφίσι χωρία ἀπεδέδεικτο· ἀλλὰ τότε ὁ Κλαύδιος τήν τε ἕδραν τὴν νῦν οὖσαν τοῖς βουλευταῖς ἀπέκρινε, καὶ προσέτι τοῖς ἐθέλουσι σφῶν ἑτέρωθί που καὶ ἔν γε ἰδιωτικῇ ἐσθῆτι θεάσασθαι ἐπέτρεψε. De Nerone equitum loca separante Sueton. 11: *circensibus loca equiti secreta a celeris tribuit.* Plinius N. H. VIII 7: *Caesar dictator — euripis arenam circumdedit; quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens.*

lex Roscia: de hac lege lata a. 687 = 67 a L. Roscio Asconius in Cornelianam p. 78: *L. Roscius Otho biennio ante confirmavit, in theatro ut equitibus Romanis quattuordecim ordines spectandi gratia darentur.* Adde Cic. Philipp. II 18, ad Att. II 19 3. Horat. Epod. 4 15—16, Epist. I 1 62—67. Iuvenal. III 159, XIV 324. Liv. Epit. 99. Velleius II 32. Dio XXXVI 25.

feminarum inlustrium senatorumque: 'cur invertitis, censores? Non enim, inquiunt' (Rhenanum dicit corrigere tentantem), 'probabile feminas descendisse in arenam. Boni viri, quam bene sentiunt de sexu, quo nihil abruptius, cum semel frenum excussit ingeniti pudoris! Sed discite et credite priscis, non in caveam solum feminas venisse, sed in arenam. Iuvenalem omitto Satyra 6 255 sq. Suetonius ecce in Dom. 4: *venationes gladiatoresque et noctibus ad lychnuchos dedit; nec virorum modo pugnas, sed et feminarum.* Et Statius de iisdem ludis Silv. I 6 53: *stat sexus rudis insciusque ferri, et pugnas capit improbus viriles. Credas ad Tanaim ferumque Phasim Thermodontiacas calere turmas.* Adeoque id verum et vulgatum, ut Severo imperante cavendum SC fuerit *μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα*

34 etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse, providum potius et secundis numinibus evenit: nam egresso, qui adfuerat, populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est. Ergo per compositos cantus grates dis atque ipsam recentis casus fortunam celebrans, petiturusque maris Hadriae traiectus, apud Beneventum interim consedit, ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias adsumptus; dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit ut gratia pecunia,
35 vi nocendi etiam malos praemineret. Eius munus frequentanti Neroni ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur. Isdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia super Iuniae familiae claritudinem divum Augustum

2. *arbitrantur* BGM^{a}: tacite correxit Rhenanus. 3. *aff.* Or. 5. *conp.* M^{a}. 8. *faed.* M^{a}. 10. *scurilibus* M^{a}. *in* GM^{a}, *inter* C. *ass.* Or. *dehinc* M^{a}, *deinde* G. 14. *Silanus* M^{a} (non *Sillanus*).

μονομαχεῖν: ait in Severo Xiphilinus LXXV 16.' Lipsius.

Cap. 33. *Gaio Laccanio:* hanc formam Medicei confirmat titulus apud Muratorium I p. 305 et sic plerumque id nomen effertur in inscriptionibus: sed etiam *Lecanios* esse apud Muratorium 1402 7, 1476 9 monuit Orellius. Plinio XXVI 4 audit *Q. Laecanius Bassus.* Alter consul est Marcus Licinius Crassus, quem occidit Nero a. a Chr. 67: H. I 48.

Cap. 34. *maris Hadriae traiectus:* dicit oppidum Brundusium. In via per Samnites a Neapoli ad Brundusium ducente Beneventum situm erat. *Hadriae* pro *Hadriatici* posuit poetarum sermonem secutus.

Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit: conf. Dio ap. Xiphil. LXIII 15. Iuvenal. V 46. Martial. XIV 96. Potentiam Vatinii aut sub finem anni a. Chr. 66 aut principio 68 fractam esse opera et studio Materni tragici poetae, id colligere licet ex verbis dialogi de Orat. 11 recte explicatis et cum superstite Annalium parte comparatis. Ea de re ipse copiose dixi in praefatione Octaviae p. XVII —XXIV. Cf. H. I 37.

facetiis scurrilibus: dialogi (11) verba *studiorum quoque sacra profanantem* hinc explicanda sunt.

in contumelias adsumptus: nomen *contumeliae* sensu qui dicitur concreto positum est, h. e. homines contumeliae exponendi, ut alibi *amores*, *deliciae*, cet.

Cap. 35. *divum Augustum atavum ferebat:* si frater fuit Lucii et Marci Silanorum (XII 1, XIII 1) Augusti abnepotum, ut satis verisimile est, cum Ryckio *abavum* pro *atavo* rectius scribetur. Ipsum Tacitum errasse in ea re equidem non credam. Nam cum haec scripsit, iam rerum ab Augusto gestarum historiam animo conceperat (III 24) et in totum illud argumentum probe ab omnibus partibus inquisiverat. Verbum *ferebat*

atavum ferebat. Iussi accusatores obicere prodigum largitionibus, neque aliam spem quam in rebus novis esse. Quin non ignobiles habere quos ab epistulis et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique, et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit. Secutaque Neronis oratio ex more, quamvis sontem et defensioni merito diffisum victurum tamen fuisse, si clementiam iudicis expectasset.

36 Nec multo post, omissa in praesens Achaia (causae in incerto fuere), urbem revisit, provincias Orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto testificatus non longam sui absentiam et cuncta in re publica perinde immota ac prospera fore, super ea profectione adiit Capitolium. Illic veneratus deos, cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus,

1. *iussis* M[a]: correctum in ACR. *prodicum* M[a]. 2. *quin non ignobiles* editor: BM[a] *qui ne innobiles*, G *qui ne ignobiles*, Rhenanus *quin eum nobiles*, Seyffertus *quin in villis*, Bezzenberger *quin et ingenio nobiles.* 3. *eplis* cum lin. transversa in litt. *l.* M[a]. 5. *abrectique* M[a]: G *abrepti que.* 11. *dicto* M[a]: *edicto* tacite Rhenanus. 12. *in repperiende immota* M[a], *in re p. exinde immota* G: correxit Pichena. 13. *prospere* M[a]: G *prospera.* 14. *veneraturus* G et Oxonienses. *ueste* M[a]. 15. *cuncto* M[a]. 16. *exterente* M[a]. *nūquam* M[a].

significat Silanum origine sua imprudenter gloriari solitum esse.

quin non ignobiles habere: id ipsum quod Silanus vilibus ministeriis non ignobiles adhibere dicebatur eisque nomina imposuit a Caesaribus in suis libertis usurpata, argumentum videbatur, eum meditari principatus administrationem. Per *non ignobiles* significantur equites et liberti procurationes ambientes, atque equites etiam Vitellius eiusmodi muneribus imposuit. H. I 58: *ministeria principatus per libertos agi solita in equites Romanos disposuit.* Neque obstant quae XVI 8 leguntur, *ipsum dehinc Silanum increpuit isdem quibus patruum eius Torquatum, tamquam disponeret iam imperii curas, praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos:* nam idem crimen est, sed paulo aliter subornatum. Scriptura Medicei *qui ne innobiles* nata est ex *quin nō ĩnobiles* omissa altera littera *n* et inter pronuntiandum obscurata. In iis quae Rhenanus dedit offendit pronomen *eum*, in eiusmodi locis a Tacito omissum, in quibus verba delatorum paulum immutata reddere voluit. Tum nimium illud est, nobiles habere Silanum quos ab epistulis appellet, atque hoc recte monitum a Seyfferto.

interscidit, h. e. venas transversum abscidit. *Quamvis sontem* est quantacumque culpa oneratum.

Cap. 36. *omissa in praesens Achaia:* sub finem anni a Chr. 66 hoc iter executus est, sed paulo ante id tempus Annalium opus deficit.

deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans. Vidisse maestos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum iter aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri. Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita populum Romanum vim plurimam habere parendumque retinenti. Haec atque talia plebi volentia fuere, voluptatum cupidine, et quae praecipua cura est, rei frumentariae angustias, si abesset, metuenti. Senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur: dehinc, quae natura magnis timoribus, deterius crede-
37 bant quod evenerat. Ipse quo fidem acquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia totaque urbe quasi domo uti. Et celeberrimae luxu famaque epulae fuere, quas a Tigellino paratas ut exemplum referam, ne saepius eadem prodigentia narranda sit. Igitur in stagno

2. *mestos* Mª. 3. *iter aditurus* G: *auditurus* Mª. 9. *frumentaria* Mª. 12. *evenerant* superscr. *t* litteris *nt* Mª. *nichil* Mª. 14. *celeberrime* Mª. *aepulae* Mª. 15. *exemplă* (id est *exemplam*) Mª, non *exemplar*, ut narrat Pichena: *exemplum* G et alii. *referam* Mª, *feram* G. 16. *sepius* Mª.

vidisse maestos — principis refoveri: irrisionis causa et ad depingendam Neronis impudentiam pari iunctam stultitiae haec diligenter a rerum scriptore referuntur.

tantum iter: vocabulum *iter* in Mª periit, celeri pronuntiatione *tantiter* haustum. *adversum fortuita*: fortuita esse *adversae* fortunae casus, praepositione *adversum* significatum est et verbo *refoveri.*

plebi volentia fuere: audacter et nove hoc dictum est, *volentia* pro eo quod plebs volebat eique acceptum erat. Quod minus audax, Sallustius in Iugurtha c. 84 praeiverat: *alia praeterea magnifica pro se* (Marius dictitare) *et illis dolentia.* Idem quarto libro Historiarum apud Nonium p. 186 19: *multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.* Tacitus H. III 52: *Muciano volentia rescripsere.*

Cap. 37. *et celeberrimae luxu famaque epulae fuere:* eandem rem paulo aliter tradit Dio ap. Xiphilinum LXII 15. Sueton. Ner. 27. Conf. auctor Octaviae (Maternus) v. 431:

Turpi libido venere dominatur potens,
Luxuria victrix orbis immensas opes
Iam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.

in stagno Agrippae: situs eius stagni certe definiri nequit, et admodum incerta narrant qui locum illum in hortis Agrippae prope Pantheon in septima urbis regione sibi videntur repperisse. Mihi idem stagnum memorari videtur, cuius mentio facta est XII 56, XIV 15, h. e. stagnum trans Ti-

Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. Naves auro et ebore distinctae; remigesque exoleti per aetates et scientiam libidinum componebantur. Volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. Crepidinibus stagni lupanaria astabant inlustribus feminis completa: et contra scorta visebantur nudis corporibus. Iam gestus motusque obsceni; et postquam tenebrae incedebant, quantum iuxta nemoris, et circumiecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere. Ipse per licita atque inlicita foedatus, nihil flagitii reliquerat quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae fuit) in modum sollemnium coniugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum; visi auspices, dos et genialis torus et faces nuptiales; cuncta denique spectata quae etiam in femina nox operit.

2. *distincte* M^{a}. 6. *ill.* Or. 7. *iam Iestus* M^{a}. 10. *faed.* M^{a}. 12. *cui nomen* G. *fuit immodum* M^{a}. 13. *sollempnium* M^{a}. 14. *misit* M^{a} cum celeris: *visi* Rhenanus. *dos* M^{a} (*d'os* apud Pichenam typothetae vitium videtur): G *duos* in rasura.

berim prope Caesarum nemus situm in quartadecima regione. Eius Strabo meminit XIII 1 19: *ἐντεῦθεν (ἐκ Λαμψάκου) δὲ μετήνεγκεν Ἀγρίππας τὸν πεπτωκότα λέοντα, Λυσίππου ἔργον· ἀνέθηκε δὲ ἐν τῷ ἄλσει τῷ μεταξὺ τῆς λίμνης καὶ τοῦ εὐρίπου.* Ammianus autem an idem intelligat XXIX 6 19, incertum est. Eius verba: *instauravit* (Claudius praefectus urbis) *vetera plurima; inter quae porticum excitavit ingentem lavacro Agrippae contiguam.*

licita atque inlicita: per *licita* indicatur Neronis cum feminis consuetudo, sive illustres erant sive scorta, per *inlicita* aut eiusdem cum viris complexus aut concubitus cum feminis nefando more institutus.

denupsisset: iam Nero mulier nubit scorto mari: sed anno 67 in Achaiam profectus Sporum quasi feminam sibi marito iunxit; Dio ap. Xiphil. LXIII 13. Rei foeditas etiam verbo *denubendi* significata est. Similem connubii a binis maribus initi celebrationem describit Iuvenalis II 114—120, 134—138. In nomine eius cui denupsit Nero Suetonius discrepat a Tacito Doryphorumque appellat c. 29. Consentit Tacito Dio Cassius LXII 28, LXIII 13. Cf. Aurel. Victor de Caesaribus c. 5 §. 5: *eo progressus est, uti neque suae neque aliorum pudicitiae parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie* (Tacitus: *inditum imperatori flammeum*), *palam senatu, dote data, cunctis festa more celebrantibus, in manum conveniret lecto ex omnibus prodigiosis. Lecto ex omnibus prodigiosis* ad imitationem Tacitinae locutionis *uni ex illo contaminatorum grege* scriptum est. Sulpicius Severus Hist. sacra II 28 §. 2:

38 Sequitur clades, forte an dolo principis incertum (nam utrumque auctores prodidere), sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt gravior atque atrocior. Initium in ea parte circi ortum quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit. Neque enim domus munimentis saeptae vel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. Impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita adsurgens, et rursus inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessi aevo aut rudis pueritiae aetas, quique sibi quique

3. *occiderunt* M^a: G *acciderunt*. 4. *circy* M^a. 6. *ceptus* M^a. 8. *septe* M^a. 10. *assurg*. Or. 12. *hicque* M^a: G *huc que*. 14. *fessi aevo aut* editor: GM^a *fessa aetate aut*, A *fessa senum ac*.

id tantum adnotasse contentus sum, hunc per omnia foedissima et crudelissima eo processisse ut matrem interficeret, post etiam Pythagorae cuidam in modum sollemnium coniugiorum nuberet; inditumque imperatori flammeum; dos et genialis thorus et faces nuptiales; cuncta denique quae vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur spectata. Verba transcripsi, ut sint argumento sub exitum seculi quarti et initium quinti Taciti Annales in manibus doctorum hominum versatos esse. Cf. ad c. 44.

inditum imperatori flammeum: imperatoris nomen additum ad indignitatem rei depingendam.

visi auspices: auspicibus coram dos consignata est. Cf. XI 27.

cuncta denique spectata: spectari dicuntur quae saepius et cum delectatione conspiciuntur.

Cap. 38. *nam utrumque auctores prodidere:* ad dolum principis refert Suetonius 38, aperte pronuntiat Dio ap. Xiphil. LXII 16—18 et auctor (Maternus) Octaviae v. 831—833, etiam Plinius XVII 1: *duraveruntque* (loti Cn. Domitii) *— ad Neronis principis incendia quibus cremavit urbem.* Orosius VII 7 Suetonium in his secutus est, non Tacitum. Unus Tacitus iustam cautionem adhibuit.

per violentiam ignium: numerus pluralis ex poetarum sermone repetitus est et elegantius electus quam si *incendiorum* posuisset.

id mercimonium — alitur: 'devitat propria illarum mercium, veluti olei, picis, resinae, sulfuris nomina, utpote historia minus digna'. Haec perite Orellius.

qualis vetus Roma fuit: urbs Roma a Gallico incendio festinanter restituta; Liv. V 5: *festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo aedificant.*

fessi aevo aut rudis pueritiae aetas: nove et exquisite senes et pueros puellasque prima aetate significavit. Quod inest M^a *fessa*

aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars mora, pars festinans, cuncta impediebant. Et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur; vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant in eodem casu reperiebant. Postremo, quid vitarent quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros; quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus *egeni*, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio interiere. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent, seu iussu. Eo in tempore Nero Antii agens non ante in 39

2. *mora* M^a^, *morans* G. 4. *ignis* M^a^: G *igni*. 5. *que* M^a^. *longinqua cre* (in versus fine) *crediderant* M^a^. *repperiebantur* M^a^: *reperiebant* I. Fr. Gronovius. 8. *egeni* interpositum ab editore. 12. *auctore* M^a^.

aetate neque tolerari ullo modo potest, ex sincero *fessi aevo* prodiit ita, ut litteris dissociatis *fessia* (= *fessi a*) male corrigeretur *fessa*, *evo* reliquum vel *ev*, cum *o* littera a proximo *aut* hausta esset, pro compendio nominis *aetate* a scriba haberetur in proximum *aetas* iam intento. Conf. XVI 30: *grandis aevo parens.* 13: *aetate aut valetudine fessi.* H. III 2: *valetudinibus fessos.* II 42: *fessus senio.* 54: *provincias — iniuriis fessas refovebat.* III 63: *quorum copia fessi patres.* XII 13: *nivibus et montibus fessi.* H. V 16: *quis — fessis bello pacis amor.* Neque in eo iusta offensio quod vocabula alioqui synonyma in confinio posita sunt: nam *aevum* nunc humanae vitae tempus, *rudis pueritiae aetas* eos qui tali sunt aetate denotat.

etiam quae — reperiebant: non modo *proxima* igne correpta offendebant, sed quae longinqua crediderant, etiam haec in eodem casu reperiebant. Significandae rei atroci et cadenti praeter expectationem forma verbi *reperiebant* egregie convenit. Corruptum autem *reperiebantur* natum est, cum vetus librarius pro *reperiebāt* legere sibi visus est *reperiebāt* cum cauda in littera *t*.

diurni quoque victus: genitivum a nominis notione quae lateat in *fortunis* aut *amissis*, suspensum faciunt interpretes, alii de *copiis*, alii de *inopia* aut *amissione* cogitantes. Ipsa discrepantia ostendit quam incerta et prorsus dubia haec ratio sit. Iam varietatis amor Tacito proprius non concesserit, ut eandem structuram continuaret, sed postulat ut genitivum a vocabulo non sua culpa omisso pendere statuamus. Eam vocem fuisse *egeni* probabili coniectura, non certa, divinavi. Conf. I 53: *omnis spei egenam — peremit.* XV 3: *quia egena aquarum regio est.*

Cap. 39. *qua Palatium et Maecenatis hortos continuaverat*: etiam ante quam immensae molis opus, domum auream, Nero extrueret, magnificis aedificationibus opes publicas ac suas effuderat. Sueton. c. 31: *non in alia re tamen damnosior quam in aedificando. Do-*

urbem regressus est quam domui eius, qua Palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin et Palatium et domus et cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit, et subitaria aedificia extruxit quae multitudinem inopem acciperent; subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. Quae quamquam popularia in inritum cadebant, quia pervaserat rumor ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scenam et cecinisse Troianum excidium,
40 praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem. Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per

1. *mecenatis ortos* M^a. 3. *domos* M^a: G *domq.* 4. *solacium* M^a. 5. *ortos* M^a. 6. *edificia* M^a. 7. *suuectaque* M^a. 8. *p̄tiumque* M^a. 9. *que* M^a. *quāquam* M^a. *irr.* Or. 10. *rumori* M^a, *rumore* G: *rumor* B et Puteolanus. 13. *exq.* GM^a. *proruptis* GM^a: correxit I. Fr. Gronovius.

mum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque auream nominavit. Horti Maecenatis in Esquiliis erant.

monumenta Agrippae: intelligit Vipsaniam porticum (cf. H. I 31), Agrippae monumentum sepulcrale (Dio LIV 28), thermas, saepta Iulia (Dio LIII 23), Diribitorium, Pantheum (Plin. XXXVI c. 4 §. 11 et c. 24 §. 1. Dio LIII 27).

utensilia: v. annot. ad I 70.

pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos: hoc pretio omnibus Romae civibus emere frumentum tunc licuit, non solum pauperibus; cf. annot. ad XV 18.

pervaserat rumor: Medicei scriptura *rumori* nata est ex prima littera proximae vocis *ipso* per imprudentiam adoptata.

Troianum excidium: rumori dedit occasionem carmen ipsius *ἅλωσις Ἰλίου.* Etiam hoc tamquam rem in facto positam incauti et securi narrant Suetonius cap. 38 et Dio LXII 18.

Cap. 40. *sexto demum die:* 'at Suetonius ait sex dies septemque noctes ea clade saevitum. Uterque longe abit a lapide prisco, qui novenos commemorat, Romae ad Basilicam Petri' (conf. Gruteri p. 61 3, apud Orellium n. 736): '*ex voto suscepto, quod diu erat neglectum nec redditum, incendiorum arcendorum caussa, quando urbs per novem dies arsit Neronianis temporibus. Et hac lege dedicata est, ne cui liceat intra hos terminos aedificium extruere.* Conciliari facile noster potest, quia mox addit ignem redisse, primum ut incendium sex dierum fuerit, alterum trium. Suetonium aut lapidem certe non excuso'. Lipsius.

prorutis per immensum aedificiis: non mirabor equidem, si quis librorum scripturam *proruptis* ita vindicare studeat, ut de aedificiis igne nondum correptis et ante ad inhibendum incendii progressum hominum manibus prostratis cogitet, quo facto subsequens *ut* consilium indicabit, non effectum.

immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret. Necdum posito metu redit haud levius rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis; eoque strages hominum minor, delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius procidere. Plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat; videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. Quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor integrae manebant, tres solo tenus deiectae: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et semusta. Domuum et insularum 41

1. *inm.* M^a. *edif.* M^a. *uelud* M^a. 2. *necdum posito metu redit haud levius* editor: M^a *necdum post metus aut rediebat lebis*, G *nec dum post metus aut residebat leuis: nec dum posito metu satis credebatur: quum leuis*, idemque Harl. Ies., posteriorem lectionem Bodl. 4. *dm* cum lin. M^a. 5. *dicata elatius* M^a. 6. *tigillini* M^a. 7. *condende* M^a. 9. *quorum* M^a. 11. *semusta* M^a, *semiusta* G. *domũ* M^a.

Sed huic explicationi utique adversatur quod prudenter additum est *per immensum*. Nam in incendiis pauca interdum aedificia rumpuntur ad inhibendam ignis violentiam, nunquam vero per immensum aedes destruuntur.

necdum posito metu redit haud levius rursum grassatus ignis: libri Medicei scriptura *necdum post metus aut rediebat lebis rursum grassatus ignis* pro fundamento usus, ac praeterea *posito metu* pro vitioso *post metus* ex Puteolani editione Mediolanensi et libro Bodleiano aliisque recepto, *levius* autem (*lebis* sive *levis* ex nota *leviq*, i. e. *levius*, ortum est) a Lipsio ascito, vocem *rediebat* resolvi in *redie bat* et hoc correxi *redit haud* (*haud* saepe in hoc libro scribi memineris *hat* vel *haut*). Ipsa negatio, hoc loco oblitterata, a correctore ante verbum immutatum et corruptum *rediebat*, omissa quod fieri solet aspirationis nota (*aut*), sinistre suppleta est. Sententia scriptoris in hunc modum certe omnino restituitur; hunc enim non dicere voluisse *levius grassatum* esse alterum incendium, immo *haud levius grassatum esse*, id ex subiectis apparet. Nam si in secunda ignium vi minor hominum strages accidit, delubra deum et porticus latius tunc prociderunt, ut unum altero compensetur ideoque secundum incendium *haud levius* grassatum esse dici oporteat. Alii haec tentavere. Hillerus: *necdum posito metu, redibat levius — ignis;* Doederlinius: *necdum positi metus; redibat haud levius — ignis;* Bezzenberger: *necdum positus metus haud levius redibat: rursum grassatus ignis.*

praediis Tigellini Aemilianis proruperat: praedia *Aemiliana* quae in Aemilianis posita sunt, qui est locus ad campum Martium extra urbem. Varro de R. R. III 2: *eorum aedificia qui habitant extra portam Flumentanam aut in Aemilianis.* Sueton. Claud. 18: *cum Aemiliana latius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit.*

Cap. 41. *domuum et insularum:* cf. annot. ad VI 45. *quod Servius Tullius Lunae:* Lunae templum in Aventino; Livius XL 2: *tempestas — forem ex aede Lunae quae in Aventino est raptam tulit*

et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacraverat, aedesque Statoris Iovis vota Romulo, Numaeque regia et delubrum Vestae cum penatibus populi Romani exusta. Iam opes tot victoriis quaesitae, et Graecarum artium decora; exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerunt, quae reparari nequibant. Fuere qui adnotarent quartumdecimum kalendas Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflam-

3. *erculi* M^a. 6. *quesitae et grecarum* M^a. 7. *monumenta* GM^a (non *monimenta*). 9. *meminerunt* editor: M^a *meminerint*, Rhenanus *meminerant*. 10. *quartumdecimum kal.* editor: *XIIII. kal.* M^a, *quarto decimo calendas* Bekkerus; cf. annot. ad 6 50. 11. *quo et* Rhenanus in contextu, qui in castigationibus *et quo*, ut est in M^a et apud Beroaldum, *ex quo* in Basileensi sive Alciatina a. 1519 et C.

et in posticis partibus Cereris templi affixit. Adde Ovidii Fast. III 883. Vitruvius V 5 8. Orosius V 12. Cf. Becker A. R. t. I. p. 455 sq. Lunae templum a Servio sacratum esse unus Tacitus narravit. Aedem Dianae in Aventino Servii opera constitutam esse cum celebris fama fuerit (Liv. I 45, Dionys. IV 26), Tacitus fortasse infida recordatione in Lunae templum transtulit quod de fano Dianae traditum erat.

magna ara fanumque: cf. XII 24. Liv. I 7. Dionys. I 40. Propert. IV 9 67. Virgil. Aen. VIII 271. Ovid. Fast. I 582. *aedesque Statoris Iovis vota Romulo:* v. Liv. I 12. Ovid. VI 793.

Numaeque regia et delubrum Vestae: cf. Horat. Carm. I 2 15: *monumenta regis templaque Vestae.* Ovid. Fast. VI 263; Trist. III 1 27. Dionys. II 66. Plutarch. Numa 14. Beckeri Antiq. R. I p. 222 sqq. et 289 sq. *cum penatibus populi Romani:* breviter dixit pro 'cum delubro penatium populi Romani'. Aedes penatium in Velia, ut liquet ex Varrone de L. L. V §. 54, Livio XLV 16, Dionysio I 68. Cf. Beckeri A. R. I p. 246.

Graecarum artium decora: statuae, tabulae, aera artificum Graecorum. His opponuntur *monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta,* h. e. antiqua simplicitate facta. Intelligit rudis antiquitatis opera minus quidem perfecta, sed ob summam vetustatem reverenda, quae nullo novorum artificum labore aut arte reparari poterant. Lipsius non bene dici putavit 'libros veterum scriptos, multos ab ipsis auctoribus, qui in privatis aut publicis bibliothecis perierunt'; quam interpretationem falsam esse verba *quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine* monstrant.

multa seniores meminerunt: *multa* vox iungenda cum *monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta.* Eiusmodi multa seniores Taciti temporibus recordabantur, quae ipse Tacitus, quamvis senex, non iam vidit aut certe non reminiscitur. Sed haec sententia bona et sana ut oriretur, restituendum erat *meminerunt*, pro *meminerint* corruptum a scribis, illud ad proximum *quamvis* perperam referentibus.

maverint. Alii eo usque cura progressi sunt ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent.

Ceterum Nero usus est patriae ruinis, extruxitque domum 42
in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvae inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quae natura denegavisset, per artem temptare et viribus principis inludere. Namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore, aut per montes adversos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinae paludes: cetera abrupta aut arentia; ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis causae.

3. *caeterum* Ma. 4. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) Ma: *pinde*, h. e. *perinde*, G. 5. *volg*. Or. 9. *temptare* Puteolanus: Ma *temperare*, G *tentare*. *ill*. Or. statim fortasse fuit *iamque*. 10. *hostia* Ma. *tyb*. Ma. 12. *aliut* Ma. 13. *caetera* Ma.

ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent: numerabant annos 418, menses 418, dies 418, quibus colliguntur anni 454, intervallum temporis ab urbe a Gallis ambusta (364) usque ad incendium principe Nerone, deficientibus tamen diebus octo, quos quomodo curiosi rationi suae accommodaverint, nobis incertum est. Hanc interpretationem ingeniosam et veram praeivit G. F. Grotefend in Museo Rhenano a. 1843 (III 1) p. 152. Ante haec verba perperam relata sunt ad spatium ab urbe condita ad incensam a Gallis (anni 363 et dimidius) et ad tempus quod hinc effluxit usque ad incendium Neroneum (anni 454), quo tota computatio pervertitur.

Cap. 42. *usus est patriae ruinis:* ex diverso ponuntur utilitas unius et ruinae civium. *Usus est* Theodisce dicimus *er machte sich zu Nutzen.* *arva et stagna:* Sueton. 31: *vestibulum eius fuit in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie; tanta laxitas ut porticus triplices milliarias haberet; item stagnum maris instar circum, saeptum aedificiis ad urbium speciem; rura insuper, arvis atque vinetis et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita* cet.

ab lacu Averno — ad ostia Tiberina: Plin. N. H. XIV 8 (6): *antea Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis sinu Amyclano; quod iam intercidit et incuria coloni locique angustia, magis tamen fossa Neronis, quam a Baiano lacu* (idem est qui *Avernus*) *Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Sueton. 31: *fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus nec tamen mari iretur, longitudinis per centum sexaginta milia, latitudinis qua contrariae quinqueremes commearent.* *squalenti litore*, h. e. sicco (αὐχμηρῷ) et aspero; cf. Forcellinius s. v. *squalens.*

Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno iuga connisus est; manentque vestigia inritae spei.

43 Ceterum urbis quae supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis, cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis, additisque porticibus quae frontem insularum protegerent. Eas porticus Nero sua pecunia extructurum, purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. Addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis, finivitque tempus intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur. Ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat, utique naves quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent; aedificiaque ipsa, certa sui parte, sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is

2. *conisus* M^a. *irrita* M^a. 3. *supererant* editor: M^a *domui supererant*, B *domus sup.*, G et Oxonienses *domuum sup.* 4. *erecta* M^a: B *erectae.* 5. *edif.* M^a. 12. *tyb.* M^a. *subuecta essent* M^a: correctum in ABCG et Oxoniensibus. 13. *caerta* M^a.

Cap. 43. *ceterum urbis quae* [*domui*] *supererant: urbis quae supererant* sunt ceterae urbis partes praeter ingens domus aureae spatium. Sed quod vulgo additur *domui* vel *domus*, utrumque falsum est et Taciti sententiae contrarium. Nam *domus* nomen denotabit eas quibus ignis pepercerat, repugnante cetero loci tenore et ipso positu vocabuli, *domui* autem sanae Latinitati manifesto adversatur. Nam *quae domui supererant* non idem esse potest ac *quae post spatium domui exemptum supererant*, sed potius *quae struendae domui supererant.* Haec vero neque per se apta sunt (debuit certe *domibus*, non *domui*) neque hic de solis domibus, h. e. nobilium aedibus, immo de omnibus urbis aedificiis sermo est. Itaque vox importuna tamquam glossa sinistre concinnata eiicienda erat.

cohibitaque aedificiorum altitudine: 'quod iam ante Augustus fecerat, eodem fini, i. e. ad incendia arcenda et maxime ruinas. Strabo V (3 §. 7): *πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὰ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις.* Sed et ante Augustum Rutilius orationem dixerat de modo aedificiorum. Et Augustus quidem pedes 70 tollere permisit, Traianus dumtaxat 60, ut notat Sex. Aurelius epit. 13, qui modus fortasse et Neronianus fuit'. Lipsius.

eas porticus — pollicitus est: Sueton. 16: *formam aedificiorum urbis novam excogitavit, et ut ante insulas et domus porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumptu suo extruxit.*

saxo Gabino: Strabo V 3 §. 10: *Γάβιοι μὲν ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένῃ, λατόμιον ἔχουσα ὑπουργὸν τῇ Ῥώμῃ μάλιστα τῶν ἄλλων.* *custodes:* subintellige *essent.* *Quaeque* pronomen referendum ad *aedificia.*

lapis ignibus impervius est: iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes, et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet; nec communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur. Ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. Erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra
defensam graviore aestu ardescere. Et haec quidem humanis 44
consiliis providebantur. Mox petita dis piacula, aditique Sibullae libri, ex quibus supplicatum Volcano et Cereri Proserpinaeque, ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia

2. *largitior* M^a: G *largior*. *plu* (in fine columnae) M^a: G *pluribus*. *fluerent* superscr. *t* litteris *nt* M^a. 4. *comunione* M^a. 11. *a dis* M^a, *a diis* G et ceteri: correxit I. Fr. Gronovius. 12. *proserpineque* M^a. 15. *perspersum* M^a: *prospersum* edd. ante Bekkerum.

Cap. 44. *petita dis piacula:* cf. H. IV 4: *mox deos respexere.* Quaerunt placamenta caelestis irae, quae ut monstrarentur, aditi sunt libri Sibyllini. Vitium *a dis* in M^a et ceteris ortum ex littera extrema verbi *petita* perperam repetita.

Sibullae libri: Sibullae dedi secutus maiorem auctoritatem prioris Medicei VI 12: plerique *Sibyllae*, in quam formam M^a videtur consentire. Contra I 76 formam *Sibyllini* addicente etiam M servavi.

sellisternia: non scripsit *lectisternia*, ut saepe apud Livium legimus, sed *sellisternia*, quia deae in *sellas*, di in *lectulos* invitabantur. Valer. Max. II 1 2: *feminae cum viris cubantibus sedentes cenitabant. Quae consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in sellas ad cenam invitabantur.* Ceterum vox minus nota in *lectisternia* mutata in codice Regio, a secunda manu in G.

per flagitia invisos: flagitia cogitavit patrata promiscuo et clandestino coitu, fortasse etiam infanticidia, adorata sacerdotis genitalia, quaeque alia rumore maligno afficta sunt Christianis. Cf. Minucius Felix in Octavio c. 9 et 28, Tertullianus in Apolog. 7.

Pontium Pilatum: decem postremis Tiberii annis Iudaeae procurator fuit cum potestate praesidis. A Vitellio Syriae rectore in urbem et ad Tiberium missus ob crimina Iudaeorum, principem recens mortuum offendit. Iosephus XVIII 3 §. 1—2, 4 §. 1—2. A Gaio tam male exceptum esse ut ipse manus sibi intulerit, refert Eusebius H. E. II 7.

haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt: quemadmodum *in crimine incendii* dictum est de iis qui in hoc crimine sunt sive ver-

ac pervigilia celebravere feminae quibus mariti erant. Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque

2. *dm* cum lin. M^{a}. 4. *ques.* M^{a}. 5. *paenis* M^{a}. *affecit* Or. idem 7. *affectus.* 6. *christus tyberio* M^{a}: *christus qui tyberio* G et alii. 8. *exitiabili* M^{a}. *rursũ* M^{a}. 9. *iudeam* M^{a}. 11. *primum* M^{a}: *primo* G. 12. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M^{a}: *pinde* G. 13. *coniuncti* M^{a}: emendatum iam in G. 15. *aff.* Or.

santur, sic etiam *in odio humani generis* denotat eos qui tali odio premuntur. Theodisce converto: *nicht in gleichem Masse dem Verbrechen der Brandstiftung als dem Hasse des menschlichen Geschlechts verfallen galten sie für überwiesen.* Sic recte Zyro professor Bernensis. Alii quos sequitur Orellius de odio Christianorum adversus ceteros homines cogitare malunt eiusmodi, ut Iudaeis *adversus omnes alios hostile odium* in Historiis V 5 a Tacito tribuitur: sed tale odium etiam Christianis fuisse Tacitus indicaturus erat, si id dixisset, neque aliunde ea de re quidquam traditum est. Verum priorem explicationem quam maxime commendant quae mox sequuntur: *unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur:* sontes enim et extremas poenas meriti iure ceteris hominibus invisi sunt. Conveniunt proxime superiora *quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat.*

aut flammandi: subintellige ex praegressis *interirent. Flammandos* dixit clara flamma absumendos, novam rem novo verbo describens. Nam ut Latini quod est Graece *ἑλισσόμενος* per *volvendus* exprimunt (Virg. Aen. I 269), ita *φλεγομένους flammandos* possunt dicere. Scilicet Christiani ad palum religati et tunica alimentis ignium illita induti combusti sunt. Conf. Iuvenal. VIII 235: *ausi quod liceat tunica punire molesta.* Ibi Scholiasta: *vestis ex charta facta, pice illita, in qua ignibus poenae addicti ardere solent.* Iuvenal. I 155: *taeda lucebis in illa, qua stantes ardent qui fixo gutture fumant.* Scholiasta: *Nero maleficos homines taeda et papyro et cera supervestiebat et sic ad ignem admoveri iubebat, ut arderent.* Seneca Epist.

ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur. Interea conferendis pecu- 45
niis pervastata Italia, provinciae eversae, sociique populi et quae civitatium liberae vocantur. Inque eam praedam etiam di cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate. Ille libertus

1. *usu* GM[a] cum aliis: *usum* Puteolanus. 3. *aurige* M[a]. *circulo* GM[a]: ex A correxit Ryckius. 4. *quanq.* M[a]. 5. *tanq.* M[a]. 6. *seuit.* M[a]. 7. *euerse* M[a]. 9. *dii* M[a]. 10. *etas* M[a]. 11. *asyam* M[a]. 13. *saccundo* M[a]. *Carinate* Puteolanus: M[a] *caprinatae*, G *Caprinate*.

ad Lucil. 14: *cogita hoc loco carcerem et cruces et equuleos et uncum, — illam tunicam alimentis ignium et illitam et textam.* Postrema haec verba Senecam paucis ante mortem diebus adiecisse puto: nam non multo post haec nefaria scelera a Nerone edita mori coactus est. Martial. X 25 5: *nam cum dicatur tunica praesente molesta 'ure manum', plus est dicere 'non facio'.* Sulpicius Severus Hist. sacra II 29 §. 1: *opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat, credebaturque imperator gloriam innovandae urbis quaesisse. Neque ulla re Nero efficiebat quin ab eo iussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actaeque in innoxios crudelissimae quaestiones. Quin et novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; multi crucibus affixi aut flamma usti; plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Tertull. Apolog. c. 50: *licet nunc sarmenticios et semiaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.* Severus insolitum sibi vocabulum *flammandi* reddidit per *flamma usti;* Bezzenberger frustra suasit *flamma nudi.*

hortos suos: trans Tiberim in valle Vaticana; cf. XIV 14, XV 39.

novissima exempla: extremas poenas in exemplum ituras.

Cap. 45. *conferendis pecuniis — provinciae eversae:* cf. Sueton. Ner. 38. Dio LXII 18. *Eversae provinciae*, ut III 28 *multorumque excisi status.*

auro quod triumphis, quod votis: 'aurum e triumphis, coronarium capio: quod iam per alios innotuit: sive etiam quod ab imperatoribus per triumphos illatum; e votis, quod senatus in re trepida Iovi aliisque diis vovebat. Petronius 88: *ipse senatus, recti bonique praeceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet;* aut ipsi consules praetoresve in provincias et ad bellum ituri: Livius XXXI 9: *ludos Iovi donumque vovere consulem cui provincia Macedonia eve-*

cuicumque flagitio promptus; hic Graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. Ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus. Tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis, vitatumque a Seneca proditione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu et agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.

46 Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste temptata eruptione praesidio militis qui custos adesset, coërciti sunt, iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente

1. *cuicūque* M[a]. 5. *valetudine* M[a], *valit.* G. *eger* M[a]. *egressū* M[a]. 8. *persimplici* M[a] (scil. *psimplici* cum lin. traversa in litt. *p.*): *pro simplici* G, *simplici* B. 12. *adesset* GM[a]; *aderat* AC. 13. *malarum moribus* M[a].

nisset, iussit; ib. c. 14: *tum P. Sulpicius secundum vota in Capitolio nuncupata paludatus cum lictoribus profectus*; et exempla in Livio sparsim'. LIPSIUS.

simulacra numinum abripiebantur: Plinius XXXIV 19 §. 24: *atque ex omnibus quae rettuli clarissima quaeque iam sunt dicata Vespasiano principe in templo Pacis aliisque eius operibus, violentia Neronis in urbem convecta et in sellariis domus aureae disposita.* Pausan. X 7 §. 1: *ἔμελλε δ' ἄρα (τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς) οὐδὲ τῆς Νέρωνος ἐς πάντα ὀλιγωρίας ἀπειράτως ἕξειν· ὃς τὸν Ἀπόλλωνα πεντακοσίας θεῶν τε ἀναμὶξ ἀφείλετο καὶ ἀνθρώπων εἰκόνας χαλκᾶς.*

Acrato: Dio Chrysost. in *Rhodiaca* §. 149: *ἴστε γὰρ Ἄκρατον ἐκεῖνον, ὃς τὴν οἰκουμένην σχεδὸν ἅπασαν περιελθὼν τούτου χάριν, καὶ μηδὲ κώμην παρεὶς μηδεμίαν, ὡς κἀνθάδε ἧκε, λυπουμένων δ' ὑμῶν, ὅπερ εἰκός, κατὰ θέαν ἔφη παρεῖναι· μηδὲ γὰρ ἔχειν ἐξουσίαν μηδενὸς ἅψασθαι τῶν ἐνθάδε.*

Secundo Carinate: non bene hunc hominem commiscuit Lipsius cum *Secundo Carinate*, quem in tyrannos declamantem Gaius Caesar exilio punivit (Dio Cass. LIX 20) et cum honore nominat Iuvenalis VII 204, non facturus, si ille hanc operam infamem Neroni praestitisset. Ac verba Iuvenalis, *paenituit multos vanae sterilisque cathedrae, sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi Carinatis*, videntur significare rhetorem Carinatem in exilio mortuum esse, ut mortuus est Thrasymachus. Itaque Neronis amicus Secundus Carinas illius filius videtur fuisse.

persimplici victu: vera causa celata hoc ipsum de se testatur in Epist. 83 et 108.

Cap. 46. *praesidio militis qui custos adesset:* praesidio militiae in oppido Praeneste tendentis oppressam esse eruptionem gladiatorum Tacitus traditum acceperat: ipse adiungit sententiam et coniecturam cur milites tunc praesto essent. Theodiscc *durch die militärische Besatzung, die als Wache*

populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. Nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello (quippe haud alias tam immota pax): sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formiis movere; et gravi Africo, dum promuntorium Miseni superare contendunt, Cumanis litoribus impacti triremium plerasque et minora navigia passim amiserunt.

47

Fine anni vulgantur prodigia, imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias crebrior, et sidus cometes, sanguine inlustri semper Neroni expiatum. Bicipites hominum aliorumve animalium partus abiecti in publicum, aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias immolare mos est, reperti. Et in agro Placentino, viam propter, natus vitulus cui caput in crure esset. Secutaque haruspicum interpretatio, parari

5. *saeuientes* M[a]: G *saeviente*. *formis* M[a]. 6. *promunturium* M[a]: *promuntorium* G (non *promunturium*, ut narrat Waltherus). cf. 2 39. 7. *inp.* M[a]. 11. *ill.* Or. 13. *inm.* M[a]. 14. *capud* M[a]. 15. *interptatio* M[a].

da sein mochte. Codices interpolati AC *aderat.*

promuntorium Miseni: eo promontorio superato perventuri erant in portum Misenensem non procul a Puteolis, solitam sibi stationem; v. IV 5 et Ind. hist. s. v. *classis Misenensis.* Errat Lipsius dum scribit ad h. l. 'classis Romana in portu Misenensi ordinariam stationem habebat, *ut Alexandrina Puteolis*', ad falsam hanc opinionem inductus verbis Strabonis XVII 1 7 prave acceptis.

Cap. 47. *fine anni:* v. annot. ad I 53. *sanguine inlustri semper Neroni expiatum:* Sueton. 36: *anxius ea re ut ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta caede aliqua inlustri expiare atque a semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit. Semper* dicit, quotiens cometes imperante Nerone visus est: nam cum primum apparuit XIV 22, Rubellium Plautum in exilium misit et mox interfecit. Alios fortasse in deperdita parte Annalium tradidit, aut tradere omisit, generalem hanc admonitionem satis esse existimans: binis autem ut contenti simus, neque illud *semper* videtur concedere neque Plinius N. H. II 23: *terrificum magna ex parte sidus ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio consule, iterumque Pompei et Caesaris bello. In nostro vero aevo circa veneficium quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde principatu eius assiduum prope ac saevum.*

cui caput in crure esset: subiunctivus positus est, ut relatio ac persuasio eorum, qui prodigium vulgabant, declaretur. Germanice convertas: *das den Kopf am Beine haben sollte.* Ceterum talia a Tacito enarrata sunt, ut prioris aevi annalium χαρακτὴρ etiam suis quodammodo conciliaretur.

rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit.

48 Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus, coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores eques miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in Gaium Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversum amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. Sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia: levitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum nec

4. *caepta* M[a]. 6. *C.* M[a]. 8. *volgum* Or. 9. *nanque* M[a]. 13. *parsim.* M[a]: non *parcim.* *lenitati* vulgo. 14. *luxu* M[a]: *luxui* G.

Cap. 48. *coniuratione:* de eadem negligenter et strictim Dio apud Xiphil. LXII 24 sq. Sueton. Ner. 36. De C. Pisone memorabilia scholiasta Iuvenalis (Plinio, puto, usus auctore) V 109: *Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragoedias actitavit, in latrunculorum lusu tam perfectus et callidus, ut ad eum ludentem concurreretur. Ob haec insinuatus C. Caesari, repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi ab ipso, deinde remissae repetiisse existimabatur. Mox sub Claudio magnificentissime vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotquot annis ad equestrem censum dignitatemque provehere.* Carmen in laudem Pisonis a mediocri poeta conscriptum tum alii edidere, tum Wernsdorfius Poet. Lat. min. t. IV.

facundiam tuendis civibus exercebat: ex duobus dicendi generibus gratiosius sectatus est, ut defenderet reos, ab accusando abstineret.

fortuita: h. e. casu et fortuna obiecta. *voluptatum parsimonia:* nove haec dixit pro voluptatum moderatione sive temperantia: *Beschränkung der Lustgenüsse.*

levitati: de vulgata Ernestius scribit: 'verbum *lenitati* nimis bonum est, quam ut h. l. aptum sit; et *gravitas* videtur requirere *levitati.* Levitas autem est in sumptibus ad captandam gratiam, aut ad speciem maiorem induendam'. *Lenitas* non aliena erat a Pisone, sed de ea ante satis dictum iam est. *Levitas* vero Pisoni fuit, ut qui adeo non gnarus esset sub Nerone temporum, ut insigni liberalitate et prodigentia principis metum et saevitiam provocaret, qui latrunculis ad delectationem plebis et in vanam ostentationem luderet, tragico ornatu caneret, quique degenerem et sola corporis forma commendatam uxorem (c. 59) amici matrimonio abstulerit, quae omnia quam maxime aliena a viro gravi et Romano.

perseverum volunt. Initium coniurationi non a cupidine ipsius 49 fuit; nec tamen facile memoraverim quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit quod tam multi sumpserunt. Promptissimos Subrium Flavum tribunum praetoriae cohortis et Sulpicium Asprum centurionem extitisse constantia exitus docuit. Et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus vivida odia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque ostentare, vanus aemulatione: Lateranum consulem designatum nulla iniuria sed amor rei publicae sociavit. At Flavius Scaevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris capessivere. Nam Scaevino dissoluta luxu mens et proinde vita somno languida: Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso carmine diffamatus contumelias ultum ibat. Ergo dum scelera principis, et finem 50 adesse imperio, deligendumque qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos iaciunt, adgregavere Claudium

1. *coniurationi* GM^a^, *coniurationis* ACR et corr G. 4. *flauium* GM^a^; correxit Bekkerus ex c. 58 et 67. 6. *anneus* M^a^. *lateranus consul designatus* M^a^ cum ceteris. 8. *premebant* superscr. *t* litteris *nt* M^a^. *adsimulatione* M^a^, *assimilatione* G, *assimulatione* corr G: *aemulatione* Lipsius. 9. *disignatum* M^a^: *des.* (sic) G. 10. *amore* M^a^: *amor* corr G. *rei.p.* M^a^. 15. *multum* M^a^: correctum inest G. 16. *imperia* M^a^, *imperii* BG: *imperio* ACR. *deligendum qq;* (prius *q* cum lin. transversa, id est, *quique*) M^a^, *deligendum quisque* G: *deligendumque qui* Puteolanus. 17. *Claudium* editor: codices *Tullium.*

Cap. 49. *Subrium Flavum:* vitium *Flavium* h. l. in M^a^ admissum ex assimilandi aberratione natum est. Hoc corruptionis genus iam pridem in Taciti libros invasisse hinc coniecerim, quod idem a Dione apud Xiphilinum LXII 24 et in excerptis Mai *Φλάβιος* vocatur.

Plautiusque Lateranus: quod sequitur in codicibus *consul designatus,* glossa est ex proximo *consulem designatum* facta. Illic vero apposite monetur fuisse consulem designatum Lateranum, ut non iniuria a principe accepta hunc impulsum esse Tacitus ostenderet. Glossam seclusit Bekkerus, ego delevi.

propriae causae: cf. ad c. 31.

vanus aemulatione: h. e. aemulandi cupiditate adeo vanum se ostendit, ut iis rebus carminum Lucani gloriam premere vellet, quibus minime id effici potuit: *aus Eifersucht zum eiteln Mittel greifend.* Conf. IV 35 extr. Qui *adsimulatione* defendere conantur, vanam operam insumunt. Lucanus Neronem (citharoedum, puto) olim ipse celebraverat. Suetonius in vita Lucani: *prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine.* Hinc Statius in Genethliaco Lucani (Silv. II 7 58) Calliopem de Lucano praedicentem facit: *tu sedes rese-*

Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Augurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Marcium Festum, equites Romanos; ex quibus Senecio, e praecipua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat. Ceteris spes ex novis rebus petebatur. Adscitae sunt super Subrium et Sulpicium, de quibus rettuli, militares manus, Gavius Silvanus et Statius Proximus tribuni cohortium praetoriarum, Maximus Scaurus et Venetus Paulus centuriones. Sed summum robur in Faenio Rufo praefecto videbatur, quem vita famaque laudatum per saevitiam impudicitiamque Tigellinus in animo principis anteibat, fatigabatque criminationibus ac saepe in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae et desiderio eius ultioni intentum. Igitur ubi coniuratis praefectum quoque praetorii in partes descendisse crebro ipsius sermone facta fides, promptius iam de tempore

1. *uulgacium* M^a^, *Vulgatium* G. 2. *Augurinum* M^a^: *aurinum* G: *Tugurinum* Spir. 3. *senaecio* h. l. M^a^. 4. *eo pluribus* M^a^ et G in rasura a secunda m.: *eo propriis* Puteolanus. 5. *periculi* M^a^: G *periculis*. 8. *Silvanus* M^a^, *syllanus* G. 10. *Faenio*] cf. 13 22. 11. *seuit.* M^a^. *inp.* M^a^. 12. *tigill.* M^a^. 13. *metu* M^a^: *metū* G. 16. *sermonis* M^a^: correctum in G.

rabis inferorum (h. e. facies *Catachthonium*), *ingratus Nero dulcibus theatris et noster tibi proferetur Orpheus*, h. e. 'tu Neronem quem canentem homines inviti spectant (ingratum dulcibus theatris) et filium meum Orphea carminibus proferes in notitiam et ora hominum'. Prave haec accepit Lipsius, Orellius autem verba *dulcibus theatris* non recte apta fecit ex *proferetur*, idemque de ingrato Neronis animo nescio quid fabulatur. Statius certe nihil de invidia Neronis adversus Lucanum habet.

Scaevinus: vulgo *Scevinus;* sed cum M^a^ inde a cap. 53 hominem *Scaevinum* appellet, hanc scribendi rationem secutus est Bekkerus, et recte quidem: nam a *scaevo* fit *Scaevinus*, quemadmodum a *iusto Iustinus.*

Cap. 50. *Claudium Senecionem:* codices *Tullium Sen.* Quin idem sit atque ille qui XIII 12 nomine *Claudii Senecionis* memoratur, dubitari nequit. Itaque aut illic *Claudii* nomen aut hoc loco *Tullii* corruptum erit: sed hoc posterius ideo statuo, quia *Claudium* in *Tullium* ob *Iulium* proximi versus facilius corrumpi potuit. Perinde Claudii Civilis nomen H. I 59 in *Iulium* corruptum legitur.

Antonium Natalem: alius est et prior de quo loquitur Seneca Epist. 87: *nuper Natalis, tam improbae linguae quam impurae, in cuius ore feminae purgabantur, et multorum heres fuit et multos habuit heredes. Quid ergo? utrum illum pecunia impurum effecit an ipse pecuniam inspurcavit?*

ac loco caedis agitabant. Et cepisse impetum Subrius Flavus ferebatur in scena canentem Neronem adgrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. Hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum animum extimulaverant, nisi impunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus adversa. 51 Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum, Epicharis quaedam, incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat), accendere et arguere coniuratos; ac postremum lentitudinis eorum pertaesa, et in Campania agens, primores classiariorum Misenensium labefacere et conscientia inligare connisa est tali initio. Erat navarchus in ea classe Volusius Proculus, occidendae matris Neronis inter ministros, non ex magnitudine sceleris provectus, ut rebatur. Is mulieri olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua et quam in inritum cecidissent aperit, adicitque questus et destinationem vindictae, si facultas oreretur, spem dedit posse impelli et plures conciliare: nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. Ergo Epicharis plura; et omnia scelera principis orditur. * * neque senatui

1. *flaus* M[a]. 5. *extimulauerat*, superscr. penultimae litterae *n*, M[a]. 10. *pertesa* M[a]. 12. *conisa* M[a]. *erat Nauarchus* BG et Oxonienses: M[a] *erant* (in fine versus) *uarchus*. 13. *uolusiu* M[a]. 15. *his* M[a]: *is* G. 17. *quaestus* M[a]. 18. *inp.* M[a]. 20. *let.* M[a].

cepisse impetum: dicuntur impetum capere qui subito ad rem agendam se accingunt, sed fere a peragenda desistunt. Nos dicimus *einen Anlauf nehmen.* Mox verba *ardente domo* domum Neronis a coniuratis incendendam significari plerique interpretes opinantur. Sed ita minime fiebat, ut statim dicit narrator, *occasio solitudinis,* immo magna frequentia, et princeps non sine custodibus futurus erat neque huc illuc cursaturus. Itaque ardentem domum accipio luminibus crebris ardentem, ut c. 7 *pila militum arsere* de pilis lucem electricam fundentibus dictum est, cum Nero pro ingenio noctium suarum solus et securus per domum multis luminibus collucentem cursaret. Si de incendio a sese patrando cogitassent coniurati, id Tacitus dilucidius indicasset.

Cap. 51. *spem ac metum*: spem patriae ab insolente domino liberandae, metum ne in ea re ipsi periculum adirent, eo *prolatabant* quod rem aggredi cunctabantur.

pulcherrimum animum extimulaverant: nomen *pulcherrimum* positum est usu proleptico, *ut esset pulcherrimus*, h. e. ut ad pulcherrima audenda promptus esset.

erat navarchus: mire in M[a]

quid manere. Sed provisum quonam modo poenas eversae rei publicae daret. Accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia expectaret. Nomina tamen coniuratorum reticuit. Unde Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea quae audierat ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis, et cum indice composita, nullis testibus innisum facile confutavit. Sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae
52 vera non probabantur. Coniuratis tamen metu proditionis permotis placitum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat, balneasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae suae mole. Sed abnuit Piso, invidiam praetendens, si sacra mensae dique hospitales caede qualiscumque principis cruentarentur: melius apud urbem in illa invisa et spoliis civium extructa domo vel in publico patraturos quod pro re publica suscepissent. Haec in commune, ceterum timore occulto ne Lucius Silanus eximia nobilitate disciplinaque Gai Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus imperium invaderet, prompte daturis qui a coniuratione integri essent, quique miserarentur Neronem tamquam per scelus in-

1. *quid* AR et Vaticanus Lipsii: M^a *qd* (*quod*), G *q*',' h. e. *quod*. defectus nota ab editore est. *paenas* M^a. 2. *rei .p.* M^a. 3. *multum* GM^a: ex B correxit Rhenanus. *p̄tia* M^a. 10. *cedem* M^a· *uaias* M^a: *baias* G. 11. *amaen.* M^a. *ualneasque* M^a, *balneas que* G. 14. *diique* M^a. *ospitiales* M^a. *cede* M^a. *qualiscūque* M^a. 16. *re .p.* M^a. 17. *caeterum* M^a. 18. *L.* M^a. *G.* M^a. 20. *daturis* M^a: G *daturus operam*. 21. *tanq.* M^a.

(ibi *erant uarchus*) littera *n* aberravit in verbum *erat*, *a* absorpta est a subsequente *u*. De navarchis cf. Forcellinius et Inscript. Lat. apud Orellium n. 3615. 3634.

posse impelli: h. e. eo permoveri ut a Nerone deficeret, coniuratorum inceptum probaret. Conf. annot. ad I 31.

plura: h. e. plura *loquitur;* eius verbi notio inest subsequenti *orditur*. *neque senatui quid manere:* locus non est corruptus sed mutilus; excidit sermonis particula in infinitivum verbi desinens, veluti *in iura et vitam civium invadere*. Emendando nihil proficietur; Heinischius tentavit *neque esse intactum quod maneret*, Bezzenberger *neque e senatu quid manere*, quod interpretatur '*nihil ab senatu expectari posse*.'

Cap. 52. *Gai Cassii*: cf. annot. ad XII 11. *prompte daturis*: intelligitur ex proximis *imperium*. Apud Puteolanum *operam*, ut in G, temere suppletum est et acceptum ab Orellio; neque opus est Bez-

terfectum. Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem oreretur, vel delecto imperatore alio sui muneris rem publicam faceret. Etenim expers coniurationis erat, quamvis super eo crimine Nero vetus adversum insontem odium expleverit. Tandem 53
statuere circensium ludorum die qui Cereri celebratur, exequi destinata, quia Caesar rarus egressu domoque aut hortis clausus ad ludicra circi ventitabat, promptioresque aditus erant laetitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens prosterneret incautum premeretque, animi validus et corpore ingens. Tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut quisque audentiae habuisset, accurrerent trucidarentque, primas sibi partes expostulante Scaevino, qui pugionem templo Salutis sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat, gestabat-

1. *ingentum* M^a. 2. *ad libertatem oreretur* Pichena: *ad libertate moreretur* M^a, *a libertate moveretur* G cum aliis. conf. 11 23 extr. 3. *rem .p.* M^a. 7. *cesar* M^a. 8. *promptiores quae* M^a. *erat* superscr. *n* litteris *at* M^a. 9. *composuerat* superscr. *n* litteris *at* M^a. *laetitia — composuerant* bis deinceps exhibet M^a. 10. *dep̄cabundus* M^a. 11. *accedens* GM^a: correxit Rhenanus. *p̄meretque* M^a. 13. *audientiae* M^a, *audatiae* (non *audaciae*) G: *audentiae* Vaticanus Lipsii. *habuisset* M^a, *plus habuisset* G et alii. 14. *adc.* M^a. *expostulanti* M^a: G *expostulante*. 15. *Salutis*] codices *Salutis in Etruria*. *ut alii* G: *utilia* M^a. 16. *frentano* M^a, *ferentano* G: correxit Cluverius Ital. ant. l. 2 c. 3. *dextraxerat* M^a, non Furiae *deae traxerat*.

zenbergeri *adiuturis*. *sui muneris rem publicam faceret:* rem publicam alii principi tamquam munus et donum conferret. *vetus — odium expleverit:* rem narrat c. 68.

Cap. 53. *circensium ludorum die qui Cereri celebratur:* celebrabantur ludi Cereales in circo pridie idus Apriles; v. Ovid. Fast. IV 398—620, vetera kalendaria apud Orell. Inscript. Lat. t. II p. 388 sq. Vere igitur Suetonius in vita Lucani ob hanc coniurationem necati: *sua sponte venas sibi praecidit periitque pridie kalendas Maias Attico Vestino et Nerva Siliano consulibus.*

ut quisque audentiae habuisset: nomen *plus* ante *habuisset* inserunt G et Oxonienses, omittunt praeter M^a etiam ACF et Lipsii Vaticanus. Insertum ab eo qui casum genitivum verbo *habuisset* nove iunctum aliunde pendere opus esse putabat. Cf. Soph. Oed. R. 709: *ἐστί σοι βρότειον οὐδὲν μαντικῆς ἔχον τέχνης*. Ut Sophocles *ἔχον* pro *μετέχον* posuit, sic Tacitus verbo *habere* significatum verbi *μετέχειν* donavit: scilicet verbum compositum huic respondens in Latinis non

que velut magno operi sacrum. Interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia Claudii Caesaris filia ad eliciendum vulgi favorem; quod Gaius Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodavisse, aut Pisonem notum amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido

54 dominandi cunctis adfectibus flagrantior est. Sed mirum quam inter diversi generis ordinis aetatis sexus, dites pauperes, taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit e domo Scaevini; qui pridie insidiarum multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem, de quo supra rettuli, vetustate obtusum increpans asperari saxo et in mucronem ardescere iussit, eamque curam liberto Milicho mandavit. Simul

1. *magno operis* M[a]: correxit Pichena, ante quem *magni operis*, ut est in G et aliis. 2. *oper.* M[a]. 4. *volgi* M[a]. *G.* M[a]. 6. *aut inane aut spem* M[a]: correxit Pichena, ante quem *et inane aut ipsi.* G *aut inane: aut ipsi*, et sic Oxonienses, ut videtur, unde Broterius nihil nisi *inane aut ipsi* attulit. 8. *nisi si* GM[a], *nisi* R. 9. *aff.* Or. 11. *caepit* M[a]. 14. *retuli* M[a]. 15. *aspernari* M[a]: G *asperari.* *et im mucronem* M[a].

erat. Ceterum ex M[a] Orellius attulit *habuissent*, non *habuisset*, sed vitio typographico hoc tribuendum videtur.

templo Salutis [*in Etruria*]: *in Etruria* glossa est nominibus *Ferentino in oppido* olim in margine apposita et mox in alienum locum deducta. Deprehendit Ernestius. Diversitas tradentium haec erat, ut alii templum Salutis, alii Fortunae nominarent, omnes tamen de oppido Ferentino Etruriae, unde Scaevino origo (cap. 53), consentirent. De Ferentino Etruriae urbe Strabo V 2 §. 9, Plinius III 8, Tacitus ipse H. II 50. Eiusdem nominis oppidum in Hernicis a Livio saepius memoratum (IV 51 et 61, VII 9, X 34) hac aetate iam non extitit, quippe neque a Strabone neque a Plinio in oppidis Latii nominatum. Eo minus opus erat addi *in Etruria.* Diligentiam Tacito non convenientem intulit Bezzenberger in coniecturam suam *templo Salutis sive Triviae, sive ut alii tradidere Fortunae* cet.

Gaius Plinius: conf. annot. ad XIII 20 et I 69.

Cap. 54. *inter diversi generis — dites pauperes:* notio *homines* ad genitivos ex *dites pauperes* facile assumitur.

seditio coepit: antiqua simplicitate dictum pro *orsa est.* H. II 47: *bellum a Vitellio coepit*; XV 68: *Neronis odium — ex intima sodalitate coeperat.* *in mucronem*, h. e. ut mucro evaderet.

adfluentius solito convivium initum, servorum carissimi libertate et alii pecunia donati. Atque ipse maestus et magnae cogitationis manifestus erat, quamvis laetitiam vagis sermonibus simularet. Postremo vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare libertum eundem monet, sive gnarum coniurationis et illuc usque fidum, seu nescium et tunc primum arreptis suspicionibus, ut plerique tradidere de consequentibus. Nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit, simulque immensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptae libertatis memoria. Etenim uxoris quoque consilium adsumpserat muliebre ac deterius: quippe ultro metum intentabat, multosque astitisse libertos ac servos, qui eadem viderint; nihil profuturum unius silentium; at praemia penes unum fore, qui indicio praevenisset. Igitur coepta luce Milichus in hortos Servilianos per- 55
git; et cum foribus arceretur, magna et atrocia adferre dictitans, deductusque ab ianitoribus ad libertum Neronis Epa-

1. *affl.* Or. *karissimi liberta* (versus finis) *tate* M^a. 2. *mestus* M^a. 4. *voln.* Or. 5. *parare libertum eundem* editor: M^a *partiebatq; eundem melicum*, G *partiebat*, *quae eundem milichum*, vulgo ex correctione Puteolani *parare eundem Milichum.* *sibe* M^a. 7. *suscipionibus* M^a: correctum inest G. 8. *saecum* M^a. 9. *inm.* M^a. *paecunia* M^a. 10. *accepte* M^a. 11. *ulenim* M^a: *et enim* G, *etenim* Oxonienses referente Broterio. 13. *seruo* M^a. *nichil* M^a. 15. *caepta* M^a. 17. *etaphroditum* M^a.

parare libertum eundem monet: Medicei scripturam *partiebatq;* resolve *par tiebatq;*, tum expleta prior vox (ea in ἀρχετύπῳ per compendium scripta erat et hinc factum *par* pro *pare*, opinor) prodit *parare*, correcta altera *libertum*, quae *libet* scripta cum *par* abiit in *partiebatq;* Sed *liberti* vocabulum simulatque obscuratum est, aliena manus nomen illius *Milichum* prave scriptum (*melicum*) adiecit. Hoc re vera sic evenisse peritis ostendet pronomen *eundem*, nomini *Milichi* sinistre adiunctum, dum post *libertum* recte et necessario accedit. Bezzenberger tentavit *parat libertumque eundem Milichum monet*, quae a Taciti stilo et brevitate abhorrent. Seyfferto divinare placuit *parari iubet eaque eundem Milichum monet.*

ut plerique tradidere de consequentibus: plerique res consequentes ita tradiderant, ut inde colligi posset a Tacito eos hoc sibi persuasum habuisse, Milichum adhuc nescium coniurationis fuisse, ipsis tamen verbis id non pronuntiaverant. Recte hunc verborum sensum explicuit Waltherus. Aliam detegendae coniurationis occasionem suavius quam verius exequitur Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας c. 7.

muliebre ac deterius: scilicet mulieres si semel honesti fines egrediuntur, minus etiam quam mares temperare sibi possunt.

phroditum, mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves coniuratos, et cetera quae audierat coniectaverat, docet. Telum quoque in necem eius paratum ostendit, accirique reum iussit. Is raptus per milites et defensionem orsus, ferrum, cuius argueretur, olim religione patria cultum et in cubiculo habitum ac fraude liberti subreptum respondit. Tabulas testamenti saepius a se, et incustodita dierum observatione, signatas. Pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. Enimvero liberales semper epulas struxisse, vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam. Fomenta vulneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, cuius sese pariter indicem et testem faceret. Adicit dictis constantiam; incusat ultro intestabilem et consceleratum, tanta vocis ac vultus securitate ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset Antonium Natalem multa cum Scaevino ac se-

2. *coniuratos* Mª: *coniurationes* G. *caet.* Mª. *audierat* superscr. *v* litterae *i* Mª. *coniectaverat* Mª: *coniectaueratque* G. 7. *sepius* Mª. 10. *diffideret enimuero liberales semper epulas struxisse diffideret enimuero uitam hamenam* Mª: *diffideret: enimuero — struxisse, et vitam amoenam* G, et ita vulgo. 12. *voln.* Or. 13. *caet.* Mª. *cuius sese* Acidalius: Mª *I;sisse* (id est *Iussisse*), A et Pichena *ut sese*, CR *iussisse*, B *vixisse*, G *uisum: se.* 17. *ac secreta* GMª, *et secreta* Harl.

Cap. 55. *hortos Servilianos*: eos Nero domui suae continuaverat. Cf. H. III 38, Sueton. Ner. 47. Eosdem intelligit Tacitus XV 58 in verbis *foribus hortorum adiacere.* *Epaphroditum:* a libellis fuisse tradit Suetonius Ner. 49, Domit. 14. Cf. Dio apud Xiphil. LXIII 29. Ipsi nobilis servus Epictetus fuit: v. Suidas s. v. *'Επίκτητος* et *'Επαφρόδιτος*, Arrianus Epict. I 26 11.

enimvero liberales semper epulas struxisse, vitam — probatam: pergit ad novum crimen idque quasi omnium futilissimum designat. Theodisce: 'vollends habe er nach reichlichem Massstabe immer seine Tafel eingerichtet, ein heiteres und strengen Richtern wenig zusagendes Leben geführt.' Ipse luxuriam ostentat, ut levem se et a talibus ausis alienum probet. Verbum, unde pendet *vitam — probatam*, ex proximo *struxisse* cogitatione sumendum. Ceterum ut vera scriptura restituatur, nihil opus est nisi ut duo vocabula in Mª per imprudentiam repetita deleantur. Particula *et* addita a G et fortasse aliis facile carere possumus.

cuius sese — faceret: compendium Mª valet *iussisse*: hoc igitur resolve *ius sisse*, unde altera parte expleta, altera correcta fit *cuius sese*, ut ingenio suo assecutus est Acidalius. Eius criminis *index* est Milichus, quia ipse gladium saxo asperavit et facinoris eo patrandi

creta collocutum, et esse utrosque Gai Pisonis intimos. Ergo 56 accitur Natalis, et diversi interrogantur quisnam is sermo, qua de re fuisset. Tum exorta suspicio, quia non congruentia responderant; inditaque vincla. Et tormentorum aspectum ac minas non tulere. Prior tamen Natalis, totius conspirationis magis gnarus, simul arguendi peritior, de Pisone primum fatetur, deinde adicit Annaeum Senecam, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Tum cognito Natalis indicio Scaevinus quoque, pari imbecillitate, an cuncta iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. Ex quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere: post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Atiliam matrem suam, Quintianus Glitium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos, nominavere. Atque interim Nero re- 57 cordatus Volusii Proculi indicio Epicharin attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium

1. *G.* M^{a}. 3. *qua* G: *quae* M^{a}. 7. *anneum* M^{a}. *sibe* bis M^{a}. 9. *oprim.* M^{a}. 11. *inueccillitate* M^{a}. 12. *quintilienusque* M^{a}: *quintilianus que* G. cf. c. 49. 13. *inp.* M^{a}. 14. *Atillam* GM^{a}. 15. *quintilianus* GM^{a}. *Glitium* M^{a} (non Furiae *gligium*). 16. *praecipuae* M^{a} (non *praecipue*), *precipuos* G. 17. *apichari* M^{a}: *epichari*, erasa in fine lineola super *i*, G. 18. *tormenti* M^{a}. *iuuet* M^{a}. *atillam* M^{a}: *At illam* G.

quasi participem sese opera praestita fecit; index enim in re forensi dicitur qui facinus, cuius est conscius, prodit impunitate proposita. Conf. II 28, IV 28, VI 3 et 7, XI 35, XVI 8. *Testis* est Milichus, quatenus quod viderat et audiverat denuntiavit.

et esse utrosque Gai Pisonis intimos: nimirum de Gaio Pisone iam ante rumores iniqui; v. XIV 65. Itaque dictis suis fidem conciliatura hoc postremum et praecipuum argumentum promit.

Cap. 56. *arguendi peritior*: peritior quibus arguendis a Nerone veniam ac salutem sibi pararet, nominavit unum principi admodum suspectum (XIV 65), alterum invisum.

Atiliam: quemadmodum ab *Attio* fit *Attilius*, sic ab *Atia Atilia.* Recte igitur *Atiliam* in Bodl. et Ies. emendatum est ex Medicei libri *Atillam*, quae forma hinc nata est, quod I ἀρχετύπου pro L proximus scriba accepit.

Glitii quattuor apud Gruterum, totidem in Muratorii titulis monente Orellio.

Cap. 57. *tormentis dilacerari:* uno verbo indicat Neronis iussu saevissimum genus tormentorum adhibitum esse; specimen est bre-

ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. Sic primus quaestionis dies contemptus. Postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem, et corporis pondere connisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multipli-
58 catis excubiis semet saepsisset. Quin et urbem, per manipulos occupatis moenibus, insesso etiam mari et amne, velut in custodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum, pedites equitesque, permixti Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis. Continua hinc et vincta agmina trahi ac foribus hortorum adiacere. Atque ubi dicendam ad causam introissent, laetatum esse erga

2. *questionis* Mª. 4. *fascae* Mª: G *fasciae*. 6. *conisa* Mª. 7. *exprexit* Mª. 9. *R.* Mª. *intactis* Mª, *in tantis* G et Oxonienses: *intacti* ACF. *carissimā* Mª. 10. *pignorum* Mª et ceteri, *pignora* B referente Oberlino. 11. *quintilianus* GMª. 12. *quanq.* Mª. 13. *sepisset* Mª, *sepsisset* G. 14. *uelud* Mª. 18. *uincta* GMª, non *iuncta*, ut editores ante Orellium. 19. *latatum* Mª. *esse* insertum ab editore.

vitatis Tacitinae. *non verbera, non ignes:* ignes intellige ferrum igne candens admotum. Cf. Dio LXII 27. *contemptus:* ad diem translatum est quod de hominibus eo die inquirentibus intelligitur.

Lucanus quoque — Quintianus: hi tres ante nonnisi unum quisque conscium ediderant, plures autem Natalis et Scaevinus. Hoc respiciens scribit iam etiam Lucanum et Senecionem et Quintianum *passim* de coniuratis confessos esse.

Cap. 58. *volitabantque:* conf. annot. ad I 59. *princeps:* non ponere voluit nomen Neronis, sed principis vocabulum cum quadam invidia, quippe confisi hominibus externis, nunc electum est. Conf. c. 37: *inditum imperatori flammeum.*

vincta agmina: vera est Medicei libri scriptura: scilicet qui suspicione criminis trahebantur, vinclis onerati ducebantur; Sueton. Ner. 36: *coniurati e vinculis triplicium catenarum dixere causam.*

laetatum esse erga coniuratos — simul inissent: magna variandi sermonis arte tria componuntur, quae in crimen trahebantur, et primum quidem per infinitivum subiecti quem vocant (*laetatum esse erga coniuratos*), alterum duobus nomi-

coniuratos, et fortuitus sermo et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi, cum super Neronis ac Tigellini saevas percontationes Faenius quoque Rufus violenter urgueret, nondum ab indicibus nominatus, sed quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios. Idem Subrio Flavo adsistenti adnuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret, renuit infregitque impetum iam manum ad capulum referentis. Fuere 59
qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut Rostra escendere, studiaque militum et populi temptare. Si conatibus eius conscii adgregarentur, secuturos etiam integros; magnamque motae rei famam, quae plurimum in novis consiliis valeret. Nihil adversum haec Neroni provisum. Etiam fortes viros subitis terreri, nedum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante, arma contra cieret. Multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur. Frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus sperari: cruciatui aut praemio cuncta pervia esse. Venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece adficerent.

1. *et* Waltherus: GM^a cum plerisque *sed*, B *si*. 3. *tigillini* M^a. *percunct.* Or. 4. *urgueret* M^a: *urgeret* G. 6. *asist.* M^a. 7. *cedemque* M^a. *rennuit* M^a. 11. *escendere* M^a, *conscendere* BG. 12. *aggr.* Or. 14. *nichil* M^a. *haec* M^a, *hoc* G. 15. *tigillino* M^a. 16. *pelicibus* M^a. 17. *confieri* M^a, *fieri* G. 19. *sperare* M^a: *sperari* G. *cruciatui* M^a, *cruciatu G.* 20. *uincerent* M^a: *uincirent* G.

nibus (*et*, h. e. *etiam*, *fortuitus sermo et subiti occursus*), tertium duobus enuntiatis conditionalibus (*si convivium, si — inissent*). Verbi *esse*, quo carere nullo modo possumus, prior pars hausta est a voce *laetatum*, altera a proximo *ergo*. Porro quomodo *sed* vel *set* ante v. *fortuitus* emerserit, et sponte patet et expositum est a Walthero. Madvigius alia via corrupta sanare voluit commendando *laetatum erga coniuratos esse*, *fortuitus* cet., verum quomodo ex *esse*, si hoc prius fuisset, *sed* oriri potuerit, equidem non possum explicare.

Cap. 59. *magnamque motae rei famam:* Theodisce converte *und wirksam würde das Gerücht von einem Losbruche der Bewegung sein.* Cf. annot. ad III 13.

frustra — sperari: sperare, ut est in codice M^a, ad spem hortantis, non Pisonis, referretur, repugnante loci sententia.

nam vetus miles — favore imbutus: accedunt haec ad pingendam foedam Neronis timiditatem et extremam suspicionem, qua adeo occupatus erat, ut ne iis quidem confideret quos summis beneficiis obstrinxerat, sed deligeret potius quos speraret caeco quodam obsequio facturos esse quod iussum

Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam, dum auxilia libertati invocat! Miles potius deesset et plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem adprobaret. Immotus his et paululum in publico versatus, post domi secretus, animum adversum suprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat: nam vetus miles timebatur quamquam favore imbutus. Obiit abruptis brachiorum venis. Testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat. Nomen mulieris Atria Galla, priori marito Domitius Silus: hic pa-
60 tientia, illa impudicitia Pisonis infamiam propagavere. Proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adiungit, adeo propere ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec tribuno obiciens eandem conscientiam.

Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non

1. *rem.p.* M^{a}. 5. *sup̄mȧ* M^{a}. 6. *firmabat* M^{a}, *firmat* BG. *qs* cum lin. transversa in litt. *q* M^{a}, h. e. *quis*, ut in G: correxit Beroaldus. 8. *quanq.* M^{a}. *inb.* M^{a}. 9. *faedis* M^{a}. 11. post v. *matrimonio* hiatus in M^{a}, non in rasura, sed propter membranam. *abstulerat* M^{a}, non Furiae *abstulerant*. 12. *Silus* M^{a}, *silius* G et alii. 13. *inp.* M^{a}. 14. *consulis designati* omnibus litteris M^{a}. 15. *breve, mortis* distinxit Doederlein. 16. *paenis* M^{a}. 17. *manus tatii* M^{a}. 20. *cedes annei* M^{a}.

erat: nam his pessimus quisque maiorem fidem habet quam longo usu probatis, sed quibus sua facinora cognita esse et perspecta putaverit. Hinc idem princeps Germanis *tamquam externis* fidere traditur c. 58. Id non intellexit Rhenanus, cum suo iudicio *quamquam* mutavit in *tanquam*, quam coniecturam etiam alii editores adoptarunt, in his Bekkerus et Waltherus, favorem militum erga Pisonem cogitantes, de quo nihil constat.

Atria Galla: primus Beroaldus intulit nomen magis cognitum *Arria*, scriptis libris non addicentibus. *Atrii* memorantur in titulis veterum, et quidem quattuor apud Gruterum, duo apud Muratorium, ut monuit Orellius.

Cap. 60. *consulis designati:* quod iam c. 49 narratum est, consulem designatum fuisse Lateranum, nunc repetitur, ut indignitas supplicii in ipso iussi et patrati magis nosceretur.

illud breve mortis arbitrium: Sueton. Ner. c. 37: *mori iussit non amplius quam horarum spatium dabat.* De constantia Laterani cf. Arrian. Epictet. I 1 19.

locum servilibus poenis sepositum: locus ipse in campo Esqui-

quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis et hactenus prompsit, missum se ad aegrotum Senecam, uti viseret conquerereturque cur Pisonem aditu arceret: melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Haec ferre Gavius Silvanus tribunus praetoriae cohortis, et an dicta Natalis suaque responsa nosceret percontari Senecam iubetur. Is, forte an prudens, ad eum diem ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum saepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit.
Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine Pisonis **61**
quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit. Cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret, causam non habuisse;

1. *manifestum* non om M^{a}, ut credidit Ernestius. 2. *quando* M^{a}: *qñ* G, *quoniam* B. 3. *egr.* M^{a}. 4. *aditũ* M^{a}. 5. *amicitia* M^{a}: utrumque correctum in G. 7. *caeterum* M^{a}. *posonis* M^{a}. 8. *grauius* GM^{a}: cf. c. 50 et 71. 13. *sepsit* M^{a}. 16. *valetudinis* M^{a}: *valit.* G.

lino (conf. ad II 32), nomen ei *Sessorium*, non *Sestertium*, ut narrat Lipsius deceptus falsa lectione apud Plutarchum Galba 28. Conf. Beckeri de Romae vet. muris atque portis p. 120, Enchirid. Antiq. Rom. I p. 555 sqq., annot. ad H. I 49.

salutem suam incolumitate Pisonis inniti: h. e. se aliter salvum esse non posse, nisi cum Piso incolumis coepta sua perficeret.

ex Campania: 'ubi extremis annis multus fuit, rarior in aula et sapientiae studiis occupatus. Epistolae ibi et Quaestiones Naturales sub hoc tempus structae.' Lipsius.

Cap. 61. *excusavisse*: h. e. pro excusatione dixisse. *cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret;* h. e. cur salutem privati hominis potiorem duceret sua incolumitate; id fecisset professione suam salutem inniti Pisonis incolumitate. Privatum hominem Pisonem vocat, ut rem esse non credibilem suggerat, minime vero quo se olim consulem suffectum Pisoni anteponat, ut dicit Orellius, qui haec verba mire interpretatur. Nam etiam Seneca privatus tunc erat.

nec sibi promptum in adulationes ingenium: postquam monstravit se illa verba non dixisse propterea, quod in statu Pisonis nihil fuisset, quo talis sermo potuerit provocari, pergit ostendere neque ideo se dixisse, ut Pisoni gratificaretur: non enim promptum sibi esse ad adulandum ingenium.

idque nulli magis gnarum quam

nec sibi promptum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset. Ubi haec a tribuno relata sunt Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensum confirmavit. Ergo regredi et indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Faenium praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo ut exequeretur, fatali omnium ignavia. Nam et Silvanus inter coniuratos erat, augebatque scelera in quorum ultionem consenserat. Voci tamen et aspectui pepercit, intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui
62 necessitatem ultimam denuntiaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac denegante centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem

4. *poppea et tigillino* Mª. *seuienti* Mª. 6. *nichil* Mª. 7. *deprensum* Mª, *deprehensum* G. 9. *reditum* Mª: G *redditum*. 11. *onnium* Mª. 18. *iam et tamen* GMª et alii: *iam tamen et* B, *iam, tamen* A. *habeat* Mª: *habebat* G cum plerisque.

Neroni: similiter gloriatur de Clem. II 2: *parcetur ubique manibus tuis. Diutius me morari hic patere, non ut blandum auribus tuis: nec enim hic mihi mos est. Maluerim veris offendere quam placere adulando.* Etiam hoc in dulcibus Senecae vitiis quod quamvis blandus libertatis speciem prae se ferebat: nam a blanditiis non alienus fuit, ab adulando tamen liber.

quod erat saevienti principi intimum consiliorum: nimirum princeps si ad saeviendum inclinaret idque unum circumspiceret, ut saeva consilia aliorum assensu approbarentur, tum Poppaeam et Tigellinum, deterrimos mortalium, in consilium adhibere eisque intimos sensus aperire solebat, de consensu certus. Admirare, lector, hanc Cornelianam δεινότητα!

nulla pavoris signa: 'lege haec cum sequentibus; et admitte, sodes, calumnias Dionis.' Lipsius.

Fabius Rusticus: cf. XIII 20.

Cap. 62. *denegante centurione:* centurio hac re non tam bona Senecae publicatum iri significavit, quod negotium a viro militari alienum, sed moram ex testamento faciendo consequentem prohibuit. Senecae tamen pleraque publicata esse Tacitus infra (64) indicavit verbis: *ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret.*

quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat: ex rebus sibi a principe non interdictis unam iam superesse, sed eam pulchriorem gemmis et auro.

vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae laturos. Simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem revocat, rogitans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? Neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret. Ubi haec atque 63 talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem, et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque, temperaret dolorem aeternum suscipere, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, 'vitae' inquit 'delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis. Non invidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.' Post quae eodem ictu brachia ferro exolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Saevisque cruciatibus defessus, ne

2. *tam* GM[a]: correxere Muretus et Acidalius. 3. *intetior* M[a]. 5. *imminentiă* M[a]. 7. *aliut* M[a]. *post* G: M[a] *quă*. 9. *velut in* M[a]: *in* BR, *ultro in* G et Harl. 10. *fortitudinem* M[a]: *formidinem* ABG et Harl. Ies. 11. *susciperet* M[a]: correxit I. Fr. Gronovius. *dolori, ne aeternum susciperet* AB et G qui tamen *dolorem*. 12. *acte* M[a]. *solaciis* M[a]. 20. *parco victu* M[a]: *parvo ictu* a secunda manu antiquis litteris inductum esse in M[a] narrant Ryckius et Iac. Gronovius, unde A *parvo ictu tentatum*, BG *parvo victu*. 21. *effugias* M[a]. 22. *seuisque* M[a].

Cap. 63. *paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus:* frustra Waltherus Senecam nimis et supra omnem fere modum humanum fortem asseverat dicens, uxoris causa sponte animum et sermonem mollivisse. Aliud verba Taciti continent: quippe re vera mollitus est Seneca sed paululum, et fortitudinem etiam tum sustinuit quamvis aliquatenus relaxatam.

illa contra — adseverat: mira et incredibilia ex Dione Xiphilinus LXII 25 profert, quasi Seneca coniugem ad communem mortem impulisset. *Percussor* qui statim appellatur, est Medicus a Nerone ad venas incidendas missus; vid. infra ad c. 69. *eodem ictu:* h. e. venis eodem temporis momento perruptis.

parco victu: conf. c. 45: *dum persimplici victu — vitam tolerat.*

intervertere supersedeo: discas

dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in
64 vulgus edita eius verbis invertere supersedeo. At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, inhibere mortem. Hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec inplacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat, provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus, et cluso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum, addita voce, libare se liquorem illum Iovi liberatori. Exin balneo inlatus, et

2. *inp.* M^a^. 5. *supersideo* M^a^. 7. *inhibere* Rhenanus: M^a^ cum ceteris *inhiberi.* Oxonienses et G *inhiberi mortem imperat.* 8. *p̄mnnt* M^a^. 9. *promptũs* M^a^. 10. *fama societatem* M^a^, *famam societate* G: emendatum in ed. Puteolani. 15. *lentitudine* M^a^ cum plerisque: *lenitudine* R. 16. *anneum* M^a^. 17. *qd* (h. e. *quod*) *anti* M^a^: *quo damnati* G. 19. *frigidus iam artus* GM^a^, *frigidis iam artubus* A. *cluso* M^a^, *clauso* G. 22. *exim* M^a^.

hinc Taciti rationem et consuetudinem in verbis aliorum referendis. Nam quotiens non discertim monuit, se ipsa alicuius verba referre, sua posuit, non aliena.

Cap. 64. *inhibere mortem:* infinitivus historicus nunc, ut saepe, novum et inexpectatum describit. Vitium *inhiberi* in M^a^ et inde in vulgo librorum assimilandi lapsu natum est. Si quid addendum esset, mallem cum quattuor codicibus scribere *mortem imperat* quam cum Orellio *iubet inhiberi:* nam verbi *imperat* prior pars post *mortem* interire non minus facile potuit, quam duae litterae *iubet* ante *inhiberi.* Sed tutius nunc est cum Rhenano litterulam immutare quam verbum interponere.

libare se liquorem illum Iovi liberatori: 'ita Thraseas moriturus 16 35 *libemus*, inquit, *Iovi liberatori.* Caussa viris magnis huius

vapore eius exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur.
Ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et
praepotens supremis suis consuleret. Fama fuit Subrium 65
Flavum cum centurionibus occulto consilio, neque tamen
ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis
Neronem Piso quoque interficeretur, trabereturque imperium
Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum
fastigium delecto. Quin et verba Flavi vulgabantur, non re-
ferre dedecoris, si citharoedus demoveretur et tragoedus suc-
cederet, quia ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, 66
accensis indicibus ad prodendum Faenium Rufum, quem eun-
dem conscium et inquisitorem non tolerabant. Ergo instanti
minitantique renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam
ipsum, hortaturque ultro, redderet tam bono principi vicem.
Non vox adversum ea Faenio, non silentium, sed verba sua
praepediens et pavoris manifestus, ceterisque ac maxime
Cervario Proculo equite Romano ad convincendum eum con-
nisis, iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis
robur adstabat, corripitur vinciturque. Mox eorundem indicio 67

1. *sollenni* M^a. 2. *prediues et prepotens* M^a. 3. *supp̄mis* M^a. 4. *flauium* M^a. cf. c. 49. 9. *dedecoris* Bezzenberger: codices *dedecori*. 12. *accensis quoque ind.* GM^a et ceteri: correxit Lipsius. 16. *faenius* M^a, *fenio* G. 18. *equit* cum lin. super litt. *t* M^a, h. e. *equiter* pro *equite.r.*, ut vidit Orellius: G et ceteri *equite.* cf. c. 50. *conisis* M^a. 19. *iussũ* M^a.

in supremis ioci a more Graeciae, qui discessuri e convivio libabant Iovi servatori; sic isti e vita Iovi liberatori.' Lipsius. Conf. Athen. XI 466 E, 471 D et E, 487 A; XV 675 C.

etiam tum praedives et praepotens: hoc dicit adversus praesentem Senecae statum: nunc enim et vita et bonis exutus est. Conf. annot. ad c. 62.

Cap. 65. *non referre dedecoris:* h. e. idem dedecus manere, nihil interesse inter dedecus, cum Nero imperaret aut Piso. Ceterum ultima littera nominis *dedecoris* in codicibus ante proximum *si* absorpta est: nam quod vulgo legitur *dedecori* nihil est nisi vitium et soloecismus minime tolerandus: nimirum *rĕferre* iungi potest dativo, ut usu venit XIV 38, *rēferre* non potest.

et tragoedus succederet: ne forte tirones et imperiti decipiantur, monendum putavi errare Rupertium ad haec verba annotantem 'Seneca etiam *tragoedus* fuit.' Cave credas, non fuit *tragoedus*, quamquam scripsit tragoedias. Rursus Piso tragico ornatu cecinit, sed tragoedias ab eo factas esse nemo prodidit.

Subrius Flavus tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum; dein postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus. Interrogatusque a Nerone quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset, 'oderam te,' inquit, 'nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. Odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius extitisti.' Ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant; nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens erat. Poena Flavi Veianio Nigro tribuno mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam Flavus ut humilem et angustam increpans, circumstantibus militibus, 'ne hoc quidem' inquit 'ex disciplina.' Admonitusque fortiter protendere cervicem, 'utinam' ait 'tu tam fortiter ferias!' Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem iactavit,
68 sesquiplaga interfectum a se dicendo. Proximum constantiae

7. *caepi* M[a]. 9. *volg.* M[a]. 11. *nichil* M[a]. 13. *paena* M[a]. 14. *Veianio* M[a]: *ueiano* G. 15. *quam* Pichena: GM[a] cum ceteris *quamvis.*

Cap. 66. *redderet tam bono principi vicem:* h. e. principi tam bono erga Faenium et ipse gratum se praeberet confitendo.

qui ob insigne corporis robur adstabat: astabat principi ob vitam paventi ac misere timenti. Ne hoc quidem indicium abiectissimi animi narrator omittere voluit, recte et perite: nam ex metu plurima Neronis scelera et flagitia, et eo qui est infectus, non facile boni et iusti viri statum retinet.

Cap. 67. *oderam te — extitisti:* elum bis prae his Dio ap. Xiph. LXII 24: '*καὶ ἐφίλησα σέ*', *εἶπε*, '*παντὸς μᾶλλον καὶ ἐμίσησα· ἐφίλησα μὲν ἐλπίσας ἀγαθὸν αὐτοκράτορα ἔσεσθαι, ἐμίσησα δὲ ὅτι τὰ καὶ τὰ ποιεῖς· οὔτε γὰρ ἁρματηλάτῃ οὔτε κιθαρῳδῷ δουλεύειν δύναμαι*'.

quam Flavus: corruptela libri Medicei *quamvis* assimilandi aberratione provenit (quam-*vis* Fla-*vus*). Facile igitur supersedebimus tam Freinshemii coniectura *qua visa,* quam Waltheri *quam visam.* Rhenanus suo iudicio dedit *quem* et ex B *angustum*, sed cf. I 61 *quot patibula captivis, quae scrobes.*

sesquiplaga interfectum a se: quod infirmitudine manus animique factum erat, saevitiam videri voluit servus domino suo dignus. Nomen *sesquiplaga* ex sermone militari repetitum. Conf. Suetonius Calig. 30: *non temere in quemquam nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque iam praecepto 'ita feri, ut se mori sentiat.'*

exemplum Sulpicius Asper centurio praebuit, percontanti Neroni cur in caedem suam conspiravisset, breviter respondens non aliter tot flagitiis eius subveniri potuisse. Tum iussam poenam subiit. Nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere. At non Faenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit.

Opperiebatur Nero ut Vestinus quoque consul in crimina traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant, quidam vetustis in eum simultatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem credebant. Ceterum Neroni odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, saepe asperis facetiis inlusus, quae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Accesserat repens causa, quod Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi iunxerat, haud nescius inter adulteros eius et Caesarem esse. Igitur non **69**

4. *paenam* M^{a}. *caeteri* M^{a}. 7. *in crimina traheretur* editor: M^{a} *in crimen atraheretur*, G (et ceteri, ut videtur) *in crimen trahèretur*, et ita vulgo. 11. *caeterum* M^{a}. *Neroni* BM^{a}: *Neronis* G. *inima* M^{a}. 12. *sodiali ate* M^{a}. *caeperat* M^{a}. *paenitus* M^{a}. 16. *iuncxerat* M^{a}. *haud* G: *aut* M^{a}.

Cap. 68. *non aliter — subveniri potuisse:* scelere contracto qui puniatur, eum non malo quodam sed summo beneficio affici scite expositum a Platone in Gorgia. Ad eandem persuasionem ac benevola irrisione centurio dixit, non nisi caede flagitiis Neronis subveniri potuisse. Sententiae acumen obscuratur Dionis apud Xiphilinum et in excerptis Mai verbis LXII 24: *ὅτι ἄλλως σοι βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνάμην οὐδὲ π α ῦ σ α ι ἀσχημονοῦντα, εἰ μὴ διὰ τοῦ ἀνελεῖν σε.* Conf. Sueton. Ner. 36: *cum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus.*

in crimina traheretur: Medicei vitium *crimen atraheretur* quomodo emerserit in aperto est. *In crimina trahi* est indiciis coniuratorum illigari, *εἰς τὰ ἐγκλήματα*, quo significatu nomen *crimina* persaepe apud Tacitum reperitur: *in crimen foret εἰς τὸ κακούργημα.* Orellius scripsit *in crimen attraheretur*, sed Tacitus a compositis solet abstinere et ipsum *attrahere* non est verbum Tacitinum.

sed ex coniuratis — non miscuerant: ex coniuratis idem fere denotat quod *coniurati.* Sed eo facilius uti potuit hac structura, quod *non* proxime accedit ad significatum *nulli.*

Statiliam Messalinam: hanc post Poppaeam uxorem ascivit; Suetonius fallitur scribens Ner. 35: *qua ut potiretur, virum eius Atticum Vestinum consulem in honore ipso trucidavit.* Scilicet cum Vestinus

crimine, non accusatore existente, quia speciem indiciis induere non poterat, ad vim dominationis conversus Gerellanum tribunum cum cohorte militum immittit, iubetque praevenire conatus consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuventutem, quia Vestinus imminentes foro aedes decoraque servitia et pari aetate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens, aɲ dissimulando metu, cum ingressi milites vocari eum a tribuno dixere. Ille nihil demoratus exurgit, et omnia simul properantur: clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium, et imaginatus et inridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus.

70 Exin Annaei Lucani caedem imperat. Is profluente san-

1. *ispeciem* M^a. *indiciis* M^a: *iudicis* G et Oxonienses. *induere* pr M^a: *adiungere* a rec. m. superscriptum, *inducere* G. 2. *Gerellanum* M^a: *gerelanum* G. 3. *inm.* M^a. 4. *occuparet* GM^a: *occupare* Puteolanus. 5. *decora quae* M^a. 7. *conviviumque* M^a, non *convivium*, ut tradidit Victorius. *celebrat* M^a: *celebrabat* G, *celebrabat* ex M^a falso rettulit Pichena. 9. *nichil* M^a, paulo ante *nihil*. *exsurgit* Or., G *exurgit*. 10. *presto* M^a. 11. *ualneo* M^a. *aqua ũsa* (in fine versus = *uersa*) *mersatur* M^a. 14. *et mensae* GM^a: Franc. Medices apud Pichenam *ex mensa*. 17. *exin Annaei* editor: M^a *exim mane na et*, vulgo praeeunte Rhenano *exin M. Annaei*.

interemptus est, Poppaea nondum decesserat. Sic ubique Taciti fides et diligentia Suetonium superat.

Cap. 69. *quia — non poterat:* indicia sive signa Vestino adversa ante descripta sunt verbis: *opperiebatur Nero ut Vestinus quoque consul in crimina traheretur, violentum et infensum ratus;* sed tamen *indiciis* quae proprie et in accusatione vocantur, speciem (veritatis) adiungere Nero nequibat. Nomen *indiciis* converte ἐπαγγέλμασι, non τοῖς ἐπαγγέλμασι. Quippe Neroni facile erat indices subornare, sed iis indiciis veri speciem conciliare non poterat. *Speciem iudicis induere* ab hoc loco alienum est: Nero enim de coniuratis non iudicabat.

Gerellanum tribunum: nominis formam tuetur titulus Samius apud Böckhium Corp. Inscript. Gr. 2259, ubi commemoratur Γερελλανὴ Μονίμη et Γερελλανὴ Ἀπάτη. *praesto est medicus:* cf. Suet. Ner. 37.

Cap. 70. *exin Annaei Lucani:* pro more eius qui descripsit codicem M^a fere perpetuo *exim* pro *exin* ponitur, cuius ultima geminata pro *Annaei* factum *mane na et*, littera *t* pro *i* substituta, et *e* inter duas *n* inculcata. Inde quod Rhenanus elicuit *M. Annaei*, in

guine, ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote mentis pectore intellegit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obisse tradiderat, versus ipsos rettulit, eaque illi suprema vox fuit. Senecio posthac et Quintianus et Scaevinus, non ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictove memorando.

Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis; 71
alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare. Atque ille gaudium id credens, Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia impunitate remuneratur. Milichus praemiis ditatus Conservatoris sibi nomen, Graeco eius rei vocabulo, adsumpsit. E tribunis Gavius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit; Statius Proxumus veniam, quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu * Pompeius, Corne-

3. *carmena a se* Mª. 4. *obisse* GMª, non *obiisse*. 5. *sup̄ma* Mª. 6. *quintilianus* GMª. 12. *dextram oculis* (in versus fine) *oculis* Mª, *dexteram oculis* G. 13. *inp.* Mª. 16. *caecidit* Mª. 18. * *Pompeius*] *P. Pompeius* fuit aut aliud nomen excidit, veluti *Propinquus*, in codicibus et editionibus nullum defectus indicium.

ceteris bene ausus est, sed diligentiam Tacito donavit ab hoc repudiatam. Cf. ad XIII 30, et quod attinet ad Lucani nomina a Tacito posita, cap. 49: *Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus vivida odia intulere.* 71: *Atilia mater Annaei Lucani sine absolutione — dissimulata.* *versus ipsos rettulit:* significat III 638 sqq.

Cap. 71. *lauru:* conf. Horat. Carm. II 7 19 *sub lauru mea.* Charis. Instit. I p. 110. *Graeco eius rei vocabulo:* Σωτῆρα se appellavit.

veniam — vanitate exitus corrupit: duabus in rebus Statius contrarium fecit quam Gavius Silvanus: ille veniam oblatam repudiavit, Statius accepit; ille sua manu ut fortis miles cecidit, hic vano exitu decessit, h. e. postquam testamentum foedis in Caesarem adulationibus infecerat. Exemplum est brevitatis Tacitinae. Coniectura Anquetilii *novitate* scriptorem obscurum reddit et vim eius pessime infringit.

Pompeius: aut praenomen aut cognomen viri a librariis omissum esse liquet. Nam unus primum h. l. commemoratus eo carere nequit, dum ex tot aliis neque dignitate Pompeium superantibus nemo tam parce designatur. Conf. annot. ad XIII 30. Fortasse idem fuit quem Galba Galliae Belgicae praeposuit, Vitellius interfecit: H. I 12 et 58.

Rufius Crispinus: pluribus locis a Tacito memoratur, quos index historicus enumerat; conf. annot. ad XVI 17.

lius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, quasi principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur. Novio Prisco per amicitiam Senecae, et Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam convictis data exilia. Priscum Artoria Flaccilla coniux comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis; quae utraque gloriam eius auxere. Pellitur et Rufius Crispinus, occasione coniurationis, sed Neroni invisus quod Poppaeam quondam matrimonio tenuerat. Verginium Flavum et Musonium Rufum claritudo nominis expulit: nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat. Cluvidieno Quieto, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum, Aegaei maris insulae permittuntur. At Cadicia uxor Scaevini et Caesonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti. Atilia mater Annaei Lucani sine absolutione, sine supplicio dissimulata.

2. *extimarentur* GM^{a}: correxit Rhenanus. 4. *data*] *decreta* Bezzenberger collato 16 9. 5. *Artoria* M^{a}: *Antonia* G et Oxonienses. *Flaccilla* M^{a}, *flacilla* G. *coniux* M^{a}: *coniunx* G. *comitate* M^{a}. *et gnatia* M^{a}: G *Egnatia*. 7. *rufrius* M^{a}. 8. *poppeam* M^{a}. 9. *Flavum et Musonium* desunt M^{a}. cf. annot. inferior. 13. *uelud* M^{a}. *egei* M^{a}. 15. *caesennius* M^{a}: emendavit Lipsius ex Martial. 7 44. 16. *paena* M^{a}. *acilia* M^{a}, *Atilia* G, *l* in rasura. *annei* M^{a}. *absolutiones in supplicio* M^{a}: emendavit Lipsius ex Romana, ut ait, editione. apud Beroaldum est *absolutione in supplicio*, ut in G.

Verginium Flavum et Musonium Rufum: Lipsius de his verbis bene meritus est, quatenus vitium denotavit, non quo sanaverit. Nam prius quod commendat *Verginium et Musonium Rufum* pro tradito *Verginium Rufum*, eo vitiosum est, quod alter duobus nominibus gaudet, alter caret. Alterum quod coniecit *Verginium et Rufum*, non aptum est; quia Rufus statim *Musonius* nominatur, quod tum demum apte fieri potest, si id nomen cognomini *Rufo* additum praecessit. *Verginii* cognomen ex Suetonii vita Persii edocti sumus: *Romae* (studuit) *apud grammaticum Remmium Palaemonem et apud rhetorem Verginium Flavum*. De Rufi exilio Dio apud Xiphilinum LXII 27: *'Ροῦφος Μουσώνιος ὁ φιλόσοφος ἐπὶ τούτοις ἐφυγαδεύθη.* Uno nomine *Musonius* appellatur XIV 59, ubi tamen obiter eius mentio facta est, duobus *Musonius Rufus* H. III 81, IV 10 et 40. Quod ego vindicavi, dederunt editores Bipontini, admisso tamen *Flaccum* pro *Flavum*, dein Waltherus *Flavum* a Lipsio iure adoptavit.

Cadicia uxor Scaevini: Cadiciae nomen alioqui apud Romanos non cognitum, sed memorantur *Caedicii*, orti e Campania, in titulis veterum et iudex *Caedicius* apud Iuvenalem XIII 197, cuius scholiasta: *Caedicium aulicum Neronis crudelissimum fuisse vult intelligi satellitem.*

Quibus perpetratis [Nero] et contione militum habita, **72** bina nummum milia viritim manipularibus divisit, addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. Tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum, et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervae praetori designato, Tigellino praefecto praetorii tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud Palatium quoque effigies eorum sisteret, consularia insignia Nymphidio; de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus, quae corpus decorum inter servos libertosque principum vulgaverat, ex Gaio Caesare se genitum ferebat, quoniam forte quadam habitu procerus et torvo vultu erat, sive Gaius Caesar, scortorum quoque cupiens, etiam matri eius inlusit. Sed Nero vocato **73**

1. glossam *Nero* seclusit editor. 3. *p̄tio* Mª. 5. *turpiano* GMª: correxit Lipsius ex 14 29. 6. *tigillino* Mª, mox *tigillinum*. 9. *quia nũc* G: Mª *nymphidio quaunc* cum lin. super litt. *c*. fuisse suspicor *consularia insignia Nymphidio Sabino. De Nymphidio, quia nunc* cet. 10. *ipsa* Mª: *ipse* G. 12. *G.* Mª. 14. *G.* Mª.

Cap. 72. *Nero:* immisso hoc nomine adeo impeditur structurae verborum facilitas, simul quod subiectum sit, adeo ex ipsis verbis planum est, ut *Neronis* nomen ab aliena manu additum existimari debeat. Tacitus id aut post *habita* aut proxime (post *milia* vel *manipularibus*) posuisset.

addiditque sine pretio frumentum: 'Sueton. Ner. 10: *constituit praetorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum.* Severus imperator modum frumenti etiam auxit, de quo Herodianus III 25: *καὶ τὸ σιτηρέσιον αὐτοῖς πρῶτος ηὔξησε, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε.* Iterum Antoninus eius f. patrata caede Getae: idem scriptor IV 9: *προστίθησι δὲ τῷ σιτηρεσίῳ ἄλλο τοῦ τελουμένου ἥμισυ.*' Lipsius.

consularia insignia Nymphidio: non bene ante haec verba puncto distinguitur: comma debet esse, ut e verbo *tribuit* etiam *consularia insigna* pendeant. Sed nondum sana videntur esse omnia. Nymphidium enim praetorii praefectum uno nomine vocari, ubi primum memoratur, per se consuetudini Cornelianae adversatur (v. annot. ad XIII 30), et magis mirum est, quod modo Petronius Turpilianus et Cocceius Nerva more solito nominati sunt, neque pro diversa causa unum Tigellini nomen afferri potest, quia is iam saepe commemoratus est. Quae qui rite reputaverit, vix dubitabit quin fuerit *Nymphidio Sabino.* Conf. II. I 5. Statim vero nova dubitandi causa oboritur. Nam in Medicei scriptura *de quo Nymphidio* duae iunctae sunt, altera *de quo*, ut codices interpolati legunt, altera *de Nymphidio*, atque haec et Tacito et huic loco egregie videtur convenire. Conf. XV 34: (Nero) *apud Beneventum interim consedit, ubi gladia-*

senatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum et collata in libros indicia confessionesque damnatorum adiunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros * et insontes ob invidiam aut metum extinxisset. Ceterum coeptam adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere quibus verum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. At in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis, Iunium Gallionem Senecae fratris morte pavidum et pro sua incolumitate supplicem increpuit Salienus Clemens, hostem et parricidam vocans, donec consensu patrum deterritus est, ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut oblitterata mansuetudine prin-
74 cipis novam ad saevitiam retraheret. Tum decreta dona et grates deis, propriusque honos Soli (cui est vetus aedes

2. *dampnatorum adiuncxit* M[a]. 3. *tanq.* M[a]. 4. *et insontes* M[a], G *et insontos: insontes* C. *exstincxisset* M[a]. 5. *ceptam* M[a]. 9. *dimissis* GM[a]: emendatum a Puteolano. 13. *compositā aut obliteratā mansuetudinē* M et G (is *oblitteratā*) et ceteri: correxit Lipsius. 14. *seuitiam* M[a]. *tum decreta — deis* editor: M[a] *tum decreta — deis decernuntur*, I. Fr. Gronovius *tum dona — deis decernuntur*, et ita vulgo.

torium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, cet. XVI 18, postquam cap. 17 *Petronius* cum aliis nominatus erat, pergitur: *de Gaio Petronio pauca supra repetenda sunt.* Quapropter Tacitus videtur scripsisse quae in annotatione superiore prompsi, sed vulgatam toleravi audaciae culpam et novandi cupidinem vitaturus.

quia nunc primum oblatus est: plura in extrema parte Annalium de Nymphidio imperium sibi moliente narravit nobis incognita. Cf. II. 1 5 cum annot.

Cap. 73. *viros:* post hoc vocabulum *nobiles* vel *claros* excidisse apertum est, quamquam in codicibus nullum indicium hiatus inest. Bezzenberger coniecit *tanquam ultro et insontes*, sed nomen *viros* suspicioni haud obnoxium est.

donec consensu patrum deterritus est, ne: hexametrum esse ad I 1 monui. Gallio nunc transmissus, post tamen a Nerone interfectus est: Dio apud Xiphil. LXII 25: καὶ οἱ ἀδελφοὶ ὕστερον ἐπαπώλοντο. Fratres Senecae fuere Annaeus Mela Lucani pater, a. 66 sublatus (XVI 17), et Iunius Gallio, ante M. Annaeus Novatus. Gallionis caedem in perditis Annalium partibus Tacitus narravit.

Cap. 74. *decreta dona et grates deis:* post vocem *deis* aut διττογραφίας errore *decernuntur* repetitum est aut falsa opinione alicuius adiectum, qui *dona et grates* non, ut debuit, iunxit, sed *dona* hominibus data, *grates* deis decretas crederet. Sed postquam relatum legimus Milichum coniurationis proditorem *praemiis ditatum* esse (cap. 71), praetorianis bina nummum milia

apud circum, in quo facinus parabatur), qui occulta coniurationis numine retexisset; utque circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur, mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet; templum Saluti extrueretur eo loci ex quo Scaevinus ferrum prompserat. Ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit, inscripsitque Iovi vindici. In praesens haud animadversum; post arma Iulii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur. Reperio in commentariis senatus Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat tamquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito, quondam ad omen ac dolum citi exitus

2. *ciracensium cerialium* M[a]: correctum in G. 3. *mensisque* BGM[a], *mensis quoque* CR. 8. *repperio* M[a]. 12. *tanq.* M[a]. *veneratio item* BM[a], *uenerationem item* G et Oxonienses: *item* expunxit Rhenanus. 13. *quondam ad omen ac dolum citi* editor: M[a] *quorundam ad omina dolum sui*, G *quorundam ad omnia dolo sui.*

viritim divisa (72), alios honoribus auctos (ibidem), cui quaeso etiamnum dona decernentur? Bezzenberger correcturus *tum indiscreta dona — decernuntur* non recogitavit vocem *indiscretus* non idem valere quod *haud discretus*, sed ea denotari quod *discerni nequit*. Sic certe semper Tacitus, velut I 35: *mox indiscretis vocibus* (= quae discerni non poterant) *pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant vallum fossas.* XV 32: *ad eam diem indiscreti* (h. e. ut discerni non possent equites a plebe) *inibant.* H. IV 52: *suum cuique sanguinem indiscretum* (h. e. dividi et seiungi non posse). Hinc descendit significatus eius quod eodem loco et numero est, ut H. III 47: *quando hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est.* Ne id quidem Tacitus dicere vult, ceteris numinibus promiscue et in commune dona, proprium honorem Soli decretum esse. Immo *proprius* nunc est *praecipuus*, et di quos praeter Solem tunc respexerunt, fuere Ceres, Salus, Iuppiter vindex. Conf. XIV 64: *dona ob haec templis decreta.* 59: *decretae eo nomine supplicationes.*

apud Capitolium sacravit: 'ritu veteri et recepto. Suet. Cal. 24: *tres gladios in necem suam praeparatos Marti ultori, addito elogio consecravit.* Idem Vitellio 10: *pugionem, quo se Otho occiderat, in Agrippinensem coloniam misit Marti dedicandum.* Dio in Antonino Caracalla LXXVII 23: *καὶ τὸ ξίφος, δι' οὗ τὸν ἀδελφὸν ἀπεκτόνει, ἀναθεῖναι τῷ θεῷ ἐτόλμησεν.* Sed et apud Graecos Olympias *gladium, quo rex* (Philippus) *percussus erat, Apollini sub nomine Myrtales consecravit*, ait Iustinus IX 7. Tertullianus pulchre de Resurr. carnis: *gladius bene de bello cruentus, et melior homicida, laudem suam consecratione pensabit.* Lipsius.

quondam ad omen ac dolum citi exitus verteretur: omina resolvi

verteretur: nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.

1. *dm* cum lin. M[a]. 2. *desierit. Corneli Taciti Expl. Liber XV. Incip.* (cum lin.) *liber XVI.*

cum Rhenano *omen ac*, in ceteris (coniecit: *quod clam ad omen ac dolum sui exitus verteret*) ab hoc dissentiens. *Citi* et *sui* in scriptura Langobardica quattuor ductibus exarantur admodum similibus. *Citi* etiam Iac. Gronovius in coniectura alioqui minime probanda: *venerationem caelitum merito; quo quondam ad omina dictum citi exitus verteretur.* Omen ac dolum idem est quod *omen dolosum* (*woraus nachmals ein arglistiges Wahrzeichen beschleunigten Todes gemacht werden sollte*). Vox *citi* respicit adverbium *quam maturrime*. Quippe homines dicebant Cerialem omine divinitus oblato significasse, fore ut Nero mox vita concederet ac *divus* fieret. Seyffertus coniecit *quorundam interpretatione ad omen ac votum sui exitus verteretur;* sed in his et *sui* friget et pro *verteretur* debuit *vertebatur; omen ac votum* etiam Heinischius; postremo Bezzenberger *quum quorundam admonitu ad omen saevi exitus verteretur.* Non saevus exitus divinitate quam maturrime optata indicabatur, sed citus. De re conf. Suetonius Vesp. 23: *prima quoque morbi accessione 'vae' inquit, 'puto, deus fio'.* Idem apud Xiphilinum ex Dione LXVI 17. Tertullianus Apolog. 34: *si non de mendacio erubescit eiusmodi adulatio, hominem deum appellando; timeat saltem de infausto. Maledictum est ante ἀποθέωσιν deum Caesarem nuncupare.*

LIBER SEXTVS DECIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—12. Anni sexagesimi quinti res ad tradendum reliquas exequi pergit narrator. Neroni fortuna illudit per vanitatem ipsius et promissa Caesellii Bassi, qui thesauros immensos a se in Africa reclusos iactat et Caesarem inducit ut praedam partam navibus avehere iubeat (1—3). In lustrali certamine Nero carmen in scena recitat, dein citharoedus in theatrum progreditur. Inter quae plures periculum incurrunt, in iis Vespasianus, tamquam somno conniveret, sed meliorum precibus protectus est (4—5). Poppaea moritur; Gaius Cassius vir illustris et probus in exilium mittitur, Lucius Silanus in Apulia necatur (6—9). Lucius Vetus, simul filia et socrus eversi, peractis caedibus ludibria (10—12). Tot facinoribus foedum annum etiam tempestatibus et morbis insignem di fecerunt (13).

Cap. 14—35. Annus a Christo sexagesimus sextus, quo Nero tamquam frenis exolutus ad extrema facinorum et infamiae prorupit, ad deterrima sociis Tigellino et Helio. Publius Anteius et Ostorius Scapula vanis criminibus delati et interfecti (14—15). Scriptoris continuas caedes et patientiam servilem narrantis excusatio (16). Paucos intra dies eodem agmine cadunt viri nobiles Mela, Cerialis, Petronius, Crispinus (17). De Gaio Petronio curatius expositum. Minucius Thermus praetorius ob simultates Tigellini exitio traditus (18—20). Trucidatis tot insignibus viris ad postremum virtutem ipsam excindere tyrannus concupivit interfecto Paeto Thrasea, tunc lumine Romani orbis, et Barea Sorano cum filia pia et innoxia, quorum accusationes insigni cum scribentis motu narrantur (21—35).

Verum antequam extremas hominum insignium necessitates tradendo absolvit et reliqua Neronis facinora et dedecora quam plurima adiunxit, ipsum transversa incurrit misera fortuna posterisque proximi biennii historiam, operis florem et columen, huic libro et subsequentibus duobus insertum invidit, de quo dictum accuratius in Prooemio (12—14).

Anno proxime inferiore consulatum gesserunt Lucius Fonteius Capito et Gaius Iulius Rufus, altero Gaius Silius Italicus et Marcus Galerius Trachalus. Eo anno quintum idus Iunias se ipsum occidere Nero adactus est.

Inlusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et **1**
promissa Caesellii Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit,

1. *Neroni* G: M^a *neronis*. 2. *Caeselli* GM^a, non *Ceselli*. *plenus* M^a. *turuida* M^a. 3. *nocturne* M^a. *dubiam* G a. m. sec.: M^a *dubie*.

Cap. 1. *inlusit dehinc — fortuna:* pergit auctor eiusdem anni res tradere: nam finis coniurationis ad librum antecedentem concludendum aptus videbatur. Inde particulae *dehinc* usus patet et verbi *inlusit* potestas et locus. Etenim fortuna quae Neronem modo nimium iuvit, iam ei illudit. *et promissa Caesellii Bassi*: rescripsi *Caesellii* pro *Caeselli*, ut ex libro Mediceo receptum exhibent Bekkerus et Orellius: nam a *Caesio* nomen gentile fit *Caesellius*, non *Caesellus*, ac *Caeselli* in M^a aut contracta forma genitivi est, ut cap. 7 *cassi* pro *Cassii*, aut potius proximo *Bassi* nomini Caesellius per imprudentiam assimilatus est.

ad spem haud dubiam retraxit: Bassus nocturnae quietis imaginem *recordatus* est et ad spem haud dubiam *traxit*: utrumque comprehendit *retraxit*. Non bene, ut mihi videtur, Doederlinius et Bezzenberger, Doederlinii non memor, coniecerunt *ad spem haud dubiae rei traxit*. Nam forma Medicei (*dubie*) aut nata ex scriptura *dubiā*, aut corrupta est prava recordatione locutionis tritae *haud dubie*. Bassus ille *hallucinatione* deceptus est, h. e. cogitationem ex animo suo profectam extrorsumque proiectam rei externae (auri ponderi) ita accommodavit, ut ab hac ipsa originem duxisse cogitationem suam persuasum sibi haberet.

vectusque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae, sed rudi et antiquo pondere. Lateres quippe praegraves iacere, adstantibus parte alia columnis; quae per tantum aevi occulta augendis praesentibus bonis. Ceterum, ut coniectura demonstraret, Dido Phoenissam Tyro profugam condita Carthagine illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bel-
2 lum accenderentur. Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumorem, mittitque qui velut partam praedam adveherent. Dantur triremes et delectum remigium iuvandae festinationi. Nec aliud per illos dies

2. *agros* M^a. *inm.* M^a. 4. *asst.* M^a. 5. *eui* M^a. 6. *caeterum* M^a. *demonstraret* Ernestius: M^a *demonstrat;* in G ultima littera est in litura. 7. *fenissam* M^a. *cartagine* M^a. 8. *paecunia* M^a. 11. *missis uisoribus per* M^a et ceteri: emendavit Ernestius. 12. *adferre* (in versus fine) *rentur* M^a. 14. *nauigium* cum ceteris M^a: *remigium* Boxhornius.

lateres — columnis: lateres auri argentive nos appellamus *Platten*, columnas *Barren* sive *Stangen*.

ut coniectura demonstraret: in libris manuscriptis omissa media syllaba quod legitur *demonstrat*, male convenit subsequenti *abdidisse*, antegresso *contineretur*. Waltherus *demonstraret* cum repudiavit, oblitus videtur esse rem praeteritam ab alio relatam a Tacito narrari. De accusativo *Dido* v. Forcellinii lexic. Quae Orellius de anacolutho narrat, ea huc nihil pertinent. Quippe infinitivus non pendet ab interposito *ut coniectura demonstraret*, id quod ille opinatur, sed a verbo *expromit*. Ceterum Taciti diligentia Bassi vecordiam et turbidae mentis somnia accuratius persecuta est, ut principis vanitas et caeca auri cupido legentibus magis appareret.

Cap. 2. *missis per quos nosceret*: nomen *visoribus*, neque Tacitinum neque iustae Latinitatis, sed apud mediae aetatis scriptores saepe usurpatum, ut Cangius docet, post *missis* insertum in codicibus, haud dubie ex glossa marginali natum est. Seyffertus tamen *e senatoribus*, Bezzenberger *fossoribus* coniecit. *velut partam praedam:* nos dicimus 'wie eine gewonnene Beute'. Languidius est inventum Acidalii *paratam* (conf. annot. ad IV 44), haud necessarium Ernestii *aveherent*.

dantur triremes — festinationi: pro liburnicis adhibentur triremes, amplae scilicet ad ingentem et praegravem auri vim accipiendam. Quae cum festinationi minus aptae viderentur, inditum est delectum remigium iuvandae festinationi, dativus enim ad *delectum remigium* pertinet, non etiam ad triremes. Corruptum *navigium* qui tenent et accipiunt pro *nautis*, adversus linguam Latinam peccant; qui *naves* cogitant, perturbate narrantem Tacitum faciunt.

populus credulitate, prudentes diversa fama tulere. Ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebratur; oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est. Non enim solitas tantum fruges nec confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire terra; et obvias opes deferre deos; quaeque alia summa facundia nec minore adulatione [servilia] fingebant, securi de facilitate credentis. Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres 3
opes quasi oblatis quas multos per annos prodigeret. Quin et inde iam largiebatur; et divitiarum expectatio inter causas paupertatis publicae erat. Nam Bassus, effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites sed populus

1. *prodentis* GM[a]: correxit Boxhornius. *tulerat* pro *tulere.ac* BG et Oxonienses. 2. *celebratur* M[a]. *auaratoribus oratoribusque* M[a]. 5. *terra* A: M[a] cum ceteris *terram*. 6. *minores* M[a]: G *minore*. 7. glossam *servilia* seclusit editor.

prudentes diversa fama: ut *populo* plebique (*der Masse*) *prudentes* opponuntur, sic *diversa*, h. e. contraria, *fama* (*in entgegengesetzter Unterhaltung*) respondet vocabulo *credulitate* (*mit Leichtgläubigkeit*). *ac forte — celebratur:* interpretare '*und zufällig trifft die Feier des fünfjährigen Festspieles ein*'. Ipsum ludicrum nondum celebrabatur, sed tempus eius instabat; v. c. 4. Recte igitur codices *celebratur*, non *celebrabatur* a Puteolano profectum.

oratoribusque: huic nomini quod in M[a] antecedit *auaratoribus*, in hoc *au* (av) est *ab*, *aratoribus* autem levi menda pro *oratoribus*. Similis glossa est, ut illud *visoribus*, qua adiecta admonuit auctor eius, in *oratoribusque* dativum idem valere quod *ab oratoribus*. De eiusmodi rebus tacerem, nisi alios incertos iudicii haerere ac praecipue a glossis in Taciti codicibus admissis abhorrere viderem.

sed nova ubertate provenire terra: subiectum est *aurum*, *terra* idem quod *de terra*, et praepositio potest abesse, quia vis eius inest verbo composito *provenire*. Librarius libri Medicei ignarus structurae et ceteris accusativis inductus *terram* scripsit, sed *provenire* est in lucem venire vel gigni, id quod terrae iunctum minime aptum est. Sic XIII 57: *illo in amne illisque silvis salem provenire*. Novis interpretibus imposuit I. Fr. Gronovius, duobus Plauti locis (Trucul. II 4 33 et 6 35) transcriptis, in quibus est *bene provenisti* et *recte provenisti* de muliere puerum feliciter enixa, ut nos decimus *nieder kommen*, sed inde neque probatur *provenire* in alio verborum contextu perinde poni; neque terra illa Africae partus suos edit, sed intus clausos retinet.

nec minore adulatione [servilia]: ecce iterum Crispinus. Idem enim qui vocabulis *qui noscerent* ascripsit *visoribus*, quique dativum *oratoribus* interpretatus est *ab oratoribus*, in eodem capite adversus *nec minore adulatione* in margine

agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia, non falsa ante somnia sua seque tunc primum elusum admirans, pudorem et metum morte voluntaria effugit. Quidam vinctum ac mox dimissum tradidere, ademptis bonis in locum regiae gazae.

4 Interea senatus, propinquo iam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus, adicitque facundiae coronam, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitans, se aequum adversum aemulos, et religione iudicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scena recitat; mox flagitante vulgo ut omnia studia sua publicaret (haec enim verba dixere), ingreditur theatrum, cunctis citharae legibus

2. *antea* M[a], *ante* G per comp. *ammirans* M[a]. 7. *offrt* M[a]. 9. *nichil* M[a]. 10. *adversũ* M[a]. *emulos* M[a]. 13. *cithare* M[a].

codicis ἀρχετύπου vel supra versum dedit *servilia*, vocem post adulationis infamiam dilucide notatam plane inanem et Taciti stilo prorsus adversantem. Quo accedit quod adulationes illae inhonestae quidem fuerunt, sed non *serviles*: nam *serviles* adulationes fundit qui profert quae iussa sunt et indita, aut quibus excogitandis sufficit vel servi ingenium. Sed illi oratores exquisitum aliquid et novum sponte et libere exornandum susceperunt. His exemplis corrigere poterunt falsam opinionem suam qui aut nullas glossas aut perpaucas in Taciti libros invasisse statuunt.

Cap. 3. *quin et inde — publicae erat*: haec et quae sequuntur in eodem capite narrata quaeque c. 4—5 legimus, eam spirant ironiam loquentis, quam homine *Humoris* recentiores appellant. *regiae gazae*: *regia* nominatur, quod Dido regina abdidisse illam ferebatur. Gaza est *Thronschatz*, h. e. pecunia in usum regiae domus destinata, ut VI 37. Curtius III 13 5: *pecuniam regiam, quam gazam Persae dicunt, — efferri iubet.*

Cap. 4. *lustrali certamine:* hoc institutum erat a. 813 a. u. = 60 a Chr. v. XIV 20. Iam exacto spatio quinquennali redit. Suetonius in Nerone 21 quod narrat, *Neroneum agona ante praestitutam diem revocavit*, Tacitinis adversum est: nam verba *propinquo iam l. certamine* tempus sollenne et ante definitum respiciunt. Suetonius pro more insolita et in maius aucta rettulit.

nihil ambitu: intelligit ambitum suum eique opponit potestatem senatus; non opus esse ut ipse ambiret gratiam senatus isve suam potestatem pro principe interponeret.

mox — ingreditur theatrum: poetae et cantoris ante functus officio et digressus, iam citharoedus progreditur, exoratus ab Aulo Vitellio. Sueton. Vit. 4: *cupientem* (Neronem) *inter citharoedos contendere nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem ideoque egressum theatro revocaverat* (Vitellius), *quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque praebuerat.* Idem in Nerone 21 et 23. Cf. annot. ad XIV 15.

obtemperans, ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste detergeret, ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. Postremo flexus genu, et coetum illum manu veneratus, sententias iudicum opperiebatur ficto pavore. Et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus iuvare solita, personabat certis modis plausuque composito. Crederes laetari; ac fortasse laetabantur per incuriam publici flagitii. Sed qui remotis e municipiis severamque adhuc et antiqui 5
moris retinentes Italiam, quique per longinquas provincias lasciviae inexperti officio legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare neque labori inhonesto sufficere, cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros, ac saepe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore aut silentio segni praeteriret. Constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem eniluntur,

3. *uiserent* BGM^a: mutatum in Ies. a sec. m. et a Puteolano. *caetum* M^a. 7. *iniuriam* GM^a': correxit Acidalius. 9. *longinquas* Pichena: M^a *lonquas*, ceteri *longas*. 10. *lasciviā experti* M^a cum ceteris: correxit Puteolanus. 11. *labore* GM^a: tacite correxit Rhenanus. 14. *inp.* M^a. 15. *consistit* M^a.

ne fessus — viserentur: haec copiosius persequitur Suetonius Ner. 24: *in certando vero ita legi obediebat, ut nunquam exscreare ausus sudorem quoque frontis brachio detergeret.* Cf. Dio ap. Xiphil. LXI 20, LXIII 9. *sententias iudicum — pavore:* etiam de hoc plura apud Suetonium cap. 23 et Dionem locis indicatis. Quae antecedunt *coetum illum manu veneratus*, haec significant *adorationem* populi a Nerone peractam, et hanc vocem tamquam quotidiano usu tritam Tacitus vitavit. Nero autem adoravit populum, quia in certaminibus iudices huius favorem et assensum in iudicando praecipue spectabant.

Cap. 5. *sed qui — advenerant:* iam severi ac modesti opponuntur turbae urbanae ac lascivae modo commemoratae. *lasciviae inexperti:* praetuli hanc Puteolani coniecturam ei, quam G. Otto Divinat. Livian. p. 41 proposuit (*lascivia*), quamvis propius accedenti ad ductus libri M^a. Nam *inexpertus* ubi est *ἄπειρος* sive *ignarus*, ut hoc loco, genitivum poscit, ablativo iungitur, cum passiva significatio adest *non exploratus*, et sextus casus *instrumenti* notionem continet. H. I 8: *vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus.* H. II 75: *suas legiones civili bello inexpertas.* Sic Livius quoque XXIII 18: *exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala saepe ac diu duratum, bonis inexpertum* ('durch Glück noch nicht geprüft') *atque insuetum.*

turbarent gnaros: dicit Augustanos eisque similes: XIV 15.

sedilibus continuant: v. annot. ad I 60.

obtritos, et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. Quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coëuntium scrutarentur. Unde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversum inlustres dissimulatum ad praesens et mox redditum odium. Ferebantque Vespasianum, tamquam somno conniveret, a Phoebo liberto increpitum, aegreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem perniciem maiore fato effugisse.

6 Post finem ludicri Poppaea mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis adflicta est. Neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tradant, odio magis quam ex fide: quippe liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed regum externorum consuetudine differtum odoribus

3. *ocultis* Mª. 4. *voltus* Or. 6. *illustres* Or. 7. *tanq.* Mª. *coniveret* Mª. 8. *phebo* Mª. *p̄cibus* Mª. 9. *permitiem* Mª. 10. *poppea* Mª. 11. *affl.* Or.

Phoebo liberto — effugisse: Tacitina brevitate *duo* Vespasiani pericula comprehensa sunt, prius quod adiit Romae certaminis ludicri tempore, traditum verbis *ferebantque — obtectum* et ab uno Tacito memoratum, alterum in quod incidit, cum Neronem comitatus est itinere Achaico (*mox imminentem — effugisse*). Nimirum adversus primam offensionem homines precesque meliorum Vespasianum tutati sunt, adversus alteram, cum pernicies iam immineret et vix averti posse videretur, deorum favor protexit et maius fatum cui destinatus erat. Alterum Vespasiani offensam copiose narrant Suetonius Vesp. 4 et 14, Dio LXVI 11. Suetonii verba huc spectantia sunt: *peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cum cantante eo aut discederet saepius aut praesens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam; prohibitusque non contubernio modo sed etiam publica salutatione secessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti etiamque extrema metuenti provincia* (Iudaea) *cum exercitu oblata est.* Taciti verba ab interpretibus adhuc non satis intellecta sunt. Phoebus *ex officio admissionis* Neroni fuit: Sueton. cap. 14. Memoratur in lapide vetusto (Grut. 610 7): *Ti. Claudio. Aug. l. Phoebo. Claudia. Pannychis.*

Cap. 6. *Poppaea — adflicta est:* cf. Sueton. Ner. 35. Dio ap. Xiphil LXII 27. Octaviae auctor (Maternus) hanc mortem praedicentem facit Agrippinam Neronis matrem v. 594: *nubat his flammis meo Poppaea nato iuncta, quas vindex manus dolorque matris vertet ad tristes rogos.*

differtum odoribus conditur: non bene aliquid molesti deprehendit Doederlinius in verbo *conditur* post *differtum odoribus* succedente: nam prius materiam denotat a condientibus adhibitam, alterum artem et curam.

conditur, tumuloque Iuliorum infertur. Ductae tamen publicae exequiae, laudavitque ipse apud Rostra formam eius, et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtuti bus.

7 Mortem Poppaeae ut palam tristem, ita recordantibus laetam ob impudicitiam eius saevitiamque, nova insuper invidia Nero complevit, prohibendo Gaium Cassium officio exequiarum; quod primum indicium mali. Neque in longum dilatum est, sed Silanus additur, nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et modesta iuventa praecellebant. Igitur missa ad senatum oratione removendos a re publica utrosque disseruit; obiectavitque Cassio quod inter imagines maiorum etiam Gai Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam 'duci partium': quippe semina belli civilis et defectionem a domo Caesarum

5. *poppeae* Mª. 6. *inpud.* Mª. *seuit.* Mª. 7. *G.* Mª. 12. *a rae publicas* Mª: *a re .p.* G. 14. *G. cassi* Mª. *duci* GMª: *dux* BC, non etiam G, ut narrat Orellius. 15. *ces.* Mª.

ductae tamen publicae exequiae: particulam *tamen* posuit, quia *exequiae* vulgo ad rogum et corpus ibi comburendum ducuntur. Sed cadaver quamquam nullum tunc crematum est, ductae tamen exequiae. Eodem pertinet quod Plinius tradit N. H. XII 41 (18): *periti rerum affirmant non ferre* (Arabiam) *annuo fetu, quantum Nero princeps novissimo Poppaeae suae die concremaverit.* Nimirum quamvis non combusta sit Poppaea, plebi tamen delicias suas Nero subtrahere noluit. Plinii in hac re errorem non concesserim. *fortunae munera:* cf. annot. ad III 2.

Cap. 7. *ut palam tristem, ita recordantibus laetam:* verba *palam tristem* respiciunt quae de funere publico modo narrata sunt. Eis quae opposita sunt *recordantibus laetam*, explicatione indigebant, quam praebent addita *ob impudicitiam eius saevitiamque.* Ceterum *recordantes* Tacitus significat meliores et prudentiores: plebs enim communium curarum expers.

nova insuper invidia Nero complevit: eleganter sibi respondent *insuper* (obendrein) et *complevit:* compleri enim dicitur mensura, cum nihil deest eorum quae addi possunt. De C. Cassio dictum ad XII 11.

Silanus: est Lucius Silanus iam laudatus XV 52. Ei sub Traiano principe statua in foro posita est, impetrante Titinio Capitone: Plin. Epist. I 17. Schol. ad Iuvenal. I 33: *magni delator amici: Heliodorum dicit, Stoicum philosophum, qui Licinium Silanum* (lege *Lucium Silanum*, non cum Lipsio *L. Iunium Silanum*) *discipulum suum, cum argueretur coniurationis, infitiantem, praeter domesticam delationem, etiam testimonio oppressit.*

missa ad senatum oratione: misit et recitavit per *quaestorem* suum sive *candidatum principis*; v. annot. ad XVI 34 et III 57. *animo praeruptum:* conf. V 3 *praerupta iam et urgens dominatio*, quaeque ibi notata sunt.

quaesitam. Ac ne memoria tantum infensi nominis ad dis-
cordias uteretur, adsumpsisse Lucium Silanum, iuvenem ge-
nere nobilem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret.
8 Ipsum dehinc Silanum increpuit isdem quibus patruum eius
Torquatum, tamquam disponeret iam imperii curas, praefice-
retque rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul
et falsa: nam Silanus intentior metu et exitio patrui ad prae-
cavendum exterritus erat. Inducit posthac vocabulo indicum,
qui in Lepidam Cassii uxorem, Silani amitam, incestum cum
fratris filio et diros sacrorum ritus confingerent. Trahebantur
ut conscii Volcatius Tullinus ac Marcellus Cornelius senatores
et Calpurnius Fabatus eques Romanus; qui appellato principe
instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa
9 scelera distentum quasi minores evasere. Tunc consulto se-
natus Cassio et Silano exilia decernuntur: de Lepida Caesar

1. *ac memoria* Mª et ABCR, *ac ut mem.* G et Oxonienses: correxere Faërnus et Ursinus. 2. *L.* Mª. 3. *praeruptum* Mª cum plerisque: *promptum* A et G a sec. m. 5. *tanq.* Mª. 7. *intetior* Mª. *etio* Mª: G *exitio.* 11. *uolcacius* Mª, *Volocatius* pr G, ab alt. m. *Vulocatius.* 14. *tunc* GMª, non *tum.* *consulto senatus* AG: Mª *consulto senatu.*

Cap. 8. *patruum eius Torquatum:* cf. XV 35. *inania simul et falsa:* cf. annot. ad I 27.

ad praecavendum exterritus erat: verbum *exterritus* proprie dicitur de fera ex somno et cubili excita, inde transfertur ad homines qui gravi terrore percelluntur. Conf. I 42 et 45 et 56, II 55, XIII 37.

inducit posthac vocabulo indicum: particula posthac indicio est, hoc a Nerone tentatum esse altero senatus de Silano Cassioque iudicantis consessu. Qui confinxerunt quae Nero praeceperat, eos iste *indices* appellavit, quo maiorem rei speciem conciliaret: nam indices proferunt ea quibus patrandis ipsi interfuerunt. Lege annot. ad XV 55.

Lepidam — Silani amitam: soror erat Lucii Silani a Claudio subversi (XII 3 et 4 et 8) et Iuniae Calvinae ab eodem ex Italia pulsae (XII 4 et 8).

Volcatius Tullinus: a *Tullo* factus est *Tullinus*, ut a *Iusto Iustinus* cet. *Tullorum* vero cognomen non alienum a *Volcatiis.* Cf. Cic. Cat. I 6. Sallust. Cat. 18. Errat autem Lipsius, cum hunc senatorem eundem esse putat atque *Volcatium Tertullinum*, tribunum plebis sub Vespasiano principe (H. IV 9); ei enim magistratui iuvenes praepositi sunt, non senes.

Marcellus Cornelius: posthac in Hispaniam missus est ibique occisus a Galba: H. I 37. *Calpurnius Fabatus:* ad hunc pertinet inscriptio apud Gruterum pag. 382 6. Plinii Secundi prosocer fuit; v. Epist. IV 1, V 12, VII 32.

Cap. 9. *consulto senatus — exilia decernuntur:* quod in Mª *senatu*, hoc a scriba proximo *consulto* accommodatum est. Opponitur ex una parte senatus consultum, ex altera Caesaris sententia sive decretum.

statueret. Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, et senectus eius expectabatur. Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus; post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans, a centurione ad caedem misso corripitur; suadentique venas abrumpere, animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii. At centurio, quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem cernens, prendi a militibus iubet. Nec omisit Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus adversis tamquam in pugna caderet.

Haud minus prompte Lucius Vetus socrusque eius Sextia 10

2. *senatus* M^a et ceteri: correxit Franc. Medices. *exsp.* Or. *tanq.* M^a. 3. *ostia* M^a. 4. *Barium est* GM^a, non Rhenani *est Barium.* 5. *caede* M^a. 7. *pemittere* cum lin. transversa in litt. *p.* M^a. 9. *prendi* editor: M^a *p̄mi*, ceteri *premi.* 11. *voln.* Or. *tanquam* M^a. 13. *L.* M^a.

et senectus eius expectabatur: luminibus orbatum dicit Suetonius Ner. 37. Perduravit tamen ad Vespasiani principatum: Pompon. l. 2 §. 47 *de Orig. iur.* (I 2): *plurimum in civitate auctoritatis habuit eousque, donec eum* (insere Nero) *Caesar civitate pelleret; expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano diem suum obiit.*

sed non permittere percussori gloriam ministerii: cogita centurionem illum consilio suo statim rem iungere voluisse et medicum obtulisse qui Silano venas incideret. Cf. XV 69: *clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae.* Suetonius Ner. 37. Cui ille superbe reponit, gloriam ministerii viro illustri praebendi se non permittere percussori: nam *percussorem* contemptim appellat medicum venas incidentem.

prendi a militibus iubet: quod vulgo legitur *premi,* id Latine dici non potuit nisi adiecto eo quo pressus sit. Sic VI 50 *opprimi senem iniectu multae vestis iubet.* XII 32 (gens) *castris legionum premenda.* H. III 77 (naves) *nimio ruentium onere pressas mare hausit.* H. IV 23 *hibernis obsideri premique Germanias.* Ipse tamen ablativus instrumenti non requiritur, si suppleri ex proximis potest, velut XIV 5: *ruere tectum loci multo plumbo grave; pressusque Crepereius et statim exanimatus est.* XVI 53: *Lateranus — prosterneret incautum premeretque* (corpore suo). Si absolute dicitur, ut II 15 *premere pulsos,* idem est quod *insequi* vel *instare,* aut *cohibere* et *reprimere,* ut H. IV 2: *paucos erumpere ausos circumiecti pressere. Premere* autem per se neque *occidere* neque *opprimere* significare potest. Sin accipias de Silano corpore invadentium militum premendo, Tacitus perobscure et contra consuetudinem loquetur. Immo Silanum centurio suadenti sibi haud obsequentem *prehendi* a militibus iussit, ut venae abrumpi ei possent: sed ille dum obnititur, ne prehenderetur, centurionis ferro perfossus est. Is enim tum demum ipse ad vim progressus est, cum

et Pollucia filia necem subiere, invisi principi tamquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum generum Lucii Veteris. Sed initium detegendae saevitiae praebuit interversis patroni rebus ad accusandum transgrediens Fortunatus libertus, adscito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Asiae proconsule exolvit Nero in praemium accusationis. Quod ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia, super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui viderat; cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et vestes respersas, vidua luctu continuo, nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent.

1. *polutia* M[a]: G *pollucia.* *inuisit* M[a]: G *inuisi.* *tanquam* M[a]. *uincendo* GM[a]: correxit Puteolanus. 3. *luci* M[a]. *detegende seuit.* M[a]. 6. *uertere asyae* M[a]. *exsolv.* nunc M[a]. 8. *digreditur* GM[a], non *degr.* 12. *vidua inplexa* M[a] et ceteri.

militibus Silanum prehensuris ea res non cessit. Ea facti successio prohibet quo minus *perimi* fuisse coniiciam, quod alioqui prope abest a corrupto *premi.*

Cap. 10. *Pollucia filia*: nomen *Pollutia*, ut vulgo scribitur, dictum a *polluta* et *polluendo*, obnoxium est offensioni ideoque corruptum videtur. Patris nomen (*Lucius Vetus*) verum filiae nomen ostendit: nimirum haec non simpliciter *Lucia* vocata est, sed *Pollucia*, h. e. splendida, et sic in G scriptum est. Ut *Lucius* et *Lucia* a *lucendo*, sic *Polluciae* nomen ab obsoleto verbo *pollucere* conformatum est. Eadem femina XIV 22 nomine suo gentili *Antistia* vocatur. *Rubellium Plautum:* v. XIV 57—59.

exolvit Nero in praemium accusationis: exolvit ut ei praemium accusationis fieret. *pari sorte componi*: ducta locutio est a gladiatorum paribus aequa sorte compositis. *servabat sanguinem et vestes respersas:* quomodo haec fieri possent, praegressis verbis *cruentamque eius cervicem amplexa* indicatum est. Etenim *sanguis* est ille, quo ipsius Polluciae vestes tunc respersae sunt.

vidua luctu continuo, *nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent:* dua praedicata, luctus continuus et alimenta curta, cum nomine *vidua* iunguntur ad morem Taciti; sed ars scribentis et structura verborum corrumpitur addita voce *inplexa*, quae per repetitionem et immutationem antecedentis *amplexa* nata est. Eadem ad sententiam minime convenit. Nam mulier illa ante accusationem patris non nisi uno et gravi casu afflicta est, morte mariti. Sed *implecti* continuo luctu de eo demum recte dici potest, qui continuis miseriis et aerumnis circumvenitur. Quod Polluciae quamvis non accidisset, ea tamen ob insignem amorem mariti luctum, ut alioqui fieri solet, non exuerat, sed continuo servaverat. Hanc sententiam praebet *vidua continuo luctu*, non *vid. inplexa cont. l.* Obiter admoneo *implecti* neque apud Tacitum legi (is scribit *inplicari*), neque quod sciam,

Tum hortante patre Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando sexum egressa voce infensa clamitabat, donec princeps immobilem se precibus et invidiae iuxta ostendit. Ergo nuntiat patri abicere spem et uti necessitate. Simul 11
adfertur parari cognitionem senatus et trucem sententiam. Nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere. Quod aspernatus, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret, largitur in servos quantum aderat pecuniae; et si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modo lectulos ad suprema retineri iubet. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique et singulis vestibus ad verecundiam velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinquerent suos superstites et

1. *Neapolim* M[a], non *Neapolin*. 3. *mulieri* M[a]. 4. *heIulalu* M[a]. 5. *inm.* M[a]. *p̄cibus* M[a]. 7. *aff.* Or. 8. *ces.* M[a]. 11. *fed.* M[a]. 13. *sup̄ma* M[a]. 15. *iliam* M[a]. 16. *p̄cantes* M[a]. 17. *relinqueret* M[a]: correctum in G.

ab alio scriptore translato significatu adhiberi. Primus de *inplexa* dubitationem movit Acidalius; *inexpleta* coniecit Bezzenberger, quod si a Tacito scriptum esset, non sine aliqua nota egregiam mulierem dimisisset: nam *inexpletus* est qui nequit expleri et satiari.

consulatus sui quondam collegam: cf. XIII 11.

Cap. 11. *uti necessitate*: non vere interpretatur Ernestius 'necessitati parere, se accommodare'. Immo necessitas nunc est ultima sive extrema, qua vita expellitur, et *uti* necessitate perinde dictum, ut morte uti VI 48: *documento sequentia erunt bene Arruntium morte usum.* Cf. annot. ad II. 1 3.

nepotibus: Plauti liberorum, Veteris nepotum, mentio etiam XIV 59.

ut relinquerent suos superstites ac morituros: insolita precatio vocula *et* egregie iuvatur. Nam unusquisque morientium nonnisi id concupivit, ut primum ex vita ipse migraret, ut ceteri superstites quidem essent, sed mox et ipsi voti sui compotes fierent.

ac seniores prius: scribam libri M[a] ultima nominis *seniores* littera fefellit, subsequente vocabulo in eandem desinente (*prius*). *cui prima aetas:* de Pollucia dictum, composita cum socero Vetere eiusque socru ad extremam aetatem provectis. Vanae diligentiae laudem Tacito conciliant et obscurum reddunt qui legentes *ac senior prius* hoc de Sextia positum accipiunt, mox adversante sermone Latino *cui prima aetas* explicant *cui prima quaeque aetas.* Sic Rupertius et Orellius. Immo ut paulo ante ex una parte vidua adolescens, ex altera pater et avia componuntur,

morituros. Servavitque ordinem fortuna; ac seniores prius,
tum cui prima aetas, extinguuntur. Accusati post sepulturam,
decretumque ut more maiorum punirentur. Et Nero inter-
cessit, mortem sine arbitro permittens. Ea caedibus peractis
12 ludibria adiciebantur. Publius Gallus eques Romanus, quod
Faenio Rufo intimus et Veteri non alienus fuerat, aqua atque
igni prohibitus est. Liberto et accusatori praemium operae
locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et mensis
qui Aprilem eundemque Neroneum sequebatur, Maius Claudii,
Iunius Germanici vocabulis mutantur, testificante Cornelio
Orfito, qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum,
quia duo iam Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen
Iunium fecissent.

13 Tot facinoribus foedum annum etiam di tempestatibus et
morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum,
qui villas arbusta fruges passim disiecit, pertulitque violen-
tiam ad moenia urbis; in qua omne mortalium genus vis

1. *seniores* Acidalius: M[a] *seniore*, Budensis *seniorem*, G *senior* ultima syllaba per comp. scripta. 2. *extiguntur* M[a]. 6. *Fenio* nunc M[a]. 7. *premium opere* M[a]. 13. *iunctum* M[a]: correxit Lipsius. 14. *faedū mannum* M[a], non Furiae *faedum in annum*. *dii* M[a]. 17. *moenia urbis* tres Oxonienses et Guelferbytanus: M[a] *uienia urbi* (non *menia urbi*), AR *vicina urbi*.

sic nunc quoque primum de duobus senioribus, tum de ea cui prima aetas exponitur. Uter seniorum, pater an avia, paucis momentis prior e vita cesserit, Tacitus noluit referre, sed utrumque ante Polluciam esse extinctum tradere voluit. *Prima aetas* (das jüngste Alter) Polluciae tribuitur compositae cum patre et avia: hoc qui de Vetere dictum intelligunt, linguae vim faciunt. Id sensit Acidalius, cum protulit coniecturam minime necessariam *tum cui proxima aetas* (= Vetus).

ea caedibus peractis ludibria adiciebantur: cf. XIV 59 extr.

Cap. 12. *locus in theatro inter viatores tribunicios datur:* 'qui spectasse videntur non abiuncto a tribunis loco, uti ad obsequia apparere possent. Hoc autem inter praemia, quia tribunos honestissimo loco spectasse vel hinc colligas, quod Caesari Iulio inter honores decretum *ut semper sella curuli sederet, excepto per ludos; tum enim sessio ei in tribunicio subsellio inter eos qui quoque anno tribuni essent concedebatur.* Dio XLIV 4. Itemque postea Augusto *ut in subselliis tribunorum plebis sederet*, Dio XLIX 15.' LIPSIUS.

eundemque Neroneum: cf. XV 74. *testificante:* testificatus est oratione qua sententiam a se prolatam commendavit. *transmissum:* conf. IV 21 et 55, XV 31. H. IV 9. *duo iam Torquati — interfecti:* v. XV 35, XVI 8.

Cap. 13. *ad moenia urbis:* in vestigiis libri M[a] *ad uienia urbi*

pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie quae occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non sexus, non aetas periculo vacua. Servitia perinde et ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum et liberorum lamenta, qui dum adsident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. Equitum senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent.

Eodem anno delectus per Galliam Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt supplendis Illyricis legionibus, ex quibus aetate aut valetudine fessi sacramento solvebantur. Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent; quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.

Gaio Suetonio Lucio Telesino consulibus Antistius So- 14
sianus, factitatis in Neronem carminibus probrosis exilio, ut dixi, multatus, postquam id honoris indicibus tamque promptum ad caedes principem accepit, inquies animo et occasio-

1. *occurret* GM[a]. 5. *ass.* Or. 7. *tanq.* M[a]. 8. *seuit.* M[a]. 9. *dilectus* M[a]. 10. *asyam* M[a]. *illiricis* M[a]. 11. *valetudine* M[a], *valit.* G. 12. *sexlertio* M[a]. 14. *urbis* Furia: M[a] *turbis*, G et alii *turbidis*. 15. *G.* M[a]. *L.* M[a]. *cos.* M[a]. 17. *tanquā* M[a]: correctum in aliis codd. 18. *cedes* M[a].

primum *ui* ex arte solvendum est in *m*, *e* in *oe*, ut fiat *moenia*, unde porro patet pro *urbi* rescribendum esse *urbis*. Conf. XIII 57: *nam ignes terra editi villas arva vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditae nuper coloniae moenia.*

nulla caeli intemperie quae occurreret oculis: caeli intemperiem oculis non observabilem morbi causam fuisse significat (*ohne eine wahrnehmbare Störung kosmischer Zustände*). *domus:* conf. annot. ad I 73. *quamvis promiscui:* quamvis perinde atque ceteri morte raperentur.

eodem anno: conf. annot. ad I 53. *urbis casibus:* sane miror et alios et me ipsum olim non usos esse optimo Furiae invento (*urbis*) et adhaesisse vulgatae scripturae *turbidis*, quae obscuram sententiam praebet, cum desit quo referatur. Quod Furia ex vestigiis libri Medicei elicuit, ego nunc explicatione tuebor. Etenim urbis casus denotantur illi quos Tacitus copiose descripsit XV 38—45, h. e. urbis incendium bis saevissime grassatum et pecuniarum collatione a provinciis et sociis populis civitatibusque liberis lenitum. De collatis pecuniis lege XV 45: *interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae, sociique populi et quae civitatium liberae vocantur.* Tunc igitur Lugdunenses

num haud segnis Pammenem eiusdem loci exulem et Chaldaeorum arte famosum, eoque multorum amicitiis innexum, similitudine fortunae sibi conciliat. Ventitare ad eum nuntios et consultationes non frustra ratus, simul annuam pecuniam a Publio Anteio ministrari cognoscit. Neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinae invisum Neroni, opesque eius praecipuas ad eliciendam cupidinem, eamque causam multis exitio esse. Igitur interceptis Antei litteris, furatus etiam libellos quibus dies genitalis eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis quae de ortu vitaque Ostorii Scapulae composita erant, scribit ad principem magna se et quae incolumitati eius conducerent adlaturum, si brevem exilii veniam impetravisset: quippe Anteium et Ostorium imminere rebus, et sua Caesarisque fata scrutari. Exin missae liburnicae, advehiturque propere Sosianus. Ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Antei nemo obsi-

1. *chaldeorum* M[a]. 2. *innixum* M[a], *inixum* (non Waltheri *innixum*) G: emendavit Lipsius. 4. *consultationes* M[a], *consolationes* BG. *simul an* (in versus fine) *annuam* M[a]. 5. *a panteio* M[a], *a P Anteio* G. 8. *antegi* M[a], *antei* G. 11. *scribita ad* M[a]. 12. *incolumitatis* M[a], *incolumitati* G. 13. *inp.* M[a]. 14. *exim* M[a]. 17. *antei* GM[a], non *Anteii.*

quadragies sestertium obtulerant atque dederant. In M[a] scriptura *turbis* littera *t* ex antegresso *obtulerant* nomini *urbis* adhaesit.

Cap. 14. *Gaio Suetonio:* quod *iterum* non additum est, inde docemur Suetonium Paulinum praetura functum missum esse ad Britanniae administrationem (XIV 29 sqq.). Plinius N. H. V 1 (4): *Suetonius Paulinus quem consulem vidimus, primus Romanorum ducum transgressus quoque Atlantem aliquot milium spatio prodidit de excelsitate quidem eius quae ceteri.*

Lucio Telesino: 'laudat ut philosophum et insignem virum plus uno loco Philostratus IV 40, VII 11, VIII 12, eundemque exulasse 'ea re sub Nerone scribit.' Lipsius. Exilium eius in perditis Annalium partibus extremis relatum fuisse credo. *ut dixi:* vid. XIV 48 et 49.

a P. Anteio: ne quis cum editione principe et ex M[a] *a panteio* velit elicere *ab Anteio*, moneo virum illustrem, nunc post magnum intervallum (XIII 22) iterum memoratum, primo loco duobus nominibus nominandum esse. Sic statim *Ostorius Scapula;* hic ipse filius est M. Ostorius Scapula, eius pater P. Ostorius Scapula in Britannia mortem obiit.

adeo ut — extitisset: dicit quid futurum fuerit, nisi Tigellinus ab Antei amicis monitus suasisset ut testamentum eius obsignarent. Theodisce interpretare: *so dass Niemand das Testament des Anteius untersiegelt haben würde, wenn nicht Tigellinus dazu gerathen hätte.*

gnaret, nisi Tigellinus auctor extitisset, monitus prius ne supremas tabulas moraretur. Atque ille hausto veneno, tarditatem eius perosus, intercisis venis mortem adproperavit. Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis 15
erat. Eo missus centurio, qui caedem eius maturaret. Causa festinandi ex eo oriebatur quod Ostorius multa militari fama, et civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corpore armorumque scientia metum Neroni fecerat ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniuratione magis exterritum. Igitur centurio, ubi effugia villae clausit, iussa imperatoris Ostorio aperit. Is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam in se vertit. Et quia venae quamquam interruptae parum sanguinis effundebant, hactenus manu servi usus ut immotum pugionem extolleret, adpressit dextram eius iuguloque occurrit.

1. *tigillinus* M[a]. *prius*] *prius Anteio* M[a], *prius Anteius* G et alii. vulgo legitur *extitisset. Monitus prius Anteius* cet. 2. *suppma stabulas* M[a]. 5. *cedem* M[a]. 7. *brittanniam* M[a]. *corpore* G et Oxonienses: M[a] *corporis* (in versus fine) *corporis*, Beroaldus *corporis robore*. 9. *coniuratione* M[a], G *cogitatione*. 10. *in. P.* (cum lin.) *ostorio* M[a]. 11. *saepe adversum hostes* GM[a], *adversum hostes saepe* B. 12. *quanquam* M[a]. 14. *inm.* M[a].

monitus prius — moraretur: haec verba causam exponunt cur Tigellinus auctor existeret. Scilicet amici Anteii, sive gnaro ipso sive ignaro, ad Tigellinum accessere monentes, ne moraretur morituri hominis extremam voluntatem, immo ipsis permitteret tabulas eius obsignare, ut vita decedere ille sine mora posset. Hanc sententiam qui non perspexit, desideravit subiectum et adversus *monitus* in margine vel supra versum ἀρχετύπου codicis addidit *Anteius*. *Anteio*, ut est in M[a], nihil videtur esse nisi compendium formae *Anteius* (*Anteiq*). Seyffertus ingeniose dativum *Anteio* (= *ab Anteio*) vindicare conatur: scilicet ipsum Anteium has preces direxisse ad Tigellinum statuit, qua in re libenter accederem viro acuto, si Taciti stilum ferre crederem, ut post *Antei* nomén modo positum idem statim repetatur. Hoc incommodum Tacitus evitasset scribendo *ab ipso*, non *Anteio*. Neque sic in proximo pronomen *ille* satis aptum videtur. Praeterea non est verisimile, subisse virum fortem et illustrem eiusmodi indignitatem, ut conveniret spurcissimum hominem vitae relinquendae impedimenta deprecaturus. Acidalius voluit *monito prius Anteio*.

intercisis venis: paulo fortius est quod scripsit XV 35 *brachiorum venas Torquatus interscidit.*

Cap. 15. *apud finem Ligurum*: h. e. in extremis Liguribus sive in extrema terra a Liguribus habitata. Contra *apud fines Ligurum* esset idem quod *apud Ligures* sive in *terra Ligurum*. *maturaret:* mature exequeretur. Similiter *aciem firmarent* pro firmam aciem efficerent Agr. 35.

16 Etiam si bella externa et obitas pro re publica mor-
tes tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum
satias cepisset aliorumque taedium expectarem, quamvis ho-
nestos civium exitus, tristes tamen et continuos aspernantium.
At nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum
fatigant animum et maestitia restringunt. Neque aliam de-
fensionem ab iis quibus ista noscentur exegerim, quam ne
oderim tam segniter pereuntes. Ira illa numinum in res
Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum aut ca-
ptivitate urbium, semel edito transire licet. Detur hoc in-
lustrium virorum posteritati, ut quomodo exequiis a promiscua
sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant
17 habeantque propriam memoriam. Paucos quippe intra dies,
eodem agmine, Annaeus Mela, Cerialis Anicius, Rufius Cri-

1. *re p.* M^a. 3. *tedium* M^a. 4. *continuo* M^a: in G *s* erasum in fine. 6. *mest.* M^a. 7. *his* M^a, *iis* G. 8. *oderint* A et Rhenanus. 9. *captivitatē* M^a. 10. *edito* M^a: *editam* G. *ill.* Or. 11. *promiscua* GM^a, non *promisca.* 12. *sup̄morum* M^a. 14. *anneus* M^a. *Mela* M^a, *Mella* G. *rufus* GM^a.

civicam coronam: cf. XII 31.

ingenti corpore: vitium libri M^a (*ingenti corporis corporis*) in hunc modum vere correctum est in libris interpolatis quos supra nominavi. Nam *corporis* pro *corpore* vulgari aberratione assimilatum est proximo genitivo *armorumque* et nomen ita deformatum bis scriptum in fine versus et in principio. Iam bene iunguntur *ingens corpus* et *scientia armorum*, corporis virtus et animi in viro militari: contra *ingenti corporis robore*, quod aut a Beroaldo profectum est aut ab hoc ex interpolato libro receptum, ab antiqua scriptura longius recedit et infert exaggerationem minus Tacitinam.

Cap. 16. *quamvis honestos civium exitus: quamvis* ad unum adiectivum *honestos* pertinet (*wenn auch noch so ehrenvolle*). Aliter legentium taedio et satietati occurrit Tacitus IV 32 et 33. Nunc simul lectorem opportune admonet Neronem iam eo prolapsum esse, ut sine temporum intervallis extrema et praerupta audeat, rebus Romanis incredibili impudentia illudat, sanguinem hominum illustrium flagitiose effundat.

quam ne oderim tam segniter pereuntes: Theodisce converte *als dass ich nicht hassen dürfe so feig' ums Leben kommende.* Odissem autem, Tacitus dicit, viros insignes, si extremas eorum necessitates silentio praeterirem. Est contracta sententiae forma pro 'quam ut concedant mihi, ut non oderim tam segniter pereuntes.' *Defensionis* nomen cum ad neminem nisi ad ipsum rerum scriptorem referri recte possit, altera illa scriptura *oderint* spernenda est.

semel edito: *uno edito* sive eo quod semel editum est; utrumque vocabulum arcte iungendum. Non satis similes sunt loci quos confert Orellius I 46 *cognito*, 49 *intellecto.* H. II 64 *nuntiato.* *Editam*, ut est in G, correctionem arbitrariam sapit.

spinus ac Petronius cecidere, Mela et Crispinus equites Romani, dignitate senatoria. Nam hic quondam praefectus praetorii et consularibus insignibus donatus, ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto iussae mortis nuntio semet interfecit. Mela, quibus Gallio et Seneca, parentibus natus petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur; simul adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis. Idem Annaeum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis. Quo interfecto dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiumque coniurationis scientia fingitur, adsimilatis Lucani litteris. Quas inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhians. At Mela, quae tum promptissima mortis via, exolvit venas, scriptis codicillis quibus grandem pecuniam

1. *C. Petronius* Rhenanus et sic vulgo. 6. *petitionẽ* M[a], *petitione* G. 7. *prep.* M[a]. 8. *adq.* M[a], *acq.* G. 9. *anneum* M[a]. 13. *finguntur* GM[a]: corr. Puteol. 14. *quasi inspectas* M[a].

Cap. 17. *ac Petronius:* praenomen *C.* tacite inseruit Rhenanus, sed frustra: nam hoc Tacitus sibi reservavit usque ad initium c. 18, ubi copiosius de illo viro expositurus erat. Rhenani additamento efficitur, ut illic *Gai* nomen sinistre repetatur. Nuper Orellius Rhenani coniecturam repudiavit, bene obsecutus libro M[a] et ceteris.

equites Romani dignitate senatoria: iidem alias *inlustres* nominantur. Cf. annot. ad II 59.

quondam praefectus: cf. XI 1 et 4.

semet interfecit: caedem eius respicit auctor Octaviae (Maternus) 730—739 ed. meae. Ibi Poppaea haec somnio vidisse se narrat: *properat petere complexus meos Crispinus, intermissa libare oscula, inrupit intra tecta cum trepidus mea, ensemque iugulo* (Crispini) *condidit saevum Nero. — — Heu quid minantur inferum manes mihi, aut quem cruorem coniugis vidi mei?* Cf. XV 71.

Mela — praeposteram: Mela voluit aemulari Maecenatem et Sallustium Crispum; v. III 30. *per procurationes administrandis principis negotiis:* hoc explicationis causa praegressis accedit. Dativus est *admin. negotiis* et pendet a nomine *procurationes.* Ad ea negotia adhibiti equites et liberti.

additur [*codicillis*] — *ita scripsisse:* cf. annot. ad XIV 64. Sed quid fiet *codicillis?* Id nomen si dativo casu positum accipitur suspensumque ex *additur*, ut Neronis ministri hoc ascripsisse dicantur, Tacitus praeter morem obscure loquitur, et tunc non *scripsisse*, sed *scripsisset* reponendum esset: huic autem prorsus adversatur quod subsequitur *quae composita credebantur*, quo respicitur quod *additum* erat. Sin ablativum esse dicamus referendum ad verbum *scripsisse*, *codicillis* pro *in codicillis* non Latine dictum et moleste repetitum est post praegressum *scriptis codicillis*, denique loco non apto positum. Quapropter hoc *codicillis*

in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur [codicillis], tamquam de iniquitate exitii querens, ita scripsisse, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi. Quae composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. Neque enim multo post vim sibi attulit, minore quam ceteri miseratione, quia proditam Gaio Caesari coniu-
18 rationem ab eo meminerant. De Gaio Petronio pauca supra repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniae, et mox consul,

1. *tigill.* Mª. 2. glossam *codicillis* seclusit editor. *tanq.* Mª. 3. *scripsisset* Mª, referente Orellio, item BCR: *scripsisse* G et Oxonienses. 4. *rufrium* Mª. *autem* Mª, non *tamen*, ut tradit Pichena. G *Rufrium aut crispinum.* 7. *minorẽ* Mª, *minore* G. 8. *caeteri* Mª. *G.* Mª. 9. *G.* Mª. 10. *somnium* Mª, G *somnum.* 11. *uitc* Mª. 16. *procos.* cum lin. Mª. *bithinie* Mª. *consulẽ* Mª.

glossam esse liquet, in margine codicis ἀρχετύπου vel supra versum verbo *additur* adiectam. Hinc nova corruptela procreata est *tamquam — scripsisset.*

quia proditam Gaio Caesari coniurationem ab eo meminerant: utrum Aemilii Lepidi coniuratio (Sueton. Calig. 24. Dio LIX 22) dicatur, an altera de qua Zonaras (ed. Pinder. vol. II p. 454) exposuit memoravitque nomina Anicii Cerialis et Papinii (hunc falso Zonaras filium facit Cerialis), incertum est. Zonaras quae narrat, ea his Taciti verbis non satis conveniunt.

Cap. 18. *de Gaio Petronio*: praenomen Petronii *Titum* scribit Plinius N. H. XXXVII 7 et Plutarchus de Discrim. am. et adul. 35. In fragmentis libri superstitis (Satyricon) nomen et agnomen (*Petronius Arbiter*) consignatum est. Ceterum diuturna illa disceptatio, idemne sit cum hoc Neronis amico qui scripsit Satyrica, unde fragmenta ad nostram aetatem pervenere, necne, iam composita videtur esse iis quae Studerus Bernensis et ego in Museo Rhenano an. 1842 (II 1 et 2 et 4) exposuimus.

sed erudito luxu: talem ganeonem, sed in ridiculum detortum, copiose descripsit ipse *Trimalchionem* in ea operis parte quae est de coena Trimalchionis. *ac dicta factaque eius — accipiebantur:* plane eiusmodi sunt dicta Petronii per Satyricon fragmenta proposita. Res infandas et libidines nefarias ita depingit, tamquam haec et ubique et quotidie eveniant, ipse severo supercilio usus.

et mox consul: non ordinarius consul fuit, sed cui aliquot menses

vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scaevini Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione, et maiore parte familiae in vincla rapta. Forte illis diebus **19**
Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris aut spei moras. Neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursum, et adloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus adfecit. Iniit epulas, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset. Ne

1. *uigentem* GM^a, *ingentem* R. 3. *nichil* M^a. 4. *affl.* Or. 5. *tigill.* M^a. 7. *adcreditur* M^a. 13. *all.* Or. 14. *gloriam constantiae* M^a, *constantiam gloriae* G. 15. *nichil* M^a. *inm.* M^a. 17. *aff.* Or. *iniit et uias* GM^a: emendavit Markland in Ep. crit. ad Harium p. 87. *iniit convivia* Bezzenberger. 18. *ut quam* M^a: correxit Rhenanus. *fortuite* M^a.

destinati sunt, cum ordinarii de munere cessissent.

elegantiae arbiter, dum — adprobavisset: dextrum elegantiae iudicem tam in artibus aestimandis quam in vitae oblectamentis describendis sese probavit in Satyricis, ubi de corrupta eloquentia, de prava pictura, de conviviorum lautitiis, de voluptatum generibus multa et exquisita prompsit: plura autem in deperditis magni operis partibus haud dubie protulerat. Hoc igitur opere Neronem aut cepit et impulit ut amicitiam suam concupisceret, aut in familiaritatem eius iam receptus illud conscripsit, ut et scientiam suam documento quodam approbaret et Neronem eiusque similes miris imaginibus oblectaret.

Cap. 19. *levia carmina et faciles versus:* prius (*levia carmina*) dictum de argumento, alterum de stilo et oratione, neque opus est Bezzenbergeri coniectura *futiles.* Versus faciles (*gefällige*) ipse operi suo non paucos intexuit. Extremis igitur proximus circa ea versari perrexit, quibus per vitam operam et studium dicaverat. Accuratius haec pertractavi in Museo Rhenano 1842 p. 568 sq.

sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque — perscripsit: hi commentarii breves et paucis diebus compositi, ab irato Nerone haud dubie detecti, nihil pertinent ad primarium Petronii scriptum. Cf. quae disputavi in Museo Rhen. p. 569—571.

codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cuiusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni. Fregitque anulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.

20 Ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia, matrimonio senatoris haud ignota, et ipsi ad omnem libidinem adscita, ac Petronio perquam familiaris. Agitur in exilium, tamquam non siluisset quae viderat pertuleratque, proprio odio. At Minucium Thermum praetura functum Tigellini simultatibus dedit, quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminose detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita lueret.

21 Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque Iuvenalium ludicro parum et vix

1. *tigill.* M[a]. 3. *exsoletorum* M[a]. *novitatem* Neuius: M[a] et ceteri *novitate.* 7. *offetur* M[a]. *aud* M[a]. 9. *tanq.* M[a]. 10. *municium* M[a]: correxit Ryckius. 11. *tigill.* M[a]. *dedit* Acidalius: M[a] *deditum, dedidit* pr G et Oxonienses. 12. *tigill.* M[a]. 13 *ipsej atronus* M[a], *ipse patronus atrocius* G. *inm.* M[a]. 17. *ferretur* M[a], *referetur* G. 18. *et vix spectabilem* editor: M[a] *et exspectabilem,* G et Oxonienses *exspectabilem,* B *expetibilem*, A *spectabilem.*

Sub nominibus exoletorum feminarumque idem significat atque *ut singulos exoletos Neronis feminasque stupro cognitas nominibus suis vocaret.* His *novitate* ablativus male succedit in vulgatis Taciti exemplaribus: sed *novitate* corruptum esse ex *novitatem* liquet.

Cap. 20. *noctium suarum ingenia:* h. e. noctium a se peractarum indoles et forma; conf. H. II 71: *cetero Neronianae aulae ingenio.* Alio sensu *ingenium* dictum H. III 28: *Hormine id ingenium, an cet.* *tamquam non siluisset:* hoc crimen Siliae fuit ad opinionem Neronis; cf. annot. ad H. I 7.

proprio odio: hoc respondet *Tigellini simultatibus* mox memoratis.

dedit: de mirabili codicis M[a] discrepantia cf. annot. ad IV 59.

Cap. 21. *virtutem ipsam excindere concupivit:* cf. Dio Cass. apud Xiphil. LXI 15 et LXII 26. Sueton. Ner. 37. Plutarch. Praecepta ger. rei publ. 14 p. 249: *ὁ Νέρων ἐκεῖνος ὀλίγον ἔμπροσθεν ἢ κτεῖναι τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος, ὅμως ἐγκαλοῦντός τινος ὡς κακῶς κεκριμένου καὶ ἀδίκως, Ἐβουλόμην ἄν, ἔφη, Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστὴς ἄριστός ἐστιν.* Idem scriptum Thraseae de Catone memorat in sua Catonis minoris vita c. 25 et 37.

ut memoravi: XVI 12.

spectabilem operam praebuerat; eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis vetustis a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo praetor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque; et cum deum honores Poppaeae decernuntur, sponte absens, funeri non interfuerat. Quae oblitterari non sinebat Capito Cossutianus, praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thraseae, quod auctoritate eius concidisset, iuvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. Quin et 22
illa obiectabat, principio anni vitare Thraseam sollemne ius iurandum; nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum; nunquam pro salute principis aut caelesti voce immolavisse; adsiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut

1. *ofensio* M[a]. 2. *pataui* M[a]. 3. *vetustis* Seyffertus: M[a] *cetastis*. *traiano* M[a]. 6. *dm* cum lin. M[a]. *poppeae* M[a]. *decernuntur* M[a]: *decernerentur* AG. 7. *interfuerat* Iesuitarum liber. Oxon.: GM[a] *interfuerit*, CR *interfuit*. *obliterari* M[a]. 11. *uitaret* M[a], *uitare* G. *sollēne* M[a]. 12. *adesset* M[a], *adesse* G. 13. *pred.* M[a]. *numquam* M[a]. 15. *volg.* M[a].

parum et vix spectabilem operam praebuerat: duo Thraseae obiiciuntur, quod in Iuvenalium ludicro raro spectator adfuerat, et cum adesset, quiete et sine plausu egerat: operam enim praebuerat quae vix spectari animadvertique posset. Cf. Philostratus in Vita Apollonii V 7: *τὰς δίκας ἐπὶ τοῖς θεάτροις καὶ ταῖς ᾠδαῖς· οὐκ ἦλθες ἀκροασόμενος Νέρωνος ἢ παρῆσθα μέν, ῥαθύμως δὲ ἠκροῶ, ἐγέλας, οὐκ ἐκρότησας, οὐκ ἔθυσας ὑπὲρ τῆς φωνῆς, ἵνα Πυθῶδε (ἀπ' Ὀλυμπίων) λαμπροτέρα ἔλθοι.* Consimilem emendandi viam ingressus Seyffertus voluit *et vix spectatricem*, sed hoc et ab lingua obnoxium est offensioni et a ductibus M[a] longius recedit. *Spectator* enim et *spectatrix* adiectivi nominis vice fungi possunt, ubi iunguntur nominibus homines vel hominum multitudinem denotantibus, veluti H. III 83: *aderat pugnantibus spectator populus.* Lucan. III 129: *scelerum spectatrix turba.* Praeterea spectatrix non est Tacitinum vocabulum. De ludicro Iuvenalium v. XIV 15.

ludis vetustis: pro corrupta codicum scriptura *cetastis* ego *scenicis* olim mecum conieci, sed propius ad litterarum traditarum vestigia accedit Seyfferti *vetustis*, eoque hoc recepi. Scilicet *a* et *u* cum saepe in M[a] commutentur, ex forma nominis *vetastis* paulum affecta *cetastis* ut fieret in proclivi fuit. Conf. Dio LXII 26. *die quoque, quo:* conf. XIV 48—49, XVI 14. *cum deum honores Poppaeae decernuntur:* cognosce Taciti artem et brevitatem. Supra (c. 6) eas nugas tradere omisit chartis parcendo, sed ne quid praeteriret, nunc rem tribus verbis et quasi praeteriens memoravit. Templum a senatu decretum perfectum est a. 68 paulo ante interitum Neronis.

adversarium ostenderet, triennio non introisse curiam; nuperrimeque, cum ad coërcendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse. Secessionem iam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse. 'Ut quondam Gaium Caesarem' inquit 'et Marcum Catonem, ita nunc te, Nero, Thraseamque avida discordiarum civitas loquitur. Et habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum sed habitum vultumque eius sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. Huic uni incolumitas tua sine cura, artes sine honore. Prosperas principis res spernit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? Eiusdem animi est Poppaeam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iulii non iurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea

1. *introisset* M^a: emend. in G. 3. *uocauisse* M^a. 5. *G.* M^a. *ces.* M^a. *M.* M^a. 6. *tenebo* M^a: *te nero* G. *Thraseamque* editor: M^a *thraseam,* G *Thrasea,* Puteolanus *et Thraseam.* 8. *volt.* Or. 9. *quod ibi* M^a: emend. Rhenanus. 10. *sine cura, artes* Lipsius: M^a *sine artes,* ceteri *sine arte.* 11. *respernit* M^a, *res spernit* G. 12. *poppeam* M^a. 13. *Aug.* cum lin. M^a. *iuli* M^a. 14. *legiones* M^a: correctum in G. *P R* cum lin. M^a.

iuvantis Cilicum legatos: v. XIII 33.

Cap. 22. *vitare Thraseam sollemne ius iurandum:* h. e. abstinere a consilio senatus eo tempore haberi solito. Habebatur autem III nonas Ianuarias. Vid. Plutarch. Cic. c. 2: *τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν — ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος.* Si absens erat princeps, ipse per epistolam in curia recitandam sollemnia incipientis anni apprecari solebat: IV 70. In provinciis legiones novo sacramento pro imperatore kalendis Ianuariis adigebantur: H. I 55. Res profecta est a triumviris in acta divi Iulii iurantibus et alios senatores ut iurarent impellentibus; Dio XLVII 18: *ἔν τε γὰρ τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν καὶ τοὺς ἄλλους ὥρκωσαν βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου γενόμενα.* Dio LIX 24. *nuncupationibus votorum non adesse, quamvis praeditum*: nuncupationes quippe nonnisi a sacerdotibus suscipiebantur; v. IV 17. Sueton. Ner. 46.

te, Nero, Thraseamque: cum aut *que* particulam post *Thraseam* aut *et* ante in M^a deletam esse appareat, ego prius remedium adhibui, post *Gaium Caesarem et Marcum Catonem* magis consentaneum perpetuo variationis amatori. Ceterum ut *que* facile absorberi potuit ante voc. *avida*, sic *et* quoque ante nomen incipiens a *t* littera. *sectatores vel potius satellites:* sectatorum nomen cum nimis honorifice dici de amicis Thraseae Cossutianus se credere simulavisset, ipse se corrigens intulit *satellites* (*Leibtrabanten*), ut nomine invidioso metum Neroni incuteret.

incolumitas tua sine cura, artes

non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. Ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris; disceptatorem senatum nobis relinque.' Extollit [ira] promptum Cossutiani animum Nero, adicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia.

23 At Baream Soranum iam sibi Ostorius Sabinus eques Romanus poposcerat reum ex proconsulatu Asiae, in qua offensiones

1. *institutas* M^{a}. 3. *fabonios* M^{a}. *rei.p.* M^{a}. 4. *euerterant* M^{a}, *euertant* G. 6. *admouisti* M^{a}, *amouisti* G. 7. *nichil* M^{a}. 8. glossam *ira* seclusit editor. 10. *Ostorius Sabinus* Lipsius: M^{a} *torius sauinus. R.* cum. lin M^{a}. 11. *asyae* M^{a}.

sine honore: nominis *cura* a Lipsio feliciter suppleti pars posterior (*ra*) ante proximum *ar-tes* postquam interiit, prior (*cu*) a scribentibus omissa est. I. Fr. Gronovius voluit *incolumitas tua*, *tuae artes*, Bezzenberger *incolumitas tua sine aris, artes sine honore.*

Tuberones et Favonios: 'Stoicorum sectam vitium hoc hominis' (sic Lipsius vocat Cossutianum hominem flagitiosum) 'culpat, et qui eam secuti. Tuberonem intelligit Q. Aelium, qui in epulo publico haedinis pellibus stravit lectos Punicanos et vasa Samia exposuit. Cicero in Bruto 31, Valerius VII 5 1, aliique. Gellius I 22: *Tubero iuris civilis antistes et Stoicae doctrinae sectator.* Idem ille est qui Lucullum Xerxem togatum appellitabat, Plutarcho memorante in Luc. 39. Favonius est Catonis ille simia, de quo Suetonius Aug. 13, Valerius Max. II 10 8, Plutarchus in Bruto 34. Vidi tamen qui *Fannios* hic reponeret, imperite.' Lipsius.

scripseris: intelligit epistolam principis a quaestore eius ferendam et recitandam; cf. c. 27.

extollit promptum Cossutiani animum Nero: converte Theodisce *hoch preist Nero den bereitwilligen Geist des Cossutianus.* Scilicet hoc ipsum Nero in Cossutiano collaudavit, quod promptus esset ad ulciscendos inimicos principis, dum veram causam aut ignorat aut se nescire simulat. Sed hanc elegantiam misere pessumdedit glossa (*ira*) in margine codicis ἀρχετύπου vel supra versum ad vocem *promptum* apposita et inde Tacitinis illata; quippe hac iterum et contra consuetudinem Cornelianam edocemur, cur Cossutiani animus in accusationem Thraseae inclinaverit, idem iam satis et clare edocti ab ipso Tacito c. 21: *iniquus Thraseae, quod auctoritate eius concidisset,* cet. Ac sane non is est Tacitus qui incuriae aut oblivioni legentium vanam operam impendat. *Extollere* perinde scriptum II 88, XIV 43.

Cap. 23. *Ostorius Sabinus:* delatoris nomen tribus locis a Tacito positum (praeter hunc c. 30 et 33), duobus in *torius* truncatum est, tertio (cap. 33) mansit integrum. Nimirum hoc loco prima vocabuli syllaba (*os*) hausta est a priore *sibi* (*sibistorius*, tum *sibi torius*);

principis auxit iustitia atque industria, et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat, vimque civitatis Pergamenae, prohibentis Acratum Caesaris libertum statuas et picturas avehere, inultam omiserat. Sed crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandae provinciae ad spes novas. Tempus damnationi delectum quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede
24 insignium virorum quasi regio facinore ostentaret. Igitur omni civitate ad excipiendum principem spectandumque regem effusa, Thrasea occursu prohibitus non demisit animum, sed

4. *seuehere* M[a]: correctum in G. 6. *accipiendae* GM[a]. 11. *dimisit* M[a]: tacite correxit Rhenanus.

altero ubi est *interim Ostorius*, syllaba *rim* absorpsit proximam *os* (*interimstorius*, hinc *interim torius*); tertio similis corruptionis occasio non adfuit *singulis*, *Ostorio*), qui nisi feliciter accederet, dubitatio remaneret et *Thorium* reponere proclive foret. Guelferbytanus nunc *iam subitorius sabinus*, mox *torius sabinus*, tum *Ostrio*.

offensiones principis auxit: Neroni ob mores iam ante non gratus *offensiones eius* proconsul Asiae auxit; *offensiones* sunt offensi animi sensus. *Acratum:* de huius impudentia rapinisque v. XV 45.

avehere: Medicei *sevehere* inde natum, quod adhaesit ultima praegressi nominis (*picturas*) littera, *a* autem ceteris verbi sonis convenienter a scriba aberrante expressum est. Baiterus substituit *evehere*, parum feliciter, quia notio *auferendi* hic necessaria inest verbo *avehere* (weg holen), abest ab *evehere* (heraus fahren). Neque apta sunt vindicandae Baiteri coniecturae Ciceronis verba ab Orellio ex Forcellinio ascripta (in Verr. lib. I 20 §. 53): *non dicam illinc hoc signum ablatum esse et illud: hoc dico, nullam te Aspendi signum, Verres, reliquisse; omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, spectantibus omnibus, plaustris evecta exportataque esse.* Tacitus verbum *evehere* translata significatione admisit XII 36: *fama eius evecta insulas et proximas provincias pervagata.* XIV 52: *ingentes et privatum supra modum evectas opes.* O. 13: *licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint.* Semel *evectum* posuit pro *equo* (vel curru) *progressum* XII 14: *donec — longius evectum integer a tergo globus circumveniret.*

ad externa rumoribus: nomen *rumoribus* postpositum est, quia inde pendet *ad externa:* nam *ad externa rumoribus* breviter dictum est pro ad externa versis rumoribus. Waltherus non bene comparat II 2 *laetantes — ad nova imperia.* *quasi regio facinore:* h. e. facinus dignum regibus externis et cruda dominatione imperantibus. Vid. annot. ad VI 1.

Cap. 24. *ad excipiendum principem spectandumque regem:* Nero cum rege a civitate Neapolitana Romam adiit; Dio ap. Xiphil. LXIII 2—6. *occursu prohibitus:* similem contumeliam vir sanctus iam ante perpessus erat (XV 23). Suetonius de Vespasiano c. 4: *prohibitusque non contubernio modo sed etiam publica salutatione.*

codicillos ad Neronem composuit, requirens obiecta et ex-
purgaturum adseverans, si notitiam criminum et copiam di-
luendi habuisset. Eos codicillos Nero properanter accepit,
spe exterritum Thraseam scripsisse per quae claritudinem
principis extolleret suamque famam dehonestaret. Quod ubi
non evenit, vultumque et spiritus et libertatem insontis ultro
extimuit, vocari patres iubet. Tum Thrasea inter proximos 25
consultavit, temptaretne defensionem an sperneret. Diversa
consilia adferebantur. Quibus intrari curiam placebat, securos
esse de constantia eius disserunt; nihil dicturum nisi quo
gloriam augeret. Segnes et pavidos supremis suis secretum
circumdare. Aspiceret populus virum morti obvium; audiret
senatus voces quasi ex aliquo numine, supra humanas: posse
ipso miraculo etiam Neronem permoveri. Sin crudelitati in-
sisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exi-
tus ab ignavia per silentium pereuntium. Contra, qui oppe- 26
riendum domi censebant, de ipso Thrasea eadem, sed ludibria
et contumelias imminere: subtraheret aures conviciis et pro-
bris. Non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos:

4. *spe* M^a, non *saepe*, ut G et alii. 5. *quo dubie non uenit* M^a, *quo dubiae n. u.* G: tacite correxit Rhenanus. 6. *vultumque* M^a, non *voltumque*. 8. *an* om M^a: adest in G. 10. *esse* M^a, non Victorii *et sese*. *disserunt* Haasius (Diurn. antiquitatis stud. a. 1836 n. 84): GM^a *dixerunt*. *nichil* M^a. 11. *gloria* M^a. 13. *humanos* M^a: correctum inest G. 14. *si in* M^a. 17. *domi* G: M^a *domui*. *censebat* M^a: G *censebant*. 18. *subtrahere* GM^a: *subtraheret* Puteolanus.

ultro extimuit: tantum abfuit ut Thrasea timeret Neronem, ut mutatis partibus tyrannus virum severo vultu liberoque spiritu pertimesceret.

Cap. 25. *securos esse:* v. annot. ad IV 59. *disserunt:* hac egregia et perfacili correctione vitatur iners et molesta repetitio, quae prius fuit *dixerunt; nihil dicturum*. Conf. XIII 6: *alii melius evenisse disserunt*. XIV 13: *invisum Agrippinae nomen — disserunt*. Ceterum a forma *dixerunt* nihil praesidii huic correctioni per se munitae petiverim.

etiam Neronem permoveri: num ipse fuit praesens in coetu senatus? non est ita; cf. annot. ad c. 31 *tu, Caesar, vos, patres*.

Cap. 26. *qui forsitan — aut iussi:* verbum ab *i* incipiens (*iferant*) post vocem eadem littera inchoatam (*ictus*), aberrantibus scribentis oculis, omissum est in M^a et ceteris libris inde pendentibus. Bezzenberger qui proximum vitium optime removit, *intentent* post immanitatem interponendum suasit, sed hac cum *intemptent* a Tacito scribatur, plenior est verbi forma quam quae facile negligatur. *Ictus inferre* legimus O. 37, *ictum inferre* V 5. In codice Agricolae

superesse qui forsitan manus ictusque *inferant* per immanitatem aut iussi; etiam bonos metu sequi. Detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii; et relinqueret incertum quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. Ut Neronem flagitiorum pudor caperet, inrita spe agitari; multoque magis timendum ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret. Proinde intemeratus, impollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem. Aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans iuvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebi tribunus erat. Cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. Sibi actam aetatem, et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratuum et integra quae supersint. Multum ante secum expenderet quod tali in tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur. Ceterum ipse, an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit.

27 At postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insidere. Aditum senatus globus togatorum

1. *inferant* insertum ab editore. 2. *aut iussi* Bezzenberger: codices *augusti.* *detrahere* M^{a}: G *detraheret.* 3. *infamia* M^{a}: in G lineola superposita (*infamiā*) erasa est. 7. *inp.* M^{a}. 13. *uite* M^{a}. 16. *capessende rei.p.* M^{a}. 18. *armate* M^{a}. 19. *insidere* M^{a}: Puteolanus *insedere.* Cf. annot. ad 1 30.

fuit *Augusti intentarent*, in eius margine *ingererent* deleto nomine *Augusti.* Quae alii tentaverint referre iam nihil attinet. *Superesse* idem quod *multos adesse.* G. 26: *et superest ager.* Fefellit opinio eos qui verbum elapsum in corrupto vocabulo *augusti* quaesivere: immo in eo contrarium praegressi nominis *per immanitatem* delituit, ut sit per suam immanitatem aut iussi a principe.

quem perornavisset: praepositio continuum ornandi actum denotat, ut IV 34 *perviguere, perferre* (poenas in aeternum) Agr. 32.

Rusticus Arulenus: v. annot. ad Agr. 2. *plebi:* genitivus est pro *plebei*, non dativus.

Cap. 27. *postera luce:* non dedit ut alias *postero die:* immo designari voluit cum luce exoriente insolitum istum aspectum hominum oculis oblatum esse.

templum Genetricis Veneris: condidit Iulius Caesar in foro suo; iuxta erat forum Augustum. De templo v. Sueton. Iul. 51 et 78. Dio XLIII 22, XLIV 8. Appian. Civ. II 68. Curia Iulia cum proximo incendio deleta esset cum ceteris fori Romani aedificiis, senatus aut in Capitolio aut in aliquo templo aut in Palatio haberi potuit. Cf. H. I 71 cum annotatione. Beckeri Enchirid. A. R. t. I pag. 330 sqq. Fori Iulii templum elegit Nero ad disponendas cohortes et

obsederat non occultis gladiis; dispersique per fora ac basilicas cunei militares. Inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores. Et oratio principis per quaestorem eius audita est: nemine nominatim compellato patres arguebat quod publica munia desererent, eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam verterentur. Etenim quid mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent. Quod velut telum corripuere accusatores. Et initium faciente Cossutiano, 28
maiore vi Marcellus summam rem publicam agi clamitabat; contumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in isdem furoribus, simul

6. *uterentur* Mª: G et ceteri *verterentur*. 7. *had ueniri* Mª, *adueniri* G et alii: correxit Lipsius. 8. *amen.* Mª. 9. *corripuere* Mª, *arripuere* G. 10. *maior aeui* Mª: *maiore ui* G. *rẽ.p.* Mª. 13. *hisdem* Mª, *iisdem* G.

armatorum cuneos idoneum. Longe repetita sunt haec Orellii: 'non temere autem senatus tunc convocatus est in templum Genetricis Iuliae gentis, sed ad significandum agi de reo, qui violasset Neronem ad eam stirpem saltem per adoptiones pertinentem.' *non occultis gladiis:* hoc ludibrium respexit auctor Octaviae (Maternus) a me correctus v. 460 *dispectus ensis faciet* (rata iussa Neronis). Magistrum sceleris imitatus est Domitianus: Agr. 45. Verba *globus togatorum* significant legem impudenter violatam: nam cum telo in urbe esse togato atrox crimen.

curiam: non est curia Iulia in foro Romano, sed consessus patrum in templo Genetricis nunc sic vocatur. *per quaestorem eius:* v. annot. ad c. 34. *ad segnitiam verterentur*: in Mª *uterentur* compendii nota (*ũterentur* aut *úterentur*, h. e. *verterentur*) neglecta est, eaque ibi fortasse olim adfuit et nunc evanuit. Certe *uti* exemplo *ad segnitiam* non dictum a Tacito, sed posuisset *in segnitiam*, ut Agr. 18: *nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus.* Verum admodum sinistre Medicei fautores ex Agricola (c. 18) afferunt: *cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur*, ubi unus codex *uterentur:* nam illic ablativus *velut omissa expeditione* (*als wäre auf einen Feldzug verzichtet*) non pendet a verbo subsequente, ideoque *uterentur* haud dubie ibi quoque spernendum est. Hoc nostro loco grave verbum pro more elegit Nero: eiusmodi est *verterentur*, et hoc ipsum compendio significatum qui primi ex Mª altero nova fecerunt exemplaria, etiam tum videntur in eo codice repperisse, ut inde in libros recentiores devenerit.

adepti consulatum: intelligit consulatum Thraseae, non tamen ordinarium, olim delatum; cf. c. 28: *requirere se in senatu consularem.*

Cap. 28. *summam rem publicam agi:* cf. XII 5 ibique annot.

Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem: 'propter patrem eius Paconium, qui maiestatis reus sub Tiberio periit. Eruo

Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem, et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere impune sinerent. Requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret quid corrigi aut mutari vellet: facilius perlaturos singula increpantem quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Pacem illi per orbem terrae, an victorias sine damno exercituum displicere? Ne hominem bonis publicis maestum, et qui fora theatra templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exilium suum, ambitionis pravae compotem facerent. Non illi consulta haec,

1. *ragonium* M[a], item (*Ragonium*) G. cf. c. 33. 3. *inp.* M[a]. 8. *increpatium* M[a], non Furiae *increpantium:* correctum in G.

e Suetonio Tib. 61: *interrogatum eum a quodam nano adstante mensae inter copreas* (ita legendum, non *capreas*), *cur Paconius maiestatis reus tamdiu viveret, statim quidem petulantiam linguae obiurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse senatui ut de poena Paconii quamprimum statueret.* Ideo Tacitus mox: *quid Agrippino obiectum nisi tristem patris fortunam: quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset.*' Lipsius. Patris Paconii caedem Tacitus in quinti libri parte deperdita tradidit, ideoque tam breviter eam rem significare potuit. *Curtium Montanum:* ordinem hoc iudicio ademptum (c. 33) recepit post obitum Neronis; v. H. IV 40 et 42. Adulationis crimen non vitavit principe Domitiano: Iuvenal. IV 107 et 136.

qui — eludere impune sinerent: non recte secutus Ernestium Orellius interpretatur 'ludibrio habere omnia, honesta et inhonesta.' Scilicet oblitus videtur esse haec non de uno Montano *detestanda carmina factitante*, sed simul de Thrasea, Helvidio, Paconio dicta esse, quos omnes irrisores ab accusatore designatos esse ne ipse quidem concesserit. Immo *eludere* est ultioni et poenae sive ulciscentibus et punientibus patribus se subtrahere, et hoc notionis ex adiunctis assumendum est, ut H. III 47: *vacuo mari eludens* (coërcentes vel ulciscentes), *quia lectissimas liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat.* Obiectum non deest II 52: *ne bellum metu eluderent;* structura huic conveniens XIV 62: *suspicio — quaestionibus ancillarum elusa erat.* Recte Taciti verba accepit Doederlinius, sed non vere idem affirmat *eludere*, cum est ludibrio habere, verbum esse prorsus diversum: immo significatus alius est et translatus, verbum idem et unum.

requirere se — induisset: callidissime accusator paulatim assurgit in criminando, a veris et levibus pertendens ad falsa et invidiosa: nam primum obiicit Thraseae quod in senatum diu non venerit, tum quod nuncupationibus votorum haud affuerit, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditus, deinde illum principio anni sollemne ius iuran-

non magistratus aut Romanam urbem videri. Abrumperet
vitam ab ea civitate cuius caritatem olim, nunc et aspectum
exuisset. Cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus 29
ac minax, voce vultu oculis ardesceret, non illa nota et cre-
britate periculorum sueta iam senatus maestitia, sed novus
et altior pavor manus et tela militum cernentibus. Simul
ipsius Thraseae venerabilis species obversabatur; et erant qui
Helvidium quoque miserarentur, innoxiae adfinitatis poenas
daturum. Quid Agrippino obiectum nisi tristem patris for-
tunam, quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia con-
cidisset. Enimvero Montanum probae iuventae neque famosi
carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. Atque in- 30
terim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur, orditurque
de amicitia Rubellii Plauti, quodque proconsulatum Asiae So-
ranus pro claritate sibi potius accommodatum quam ex utilitate
communi egisset, alendo seditiones civitatium. Vetera haec: sed
recens et quod discrimini patris filiam connectebat, quod pecu-
niam Magis dilargita esset. Acciderat sane pietate Serviliae (id
enim nomen puellae fuit), quae caritate erga parentem, simul
inprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat quam de

3. *ut erat* Pichena: Mª *uteret*, G et alii *uinceret*, B *uerteret*. cf. I 41. 4. *ac* Mª, *et* G. *voltu* Or. *crebritate* a Rhenano recepi: codices *celebritate*. 5. *mest.* Mª. 6. *altior* Mª, *ulterior* BG et Oxonienses. 7. *auenerabilis* Mª. 8. *paenas* Mª. 10. *seuit.* Mª. 12. *extorrē magi* Mª. 13. *torius sauinus* Mª. conf. ad c. 23. 14. *rubelli* Mª. *procos.* (per compendium) Mª. 15. *adc.* Mª. 16. *alendos editiones* Mª. 17. *et quot* Mª. *conect.* Mª. 18. *sanae* Mª. 20. *inpr.* Mª, non *impr.* *etatis* Mª. *aliut* Mª.

dum vitare indignatur. Cf. c. 22. Iam pergit haec omnia se *requirere* (h. e. *desiderare* vel *desideraturum esse*), nisi satis appareat Thraseam contemptis institutis et caerimoniis maiorum proditorem palam et hostem induisse.

Cap. 29. *crebritate periculorum:* dotem a Rhenano suppeditatam, a Lipsio et Freinshemio grate acceptam, recentiores editores Ernestio auctore spreverunt, *celebritatem* pro *crebritate* Latine dici existimantes et pro ea opinione proferentes Ciceronis verba ad Fam. VII 2 4: *nos hic in multitudine et celebritate iudiciorum et novis legibus ita distinemur* cet., sed ibi *celebritas iudiciorum* denotat iudicia quae magna hominum frequentia celebrantur, et perinde Tacitus *celebritatem loci* posuit III 9, *celebritatem viae* H. II 64. Ad eum modum *celebritas periculorum* idem foret ac pericula hominum frequentia celebrata, id quod huic loco mi-

incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio senatus
nihil atrox adferret. Igitur accita est in senatum, steteruntque
diversi, ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra
filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pol-
lione in exilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem
31 quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur. Tum in-
terrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum cervici
monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris
contraheret, primum strata humi longoque fletu et silentio,
post altaria et aram complexa, 'nullos' inquit 'impios deos,
nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi
quam ut hunc optimum patrem tu, Caesar, vos, patres, ser-
varetis incolumem. Sic gemmas et vestes et dignitatis in-
signia dedi, quomodo si sanguinem et vitam poposcissent.
Viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes
exerceant: nulla mihi principis mentio nisi inter numina fuit.
Nescit tamen miserrimus pater; et si crimen est, sola deliqui.'
32 Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque non
illam in provinciam secum profectam, non Plauto per aetatem
nosci potuisse, non criminibus mariti connexam; nimiae tan-
tum pietatis ream separarent, atque ipse quamcumque sortem

2. *nichil* M^a. 5. *exsilio* superscr. *ŭ* litterae *o* M^a. *viduata* non omittit M^a, ut apud Waltherum narrat Victorius. 11. *aliut.* M^a. *p̄cibus* M^a. 14. *dedit* M^a: G *dedi.* 15 et 16. *michi* M^a. 19. *plautio* M^a: G *plauto.* 20. *conexam* M^a. 21. *quamcũque* M^a.

nime consentaneum est. Quapropter intercedente delicata Italorum pronuntiandi consuetudine *cerebritate* pro *crebritate* prodisse, ex illo amplius *celebritate* prave correctum esse credo.

manus et tela militum cernentibus: in curia et sedibus suis haec ante a se animadversa cernebant animi oculis, non corporis, neque Tacitus aliud referre voluit.

protulerit ingenium: h. e. *in medium tulerit* notumque fecerit.

Cap. 30. *ingreditur:* curiam ingressus est: 'erat enim (Ernestii verba) eques modo, exspectabatque foris dum tempus esset.'

sed recens et quod — connectebat: post *recens* supplendum est v. *erat;* prius *quod* est pronomen relativum; *et quod — connectebat* scripsit, non *et — connectens*, ne in artem peccaret utque varietati consuleret. *steteruntque diversi:* interpretare *und da standen sie sich gegenüber.* Particula *que* sic iuncta rem novam et insolitam denotat. *in exilium pulso:* per occasionem coniurationis Pisonianae: XV 71.

Cap. 31. *altaria et aram complexa: altaria* Veneris Genetricis videntur esse, *ara* contra suggestus in quo posita principis statua.

subiret. Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent. Mox datus testibus locus; et quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae Publius Egnatius testis concivit. Cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus subdolus, avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces. Idem tamen dies 33

1. *interiectis* M^a. 3. *seuit.* M^a. 4. *P.* M^a. 7. *exercitus* Lipsius, item A referente Ryckio: M^a et ceteri *et exerciti.*

Quippe Nero non adfuit huic senatus consilio, ut patet ex. c. 27 *et oratio principis per quaestorem eius audita est;* c. 23 *denique nihil ipse de Thrasea scripseris; disceptatorem senatum nobis relinque.* Servilia igitur haec sua verba ad imaginem Neronis proloqui cogitanda est.

Cap. 32. *Publius Egnatius: Publius Celer*, pro nomine posito cognomine eius, appellatur H. IV 10 et 40. Conf. Dio ap. Xiphil. LXII 26 et mea ad H. IV 10 annotatio. *quae postquam pecunia reclusa sunt*: non hoc dicit Tacitus, Egnatii vitia per pecuniam aperta facta esse, sed ipsum pecunia corruptum impulsumque esse, ut talem qualis erat se ostenderet. Interpretare *als diese* (*Habsucht und Wollust*) *durch Geld erschlossen waren.* Recluserunt ea ministri Neronis et pecunia ab his promissa.

Cap. 33. *Cassii Asclepiodoti:* meminit viri etiam Dio l. c. *aequitate deum:* h. e. dis aeque incuriosis. Nudus ablativus addito genitivo, qui valet idem atque *divina*, excusatur. Conf. Agr. 11: *eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione. Helvidius et Paconius Italia depelluntur*: de Paconii exilio memorabilia narrat Arrianus Diss. Epict. I 1: *ἀπηγγέλθη αὐτῷ, ὅτι Κρίνῃ ἐν συγκλήτῳ· Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἀλλὰ ἦλθεν ἡ πέμπτη (ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτεῖν)· ἀπέλθωμεν καὶ γυμνασθῶμεν. Γυμνασαμένῳ λέγει τις αὐτῷ, ὅτι Κατακέκρισαι. Φυγῇ, φησίν, ἢ θανάτῳ; Φυγῇ. Τὰ ὑπάρχοντα τί; Οὐκ ἀφῃρέθη. Εἰς Ἀρικίαν οὖν ἀπελθόντες ἀριστήσωμεν.*

ne in re publica haberetur: ut privatus ageret.

Cap. 34. *quaestor Caesaris:* notabile turpeque mendum sustuli, cum ex *quaestore consulis*, qui nullus fuit hac aetate, quaestorem Caesaris restitui. Nimirum inde a Claudio usque ad tertium principatus Neroniani annum in urbe *quaestores aerarii* erant, in provinciis quaestores comites et ministri *proconsulum.* Sed illi quaestores urbis ab anno 56 post Chr. nulli erant, translata aerarii cura ad viros praetorios; v. XIII 29. Quid multa? quaestor huius loci ad aerarium nihil pertinet, nihil ad ceteros quaestores in provinciis proconsularibus agentes: immo *quaestor* est *principis* sive *Caesaris* (*der kaiserliche Adiutant*), quae dignitas ab Augusto creata temporis decursu adeo crevit, ut post

et honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus fortunis et in exilium actus, aequitate deum erga bona malaque documenta. Thraseae Soranoque et Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius et Paconius Italia depelluntur. Montanus patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. Accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies et quaestoria insignia
34 tribuuntur. Tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor Caesaris missus vesperascente iam die. Inlustrium virorum

2. *bythinos* M[a]. 4. *aequitatē* M[a]. *dm* cum lin. M[a]. 7. *re.p.* M[a]. 8. *aeprio* M[a]. 10. *ad* G: *a* M[a]. 11. *Caesaris* editor: M[a] et alii *consulis*, G a priore m. *consul*, ab altera *consulis*.

aetatem Constantini Magni *quaestor sacri palatii* os et vox principis haberetur. Augustus enim quattuor quaestores, quos consulibus adiutores a. 716 primum adiunctos esse Dio memoriae prodidit XLVIII 43 (*ἐπὶ δ' Ἀππίου τε Κλαυδίου καὶ Γαΐου Νωρβάνου, οἷς πρώτοις δύο ἑκατέροις ταμιεῖαι συνεγένοντο, κ. τ. λ.*), mox ipse sibi circumdedit ad augendam vim principatus et minuendum consulatum. Morem ab Augusto institutum ceteri Caesares tenuere. Extremis autem imperii temporibus pro quattuor quaestoribus unus mutato munere et officio fuit, de quo cf. Cassiodorus Var. VI 5. Symmach. Epist. I 17. Quaestores ab Augusto et successoribus adhibiti mandata Caesaris ad senatum perferebant eiusque orationes praelegebant, pro quibus officiis a principe candidati praeturae commendabantur sine repulsa ambituque designandi; v. I 15, XI 21. De his quaestoribus loquitur Sueton. Aug. 65: *Gai Luciique casu non adeo fractus, de filia absens ac libello per quaestorem recitato notum senatui fecit.* Idem in Nerone c. 15: *de quibusdam rebus orationes ad senatum missas, praeterito quaestoris officio, per consulem plerumque recitabat.* Idem in Tito c. 6: *receptaque ad se prope omnium officiorum cura, cum patris nomine epistolas ipse dictaret, et edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret etiam quaestoris vice.* Hoc officio Velleius Paterculus principe Augusto et sub Tiberio, ante praeturam a. 15 post Chr. suffragio Caesaris Tiberii acceptam, functus est ipse et frater eius, ut tradit II 124: *quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, — destinari praetoribus contigit.* Conf. Dio ap. Xiphil. LXVI 10. Plin. Epist. VII 16: *simul quaestores Caesaris fuimus.* De eodem quaestore Tacitus ipse c. 27 in hac ipsa causa: *et oratio principis per quaestorem eius audita est.* Breviter duplex quaestorum munus discernitur in Iuliani Epit. Novell. const. XXXVIII (ed Pith. Paris. 1689 p. 495): *more antiquo duplex erat quaestorum magistratus, et unus quidem circa latus principis erat, alter autem quaestor exercitui praeerat.* Ulpian. l. un. D. *de officio quaestoris* (I 13): *sane non omnes quaestores provincias sortiebantur, verum excepti erant candidati principis: hi etenim solis libris principalibus in senatu legendis va-*

feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori; cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus ex intimis amicis, et ei quid senatus censuisset exposuit. Igitur flentes queritantesque qui aderant, facessere propere Thrasea, neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur, Arriamque temptantem mariti suprema et exemplum Arriae matris sequi, monet retinere vitam filiaeque communi subsidium unicum non adimere. Tum progressus in porticum, illic a quaestore **35** reperitur, laetitiae propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit; porre-

1. *frequenteegerat* (cum lin. super priore litt. *t*) M[a]: *frequentes egerat* G. *intentū* M[a]: G *intentus*. 4. *naturae* M[a]: G *natura*. 6. *queritantesque* GM[a], *querentesque* AR. 7. *facescere* M[a]: G *facessere*. 8. *miscere* GM[a], *miscerent* A. *hortantur* M[a]: G *hortatur*. 11. *questore repperitur* M[a]. 13. *italiā* M[a].

cant. Extra ordinem factum est illud quod Plinius Paneg. c. 70 narrat, *praefuerat provinciae quaestor unus ex candidatis.* Qui igitur quaestor principis orationem in Thraseae Soranique iudicio attulit in templum Veneris Genetricis et recitavit, idem sententiam senatus Thraseae patefecit; Thrasea autem quam animi fortitudinem praesente quaestore ostendit, idem Tiberio principe vir constantis animi Geminius Rufus fecerat, item mori iussus a quaestore Caesaris: Dio LVIII 4: *καὶ μαθὼν τὸν ταμίαν ἐπὶ δικαιώσει αὐτοῦ παρόντα, αὐτός τε ἑαυτὸν ἔτρωσε, καὶ ἐκείνῳ τὸ τραῦμα δείξας 'Απάγγειλον, ἔφη, τῇ γερουσίᾳ ὅτι ἀνὴρ οὕτως ἀποθνήσκει.* Loci corrumpendi ansam praebuit compendii nota, *ces* (haec ipsa in M[a] XV 14 vocabuli *Caesares* vicem explet) scripta in antiquo libro unde descendit M[a], et a proximo scriba pro *cos* accepta.

Demetrio Cynicae institutionis doctori: magnis laudibus ornat et cum admiratione abstinentiam et animi magnitudinem celebrat Seneca de Benef. VII 8—11, Epist. 20 et 62, Nat. Quaest. libri IV praef. §. 7. Conf. Philostrati Vita Apoll. IV 25. Arrianus Diss. Epict. I 25 22.

exemplum Arriae matris: Plin. Epist. III 16: *Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat, fuerat Paetus in partibus et occiso Scriboniano Romam trahebatur.* Tum, ut Plinius ibidem narrat, eius coniux Arria *ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam 'Paete, non dolet.'* Conf. Martialis I 14. Dio LX 16. Zonaras XI 9. Arria Thraseae coniux cognata fuit Persii poetae. Huius vitae scriptor: *idem etiam decem fere annos summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur*

ctisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore 'libamus' inquit 'Iovi liberatori. Specta, iuvenis; et omen quidem di prohibeant: ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.' Post lentitudine exitus graves cruciatus adferente, obversis in Demetrium

1. *brachiis* M^a: G *brachii.* 2. *quęstore* M^a. *libamus* M^a: *libemus* G. 3. *iobi* M^a. *dii* Or. 4. *caeterum* M^a. 6. *aff.* Or. *obuersis* M^a, ut ceteri, non *obversus*, ut Waltherus refert ex Victorio.

quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam habente uxorem.

Cap. 35. *libamus Iovi liberatori:* quid faciat ipse cum duobus amicis, quaestori dicit, non quid iam facere intendat. Recte igitur *libamus*, non *libemus*. Sanguine suo se libare Iovi, qui ipsum vera libertate donet, profitetur. Iuvenalis (V 36) Scholiasta aut non satis diligenter legit Tacitum, aut secutus est alium auctorem, Plinium vel Fabium Rusticum, cum narrat: *Thrasea, — accusatus crimine maiestatis, defendi se noluit secandasque venas praebuit, conversusque ad Demetrium Cynicum: 'Nonne tibi libare videor Iovi liberatori?' Atque singulis amicis oscula offerens exanimatus est.*

specta, iuvenis: quaestorem alloquitur: nam quaestores principis, ut ceteri, eo munere iuvenes fungebantur, mox ad praeturam promovebantur.

ADDITAMENTVM AD XI 24.

CLAVDII IMPERATORIS ORATIONIS QVAE SVPERSVNT[1].

TABVLA I.

mae rerum nostr . . . . sii . . . . Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occursuram mihi provideo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis, sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae, in quot formas statusque res publica nostra diducta sit. Quondam reges hanc tenuere urbem; nec tamen domesticis successoribus eām tradere contigit. Supervenere alieni et quidam externi, ut Numa Romulo successerit ex Sabinis veniens, vicinus quidem sed tunc externus, ut Anco Marcio Priscus Tarquinius. Propter temeratum sanguinem, quod patre Demarato Corinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa sed inopi, ut quae tali marito necesse habuerit succumbere, cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, regnum adeptus est. Huic quoque et filio nepotive eius (nam et hoc inter auctores discrepat) insertus Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes.

1. Tabulae aeneae duae, quae continent Claudii Caesaris orationem de civitate Gallis danda, Lugduni erutae sunt ad latus aedis S. Sebastiani a. 1529. Typis expressere Lipsius et Broterius, Gruterus p. 502, Menetrier in *histoire de la ville de Lyon* (Lyon 1696 fol.), C. Zell cum commentario Friburgi Br. 1833. 4. Scripturae inconstantis exempla *rei p.* et *reip.*, *imperi* et *imperii* ex ipso aere petita sunt. Eodem pertinet *Caeli*, qui est genitivus nominis *Caelius*, ut liquet ex proximo *a duce suo Caelio*, non a *Caele* antique formatus, quae Niebuhrii sententia fuit in H. R. t. I p. 422 ed. tert.

Postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellita*vit*[1], mutatoque nomine (nam Tusce Mastarna ei nomen erat) ita appellatus est, ut dixi, et regnum summa cum rei p. utilitate optinuit. Deinde postquam Tarquinii Superbi mores invisi civitati nostrae esse coeperunt, qua ipsius qua filiorum eius, nempe pertaesum est mentes regni et ad consules, annuos magistratus, administratio reip. translata est. Quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros, quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur? aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? Quid a consulibus ad decemviros translatum imperium, solutoque postea decemvirali regno ad consules rursus reditum. Quid inter pluris distributum consulare imperium tribunos*que* militum consulari imperio appellatos, qui seni et saepe octoni crearentur? Quid communicatos postremo cum plebe honores non imperi solum sed sacerdotiorum quoque? Iam si narrem bella, a quibus coeperint maiores nostri et quo processerimus, vereor, ne nimis insolentior esse videar et quaesisse iactationem gloriae prolati imperii ultra Oceanum. Sed illuc potius revertar. Civitatem

TABVLA II.

. . . . sane . . . . novo . . . . divus Aug . . . .: no . . . . lus et patruus Ti. Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit. Quid ergo? Non Italicus senator provinciali potior est? Iam vobis cum hanc partem censurae meae approbare coepero, quid de ea re sentiam rebus ostendam. Sed ne provinciales quidem, si modo ornare curiam poterint, reiiciendos puto. Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert! Ex qua colonia inter

1. In aere est *appellitatus*, vitium a lapicida ad proximum *appellatus* intento admissum, a Niebuhrio in Hist. Rom. t. I annot. 923 edit. tert. vere correctum.

paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo. Cuius liberi fruantur quaeso primo sacerdotiorum gradu, postmodo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa. Ut dirum nomen latronis [1] taceam, et odi illud palaestricum prodigium, quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis Romanae beneficium consecuta est. Idem de fratre eius possum dicere miserabili quidem indignissimoque hoc casu, ut vobis utilis senator esse non possit.

Tempus [2] est iam, Ti. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis, quo tendat oratio tua; iam enim ad extremos fines Galliae Narbonensis venisti.

Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi senatores quam paenitet Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere. Quodsi haec ita esse consentitis, quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrem solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Luguduno habere nos nostri ordinis viros non paenitet. Timide quidem, P. C., egressus adsuetos familiaresque vobis provinciarum terminos sum; sed destricte iam Comatae Galliae causa agenda est. In qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt divom Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum a census novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum advocatus esset. Quod opus quam arduum sit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notae sint facultates nostrae, exquiratur, nimis magno experimento agnoscimus.

1. Latronem dicit Valerium Asiaticum, de quo Tacitus XI 1. Frater eius aliunde cognitus non est.

2. Se ipse revocat longius egressum, ut de re quae agitur sententiam proferat.